FRANCISCI TOLETI E SOCIETATE IESU ... COMMENTARII ET ANNOTATIONES IN EPISTOLAM B...

Francisco Toledo

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
27 — E
7

C. A. f

Digitized by Google

FRANCISCI TOLETI E SOCIETATE IESV S. R. E. PRESBYTERI CARD.

COMMENTARII ET ANNOTATIONES IN EPISTOLAM B. PAVLI APOSTOLI AD ROMANOS.

Quibus acceſſerunt eiuſdem Cardinalis Sermones quindecim in pſalmum primum & triceſimum: ac duo in eiuſdem Epiſtolæ loca tractatus.



Conv. Sanctæ Mariæ de Scala

ROMÆ,

Sumptibus Paulini Arnolfini Lucenſis.

Apud Carolum Vulliettum. MCDII.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

ERVDITO AC PIO LECTORI. S.

FRanciſci Toleti ingenium immortalitate dignum ne ipſa quidem morte extingui potuit. Tibi certe, erudite ac pie Lector, etiam num viuit, cum adeo præclaros ad commendationem aeternitatis tuo bono, & commodo foetus parit. En hic tertius editur poſthumus in lucem partus, vere dignus luce, ſed erudita; vere dignus patre, ſed viuente: dignus denique in quo viuum ac ſpirantem reuocari è mortuis parentem boni omnes, ac docti homines gratulentur. Et verò inter multa ingenij præclariſſimi monumenta, inchoata partim, partim affecta, quæ ab illius viri è vita exceſſu inuenta ſunt, hoc vnum, quo explanatio in Epiſtolam Pauli ad Romanos, & conciones in pſalmum primum & triceſimum continentur quindecim, & duo in quædam eiuſdem Epiſtolæ loca tractatus, limatum plane, & quod artificem præterea, niſi forte poſtremam ſcriptoris manum, non deſideraret, occurrit. Viſum eſt ita, vti erat, eſſe doctis oculis offerendum, ne vel auctoris gloriæ tantum lumen, vel tuæ vtilitati tantas opes inuidiſſe videremur. præſertim cum obſcurum non eſſet (quia remanet idem plerumque ſenſus in mortuis, qui fuerat in viuentibus) nihil poſſe gratius accidere Toleto, quàm vt ſui labores, fructus fierent publicando tui.

Illud velim, quod ad rei notitiam attinet, noris lector; conciones illas quindecim, quas huic operi adtextas vides, habitas ab auctore nuſquam eſſe, ſed eo tantum animo ac mente conſcriptas, vt quia à Sancto Paulo Pſalmi illius interdum in Epiſtola ad Romanos auctoritas laudaretur, haberent clariorem epiſtola & pſalmus, altera ex euolutione alterius explicatum. Tu his fruere, & gratiam, ſi quàm vel Toleto, vel nobis debere te cenſes, Dei Optimi Maximi gloriæ reſer, & Toleto illam, ac nobis retuliſti Vale.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCI TOLETI E SOCIETATE IESV S. R. E. PRESBYTERI CARD.

COMMENTARII ET ANNOTATIONES IN Epiſtolam B. Pauli Apoſtoli ad Romanos.

CAPVT PRIMVM.

PAVLVS, *ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de Filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri: per quem accepimus gratiam, & Apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine eius, in quibus eſtis & vos vocati Ieſu Chriſti: omnibus qui ſunt Romæ, dilectis Dei, vocatis ſanctis. Gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Primum quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis: quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo in Euangelio Filij eius, quòd ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis: obſecrans, ſi quo modo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Deſidero enim videre vos: vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos: id eſt, ſimul conſolari in vobis per eam, quæ inuicem eſt, fidem veſtram, atque meam. Nolo autem vos ignorare fratres: quia ſæpe propoſui venire ad vos, (& prohibitus ſum vſque adhuc) vt aliquem fructum habeam & in vobis, ſicut & in ceteris gentibus. Græcis ac Barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum: ita (quod in me) promptum eſt & vobis, qui Romæ eſtis, euangelizare. Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primum, & Græco. Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem: ſicut ſcriptum eſt: Iuſtus autem ex fide viuit. Reuelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impieta-*

Digitized by Google

tem,& iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent: quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim ipſius, a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas: ita vt ſint inexcuſabiles. Quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & Serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam: vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis: qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium: & coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potius quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen. Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutauerunt naturalem vſum in eum vſum, qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi, relicto naturali vſu feminæ, exarſerunt in deſideriis ſuis in inuicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, et mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes. Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum ſenſum: vt faciant ea, quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia. Qui cum iuſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte: & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.

Paulus.

SAlutatio epiſtolis præmitti ſolita, tria complectitur, nempe auctoris, & eorum, ad quos epiſtola mittitur, nomina; ſalutem etiã, & bonum, quæ illis impartitur. Quãtum autem ad auctoris nomen ſpectat, Paulus non ſolum ſuum nomen exponit, ſed etiam ſuis ſe ornat titulis, nec id quidem vane & ſine cauſa, ſed maxime rationabiliter; tum vt doctrinam epiſtolæ, quæ maximi momenti, & valde ardua eſt, commendet; tum vt Pſeudoapoſtolos conuincat, qui male & peruerſe de eo ſentientes ac loquentes, ab eius ſequela ac doctrina populos auertebant: eum non Apoſtolum Chriſti, ſed Pſeu-

Digitized by Google

Pſeudoapoſtolum calumniantes. Eſt igitur nomen, Paulus: olim Saulus: poſtea vero Paulus dictus eſt, taliq. nomine eo iam tempore notus erat in tota Eccleſia.

ANNOTATIO I.

Act. 13. CVm Paulus & Saulus dictus ſit Apoſtolus noſter, vt Act. 13. habetur, inquirunt Doctores, cur hoc ſit factum; & varie reſpondẽt. Quidam enim primo loco ipſum binomium fuiſſe cenſent, vt & Paulus & ſimul Saulus diceretur, ſicut & Matthæus etiã Leui dictus eſt, & in Scriptura multos duo eſſe ſortitos nomina legimus. hanc ſententiã tenet Origen. in commentario huius epiſtolæ, & eam ſequitur Sedulius & Anſelm. Nec contra hãc ſententiam argumentum modernorũ quorundam efficax eſt. obijciunt enim, Paulum Latinum eſſe nomen, non Hebræum, obiectio tamen vana eſt: nam etiam Hebræum eſt nomen, & Hiero. ad Philemonem, interpretatur idem ſignificare, quod admirabilis; videtur enim Hiero. originẽ eius trahere a verbo פלה quod facere mirabile ſignificat, at potius à verbo פעל deſcẽdit, quod ſignificat operari, & participium paſſiuum Hebræi appellant פעל quod idẽ ſignificat, quod confectus ſeu effectus, quaſi is, quo Deus operatus eſt; alludit enim ad illud Gal. 2. Qui operatus eſt mihi inter gentes. potuit igitur nominari Paul. ſicut Saul. a verbo שאל ideſt poſtulo ſeu peto, quaſi poſtulatus. inde Paulus & Saulus. nã Græci & Latini Hebræa & extera nomina ſuis accõmodãt ſermonibus, terminationes mutãtes. ſic Iacob vocant Iacobum, & Ioſeph, Ioſephum, vt notat Hiero. loco citato. Hæc tamen ſententia non videtur exacta, ſi enim binomius eſſet, cur Lucas Act. 13. huius nominis Pauli meminit, cum prius ſæpe appellauerit Saulum; ſi enim binomius fuiſſet a principio, dicẽdum erat, Saulus, qui & Paulus.

Apoſtolus cur dictus Paulus & Saulus.

Orig.

Sedul.

Anſel.

Hier.

Galat. 2.

Act. 13.

Secundo loco, aliqui moderni binomium fuiſſe negant, nec nominis mutationem admittunt, ſed affirmant nomen idem eſſe Saulum & Paulum, ex literæ enim vnius corruptione Paulus dictus eſt loco Sauli, ſicut etiam Iohanah & Ionah idẽ eſt nomen, non duo, & Simon dicitur filius Ionah & Iohanah. Sed hæc ſententia exacta non videtur. nam Act. 13. dicitur, Saulus, qui & Paulus. ſi nomen vnicum eſſet, non ſic repeteretur, ſicut nec dicitur: Simõ filius Ioanah, qui & Ionah. Adde, ipſe non vſus fuiſſet nomine corrupto, ſed vero & legitimo. non igitur idẽ eſt nomen Paulus & Saulus. Adde etiam, ex diuerſis verbis Hebraicis ea duo originem trahere ſuam, vti diximus. Adde, rationem factam contra Origenis ſententiam, etiam procedere contra hanc modernorum, à principio enim vtriuſque mentio fieri debuit.

Paulus an fuerit binomius vel mutauerit ſibi nomen.

Tertio loco alij duo nomina eſſe cenſent, ipſumq. binomium fuiſſe negant; ſed nomen vnum in alterum eſſe mutatum aſſerunt, vt qui prius Saulus, poſtea dictus ſit Paulus. hæc ſententia eſt multorum Patrum antiquorum, qui quamuis in mutatione conſentiant, tamen in ratione, ſeu cauſa, ac auctore mutationis diſſentiunt. Chryſoſt. ſerm. 5. in hanc epiſtol. & hom. 9. de laudibus Pauli, à Deo

Chryſoſt.

Digitized by Google

dicit ei fuiſſe nomen mutatum aliquanto tempore poſt conuerſionem, ne quid minus Patriarchis illis habuiſſe videretur, immò vt in hac parte Petro Apoſtolorum primati æquaretur, qui, cum Simon dictus eſſet, ſortitus eſt à Christo nomen Petri. hanc ſententiam ſequitur Theodulus in commentario huius epiſtolæ. ſimiliter & Theodoret. eam tamen non recipit Hiero. in cap. 1. epiſt. ad Philem. hac motus ratione, quia mutationes illas Abraham & Petri ſcriptura iuſſione Dei factas eſſe commemorat, at talem iuſſionem, vt ex Saulo Paulus ſit dictus, nulla ſcriptura narrat. eadē ratione Sedulius hanc etiam ſententiam repellit. Adde etiam, Simoni non fuiſſe nomen mutatum, ſed auctum, nam dictus eſt Simon Petrus, nomē enim antiquum retinuit, at Paulus nomen primum abiecit; non enim amplius vocatus eſt Saulus. in commentarijs noſtris in Ioannem cap. 1. cur id cum Petro actum ſit, expoſuimus. Hæc eſt igitur prima ſententia eorum, qui nominis mutationem admittunt.

Theodul. *Theodor.* *Sedul.*

Hier. Secunda eſt ipſius Hiero. in citato loco, vbi cenſet ipſum ſibimet nomen mutaſſe, cauſam autem mutationis eam fuiſſe, quia primum ſpolium Gentium, ideſt, primus, quem ex Gentibus conuertit, fuit Proconſul Sergius Paulus, vt habetur Act. 13. vt igitur Scipio, ſubiecta Aphrica, Aphricani ſibi nomen aſſumpſit, & Metellus, inſula Creta ſubiugata, inſigne Cretici ſuæ familiæ reportauit, & Imperatores nūc vſq. Romani ex ſubiectis gētibus Adiabenici, Parthici, Sarmatici nuncupantur, ita & Paulus ad prædicationem Gētium miſſus, a primo Eccleſiæ ſpolio, Proconſule Sergio Paulo, victoriæ ſuæ trophea retulit, erexitq. vexillum, vt Paulus diceretur ex Saulo, hæc Hiero. hanc ſententiam non recipit Sedulius eadem fere ratione, qua Hiero. nō recepit Chryſoſt. ſententiam, quia nulla talis in ſcripturis conſuetudo reperitur: qua etiam cauſa Anſelmus eandem ſententiam deſerit. Adde huic rationi alias duas. Vna eſt, quia illi, quos refert Hiero. nomina non mutarunt, ſed antiquis nominibus tanquam cognomina adiunxerunt, at Paulus non eſt amplius Saulus dictus. Altera eſt, quia non videtur hoc humilitati & veritati Pauli accommodatum: ſciebat enim Paulus non eſſe victoriam ſuam, ſed Chriſti. neque enim qui plantat eſt aliquid, neq. qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. non igitur ſibi vſurpaſſet Paulus quod ſuum non erat, nec ſuæ doctrinæ eſſet contrarius: illi autem Gentiles & Imperatores ſibi victoriā tribuētes nomina ſuā talibus cognominibus ornabāt. hoc non eſt Apoſtolorū Chriſti.

Ambroſ. Tertia eſt ſententia Ambroſ. in comment. qui conuenit cum Hieron. in nominis mutatione, & in eo etiam quod ſibimet nomen mutauit: tamen cauſam mutationis aliā longe diuerſam adhibet, nempe vt ſtatus ſui veteris mutationem indicaret. Saulus enim inquietum, & tentatorem ſignificat, qualis ante erat Paulus. vt ergo iam non talem ſe eſſe ſignificaret, ſed diuina gratia humilem, & quietum effectum, idcirco Pauli, ideſt, paruuli nomen ſumpſit. Hæc ſententia in eo non videtur exacta, quod nomen Sauli tentatorem, & inquietum ſignificare aſſerit, cum vere ſignificet idem quod poſtulatus, ſeu expetitus, vt dicit Hieronymus.

Ambro-

Digitized by Google

Ambroſius autem ad Græcum ſermonem reſpexit, vbi Saulus inquietum & tumultuantem ſignificat, nã σάλος tumultum & ſtrepitum ſignificat. Paulus autem quietum: Græci enim παῦλαν quietem appellãt.

Aug. Quarta ſententia eſt Aug. lib. de Spiritu, & littera cap. 7. qui in cauſa non multum ab Ambr. diſſentit. Quantum, inquit, mihi videtur, non ob aliud hoc nomẽ elegit, niſi vt ſe oſtenderet paruum, tamquam minimum Apoſtolorum, ipſe enim 1. Corint. 15. talia de ſe prædicat. *1. Cor. 15.* Nouiſſime, inquit, omnium tãquam abortiuo viſus eſt & mihi, ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiã Dei. Hæc ſunt quæ Doctores de hoc nomine ſentiunt, & vt verum fatear hæc mihi Aug. ſententia eſt omniũ probabiliſsima viſa; tale enim nomen Pauli profundiſsima humilitas ſibi ſumpſit, eaq. eſt cauſa, cur Act. 13. incipiat hoc nomine nuncupari, quia tunc Apoſtolus eſt factus a Deo. quando igitur a Deo ipſe magnificatus eſt, tunc ipſe ad humilitatem profundam deſcendit, & cum cognomine Apoſtoli nomẽ ſibi ſumpſit Pauli, quod Latine paruum, Hebraice factum ſignificat, vt duo illa ſimul indicarẽt, quæ ipſe 1. Cor. 15. de ſe protulit: *1. Cor. 15.* Minimus ſum Apoſtolorum, nec dignus vocari Apoſtolus, gratia autẽ Dei ſum id quod ſum. Paruus igitur dicitur, quia minimus, & quia effectus, quia quod eſt excellentiæ in eo, gratiæ Dei opus & effectus fuit.

Seruus Ieſu Chriſti.

Paulus cur ſeruus Ieſu Chriſti vocatus.

POſt nomen exprimit profeſsionem, ſeruus, inquit, Ieſu Chriſti. nempe fidem Chriſti profitens, ac ſi diceret, nomine Paulus, profeſſione Chriſtianus ſum. hoc maxime dicit, ut ſe a lege illa ueteri exutum, & Iudaiſmum, cuius prius acerrimus erat defenſor, reliquiſſe, Chriſtumq. ſe amplexum eſſe ſignificet, ut recte annotat Ambroſius. *Ambroſ.* Attende, ſeruum ſe Chriſti Ieſu appellare, Chriſtianis commune fuiſſe, vt eo nomine Chriſti excellentiam oſtenderent; quem enim increduli fabri filium, crucifixum hominem, impoſtoremq. appellabant, huius fideles ſeruos ſe profitebantur, ſeruitutem eius omnibus titulis & honoribus præferentes, vt dicit Theodoret. *Theodoret.* ipſius enim ſeruum eſſe maxime honorificum reputabant, vt vere erat.

Per nomen Ieſu Chriſti multos articulos fidei ſignificari, & comprehendi.

Attende adhuc multos articulos fidei hæc pauca verba amplecti. Vnus eſt; Chriſtum Deum eſſe ſimul & hominem, nomen enim Ieſu diuinitatem, cuius præcipue opus ſalus eſt hominum; Chriſti vero humanitatem, quae vnctionem Spiritus Sancti accepit, indicat. Chriſtiana autem fides haec eſt, nempe Chriſtum Deum & hominem confiteri: quod annotauit Ambroſius. Alter eſt, hunc eſſe verum Meſsiam in lege promiſſum; qui enim Ieſus dictus eſt, is Chriſtus & Meſsias verus eſt,

Digitized by Google

1. Ioan 2. 1. Ioan 4. 1. Ioan. 2. Quis eſt mendax, niſi is qui negat, quoniam Ieſus eſt Chriſtus; & 1. Ioan. 4. Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt. is dicitur ſoluere Ieſum, qui alium Ieſum, alium Chri- 1. Ioan. 5. ſtum & Meſſiam profitetur. 1. Ioan. 5. Omnis qui credit quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt, hac de cauſa vtrumq. nomen Chriſtiani coniungimus, vt ſimul Deum & hominem, & hunc eundem eſſe Meſſiam promiſſum profiteamur. Tertius eſt, Chriſtum eſſe redemptorem, hoc enim nomen ſerui inſinuat. nam non ſolo iure creationis dominus eſt, vt Pater & Spir. San. ſed etiam iure redemptionis dominus eſt, vt homo, ſuo enim ſanguine nos de peccati captiuitate, & Dæmonis tyrannide redemit: idcirco ſerui ipſius ſumus etiam iure redemptionis, & qui hanc profitemur ſeruitutem ipſum etiam redemptorem pronunciamus, & confitemur. non ſolam autem fidem hoc nomen indicat, ſed vitae etiam Chriſtianae qualitatem; vt enim ſeruus quae domini ſunt, curat, & diligenter exequitur, idq; ex debita quadam iuſtitia; ita & qui Chriſti fidem profitemur, quae Chriſti ſunt diligenter exhibere tenemur: eaq. eſt vita Chriſtiana, Chriſti nempe voluntatem exequi; ſicut ſerui eſt domini facere voluntatem, quam Paulus inferius apertius docet.

ANNOTATIO. II.

CVm nomen ſerui latius pateat, multisq. modis homo ſeruus ſit Dei; idcirco Doctores inquirunt, quam ſeruitutem Paulus hoc Origen. verbo ſignificauerit. Origen. quatuor cauſas exponit, propter quas Paulum aſſerit ſe ſeruum appellaſſe. Prima eſt propter humilitatem. Secunda propter imitationē Chriſti, qui de ſe ipſo dixit; Ego in medio veſtrum ſum tanquam qui miniſtrat. Tertia, quia vocatus fuit ad Chriſtianiſmum vxoratus, talis enim ſeruus dicitur. Tandem quarta, quia ſancti, qui in hoc corpore adhuc detinentur, nondum ſunt plenam libertatem aſſecuti. Multa ex his vera ſunt: ſed magis congruere videtur, quod Paulus non tantum vera, ſed accommodata etiam propoſito argumēto loquitur. Chryſoſt. Serm. 1. tres diſtinguit ſeruitutes: ſerui enim ſumus ratione creationis, ratione etiam fidei, quam profitemur, & ratione vitae, quam imitamur, haſq. Paulus hoc verbo ſignificat, vt ſeruū ſe eſſe Chriſti oſtēdat, creatione, fide, vita, haec Chryſoſt. Chryſoſt.

Aliqui moderni ſeruum miniſtrum exponunt: vt verbi Chriſti praedicandi officium indicaret: idq. ſedulius indicare videtur: nam Sedul. inter alias cauſas nominis huius, quas ex Origene tranſcripſit, hanc adiunxit. ſed quamuis nomen in ea aliquādo ſignificatione accipiatur, in praeſenti tamen accommodata non videtur: nam miniſterium & munus ſuum verbo ſequenti Paulus exponit, dum ſe Apoſtolum appellat. Ambro. Theodoret. & Theodul. Ambroſ. Theodor. ſeruum exponunt, quia a lege fuit Theodul.

exu-

Digitized by Google

exutus & liberatus, verum quidem eſt, dum ſeruum ſe Ieſu Chriſti fatetur, Iudaiſmo & legi abrenunciaſſe ſignificare; at cur ſeruus Chriſti dictus ſit, ea non videtur eſſe cauſa. Dicendum igitur videtur, Paulũ hoc verbo ſuam expoſuiſſe profeſſionem: ac ſi diceret: Ego nomine Paulus, profeſsione Chriſtianus, fidem Chriſti Ieſu amplectens & ſequens. Cur autem qui fidem Chriſti profitetur, ſeruus dictus ſit, in commentario expoſuimus: nempe vt Chriſti dignitas & excellentia oſtẽdatur; quia Deus & homo, eſt Dominus & redemptor omnium, & tali nomine vera fides & vita Chriſtiani velut in epilogo breuiſsimo comprehenditur.

Orig. Dubitatio tamen adhuc quædã ſupereſt, quam Origenes primus excitauit: quomodo enim ſeruum ſe dicit Chriſti, cum ſcriptum ſit Rom. 8. Nõ accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed ſpiritũ adoptionis; in quo clamamus Abba pater, & Gala. 4. Non ſumus ancillæ filij, ſed liberę, qua libertate Chriſtus nos liberauit. Ad hanc reſpondent Orige. & Sedul. ipſum ſequẽs, hanc ſeruitutem non repugnare libertati & filiationi. & reſponſio eſt vera, ſed nimium breuis & conciſſa, ideo ſatisfacere non videtur. dicẽdum igitur: Patres & omnes, qui ſub lege erant, fuiſſe ſeruos natura, & conditione, & ſtatu. natura, propter creationem. conditione, propter redemptionẽ: fide enim futuri redemptoris ſalutem conſequebantur ſpiritualem ſtatu, quia lex illa erat ſeruorum, & in ſtatu ſeruitutis erant qui ſub ea erant. Chriſtus autem per Euangelium nos liberauit a ſtatu ſeruitutis; & in ſtatum filiorum tranſtulit, non tamen à ſeruitute naturæ nos abſoluit, quia non poteſt a nobis auferri quin creati ſimus: nec à conditionis ſeruitute, quia ab ipſo redempti ſumus, ſed a ſtatu ſeruitutis: gratia enim fuit, vt qui natura ſerui ſumus & vere redempti eramus, ſtatũ libertatis filiorum reciperemus, liberati à ſeruitutis ſtatu antiquo. ſeruimus ergo nunc; ſed vt filij, & ſtatum libertatis obtinẽtes, & ſpiritus nobis dilectionis filiorumq. datus eſt, non ſeruitutis & timoris. Quia igitur natura & iure redemptionis & creationis ſerui ſumus, idcirco Paulus ſe ſeruũ appellat: at quia ſtatum liberorum & filiorum abiecta legis ſeruitute accepimus, propterea dictum eſt; non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis. & Ioan. 15. Iam non dicam vos ſeruos ſed amicos. hoc latius in commentarijs Ioan. 1. expoſuimus. Attende autem, aliud eſſe, ſeruum eſſe, aliud ſeruum ſe profiteri, omnes enim etiã increduli, etiamſi nolint, ſerui Chriſti ſunt, quia creati & redẽpti, at non omnes ſeruos ſe profitẽtur, niſi qui Chriſtiani ſunt. Paulus igitur ſeruus erat etiam ante conuerſionem, at cum ſe ſeruum nuncupat, ſe Chriſtianum, Chriſtiq. fidem amplecti profitetur, atq. hæc eſt eius profeſsio, quam tali verbo poſt nomen ſuum expoſuit.

[Margin: Rom. 8. — Gal. 4. — Orig. Sedul. — Author. — De qua ſeruitute dicat Paulus: Seruus Ieſu Chriſti. — Ioan. 15. — In quo differãt eſſe ſeruum & ſeruum vocari.]

Vocatus Apoſtolus.

HAec eſt functio & munus ſeu officium; nempe Apoſtolus: ac ſi diceret: Ego nomine Paulus, profeſſione Chriſtianus, functione & officio vocatus Apoſtolus: cum enim de numero duodecim Apoſtolorum non eſſet, ne aliquis eum ea de cauſa Apoſtolum

eſſe negaret, vt Pſeudoapoſtoli calumniabantur; idcirco vocatum Apoſtolũ ſe dicit. Vocatum autem intellige a Chriſto, a quo et cæteri ſunt vocati. Petrus autẽ de numero duodecim exiſtens, quamuis etiam vocatus eſſet, abſolute tamen ſe Apoſtolum in vtriuſq. ſuæ epiſtolæ initio appellauit, dicens: Petrus Apoſtolus Ieſu Chriſti: at Paulus extra numerum hunc cum eſſet, ne ſe ingeſiſſe propria viſus eſſet auctoritate, vocatum ſe ad Apoſtolatum ab eodem à quo et cæteri ſunt, exprimit.

Paulus cur vocatus Apoſtolus

ANNOTATIO III.

Vocatio quot modis ſumatur in Scriptura.

VOcatio in ſcriptura multipliciter vſurpatur: quantum autem ad præſens propoſitum pertinet, duplex eſt: Vna generalis, qua Deus homines ad ſui cognitionem & fidem trahit, & de numero ſuorum fidelium facit, de qua Matth. 22. dicitur: Multi ſunt vocati, pauci vero electi. & 2. Thimo. 1. Qui liberauit nos & vocauit vocatione ſancta. Altera eſt particularis, qua ad aliquem gradum, officium, dignitatemve in ſua vocat Eccleſia. de hac dicitur ad Heb. 5. Nec quiſquã ſibi ſumit honorem: ſed qui vocatur a Deo, quemadmodum & Aaron. Habuerunt Apoſtoli has diſtinctas vocationes: prius enim ad Chriſti fidem ſunt vocati: Petrus enim per Andreã Chriſtum nouit. Ioan. 1. & ibidem Chriſtus Philippum vocat, & Matth. 9. de telonio vocat Matthæum: at poſterius ad Apoſtolatum vocauit, quando Luc. 6. pernoctans in mõte in oratione Dei, cum dies factus eſſet, vocauit diſcipulos ſuos, et elegit ex eis duodecim, quos et Apoſtolos nominauit quibus verbis conſtat, etiam Iudam vocatum & electum Apoſtolum fuiſſe. limitanda ergo, ſeu potius declaranda eſt Origenis in præſenti, & illorum qui eam ſequuntur, doctrina, affirmantium, Iudam Apoſtolum quidẽ vocatum, ſed non electum. Iſti Doctores electum in ea ſignificatione accipiunt, in qua prædeſtinatum & ſaluum futurum ſignificat, qualis non fuit Iudas, qui cecidit ab Apoſtolatu, & damnatus eſt: non tamen negari debet nec poteſt, quãdo Apoſtoli a Chriſto facti ſunt, inter multos diſcipulos ipſum eſſe ſelectum, & vna cum vndecim electum. Hæ duæ vocationes etiam in Paulo factæ ſunt: vocatus enim eſt primo ad Chriſti cognitionem & fidem, factuſq. de fidelium numero in via Damaſci, vt habetur Act. 9. aliquanto autẽ poſt tempore factus eſt Apoſtolus. Act. 13. quando Sp. Sanct. dixit. Segregate mihi Saulũ & Barnabã in opus ad quod aſſumpſi eos. De hac vocatione loquitur nunc Paulus, qui dicit ſe vocatum Apoſtolum. Vnde non videtur ſatis accommodatum illud, quod Sedulius hoc verbum exponens dicit, nempe dici vocatum, quia in benedictionibus Patriarcharũ, & in via Damaſci, & in præſciẽtia Dei vocatus eſt. fuit quidem Paulus ab æterno electus a Deo, vt eſſet Apoſtolus tempore ſuo: fuit etiam prædictus a Iacob benedicẽte Beniamin, ſicut multi & graues antiqui Patres ſenſerũt; tamen hoc in loco vocatus dicitur a vocatione, quæ in tempore facta eſt, & nõ illa, quæ fuit in via Damaſci; tunc enim ad fidem vocatus eſt, non

Matth. 22. — 2. Thimot. 1. — Hebr. 5. — Ioann. 1. — Matth. 9. — Luc. 6. — Orig. — Iudas an fuerit vocatus & electus. — Act. 9. — Sedul.

Digitized by Google

non ad Apoſtolatum, ſed ea quæ facta eſt, quando vna cum Barnaba à Spiritu Sancto electi ſunt. De Apoſtolatus ſignificatione, dignitate, officio, & poteſtate, non eſt locus hic diſſerendi, Hoc tantum annotare non prætermittam, ſignificationem vocis ſuper omnes Apoſtolos Paulo conuenire: Apoſtolus enim miſſum ſignificat: Paulus autem fuit, qui plures orbis regiones peragrauit, & in plurima loca miſſus eſt.

Segregatus in Euangelium Dei.

SVi Apoſtolatus conditionem et qualitatem exponit, vtens illo eodem verbo, quo Spiritus Sanctus eſt vſus, quando ipſum conſtituit Apoſtolum. Segregate, inquit, mihi Paulum. eſt enim verbum Ἀφορίζω, ſeparo, ſegrego, inde Ἀφωρισμένος, id eſt ſeparatus, ſegregatus. quod autem dixit Spir. Sanctus. Segregate mihi in opus, ad quod aſſumpſi eos, exponit nunc Paulus: Segregatus in Euangelium Dei, ad obediendum fidei in omnibus gentibus, vt inferius dicitur. ſenſus ergo eſt: ſegregatus in Apoſtolum Gentium. Dicitur autem ſegregatus Apoſtolus propter duas cauſas. Vna eſt; quia factus eſt extra numerum duodecim Apoſtolorum, in quo diſfert a Matthia, qui electus quidem Apoſtolus eſt, ſed ſubrogatus loco Iudæ, & vnus de duodecim effectus, at Paulus ſeparatus & ſegregatus a numero illo eſt. Altera cauſa eſt, quia etiam in prædicatione ſeparatus eſt: nam cæteris tunc temporis in Iudæa manentibus, ipſe ad Gentes omnes miſſus eſt: quam ſegregationem ipſemet ad Gala. 2. expoſuit. Cum cognouiſſent, inquit, gratiam, quæ data eſt mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis: vt nos in Gentes, ipſi autem in circunciſionem. hoc eſt quod nunc dicit, ſegregatus Apoſtolus, vt ſit horum quatuor verborum ſenſus: Ego Paulus nomine, profeſsione ſeruus Ieſu Chriſti, munere ſeu functione vocatus Apoſtolus. Apoſtolatus condicione ſegregatus Apoſtolus ad Gentium prædicationem. ſegregatus autem eſt ab eo, a quo et vocatus, nempe Spiritu Sancto, vt habetur Act. 13. ad quam hiſtoriam alludit. Euangelium autem Dei, dicit, vt dignitas et vtilitas Apoſtolatus huius explicetur: prædicatio enim Chriſti ab his bonis quæ nuntiat et efficit, Euangelium dicitur: annuntiat enim et ſuppeditat Dei reconciliationem: regni Diaboli diſſolutionem: peccatorum hominum remiſsionem; a mortuis reſurrectionem: vitam æternam, et Regnum cælorum: viam etiam et modum omnia hæc aſsequendi exhibet. merito ergo Euangelium dicitur, id eſt bonum nuntium; et quidem Dei, auctoris et effectoris omnium horum; nemo enim tantorũ cauſa eſſe potuit, niſi Deus. Dei ergo Euangeliũ

Paulus quomodo dicatur ſegregatus in Euangelium.

Galat.

eſt

eſt, quod quanto eſt ſublimius, excellentius, et vtilius, tãto Apoſtolatus officiũ & dignitas ſuper omnia mũdana cõmendabiliora sũt.

ANNOTATIO IV.

Ambroſ. *Qua ratione Paulus dicatur ſegregatus.* QVa ratione Paulus ſegregatus dicatur, varie Doctores exponunt. Ambroſ. ea de cauſa dici ſegregatum affirmat, vt alluſio fiat quædam ad id munus, quod in lege Paulus ſortitus erat; erat enim Phariſaeus, quod apud Hebraeos ſignificat ſeparatũ & ſegregatum, à verbo פרש, qui igitur in lege ſegregatus erat, iam ad Euangelium à lege ſeparatur. *Chryſoſt.* Chryſoſt. ſerm. 1. aliam tradit alluſionem, nempe vt referatur ad illud Gala. 1. *Galat. 1.* Cum placuit ei, qui me ſegregauit ab vtero matris. per diuinam enim praeſciẽtiam fuit multo ante ſeparatus & diſtinctus ad Apoſtolatum. *Anſel.* Anſel. refert ad illud Act. 13. quando dictum eſt: Segregate mihi Saulum. & ſegregatum dicit, quia præ cæteris omnibus electus fuit ad Apoſtolatum, aut præ cæteris Diſcipulis, qui erant tunc cum illo Antiochiæ.

Sedul. Sedulius, praeter expoſitionem Ambroſ. & Chryſoſt. quas refert, ſegregatum dicit à coetu Apoſtolorum, ad prædicandum Gentibus. & haec eſt omnium probabiliſſima; additis his, quae in Commentario diximus; fuit enim ſegregatus à numero & à praedicatione. nam caeteris tunc praedicantibus in Iudaiſmo, ipſe electus eſt primus Gentium praedicator, poſtea etiam caeteri prouincias particulares ſibi elegerunt, vt Gentibus praedicarent. Paulus autem totius orbis factus eſt Doctor. Aliqui moderni exponunt ſegregatum, ideſt, deſtinatum. immo Irenae. lib. 3. cap. 18. *Ireneus.* legit praedeſtinatum in Euangelium. At haec verba non exprimunt rem ipſam: fuerunt enim etiam alij deſtinati, Paulus vero ſegregatus, verbum enim Graecum ſeparationem & diuiſionem quandam ſignificat.

Non eſt tamen praetermittendum hoc in loco vnum, quod Origenes annotauit, & Sedulius ipſum imitatus recepit; *Orig. Sedul.* inquirunt enim cauſam, cur Paulus ſit in Gentium Apoſtolum ſegregatus. Reſpondent autem id eſſe factum, quia praeuidit Deus in eo cauſas & merita futura, cur id fieri debuerit. Praeuidit, inquiunt, Deus laboraturum eſſe abundantius caeteris in Euangelio. In ſiti enim & fame, in frigore, & nuditate, in periculis latronum, in periculis fluminum, in periculis maris praedicaturus erat Euangelium Dei, propterea ſegregauit eum, antequam haec fierent, At non eſt haec doctrina probanda, quam nec ipſe Paulus probauit; non enim ex vllo merito electus, & ſegregatus in Apoſtolum eſt, ſed pura Dei miſericordia, qui eum voluit eligere, & talem, ac tantam donare gratiam, vt talia poſtea efficeret. ipſemet enim de ſeipſo affirmat, miſericordiam conſecutum eſſe, & dignum non eſſe adhuc vocari Apoſtolum. & cum placuit, inquit, ei, qui me ſegregauit, beneplacitum etiam, & gratiam Dei agnoſcit, non merita vlla nec praecedentia, nec ſequentia, vt eligeretur. habuit quidem demerita multa, & dignus, qui à Deo reijceretur, erat; tamen complacuit in eo ſibi Dominus. De hac tamen miſericordia non eſt noſtrum plura nunc diſcutere, hoc vnum adiũgam,

illam

Galat. 1. illam ſegregationem ab vtero, ad Galat. 1. aliquos interpretatos eſſe ab vtero matris, ideſt, à Synagoga, in qua ille erat Iudaiſmum profitens, & defendens: alios ad vterum maternum, vbi propter præſcientiam Dei, qua ſegregandum præſciuit, dicitur ſegregatus. hoc tamen ad commentarium illius Epiſtolæ pertinet. vbi exactius, Deo dante, id exponemus.

Quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis.

Euangelium quomodo promiſſũ per Prophetas in Scripturis.

PEr quandam parentheſim hæc verba dicta ſunt, vt nouitatis depelleret inuidiam, ſeq. non nouarum rerum prædicatorem & Apoſtolum oſtenderet, Euangeliumq. ab antiquitate cõmendaret, maxime contra Iudæos, qui nihil præter vetera admittebant. Senſus ergo eſt: In Euangelium Dei ſegregatus ſum, quod noua res eſt: ſed per Prophetas ſuos hoc Deus ante promiſerat, qui non voce ſola, ſed Scripturis ſanctis, & diuino Spiritu conſcriptis id prædixerunt, promiſſionemq. iſtam nobis pronunciarunt & manifeſtarunt: non igitur aliquid nouum confingimus; non contra Scripturas veteres, & legem aliquid prædicamus; non præter diuinam voluntatem aliquid promulgamus, ſed quod vetus eſt, quod à Deo promiſſum eſt, quod in ſacris Scripturis prænunciatum eſt. His verbis dignitas & excellentia Euangelij commendatur. quippe quòd ſit à Deo promiſſum, ſitq. tanto ante tempore per Prophetas illius prædictum, ſit etiam ſacris literis præſcriptum. Hæc verba maxime Manichæos, & Marcioniſtas conuincunt. ille enim Deus, qui Filium miſit in carnem, eſt idem, qui promiſit eum per Prophetas, & hos Prophetas ſuos eſſe dicit, vt idem ſit Deus Prophetarum, & Pater Domini noſtri, & Prophetæ ſpiritu huius Dei ſint afflati.

ANNOTATIO V.

Euangelium quot modis accipiatur.

ATtende Euangelium, & Chriſtum idem non eſſe, ſicut prædicatio & doctrina rei non eſt ipſa res. Euangelium enim dupliciter accipitur. Vno modo pro prædicatione ipſa Chriſti, ſeu de Chriſto, quæ complectitur quatuor. Vnum eſt, aduentus eius in carnem, in quo comprehenduntur, incarnatio, natiuitas, mors, reſurrectio, aſcenſio eius. Alterum eſt, effectus aduentus eius, nempe dæmonis regni deſtructio, peccati deletio, mortis abolitio, cum Deo reconciliatio, cæleſtis ianuæ apertio, & ingreſſus promiſſio, donorumq. Spiritus ſancti abundantia. Tertium eſt, veritas eius, nempe omnia ea, quæ credenda eſſe reuelauit. Quartum eſt Lex, quæ nempe facienda mandauit, de quo dicitur Matth. 28. Docentes eos ſeruare quæcumque mandaui vobis. Matt. 28.

vobis. Hæc annunciare & prædicare eſt euangelizare, & prædicatio dicitur euangelizatio. & Euangelium in hac ſignificatione vſurpatur à Paulo 1. Theſſalo. 1. Euangelium, inquit, noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantum, ſed & in virtute, & in Spiritu ſancto. & ad Rom. 2. Iudicabit Deus occulta hominum ſecundum Euangelium meum. & ad Rom. 10. Non omnes obediunt Euangelio.

1. Theſ. 1

Rom. 2.

Rom. 10.

Altero modo ſumitur Euangelium, pro ipſa doctrina & re prædicata. ſic ſæpe dictum eſt, prædicari Euangelium. Mar. vlt. Prædicate Euangelium omni creaturæ. Matth. 26. Vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium. Eſt ergo Euangelium, prædicatio eorum, quæ per Chriſtum facta & tradita ſunt. ſimiliter & ipſamet opera & dicta ipſius. Diſtincta ſunt igitur hæc duo, ſcilicet Chriſtus, & Euangelium, quæ diſtinctio ſignificatur Mar. cap. 8. in ipſius Domini verbis. Qui, inquit, perdiderit animam ſuam propter me, & Euangelium. Euangelium ergo Chriſti eſt, non autem Chriſtus eſt. Paulus igitur promiſſum dicit eſſe Euangelium per Prophetas: non enim tantum eſt promiſſus Chriſtus, nempe aduentus eius, & cætera opera natiuitatis, mortis, &c. ſed prædicatio & annunciatio eorum in mundum. Iſa. 42. Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Iere. 31. Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael & domui Iuda pactum nouum. & rurſus: Dabo legem meã in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam. Pſalm. 18. In omnem terrã exiuit ſonus eorum. Sunt huiuſmodi multa in veteribus Scripturis teſtimonia. In hanc prædicationem & Euãgelium promiſſum ſegregatus eſt Paulus Apoſtolus & Doctor. Fuit autem promiſſum Euangelium multo ante, tum propter eius veritatem confirmandam ſuo tempore: nam verum eſſe probatur, quod tanto prius tempore prædictum & promiſſum erat. tum propter eius dignitatem: quod enim à Deo, & per tot Prophetas promiſſum erat, non cõmune quid & vulgare cenſeri debebat. tum demum vt ardentius ab hominibus expeteretur, & auidius ac dignius reciperetur.

Mar. vl.

Matt. 26

Mar. 8.

Iſai. 42.

Ierem. 31

Pſal. 18.

De Filio ſuo.

HOc verbum & ſequentia connectenda ſunt cum præcedenti, extra parentheſim, vt ſit ſenſus. Segregatus in Euangelium Dei, de Filio ſuo, ideſt; ad prædicandum & annunciandum Euangelium Dei, quod non de re vulgari & communi tractat, ſed de Filio ſuo illo: eſt enim articulus Græcus, vt filium vnicum Dei ipſi æqualem & conſubſtantialem indicet. quo verbo materiam & ſubiectum Euangelij huius, ad quod ſegregatus eſt, exprimit Paulus, vt maximam captet attentionem. eſt enim Euangelium Dei, vt auctoris, & primæ cauſæ; ſubiectum autem, & materia eius eſt Filius Dei, verus Deus, & homo.

Digitized by Google

ANNOTATIO VI.

De Filio ſuo quomodo intelligatur.

TRipliciter verbum hoc connecti poteſt. Vno modo cum illo verbo immediate præcedenti (Scripturis ſanctis) vt ſit ſenſus: Promiſit in Scripturis ſanctis, quæ ſcripturæ ſunt de Filio ſuo. ſic Anſel. connectit, ſed non videtur ſatis accommodata connexio. Altero modo, cum verbo (promiſit) nempe quod Euangeliũ promiſit Deus de Filio ſuo. ſic coniungit Theodor. ſed nec hæc connexio ſatis accommodata videtur: nam verba ſequentia coniũcta ſunt huic verbo, & tunc eſſet ſenſus. Promiſit Deus Euangelium de Filio ſuo facto ex ſemine Dauid ſecundum carnem, & declarato Filio Dei in virtute ſecundum Spiritum ſanctificationis poſt reſurrectionem mortuorum. hæc autem omnia nō recte illi verbo (promiſit) coniungi poſſunt: ſatis enim erat dicere; Promiſit de Filio ſuo Euangelium. Tertio modo connectitur cum verbo (Euangelium Dei) vt per quãdam ſit interpoſitionem poſitum illud (quod promiſit per Prophetas.) ſtatim ad verbum reuertens exponit ſubiectum, & materiã huius diuini Euangelij, nempe eſſe de Filio illo ſuo, cum reliquis, quæ ſequuntur. & hæc expoſitio accommodatior mihi viſa eſt.

Anſel. *Theodor.*

Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem.

Filius Dei quomodo dicatur factus ex ſemine Dauid.

ADhuc materiam & ſubiectum Euangelij particularius exponit. & ſenſus eſt: Euangelium hoc eſt de Filio Dei, homine facto ex ſemine Dauid, vt non ſolum Deus à Patre, ſed etiam homo ſit ſecundum carnem ex Dauid generatione. hæc limitatio (ſecundum carnem) dum dicitur: Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem, indicat eum habere aliam naturam, ſecundum quam eſt Filius Dei; vt recte annotauit Auguſtinus in expoſitione inchoata in hanc Epiſt. immo indicat etiam, antiquius fuiſſe Chriſto, Dei filium eſſe; non enim diceretur: Factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem, niſi is, qui iam prius erat Filius Dei. fuit enim natura Filius ab æterno. in tempore autem homo ſecundum carnem ex Dauid.

Auguſt.

ANNOTATIO VII.

An ſit melius dicere de Filio Dei, genitus quàm factus.

ALiqui moderni legere malunt (Qui genitus eſt) nam verbum Græcum vtrãque habet ſignificationem, vt & gignere & facere ſignificet. quod argumentum eſt efficax contra eos: cum enim verbum vtrumque ſignificet, cur antiqua & recepta in Eccleſia lectio deſeritur, quæ habet: Qui factus eſt ſecundum carnem? Adde, multo accommodatius dici: Qui factus eſt ſecundum carnem, ſicut ad Galat. 4. Miſit Filium factum ex muliere: vt enim exprimatur ſic homo genit*,

Galat. 4.

vt illa

vt illa natura humana creata ſit, & virtute diuina effecta, propterea dicitur: Secundum carnem factus. ſi enim dicamus: genitus eſt ſecundum carnem, verum eſt, tamen non exprimimus eam naturam eſſe factam, cum id ita ſit. genitus enim eſt ſecundum vtrãque naturam, diuinam, & humanam. ſed ſecundum diuinam genitus quidem eſt, ſed non factus: at ſecundum carnem, & humanam naturam, genitus, & factus. Adde etiam quod Auguſt. lib. qq. ex Nouo Teſtam. cap. 44. annotauit, dictum eſſe. Factum ex ſemine Dauid, ſeu ex muliere. ſi enim legamus genitum, non exprimimus an ex ſemine viri, an ex ſola femina fuerit conceptus: at dum legimus: Factum ex ſemine Dauid, magis explicamus, non virili virtute, ſed diuina eſſe conceptum. quod Chryſoſt. ſerm. 1. Græcus Doctor etiam adnotat, dicens, hoc verbo mirabilem eius ex femina conceptionem indicari. Chryſoſtomus igitur verbum Græcum in ea poſitum ſignificatione ſentiebat, quam Latinus vertit interpres. quæ communior & frequẽtior eſt verbi Græci ſignificatio.

Auguſt.

Chryſoſt.

Adhuc in his verbis aduertendum eſt, illud (ei) non haberi Græce; tamen ſenſum non mutat, & forſan deeſt Græco exemplari. dicitur enim factus ei, ideſt, Patri Deo ſecundum carnem, quia caro ſumpta eſt à Filio propter honorem Patris. nobis igitur factus eſt homo, & ipſi etiam Patri: nobis quidem, vt nos redimeret, & ſaluaret; Patri, vt honorem eius repararet, quem homo per peccatum læſerat. propter hoc dictum eſt Ioan. 8. Honorifico Patrem meum; propter illud autem dicitur Ioan. 10. Veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.

Ioan. 8.

Ioan. 10.

Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei.

Chriſtus quomodo dicatur prædeſtinatus.

PRoſequitur exponere Euangelij ſubiectum. eſt enim Filius Dei homo ex ſemine Dauid factus, prædeſtinatus tamen, & prædemonſtratus Filius Dei. erat quidem tunc, etiam quando factus eſt ſecundum carnem ex ſemine Dauid, Filius Dei, ſed non apparebat, non agnoſcebatur, fuit tamen poſtea prædeclaratus, & prædemonſtratus filius eſſe Dei. Attende, non tantum dici deſtinatus, ſeu deſignatus, ſed prædeſtinatus, ideſt, præ alijs omnibus, qui filij Dei dicti ſunt, demonſtratus, ceteri enim omnes filij adoptionis erant, & ſunt, at Chriſtus filius verus & naturalis, iuxta illud Pſalm. 44. *Pſal. 44.*
allegatum ad Hebr. 1. Vnxit te Deus oleo lætitiæ præ participibus *Hebr. 1.*
tuis. Euangelium ergo eſt de Filio Dei facto ſecundum carnem ex ſemine Dauid, ſed demonſtrato, & deſignato filio vero Dei præ omnibus, qui filij nomẽ ſortiti ſunt. nam non ſtatim, quis eſſet, notus eſt. cætera in annotatione require.

ANNO-

ANNOTATIO VIII.

Chriſtus an melius dicatur deſtinatus quàm prę deſtinatus

Origen.

DVæ difficultates ſe nobis offerunt; vna eſt de lectione: altera de ſenſu. prior in hac Annotatione tractanda eſt. Origen. citans Latina exemplaria, in quibus legitur: Qui prædeſtinatus eſt, aſſerit talem lectionem legitimam non eſſe, ſed eſſe legendum per verbum ſimplex. Deſtinatus eſt: quam lectionem eſſe ſecundum Gręca exemplaria dicit, & eam tali argumento confirmat, ſumpto ex differentia inter prædeſtinatum & deſtinatum. Prædeſtinatur enim, inquit, quod nondum eſt, deſtinatur autem quod iam eſt. cum igitur Filius Dei ab æterno ſit, deſtinari quidem poteſt, non autem prædeſtinari: non ergo legendum eſt: Qui prædeſtinatus, ſed, Qui deſtinatus eſt. eandem differentiam inter hæc duo aſſignat Hier. in epiſt. ad Epheſ. 1. annotatq. apud Paulum in hoc loco dictum eſſe: Qui deſtinatus, non: Qui prædeſtinatus eſt. hanc lectionem ſecutus Tertul. lib. aduerſus Praxeam, legit: Qui definitus eſt. fauent huic lectioni Græca exemplaria, quæ nunc habentur, in quibus legimus ὁρισθέντος, non προορισθέντος. & Græci auctores multi hanc ſequuntur lectionem. nempe Ciril. de recta fide ad Reginas, paulo poſt principium. Chryſoſt. Theodor. & Æcumē. in commentarijs. placetq. & probatur lectio hęc modernis aliquibus. Nihilominus verſio noſtra Latina legit: Qui prædeſtinatus. quam lectionem etiam antiqui Patres probarunt. Ambr. & Aug. in commentarijs. & ante hos Irenæ. lib. 3. cap. 18. & 32. & inter Græcos Athan. lib. 3. de aſſumptione hominis, bis legit προορισθέντος. eandem lectionem ſequitur Epiph. hæreſ. 54. in fine. quamuis Latinus interpres infideliter verterit. Qui declaratus eſt, cum in Græco habeatur προορισθέντος. argumentum ex hoc manifeſtum eſt, varia tunc fuiſſe exemplaria Græca. nec enim Athan. Epiph. Iren. Ambro. & Aug. ſic legiſſent. nec noſter interpres ſic vertiſſet, niſi exemplaria ſic ſe habuiſſent. Non ergo eſt cur deſeramus lectionem communē, quam Eccleſia amplectitur, cum non minus ſit probabilis, quam illa, quæ verbum habet ſimplex, immo probabilior eſt, quia ſenſum accommodatiorem facit verbum compoſitum, vt in commentario diximus, & paulo inferius iterū dicemus. Nec argumentum Origen. & Hieron. efficax eſt. ſoluitur enim facile ſi dicamus, apud Græcos præpoſitionem illam πρὸ non tantum tempus, ſed etiam ordinem ſignificare. ſicut apud Latinos (præ) prædeſtinatur enim quod prius tempore deſtinatur: prædeſtinatur etiam, quod præ alijs deſtinatur, ſicut prę eligitur quod ante eligitur, & quod alijs in electione præfertur. prædeſtinatus eſt autem Filius Dei, qui præ alijs omnibus Filius Dei ſtabilitur, & comprobatur: ipſe enim eſt filius naturalis, cæteri adoptionis. Aliqui Theologi etiam prædeſtinatum, ideſt, ante deſtinatum aſſirmant, vt hominem. ſed hæc ſolutio in poſterioris difficultatis explicatione diſcutietur.

Hieron. *Tertul.* *Cirill.* *Theod.* *Aecum.* *Ambroſ.* *Auguſt.* *Irenæus.* *Athan.* *Epiphan.* *Origen.* *Hier.*

ANNO-

ANNOTATIO IX.

De Chriſti prędeſtinatione

POſterior difficultas eſt circa ſenſum. multipliciter enim exponitur: qui enim legunt verbum ſimplex, exponunt dupliciter. Vno modo, vt ſit ſenſus. Qui ex ſemine Dauid ſecundum carnem factus eſt, demonſtratus autem & declaratus eſt filius Dei; latebat enim prius diuinitas eius in carne, & tantum filius hominis apparebat. poſtea vero demonſtratus & deſignatus eſt filius Dei. hæc expoſitio eſt Chryſ. Theod. Tertul. lib. aduerſus Praxeā, vbi legit: Definitus eſt; definire autem rem, eſt eam demonſtrare & aperire. eſt etiam Aecumenij, Theoduli, & aliorū multorum hæc expoſitio.

Chryſoſt. Theod. Tertul. Aecum. Theodul.

Orig.

Altero modo exponit Origenes, qui legit: Deſtinatus eſt. non enim interpretatur ſic; Deſtinatus eſt eſſe filius Dei, ſed ſic: Exiſtens Filius Dei, deſtinatus eſt, vt ſit primogenitus mortuorum. coniungit enim hæc cum ſequentibus. multum autem differt à priori expoſitione: hæc enim hunc ſenſum facit; Declaratus eſt filius Dei, ideſt, eſſe verus Dei filius; illa vero: Filius Dei cum ſit, deſtinatus eſt ex reſurrectione mortuorum, ideſt, vt ſit primogenitus ex mortuis; ſed præferenda prior tanquam accommodatior & facilior.

Ambroſ.

Qui vero legunt verbum compoſitum. Prædeſtinatus eſt, varie exponunt. Primo loco Ambroſ. in præſenti ſic explicat. Prædeſtinatū eſſe, non vt ſit filius Dei, ſed vt manifeſtetur: vt ſit ſenſus. Qui prædeſtinatus eſt manifeſtari filius Dei. expoſitio hæc difficilis eſt. ſi enim verbum prædeſtinare in ea ſignificatione accipiatur, vt ſignificet præordinare & prædefinire, neceſſe eſt ſupplere verbū, quod ſupplet Ambroſius: Prædeſtinatus eſt manifeſtari, aliter locutio non eſt perfecta: vnde fatendum eſt, imperfecte Paulum locutum, & ſuppleto verbo eius locutionem perficiēdam. quod aſſerere nulla nos compellit neceſſitas. accommodatior eſſet expoſitio Ambr. ſi verbum ipſum, prædeſtinatus eſt, expoſuiſſet, declaratus demonſtratus eſt, quod fecit Aug. cuius expoſitio ſecundo loco eſt, vt ſignificet idem, quod apparuit: ſitq. ſenſus: Qui apparuit filius Dei. ita exponit in expoſitione inchoatâ in Epiſt. ad Rom. quo loco etiam adiungit aliam.

Auguſt.

Tertiam expoſitionem, quam priori præſtantiorem eſſe cenſet; nempe vt ſit ſenſus: Prædeſtinatus eſt filius Dei, ideſt, exiſtens filius Dei deſtinatus eſt vt ſit princeps, & primogenitus ex mortuis: coniungit enim cum verbo illo, ex reſurrectione mortuorum. Prædeſtinari ergo ex reſurrectione eſt deſtinari, & deſignari primum & principem reſurrectionis. conuenire videtur cum Origenis expoſitione ſuperius allata. Sed minus conueniens videtur hæc verborum connexio.

Quarta expoſitio eſt eiuſdem Aug. lib. de prædeſtin. ſanct. cap. 15. quam Anſelmus in pręſenti probat, & Scholaſtici Theologi aliqui ſequuntur. verbum enim prædeſtinandi, pro Dei æterna prædeſtinatione accipiunt. vt ſit ſenſus: Chriſtus vt homo prædeſtinatus eſt ab æterno, vt ſit filius Dei: ab æterno quidem filius Dei fuit, tamen homo non

mo non fuit ab æterno Dei filius. prædeſtinatus ergo eſt homo vt ſit Dei filius. Obijciunt ſibi hi Theologi. non prædeſtinatur niſi ſuppoſitum ſeu perſona, cum ergo natura humana non habuerit in Chriſto proprium ſuppoſitum, non poteſt dici prædeſtinata. Reſpondent: quamuis non habuerit proprium ſuppoſitum; tamen habuit ſuppoſitum filij Dei; eadem enim perſona, ſeu ſuppoſitum eſt Deus & homo. ſuppoſitum ergo illud ratione humanæ naturæ prædeſtinatum dicitur. & hac ratione verum eſt, prædeſtinationem eſſe perſonarum & ſuppoſitorum. hæc Theologorum doctrina ſuperaddita Auguſt. expoſitioni, mihi non probatur; exiſtimo enim falſam eſſe propoſitionem, & aſſertionem hanc: Chriſtus vt homo (ſi ſimul ſumas ſuppoſitum) prædeſtinatus eſt, vt ſit filius Dei, & eſt argumentum efficax falſitatem demonſtrans. id, ad quod aliquid prædeſtinatur, eſt extra ipſum quod prædeſtinatur: vt ſi homo prædeſtinatur ad gloriam, gloria eſt extra rationem hominis. ſi enim in hominis ratione includeretur gloria, iam non prædeſtinaretur: vnde homo non prædeſtinatur vt habeat animam: nam qui hominem dicit, animam neceſſe eſt includere. cum igitur Chriſtus vt homo claudat in ſe diuinam perſonam, non poteſt prædeſtinari vt fiat, ſeu vt ſit filius Dei. iam enim aſſumis eſſe filium Dei, quando dicis Chriſtum vt hominem. non enim differt deſtinari & prædeſtinari, niſi in ratione temporis. prædeſtinari enim eſt ante, ſeu prius deſtinari; nemo autem deſtinat rem ad id, quod in ratione ipſius rei concluditur. non igitur Chriſtus vt homo deſtinatur, nec prædeſtinatur, vt ſit filius Dei. verior ergo & certior eſt doctrina, præuidiſſe Deum ab æterno naturam illam humanam, quæ vnienda erat Verbo Diuino. & ſimul præuidiſſe propriam perſonalitatem, & ſuppoſitum, quod habuiſſet, niſi Verbo vnita eſſet, eamq. Deum prędeſtinaſſe & prędordinaſſe, vt Verbo & filio vniretur, nec aliam haberet perſonalitatem, quam filij Dei. natura ergo illa fuit prædeſtinata, non Chriſtus ipſe, vt eſſet filio Dei vnita. natura autem illa indiuidua dici poteſt prædeſtinata, vt filio vniretur, fieretq. homo Dei filius: quãuis enim non habuerit proprium ſuppoſitum, habuiſſet, niſi verbo vnita eſſet, & ad hoc prædeſtinatur, vt verbo vniatur propria perſonalitate reiecta. Chriſtus autem vt homo prædeſtinatus dici poteſt, vt ſit primogenitus mortuorum, & princeps reſurrectionis, quia hoc extra rationem Chriſti eſt. & eſt accidens adueniens. Hæc quantum ad doctrinam dicta ſunt.

Auguſt.

Quantum vero ad expoſitionem non videtur accommodari, quia ſermo Pauli eſt de ſuppoſito, & de filio Dei hic dicitur: factus ſecundum carnem, & prædeſtinatus filius Dei. prædeſtinatio autem illa non poteſt conuenire Filio Dei, ſed humanæ naturæ, vt expoſuimus, & probauimus. Concludo, omnium expoſitionum accommodatiſſimam eſſe, vt cum Chryſoſtomo, Theodoreto, Oecumenio, Tertulliano, immo etiam Auguſtino ipſo ſequamur ſignificationem verbi, vt dictus ſit prædeſtinatus. ideſt, demonſtratus deſignatus filius Dei, qui prius latebat. hoc adiungentes, verbum eſſe com-

Digitized by Google

poſitum, & præpoſitionem, non tempus, ſed ordinem ſignificare, dictusq. ſit prædemonſtratus, & prædeſignatus, quia præ omnibus declaratus eſt filius, ſolus enim ipſe verus & naturalis filius Patri æqualis & conſubſtantialis demonſtratus, & definitus eſt.

In virtute ſecundum Spiritum ſanctificationis.

Chriſtus quomodo dicitur p̄deſtinatus in virtute.

QVa ratione, & modo ſit deſignatus, & demonſtratus filius Dei is, qui ſecundum carnem ex ſemine Dauid factus eſt, exponit. Virtute, inquit, ſecundum Spiritum ſanctificationis, ideſt, potentia Spiritus ſancti data, & communicata hominibus & Apoſtolis, per quam ſigna & miracula efficaciſſima ediderunt, quibus illum filium eſſe Dei demonſtrarunt, & comprobarunt. hoc conſtat ex illo Act. 1. Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, ſed accipietis virtutem Spiritus ſancti, ſuperuenientis in vos: & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vſque ad vltimum terræ. Perpende teſtimonium Apoſtolorum demonſtratiuum, Chriſtum eſſe virtute Spiritus ſancti exhibitum. iterum Act. 4. Virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Domini noſtri. rurſus Luc. 24. Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. hæc eſt virtus, de qua nunc dicit Paulus, demonſtratum eſſe filium Dei in virtute Spiritus ſancti, ſeu ſanctificationis. Eſt autem duplex Hebraiſmus. Vnus eſt cum dicitur (in virtute) inſtrumento enim Hebræus præmittit præpoſitionem. ſicut 1. Reg. Percuſſit in funda & lapide. ita nunc in virtute demonſtratus dicitur, ideſt, in virtute & potentia, tamquam inſtrumento quodam diuino. Alter Hebraiſmus eſt. Spiritum ſanctificationis, ideſt, Spiritum ſanctificantem. ſolent enim Hebræi ſubſtantiuis vti loco adiectiuorum. filium ſapientiæ, & timoris appellant filium ſapientem & timentem, ita, ſecundum Spiritum ſanctificationis, ideſt, ſecundum Spiritum ſanctificantem. Attende autem non dici: Secundum Spiritum ſanctum, ſeu ſanctitatis; ſed, ſecundum Spiritum ſanctificationis, ſeu ſanctificantem, vt intelligas, Spiritum datum eſſe hominibus, eoq. homines ſanctificatos, per virtutem eius acceptam demonſtraſſe, & promulgaſſe Chriſti diuinitatem.

Actor. 1. *Act. 4.* *Luc. 24.* *1. Reg.*

Attende rurſus, non dici: In virtute Spiritus ſanctificationis, ſed, ſecundum Spiritum ſanctificationis; vt hac locutione ſignificet, virtutem hanc eſſe ab ipſo Spiritu ſancto, & eum auctorem eſſe & cauſam talis virtutis. 1. Corinth. 12. ſimili vſus eſt locutione. Alij, inquit, *1. Cor. 12.*

quit,

quit, datur ſermo ſapientiæ ſecundum eumdem Spiritum, ideſt, data & communicata à Spiritu ſanctificationis. ſimilis eſt locutio in titulis Euangeliorum. ſecundum Matthæum, ſecundum Ioannem, ideſt, à Matthæo, & Ioanne conſcriptorum. Paulus autem vſus eſt hoc loco tali phraſi propter antitheſim quamdam verborum. dixerat enim Filium factum ex ſemine Dauid ſecundum carnem. propterea adiecit. Demonſtratum filium Dei in virtute ſecundum Spiritum ſanctificationis. vt (Facto) reſpondeat (Prædeſtinatus) &(ex ſemine Dauid) reſpondeat (Filius Dei) illud autem (ſecundum carnem) reſpondeat illi (In virtute ſecundum Spiritum ſanctificationis) ſitq. elegans verborum antitheſis. Attende, totam Trinitatem expreſſam eſſe. Pater promiſerat per Prophetas. Filius factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Spiritus ſanctus virtute data hominibus, illum, qui in carne latebat, demonſtrat Dei eſſe filium. Hic eſt verus & legitimus ſenſus. cætera ex annotatione require.

Ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri.

Chriſtus quando demonſtratus & promulgatus filius Dei.

TEmpus exponit, quando demonſtratus, & promulgatus eſt Dei filius. hoc autem factum eſt poſt reſurrectionem eius, qua à mortuis reſurrexit. aſcendens enim paulo poſt in cælum miſit Spiritum ſanctum, cuius virtute, & potētia inceperunt Diſcipuli Chriſti diuinitatem demonſtrare, & euangelizare. Ille genitiuus (mortuorum) declarat, qualis ſit reſurrectio, de qua loquitur. nam reſurrectio multiplex eſt, vt ex Scripturis patet, quarum vna eſt, qua mortuus ad vitam reuocatur; de qua ſermo eſt. Ille autem genitiuus (Ieſu Chriſti Domini noſtri) poſitus eſt loco relatiui. nempe ex reſurrectione eius, qua à mortuis reſurrexit. eſt enim Hebraiſmus, quando loco relatiui repetitur antecedens. Eſt ergo ſenſus: Prædemonſtratus eſt filius Dei per virtutem à Spiritu ſancto hominibus communicatam. hoc autem factum eſt, poſtquam ipſe Dominus à mortuis reſurrexit. ſenſum horum, & præcedentium verborum habemus expreſſum ex Mar. vlt. quando Dominus poſt reſurrectionem ſuam aſcenſurus in cælum dixit Diſcipulis: Prædicate Euangelium omni creaturæ. & paulo poſt. Illi profecti prædicauerunt Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. ac ſi diceret: Apoſtoli Chriſtum poſt eius reſurrectionem annunciarunt & demonſtrarunt; Spiritu ſancto per eos mira ſigna edente, quibus Euangelij & prædicationis veritas comprobaretur. *Mar. vl.*

Digitized by Google

Ex his omnibus habes ſubiectum Euangelij, nempe Chriſtum promiſſum per Prophetas, Dei filium, & hominem, hominem quidem factum ex ſemine Dauid ſecundum carnem, Dei vero filium prædemonſtratum innumeris ſignis virtute Spir. ſan. poſt eius reſurrectionem factis per diſcipulos eius.

ANNOTATIO X.

Chriſtus quomodo demonſtratus in virtute.

IN huius ſententiæ expoſitione inſudarunt Doctores antiqui & moderni. idq. tam varia & multiplex interpretatio eorum ſatis indicat. Primo igitur loco, vt à modernis initium varias expoſitiones recitandi ſumamus, aliqui hęc duo verba (in virtute ſecundum Spiritum ſanctificationis (connectunt cum illis:(Factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem) illud autem (Ex reſurrectione mortuorum) cum illo (Prædeſtinatus eſt filius Dei) vt ſit iſte ſenſus. Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem in virtute, & ſecundum Spiritum ſanctificationis, ideſt, obumbrante virtute Altiſſimi, & ſuperueniente Spir. ſan. prædeſtinatus autem & declaratus eſt filius Dei per ſuam reſurrectionem, ideſt, eo quod à mortuis reſurrexit. ita iſti ſentiunt, in quo mihi non exponere epiſtolam Pauli, ſed ex verbis Pauli nouam & propriam componere videntur; variato enim ordine verborum recto & vſitato, facile eſt ſenſum aliquem clarum & dilucidum facere, ſed non qualem auctor prætendit.

Chriſtus cur filius Dei prędeſtinatus ſecundum Spiritum ſanctificationis.

Secundo loco alij adhuc moderni ordinem etiam immutant, aliter tamen, nempe vt illud (ſecundum Spiritum ſanctificationis) coniungant cum illo (Factus ſecundum carnem) illud vero (in virtute) cum illo (Filius Dei) & ſequentibus, in hunc ſenſum: Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem, ſecundum Spiritum ſanctificationis, prædeſtinatus autem & declaratus eſt filius Dei in virtute, ideſt naturalis & æqualis Patri, declaratus autem eſt ex reſurrectione mortuorum, ideſt, quia mortuos ſuſcitauit. Sed hæc expoſitio eodẽ vitio mihi laborare, quo prima videtur.

Tertio loco adhuc alij moderni maiorem diuiſionem, & ſectionem inducunt. illud enim (ſecundum Spiritum ſanctificationis) & quæ ſequuntur, coniungunt cum illo, (ſegregatus Apoſtolus) & poſtea legunt quæ ſequuntur. vt ſit ſenſus, & ordo iſte: Segregatus Apoſtolus, ſecundum Spiritum, ideſt, per Spiritum ſanctificationis, poſt reſurrectionem mortuorum, in Euangelium Dei, quod promiſit, per Prophetas ſuos, in Scripturis ſanctis, de filio Dei, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem: & prædeſtinatus, & declaratus eſt filius Dei in virtute; id eſt, naturalis, & æqualis ei. Sed eadem eſt expoſitio cum duabus ſuperioribus, quas tres primo loco propoſui, quia mihi improbabiliores videntur, & earum auctores, non tam exponere, quàm nouam componere epiſtolam videntur. nec ſimiles loquutiones, in quibus verba ſic

inordi-

inordinate poſita ſint, in toto Paulo inueniuntur, nec apud vllũ ſcriptorem, vel mediocris auctoritatis.

Quarto loco, alij non multum antiqui debitum ordinem ſeruãtes verborum, in hunc ſenſum exponunt. coniungunt enim illud (in virtute) cum illo (Filius Dei) & reliqua, argumẽtum vnum ad probandum cenſent; vt ſit ſenſus: Qui prædeſtinatus eſt; nempe ab æterno homo ille deſtinatus eſt, vt ſit filius Dei in virtute, ideſt, naturalis, non adoptionis: innoteſcat autem hoc, per ſpiritum ſanctificationis, poſt reſurrectionem mortuorum. nempe quia poſt reſurrectionem ſuam, homines ſanctificauit, quæ ſanctificatio, illum Dei eſſe filium, oſtendit. aut etiam vt ſint duo argumenta; nempe innotuit, prædeſtinatum, & præordinatum eſſe filium Dei, in virtute, & naturalem; tum quia homines ſanctificauit, tum ex reſurrectione illorum mortuorum, qui Chriſto ſurgente ſurrexerunt, & apparuerunt multis Matthæi 27. & ideo mortui dicuntur Ieſu Chriſti. Hæc expoſitio non videtur legitima. Primo quidem, quia de æterna prædeſtinatione hoc verbum interpretatur, quod in ſuperiori annotatione excluſimus. Secundo, ſupplet verbum, quod in Paulo non habetur, & cuius ſupplementum mutat Pauli ſententiam; nam exponit: Prædeſtinatus eſt filius Dei, idq. innotuit, & apparuit, ſecundum Spiritum ſanctificationis. Paulus non ſic ſcripſit, ſed, Prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, ſecundum Spiritum ſanctificationis; quod longe aliud eſt. Tertio, quia non videtur, qua ratione verum ſit, ex illa reſurrectione mortuorum innotuiſſe alijs diuinitatem Chriſti, & eſſe filium Dei, nec etiam accommodari talis reſurrectio poteſt verbis Pauli generalibus: Ex reſurrectione mortuorũ Ieſu Chriſti Domini noſtri. Præterea, incongrua eſt connexio illa, nempe exponere, mortuos Ieſu Chriſti Domini noſtri. Modernorũ ergo prætermiſſis expoſitionibus, ad antiquos nos conuertamus.

Matt. 26

Quinto igitur loco, Orig. hæc duo (in virtute, ſecundum Spiritum ſanctificationis (connectit cum illo (Filius Dei) in hunc ſenſum. Deſtinatus filius Dei ſecundum virtutem, qua alios ſanctificabat: ac ſi clarioribus verbis diceret: filius Dei ſecundum diuinitatem, hic filius Dei ſecundum virtutem, & diuinitatem deſtinatus eſt primogenitus mortuorum. quam expoſitionem Aug. ſecutus videtur in expoſit. inchoata huius epiſt. placetq. aliquibus modernis hæc expoſitio ea ex parte, qua illud (ſecundum Spiritum ſanctificationis) interpretatur: ſecundum diuinitatem, vt ſit quædam conſonantia verborum, & ſenſuum: Factus ex Dauid ſemine ſecundum carnem, ſed declaratus filius Dei in virtute, & naturalis ſecundum diuinitatem, quam Spiritum ſanctificationis dictam eſſe aſſerunt; quia humanitas iſta per eam ſanctificabatur. in quo hæc expoſitio ab Orig. differt; quia interpretatur Spiritum ſanctificationis, quia alios ſanctificabat. differt etiã, quia illud (in virtute) hi ad Filium referunt, vt ſit filius in virtute, ideſt naturalis. at Orig. & Auguſt. ad ſequens verbum, nempe Filius, ſecundum virtutem Spiritus ſanctificantis. adſcribuntq. Ambroſio hanc expoſitionem. habet enim hæc verba: Qui erat filius Dei ſecundum Spi-

Orig.

Auguſt.

Ambr.

BIBLIOTECA ROMA

ritum ſanctũ, ideſt, ſecundũ Deum, qui Deus ſpiritus eſt, & ſine dubio ſanctus, ſed longe alius eſt ſenſus Ambr. nam paulo inferius, hoc verbum, Spiritum ſanctificationis, de tertia perſona Trinitatis exponit, vti poſtea, in declaranda eius expoſitione, oſtendemus. cum autem Spiritum ſanctificationis interpretetur Spiritum ſanctum, & perſonam tertiam, non eſt interpretandus in eam ſententiam, vt exponat: Eſt filius Dei ſecundum Spiritum ſanctificationis, ideſt, ſecundum diuinitatem. Attribuunt etiam eamdem expoſitionem Tertull. aduerſus Praxeam. ſed nec Tertullianus id ſenſit, cuius verba ſunt iſta: Nec ſermo aliud, quam Deus, nec caro aliud quàm homo, ſic & Apoſtolus de vtraque ſubſtantia docet. Qui factus eſt, inquit, de ſemine Dauid, hic erat homo, & filius hominis. qui definitus eſt Deus ſecundum Spiritum, hic erat Deus, & filius Dei. hæc Tertul. qui non dicit, filium Dei ſecundum ſpiritum, ſignificare filium ſecundum diuinitatem; ſed hæc verba, Definitus eſt filius Dei ſecundum ſpiritum, ſignificare diuinam Chriſti naturam. ſicut illa: Factus eſt ex Dauid ſecundum carnem, humanam indicare ſubſtantiam, quod omnes fatentur. non eſt igitur Ambroſ. nec Tertul. hæc expoſitio, ſed ab Orig. & Aug. adducta, quæ accommodari non poteſt; in Scriptura enim Spiritus ſanctificationis Spiritum ſanctum ſignificat, nec diuinitas tali voce vnquam in Scriptura ſignificatur, nec etiam vnquam Chriſtus dicitur, filius Dei in virtute, ſed virtus Patris, & in virtute aliquid facere, tamen non filius in virtute.

Tertul.

Sexto loco Ambroſ. ſic exponit: Prædeſtinatus eſt manifeſtari filius Dei in virtute, & hoc per Spiritum ſanctum. nempe Spiritus ſanctus prædeſtinauit eum manifeſtari, filium eſſe Dei in virtute, poſt reſurrectionem eius. ſed expoſitionem hanc in annotatione ſuperiori non probauimus.

Septimo loco Chryſoſt. ſer. 1. exponit ſic. vt hæc ſint tria argumenta, quibus, ſe eſſe Dei filium, Chriſtus declarauit. Vnum eſt, in virtute, ideſt, per potentiam, qua ipſe miracula edidit. Secundum, ſecundum Spiritum ſanctificationis, quia alios ſanctificabat. Tertium, quia ſeipſum à mortuis ſuſcitauit. his tribus, ſe filium eſſe Dei, demonſtrauit. Sed nec hæc expoſitio accommodata eſt. nam argumenta, & ſigna, quibus declarabatur Chriſtus filius Dei, oportebat eſſe nota alijs, at, ſeipſum ſuſcitaſſe, occultũ erat, & fide ſola credebatur. reſurrectio quidem manifeſta fuit, at, ſeipſum ſuſcitaſſe non erat manifeſtũ niſi fidelibus iam in eũ credentibus, nec argumento indigentibus. non ergo argumẽtum hoc erat ad declarandã diuinitatẽ eius, nec ſimiliter ſanctificatio, qua alios ſanctificabat. hęc. n. interna, & inuiſibilis erat, nec apparebat, nec ſãcti videbanẽ alijs, quos ipſe ſanctificabat. at argumenta, & ſigna probantia, & declarantia nota eſſe debent, & manifeſta. qua ratione etiam refutatur expoſitio quorumdam interpretãtium, declaratum eſſe filium Dei ſecundum Spiritũ ſanctificationis, ideſt, quia miſit Spiritum ſanctum poſt reſurrectionem. ſed nec hoc accommodari poteſt. quamuis enim verum ſit, non potuiſſe mittere Spiritum ſanctum, niſi Deus eſſet, tamen non credentibus ignotum erat,

Chryſoſt.

erat, an ab ipſo miſſus eſſet.

Auguſt. Octauo loco Auguſtinus de prædeſtinat. Sanct. cap. 15. exponit, Prædeſtinatum eſſe ab æterno hominem, vt eſſet filius Dei in virtute. nihil aliud hoc loco habet Aug. *Anſel.* at Anſelm. proſequitur exponens, nempe: Prædeſtinatus eſt, vt ſit filius Dei in virtute, & hoc opere Spiritus ſanctus, per quem factum eſt, vt homo Dei filius eſſet, iuxta *Luc. 1.* illud Luc. 1. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. & rurſus: Prædeſtinatus eſt, vt ſit primogenitus ex mortuis. hæc expoſitio non ſatis textui accommodata eſt. Alij alias adſerunt expoſitiones, nec quieſcit in vlla intellectus. cum enim à legitimo ſenſu ſit receſſus, neceſſe eſt in infinitas declinare ſententias. ex his citatis apparet, quam varie exponatur illud (in virtute) ſimiliter quam multipliciter connectatur illud etiam, (ſecundum Spiritum ſanctificationis) illud itidem (Ex reſurrectione mortuorũ Ieſu Chriſti) cum vera, & legitima expoſitio ſit, quam in commentario propoſuimus, cui maxime eſt conformis, *Theod* quam adhibet Theodoretus: nec eſt quod repetamus eam, quæ ſatis eſt iam explicata.

Per quem accepimus gratiam, & Apoſtolatum.

EXprimit, à quo Apoſtolus ſit vocatus; ſuperius enim id non expreſſerat, à Chriſto, inquit, ſe gratiam, & Apoſtolatum accepiſſe. ne enim, proprijs meritis Pauli Apoſtolum factum, aliquis exiſtimaret, accepi, inquit, gratiam, & donum, ac beneficium liberaliter, & gratis collatum, & accepi etiam Apoſtolatum, gratia prius accepta. gratiam appellat eam, de qua 1. Cor. 15. dixerat: Gratia Dei ſum, id quod ſum. & gratia eius in me vacua non fuit. donum eſt Dei gratis collatum, quo à Iudaiſmo conuerſus eſt ad Euangelium, & de incredulo, & perſecutore, factus eſt fidelis; & non ſolum fidelis, & iuſtus, at Deo gratus; ſed eam perfectionem conſecutus, quæ tantæ functioni, qualis eſt Apoſtolatus, conueniret & reſponderet. accepit etiam functionem ipſam Apoſtolatus, nempe prædicandi Euangelium, & gubernandi auctoritatem. *1. Cor. 1[5]*

ANNOTATIO XI.

Gratia in Scripturis quot modis accipiatur.

GRatia in Scriptura multiplicem habet ſignificationem, duæ vero ad inſtitutum præſens faciunt. Vna eſt, qua gratia accipitur pro facultate diuinitus data operandi aliquid in Eccleſiæ vtilitatem. de qua ad Epheſ. 4. ſcriptum eſt: Vnicuique noſtrum data eſt gratia, ſecundum menſuram donationis Chriſti, quam paulo inferius diſtinguit, dicens: Alios dedit Apoſtolos, alios Prophetas, alios Paſtores. & ad Epheſ. 3. Factus ſum ego miniſter, ſecundum donum gratiæ, quæ data eſt mihi ſecundum operationem virtutis eius. munus ergo Apoſtolicum gratia eſt, donum prophetiæ, virtus miraculorum, interpretatio ſermonum, & cætera huiuſmodi gratia dicun- *ad Eph. 4* *ad Eph. 3*

tur. vt enim hæc gratis, & ex mera Dei liberalitate dari intelligeremus, ſingula dicta ſunt gratia. Altera ſignificatio eſt, qua accipitur pro dono diuino infuſo, quo homo iuſtificatus, & Deo gratus efficitur; quod complectitur dona multa, quę cum ipſa gratia ſunt, quibus homo perficitur, & iuuatur, ad operandū recte ſecundum Deum, pro ratione ſui muneris, & functionis, de qua eſt ſermo frequentiſſimus in Scriptura. paulo enim inferius in hac ſalutatione dicitur: Gratia, & pax. & 1. Corinth. 1. Eſt igitur Doctorum varia expoſitio in verbis propoſitis. Primo loco Chryſoſt. ſer. 1. gratiam hanc in priori interpretatur ſignificatione, vt gratia ad Apoſtolatum referatur, ſitq. ſenſus: Accepimus gratiam, nempe Apoſtolatum. ſeu, Accepimus gratiam hanc, vt eſſemus Apoſtolus. Apoſtolatum enim gratiam appellauit, ad Gal. 2. Cum cognouiſſem gratiam, quæ data eſt mihi. Secundo loco Theodoret. ad diſtincta refert hæc duo: Apoſtolatum enim, ad prædicationis functionem; Gratiam vero, ad dona illa accepta, quæ conuenirēt, & reſponderent functioni, vt digne munus tale exercere poſſet. Tertio loco Ambr. gratiam exponit, qua remiſſa ſunt illi peccata, & factus fidelis, & iuſtus. Quarto loco, Sedulius vtrūque complectitur, & quod Theodor. & quod Ambroſ. dicunt. Quinto loco, Origen. gratiam interpretatur, qua patienter ſuſtulit tot, ac tantos labores, vt diceret 1. Corin. 5. Abundantius omnibus laboraui. Mihi hæ omnes, præter primam, ſententiæ in hoc placēt, quod gratiam, non ad Apoſtolatum referunt, ita vt vnum ſit expoſitio alterius; quamuis enim gratia Apoſtolatus dicatur, vt conſtat ex citatis locis in principio; tamen illa coniunctio (&) diſtinguit; non enim dictum eſt: Accepimus gratiam Apoſtolatus, ſed gratiam, & Apoſtolatum, quaſi hæc duo ſint. per gratiam autem ſignificat Paulus, gratiam conuerſionis ſuæ, & perfectionis à Deo acceptæ: per Apoſtolatum autem, functionem ipſam, & Apoſtolicum munus, quod in Iuda fuit ſine gratia hac. & hanc expoſitionem in commētario ſumus amplexi. Alterum eſt in eiſdem verbis annotandum, circa illam præpoſitionem (Per) Origen. & Ambr. exiſtimant, dictum eſſe (Per quem) vt ſignificetur Chriſt⁹, mediator Dei, & hominum; per quem, tamquam mediatorem omnium, accepit gratiam, & Apoſtolatū Paulus. & tunc à Deo, ſeu Spir. ſan. tamquam primo auctore Apoſtolus factus eſt, & gratiam accepit; per Chriſtū vero, tāquam per mediatorē. Chryſ. vero cauſā ipſam principalē ſignificari exponit; vt ſit ſenſus: A quo, nempe Chriſto, accepimus gratiā, & Apoſtolatū; nam talis præpoſitio vtrāq. ſignificationē habet, & tunc notat Chryſ. operationes communes eſſe Trinitati. nam quod Act. 13. Spirit⁹ ſanctus feciſſe dicitur, nunc Chriſto Dei filio tribuitur. quamuis autem vtraque expoſitio ſit accommodata, ſecuti ſumus Chryſoſtomum in cōmentario, ea ducti ratione, quia in verbis præcedentibus, à quo Apoſtolus eſſet vocatus, & factus, Paulus non expreſſerat. Addimus etiam, voluiſſe hiſce verbis ſignificare, ſe à Chriſto eſſe Apoſtolū factum ne cui ignaro, aut calūniatori aliquid minus cæteris Apoſtolis habere viſus eſſet, cum illi à Chriſto facti ſint, & munus acceperint.

1. Cor. 1. *Chryſoſt.* *Galat. 2.* *Theod.* *Ambroſ.* *Sedul.* *Origen.* *1. Cor. 15* Paulus quomodo per Chriſtum accepit gratiā & Apoſtolatum. *Origen.* *Ambr.* *Chryſoſt.* *Act. 13.*

Ad obe-

Ad obediendum fidei in omnibus Gentibus.

QValem acceperit Apoſtolatum, exponit dicens, Apoſtolatum accepiſſe prædicandi fidem omnibus Gentibus. quamuis enim etiam Iudæis prædicauerit, tamen præcipue inſtitutus eſt Apoſtolus Gentium, non vnius, aut alterius prouinciæ, ſed *Gal. 2.* vniuerſalis, iuxta illud Gala. 2. Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes. Fidem appellat Chriſtianam doctrinam, quæ credenda, & facienda complectitur. Obedire ergo fidei, eſt prædicationi Euangelicae aſſentire, & miſterijs diuinis annuntiatis fidem ſinceram, & perfectam praebere, & ea, quae Chriſtus fieri mandauit, iuxta illud Matth. *Matth. 28.* 28. Docentes ſeruare quæcunq. mandaui vobis implere. eſt autem ſenſus: Ad obediendum fidei in omnibus Gentibus; ideſt; ad inducendum, & procurandum, vt omnes Gentes credant, & fidem, ac Euangelium recipiant, ipſiq. ſe obedientes exhibeant. Græce enim obedientiam, ſeu ſummiſſionem fidei, ideſt, ad ſubijciendas, & ſummittendas Gentes fidei, & Euangelio. quod non proprie Pauli virtutis erat, ſed Dei per ipſum operantis. Dum autem dicit, obediendum fidei, inſinuat, credendum eſſe verbo Dei, ſine ſcrutationibus, & argumentationibus, aut excuſationi- *Chryſoſt.* bus, vt annotat Chryſoſt. hæc enim eſt obedientia perfecta.

Pro nomine eius.

FInem prædicationis exponit: Accepi, inquit, Apoſtolatum, vt Gentes omnes ad fidei obedientiam inducam. pro nomine Chriſti, ideſt, vt in eis nomen Chriſti clarificetur, & agnoſcatur, in quo ſolo ſalus eſt mundi. Nec enim aliud nomen datum eſt, in quo oporteat nos ſaluos fieri, præter nomen Domini *Act. 4.* noſtri Ieſu Chriſti. Act. 4. idem eſt ſenſus illius. 2. Theſaloni. *2. Theſſal. 1.* 1. Impleat Dominus omnem voluntatem bonitatis ſuæ, & opus fidei in virtute, & clarificetur nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti *Act. 9.* in vobis. Alludit autem ad illud Act. 9. Vas mihi electionis eſt, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Iſrael.

ANNOTATIO XII.

Chryſoſt. CHryſoſt. ſerm. 1. exponit aliter, nempe, Ad obediendum fidei, quæ eſt de nomine ipſius Chriſti, per quem nomen eius cognoſcitur. Ambro. aliter adhuc interpre- *Ambro.* tatur, Pro nomine eius, ideſt, vice eius

Apoſtoli quomodo geſſerunt vices Chriſti. 2. Cor. 15.

eius: geſſerunt enim Apoſtoli vices Chriſti in terra, & in nomine eius, viceſq. ipſius gerentes euangelizabant, & functionis miniſteria efficiebant. 2. Corin. 5. Pro Chriſto legatione fungimur. accommodatior tamen expoſitio eſt, quam in commentario propoſuimus, quam etiã Sedulius ſecutus eſt; relata enim Ambroſij expoſitione, hanc etiam adhibuit.

Ambroſ. Sedul.

In quibus eſtis & vos vocati Ieſu Chriſti.

INter has Gentes, quarum ego ſum Apoſtolus factus, comprehendimini, inquit, etiam vos, o Romani, qui eſtis vocati Ieſu Chriſti, ideſt, qui accepiſtis vocationem, per quam eſtis facti Chriſtiani, & de numero fidelium Chriſti. Quibus verbis Paulus fidem eorum ſibi conciliat, & ſibi ad eos ſcribendi munus incumbere oſtendit, tanquam eorum Apoſtolo. Hæc omnia ad perſonam ſcribentem pertinent, quæ hactenus expoſita ſunt, propter Pſeudoapoſtolos, & Pauli calumniatores apud Romanos. hæc enim omnia narrauit, vt animos audientium ſibi gratos, beneuolos, & attentos, ad fidei veræ dogmata recipienda, faceret.

ANNOTATIO. XIII.

Romani quomodo & quando ad Chriſtum vocati.

DVpliciter poteſt ſententia hæc exponi. Vno modo, vt connectamus illud, (Vocati) cum verbo (Eſtis) vnicumq. ſit verbum, & ſit ſenſus: In quibus etiam vos vocati eſtis, nempe ſicut illæ aliæ Gentes. & hic non eſt ſenſus Pauli, nondum enim omnes Gentes illo tempore vocatæ erant. Altero modo, vt illud (vocati) coniungatur cum (Vos) vt ſit ſenſus: In quibus Gentibus etiam vos eſtis, & comprehendimini, vos inquam, qui eſtis iam vocati ad Chriſti fidem. hic eſt ſenſus legitimus. Et attende, Paulum Romanos cum alij Gentibus adnumerantem, nec rationem vllam eorum gloriæ, & excellentiæ temporalis habentem. nam in Chriſto Domino non eſt barbarus, nec Scytha, neque diſtinctio Iudæi, & Græci, omnibus vnus eſt Deus, & dominus, & mediator Chriſtus. illaq. eſt vera excellentia, Chriſtum noſſe, & eius mandata ſeruare; non enim dixit: Eſtis vos, qui dominiũ mundi habetis, qui omnibus nationibus præferimini, ſed: Qui vocati eſtis Ieſu Chriſti, Domini noſtri.

Omnibus, qui ſunt Romæ, dilectis Dei.

HOc eſt ſecundum ad epiſtolæ ſalutationem pertinens. nempe perſonæ, quæ ſalutantur, & ad quas epiſtola mittitur: Omnibus, inquit, qui Romæ ſunt, ſiue magni, ſiue parui, ſiue diuites, ſiue pauperes, incolæ, aut accolæ, nulla ſit diſtinctio perſona-

ſonarum, quam nec Dominus facit, qui omnes ad ſe vocat. Adiungit autem (Dilectis a Deo) ideſt Chriſtianis, qui fidem recepiſtis Dei; non enim epiſtola infidelibus mittebatur. Dilectos Dei appellat, vt doceat, non proprijs eorum meritis, aut virtute Chriſtianos eſſe factos, ſed quia Deus dilexit eos, & complacuit in eis. Rurſus, vt ſimul oſtendat, quam honorificum, & vtile ſit Chriſtianum eſſe: qui enim talis eſt, dilectus Dei eſt. Eſt autem nomen illud (Dilectis) non participium. Attende, dilectionem Dei non eſſe ſicut humanam. homines diligunt quidem alios; ſed in his, qui diliguntur, præcedit aliquid, quod eos faciat diligi, & amari. at non ſic Deus nos primo dilexit: nihil enim in nobis præceſſit, quod diligibiles faceret: immo eramus filij iræ, & odio digni. ipſe eſt, qui ſua dilectione nos fecit amabiles, dum ſua dona communicauit. fides enim, charitas, gratia, & cætera dona, & beneficia nobis data, effectus ſunt dilectionis Dei, qui ſua dilectione tales nos fecit: dilexit autem nos, propter ſuam bonitatem, non propter aliquid in nobis exiſtens.

Vocatis Sanctis.

QVos dilectos dixerat, Vocatos ſanctos appellat, vt doceat, idcirco vocatos eſſe ſanctos, quia dilecti ſunt a Deo; vocatio enim ad fidem, & Euangelium, effectus eſt dilectionis Dei. eſt autem ſenſus. Vocatis ſanctis, ideſt vocatis, vt ſint ſancti. in hoc enim vocatio euangelica tendit, vt fiant homines ſancti, ideſt, puri, ſinceri, & Deo dicati, & dediti; ſanctum enim, purum, immaculatum, & quod etiam Deo dicatum eſt, appellamus. tales ſunt Chriſtiani, ſi ſecundum ſuam viuunt vocationem. Horum verborum ſenſum clarioribus verbis expreſſit Paulus ad Epheſ. 1. Elegit nos, inquit, in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus Sancti, & immaculati in conſpectu eius, in charitate. recte profecto Paulus his verbis vitam, & perfectionem Chriſtianorum inſinuauit, immo & artificioſe circumſcripſit. *Ephеſ. 1.*

Gratia vobis, & pax a Deo Patre, & domino noſtro Ieſu Chriſto.

HAec eſt tertia pars ſalutationis epiſtolæ, nempe bona, quæ precatur. Gratia, inquit, & pax vobis detur a Deo Patre, & Ieſu Chriſto domino noſtro, a quibus hæc procedunt, & efficiuntur. Per gratiam, remiſſionem peccatorum; per pacem, reconciliatio-

Amb. liationem cum Deo ſignificat, vt Ambro. exponit, quæ ſolis Chriſtianis donantur. A Deo autem, & Chriſto hæc duo exoptat dari, quia a Deo ſunt, propter Chriſtum, qui ſuo aduentu hæc nobis obtinuit. Deum Patrem appellat, non tantum, quia pater eſt creatione, ſed ad ſignificandum Euangelij perfectionem; per ipſum enim ſtatum adoptionis filiorum accepimus, & Deum patrem clamamus, vt annotat Chryſoſt. (*Chryſoſt.*) ac ſi diceret, Pacem hanc, & gratiam exopto vobis a Deo, quem iam, propter Chriſtum, Patrem habemus, & vt Patrem inuocamus, & petimus. Ieſum Chriſtum dominum noſtrum appellat, propter redemptionem; ipſe enim ſuo ſanguine nos redemit. (*Chryſoſt.*) Et attende etiam cum Chryſoſt. vt æqualem potentiam, & diuinitatem eandem vtriuſq. ſignificet. Spiritus Sancti non meminit; quia in ipſis donis inſinuatur; dum enim gratia, & pax datur. Spiritus Sanctus ipſe communicatur, cuius dona hæc ſunt. Nec ſolum Paulus hæc deprecatur bona dari illis, ſed data etiam conſeruari, vt annotat Chryſoſtomus, etiam & conſeruata augeri. In remiſsione autem, & reconciliatione omne bonum ſpirituale comprehenditur. Conſtat ergo, ſalutationem hanc eſſe perfectiſsimam, & doctrinæ Euangelicæ refertam.

ANNOTATIO XIIII.

Attende, ſalutationem epiſtolæ integram, & propriã hanc eſſe, vt Theodoretus annotat. (*Theodor.*) Paulus ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, omnibus, qui ſunt Romæ, dilectis Dei, vocatis Sanctis, gratia vobis, & pax a Deo Patre, & domino noſtro Ieſu Chriſto. (Romani cur vocati Sancti.) cætera interiecta ſunt, ad oſtendendum, a quo ſit vocatus, & factus Apoſtolus, & quid ſit quod annuntiandum eſt; ac quibus ſit annuntiare miſſus, vt his omnibus Romanorum animos ad ſe conciliet, qui Pſeudoapoſtolorũ, contra Paulum calumnijs perturbati erant, & qui non recte de Euangelicis dogmatibus ſentiebant. Verba autem hæc, (gratia, & pax) non ab omnibus eodem modo, exponuntur. pacem enim aliqui moderni, omnem proſperum ſucceſſum intelligunt: mos enim eſt in Scriptura, pacis ſalutatione proſperum ſucceſſum ſignificari: vt quando ſalutamus, dicentes: Pax tecum. Sed rectius Chryſoſtomus pãcem eam exponit, quam Dominus iuſſit diſcipulis annuntiare. Luc. 10. (*Luc. 10.*) Dicite, Pax huic domui, quę quidẽ eſt pax cum Deo, vt deleta peccatorum inimicitia, ipſi reconciliemur per Chriſtum; & in ea reconciliatione viuamus, operantes ea quæ amicis, & reconciliatis conueniunt. Vnde recte Theodor. (*Theodoret.*) per pacem, omnem bonam virtutis actionem ſignificari dicit; radix tamen actionum eſt pax iſta, quæ eſt reconciliatio, & amicitia cum Deo. Gratiam etiam moderni, beneuolentiam Dei, interpretantur, in quo adhuc errãt; quamuis enim

nemo

nemo gratiam habeat, qui beneuolentiam Dei non obtineat; tamen gratia donum eſt animæ, proueniēs ex Dei beneuolentia, & dilectione, per quod homo Deo efficitur gratus, & dilectus, & quo peccatorū remiſſio fit, ac vires accipit arbitrium, ad recte, & ſecundum Deum operandum. cum Ambroſ. igitur expoſuimus, & ea recta eſt expoſitio. Gratiam, remiſſionem peccatorum, quæ gratis fit per Chriſtum: & pacem, reconciliationem cum Deo ſignificare, quæ duo multa bona complectuntur. *Ambroſ.*

Primum quidem, gratias ago Deo meo, per Ieſum Chriſtum, pro omnibus vobis.

INitium epiſtolæ poſt ſalutationem hoc eſt: id enim verbum illud indicat, (Primum quidem) ac ſi diceret: Vt dicendi principium faciam. eſt autem ſenſus, Gratias ago Deo pro beneficio vobis omnibus per Chriſtū collato: agere enim Deo per Chriſtū gratias pro omnibus, non aliud eſt, quam agere gratias pro beneficio, a Deo per Chriſtum illis omnibus collato. quod argumentum eſt charitatis maximæ erga proximos, qua, quod illi per Chriſtum receperunt a Deo beneficium, ac ſi ſibi collatum eſſet, reputat, & gratias agit: idcirco dicit (Deo meo gratias ago) dum enim ſuum appellat Deum, ſibi beneficium collatum confitetur. Attende autem artificium, & ſapientiam Pauli; cum enim Romanos monere, & arguere vellet, ab eorum laude initium capit, quod in eis bonum, & laude dignum erat exponens; ſic enim correctio, & admonitio gratior fit, ab animoq. beneuolo profecta facile creditur. ne vero laus hæc vanæ alicuius gloriæ illis eſſet occaſio, in Deū, & Chriſtum dominum auctorem refert laudatum bonum, pro quo gratias agit; ne ſibi illi tanquam ſua virtute conquiſitum vſurparent. quod autem ſit hoc beneficium, pro quo gratias agit, ſequentibus exprimit verbis.

ANNOTATIO XV.

Dictio (primum) quomodo intelligitur.

NOnnulla ſunt in ſuperiori ſententia aduertenda. Vnum eſt illud, (Primum quidem) non referri ad alias enumerationis partes, vt dicere ſolemus, primo, ſecundo, tertio, ſed ad initium epiſtolæ, vt ſit ſenſus, Vt principium dicendi faciam, ago gratias Deo meo. Alterum eſt illud, (Deo meo) dictum eſſe, non vt excluderet cæteros omnes; eſt enim Deus omnium vniuerſalis; ſed vt hoc beneficium, Romanis a Deo collatum per Chriſtum, in ſe receptum, & velut ſibi ipſi collatum confiteretur. Quando enim aliquid nobis ipſis petimus, aut receptum fatemur, particulari voce Deum meum dicimus. Alij aliter

Ambroſ. ter exponunt. Ambro. enim dictũ putat, vt illos, adhuc non habere perfectam fidem, ſignificaret; ideo nondum erat eorum Deus, quia nondum perfecte credebant. Sed hæc expoſitio non accommodatur verbis. nam dicit: Quia fides veſtra annunciatur. Orig. Origen. aliter exponit, nempe dictum (meum) quia Deus dicitur iuſtorum, vt Abrahã, Iſaac, Iacob. Sed nec hoc ſatisfacit: nam præter Paulum erant multi iuſti. Oecum. Theodul. Oecumen. & Theodul. ex affectu quodam Pauli dictum putant. Vera tamen, & legitima cauſa mihi ea eſſe videtur, quæ expoſita eſt ſuperius. Orig. Tertium eſt illud (Agere gratias per Chriſtum) varie etiam exponi. Origen. Agere gratias per Chriſtum, dicit eſſe gratias offerre per Chriſtum, tanquam per ſummum ſacerdotem, cuius oblatione omnia noſtra grata ſunt Patri. Oecum. Theodul. Oecumen. & Theodul. exponunt, Agere gratias per Chriſtum, dictum eſſe, quia Chriſtus eſt auctor actionis huius gratiarum. Aliqui interpretantur dictum, quia Chriſtus eſt mediator Dei, & hominum. At legitima expoſitio eſt, quam Ambro. indicat. Ambroſ. Agere gratias per Chriſtum, eſſe agere gratias pro beneficio aliquo, quod per Chriſtũ acceptum, & effectum eſt. Vt enim illi Romani agnoſcerent, per Chriſtum credidiſſe, & fidem acceptam, & euulgatam fuiſſe, non propria virtute, aut merito; idcirco agit gratias per Chriſtum, ſignificans per eum illos obtinuiſſe beneficium, pro quo tales gratiæ aguntur. Quartũ eſt illud (pro omnibus vobis) non ſignificare, loco omnium veſtrum: quamuis præpoſitio hæc talem aliquando habeat ſignificationem; vnum enim dicimus pro aliquo loqui, ideſt loco alterius. ſic Dauid optabat mori pro Ionatha; ideſt vice, & loco eius; non tamen in hac ſignificatione ſumitur in præſenti, ſed pro cauſa: nempe, Ago gratias pro vobis, ideſt, cauſa veſtrum, & propter beneficiũ vobis collatum; ſic enim dicimus, ago gratias pro beneficijs acceptis, ideſt, propter beneficia accepta.

Quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.

EXponit, quare pro illis omnibus gratias agat, & quod ſit beneficium illis per Chriſtum collatum, pro quo gratiarum actio iſta Deo offeratur. Eſt autem hoc; non ſolum eos credidiſſe, & fidem Chriſti recepiſſe; ſed talem, ac tam manifeſtam, vt in mundo toto annuncietur, & cæteræ nationes ſciant Romanos credidiſſe in Chriſtum, exemplum enim tale, ac tantum, multum proderat, ad confirmandam fidem, & recipiendam ab alijs Gentibus. Cum enim Roma caput eſſet tot Gentium, & populorum, & illuc vndiq. confluerent gentes, latere non poterat, quod illic gerebatur, & audientibus pondus aliquod veritatis, & auctoritatis afferebat; vt exemplo Romanorum, qui primi omnium habebantur, fidei acceptatio facilior fieret. Duo autem ſunt hæc, pro quibus agit gratias, vt dicit Chryſoſt. & credidiſſe, & ſic credidiſſe, vt

alijs

alijs credendi eſſent exemplum, & exhortatio. Hoc etiam in loco artificium Pauli eſt annotandum. nam iſto verbo Romanos valde admonet, vt in fide ſint perfecti, & conſtantes, nihilq. peruerſum recipiant: expoſiti enim ſunt in exemplum toti orbi, reddituri rationem etiam detrimenti, & damni ſpiritualis, quod eorum cauſa in cæteris ſubſecutum fuerit Gentibus. *Ambroſ.*

ANNOTATIO XVI.

Origen. *Fides Romanorum quomodo annunciatur in vniuerſo mundo.* *Chryſoſt.* *Theod.* *Ioann. 12.* *Orig.* *Luc. 15.*

ORigen. ratione illius verbi (Vniuerſo mundo) hanc ſententiam varie, & multipliciter exponit. Primo quidem, vt, per vniuerſum mundum, partes orbis Romano imperio ſubiectas intelligamus, apud quas fama fidei Romanorum percrebuerat: & hæc eſt legitima expoſitio, quam Chryſoſt. & Theodoret. cum alijs multis ſequuntur: eſt enim hiperbole quædam, ſicut illud Ioan. 12. Totus mundus abit poſt eũ: quia enim in multis prouincijs, & regionibus mundi fides Romanorum diuulgabatur, dicitur in vniuerſo mundo annunciari. Secundam adhibet Orig. interpretationem, vt hoc dictum ſit, propter virtutes, & ſpiritus Angelicos in cælis exiſtentes. de quibus dictum eſt. Luc. 15. Gaudium eſt in cælo coram Angelis Dei, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. his enim Angelis exiſtentibus in cælo, illi Angeli adminiſtratorij, qui de terra ad cælos aſcendunt, & illinc deſcendunt, annunciant, & euulgant Romanorum fidem. Quam expoſitionem violentam eſſe, & alienam a mente Pauli, facile eſt vnicuiq. videre: hoc enim non Romanorum fidei, ſed & omniũ cæterarum regionum, & prouinciarum cõmune erat. Tertiã adiungit Orig. expoſitionem, nempe fidẽ, quam Romani credebant, & tenebant, annunciari in vniuerſo mundo, quia in cælis, & in terris prædicata eſt. nã Chriſtus per ſuum ſanguinẽ pacificauit ea, quæ ſunt in cælis, & quæ ſunt in terra. Sed nec hæc expoſitio accommodari poteſt. nã, non quod Romani credebant, annunciatum dicit in vniuerſo mundo, ſed ipſos fidem recepiſſe, & credidiſſe: ſicut illud. 1. Theſalo. 1. A vobis diffamatus eſt ſermo Domini, non ſolum in Macedonia, & in Achaia, ſed in omni loco fides veſtra, quæ eſt in Deum, profecta eſt. Senſus ergo illius (Fides veſtra) non eſt talis: nempe, quæ vos creditis, annunciatur, ſed vos credidiſſe, in toto mundo vulgatur.

Origen. *1. Teſſal. 1.*

Teſtis enim mihi eſt Deus.

CVr pro ipſis, & beneficio eis collato gratias Deo agat, reddit cauſam, & rationem, ſimulq. charitatem ſuam erga eos oſtendit: & eſt ſenſus, ac ſi diceret: Ne vobis incredibile videatur, pro veſtra fide, quæ euulgata eſt, me gratias Deo agere; nam teſtem Deum facio, me in meis orationibus ſemper veſtri memorem eſſe, pro vobiſq. continuo deprecari: veſtrum ergo bonum, meum reputo,

puto,& vos ipſos charitate proſequor,& ideo pro vobis,& veſtro bono gratias Deo ago. Attende, cum rem occultam, & quæ ſenſibus non pateat affirmet Paulus, teſtem Deum, qui occultorum eſt cognitor, facit, vt fidem ſuis dictis conciliet. erat autem magni momenti, hanc ſuam erga eos notam & certam facere dilectionem, & curam; hanc enim ſemel illi perſuaſi, docenda, & monenda in epiſtola facile erant concepturi. ſimul etiam voluntatem ad eos veniendi antiquam confirmat, vt obiectioni reſpondeat, quod in ſequentiū expoſitione explicabimus. idcirco iuramento vſus eſt.

ANNOTATIO XVII.

Theodor.

THeodoretus hanc ſententiā ſuperioribus ſic connectit, cum enim dixiſſet, ſe omnium Gētium Apoſtolum conſtitutum, multum autem temporis præterijsſet, ex quo nec ipſe ad eos venerat, nec eos literis ſuis docuerat,ideo excuſationem adfert, Deumq. ad ſuæ in eos affectionis teſtimonium vocat. Hanc tamen connexionem particula illa cauſalis (enim) non admittit; cauſam enim hæc ſententia ſuperioris exprimit, nempe cur gratias agat. ea autem eſt, quia continuis orationibus pro ipſis Deum deprecatur. cum igitur iam Romani crediderint, & Paulus eorum fidem nouerit iam eſſe euulgatam, gratias agit pro beneficio in eis, pro quibus erat,obtento. ſimul etiā ſe excuſat, cur ad ipſos non venerit. Sed hoc non ad connexionem pertinet, ſed potius ad tacitæ cuiuſdam obiectionis reſponſionem; nēpe ſi orabat, cur non ad eos venerat. huic reſpondet, vt in ſequentium expoſitione declarabitur.

ANNOTATIO XVIII.

An liceat iurare in nouo teſtamento.

VErbum hoc Pauli iuramentum eſt, quod, ex definitione iuramenti probari facile poteſt. nam iuramentum eſt,Deum teſtem aſſertionis aut promiſſionis facere. hoc Paulus præſtat: nam teſtem Deum facit;idem enim eſt dicere,Per Deū iuro, ac, Teſtem Deum facio, vt dicit Aug. ſermo.30.de verbis Apoſt. vbi hæc verba Pauli iuramentum eſſe interpretatur. quod etiam affirmauit Innocentius Tertius, cap. & ſi Chriſtus, de Iureiurando. licet autem iurare rem veram, & grauē, quando dubia eſt audientibus, & multum refert tali rei adhiberi fidem. Sano ergo modo eſt intelligenda doctrina Baſil. hom. in Pſal. 14. Qui iurat proximo ſuo, & non decipit,dicentis,in nouo teſtamento iuramentum non licere, ſicut licebat in veteri; debereq. omnem ſermonem ſimplicem eſſe, iuxta illud Matth. 5. Nolite iurare; ſit ſermo veſter,eſt, non. Hæc tamen doctrina limitanda eſt, non eſſe frequenter iurandum, ſed raro & ex magna,& graui cauſa. Dominus autem non vetuit iuramentum illo præcepto apud Matthæum, ſed frequentiam; ibi enim de communi, & frequenti ſermone loquebatur, qui

Aug. — cap. & ſi Chriſtus de iur.iur. — *Baſil.* — *Matt. 5.*

ſimplex

ſimplex eſſe debet, non cum iuramento. quando autem cauſa occurrit grauis, quod non paſſim fit, licet adhibere iuramentum, quod actus eſt virtutis, & latriæ, ſeu religionis: hacq. de cauſa iurat Paulus.

Cui ſeruio in ſpiritu meo in Euangelio Filij eius.

CONnectitur hæc ſententia ſuperiori ſic. Teſtem Deũ facio, cui Deo ſeruio in ſpiritu meo, in Euangelio Filij eius, Seruiebat Deo Paulus ſpiritu, ſeruiebat & corpore, in prædicatione, & euulgatione nominis Chriſti. corpore quidem non poterat omnibus Gentibus ſeruire, quia nec ad omnes peruenit, nec ſimul omnibus aderat: ſpiritu autem omnibus ſeruiebat, nempe affectu, & mente, omnibus prædicare deſiderans; pro omnibus orans; omnium gerens ſolicitudinem, & curam. multis autem ſeruiebat in corpore, ſed non ſemper, & ſine intermiſsione, ſicut faciebat in ſpiritu. ſeruiebat ergo Deo in ſpiritu; in quo autem ſeruiret, exponit, inquit, in Euangelio, ideſt, non in lege, ſicut prius errans ſeruire exiſtimabat, æmulator legis, & traditionum paternarum exiſtens; at nunc in Euangelio filij Dei, ideſt, in prædicando, & euulgando Euangelio; in incumbendo totis viribus, vt omnes ad Chriſti cognitionem, & verbi eius obedientiam venirent. Recte autem hæc verba adiunxit Paulus; volebat enim Romanis perſuadere, ſe etiam abſentem illorum gerere curam. orare continuo pro eis; deſideraſſe ad ipſos, docendi, & inſtruendi cauſa, venire: idcirco Deum teſtem facit, cui non in corpore ſolo, ſed etiam in ſpiritu ſeruiebat, pro Euangelio Chriſti filij Dei, vt, quamuis abſens eſſet, memor illorum eſſe poſſet.

ANNOTATIO. XIX.

Origen. *Paulus quomodo ſeruiebat in Spiritu Deo, & in Euãgelio.*

VArij ſunt Doctores in exponendo illo verbo, (in ſpiritu meo) Primo loco Orige. Spiritum exponit, mentem ſuperiorem animæ, & hominis partẽ: diuidit enim hominem in corpus, animam, & ſpiritum, non quod ſpiritus, & anima ſint duæ ſubſtãtiæ, ſicut ſunt corpus, & anima, ſed quod ſpiritus potentias rationales ſuperiores, anima vero ſenſuales, & inferiores ſignificat. ſeruiebat autem Paulus Deo in ſpiritu, ideſt ſuperiori parte, quia ſpiritus eſt Deus, ſimilemq. exiſtimat hanc eſſe ſententiam illi Ioan. 4. In ſpiritu, & veritate adorare oportet, hoc excepto quod Ioannes de adoratione, Paulus vero de ſeruitio loquitur. hinc deducit ſeruiuiſſe, non in illis vmbris, & figuris, & cortice Legis, & literæ, ſed in ſenſu, qui ſpiritus eſt, & ad Euangelium pertinet. Eandem adhibet expoſitionem Ambro. & Sedulius. Secũdo loco Chryſoſt. exponit, hoc verbum ſignificare ſpiritum Sanctum, cuius virtute, & gratia ſeruiebat. tribuit enim Paulus opera ſua, & labores, quos ſuſtinuit in predicando Euangelio. Spirit. San. *Ioann. 4.* *Chryſoſt.*

 virtu-

Digitized by Google

virtuti, non propriæ. Huic expoſitioni obſtat illud (Meo) ſi enim Spiritum Sanctum ſignificare vellet Paulus, non diceret in Spiritu meo.
Theodor. Tertio loco Theodore. per Spiritũ, gratiam datam Paulo, reſpondentem muneri ſuo, de qua dixerat, Per quem accepimus gratiam, & apoſtolatum, interpretatur: ſecundum quam gratiam Deo ſeruiebat, quod explicare poſſumus per talentum. iuxta talenta enim a Deo ſibi data, Paulus incumbebat euangelicæ prædicationi.
Theodul. Quarto loco Theodolulus expoſitionem Chryſoſt. ſequens, & probans, adiunxit alteram, nempe quia ſpiritualis erat opera Pauli, non carnalis. Quinto loco, moderni aliqui ſic interpretantur. in ſpiritu meo ſeruio. ideſt volens, & ex animo ſeruio.
Anſel. Sexto Anſelmus exponit. In Spiritu, ideſt in ſinceritate, & affectu cordis, non ficte nec mendaciter, ſed in veritate. Mihi ſpiritus mentem ſimul, & affectum ſignificare videtur, quo ſeruiebat ſemper Paulus in ſuo apoſtolatu, & Euangelica prædicatione; multi enim corpore, & exterius ſeruiunt, non tamen ſpiritu, & ſecundum interiorem hominem: at Paulus non corpore tantũ, ſed etiam ſpiritu ſeruiebat, eratque amplius ſeruitium ſpiritus, & magis continuum, & latum, quam corporis; illo enim etiam in abſentibus, & diſtantibus, corpore etiam impeditus, ſeruiebat. Similia fere verba habet. 2. Thimo. 1. Gratias, inquit, ago Deo, cui ſeruio in conſcientia pura, ideſt, ea omnia faciendo, quæ conſcientia mea dictat eſſe ſecundum Deum facienda, ab his abſtinendo, a quibus mea conſcientia monet eſſe abſtinendum. 2. Timoth. 1.

Quod ſine intermiſſione, memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis.

Paulus quomodo intelligatur orare ſine intermiſſione.

Exponit id cuius teſtem Deum fecerat, nempe ſe in orationibus ſuis Romanorum mentionem facere. ſine intermiſſione, ideſt nunquam oraſſe, quin pro ipſis etiam deprecaretur: hoc enim eſt in orationibus ſine intermiſſione, & ſemper eos habere in memoria. ſcilicet, quotieſcunque ad Deum orationes fundebat, ſemper etiam pro ipſis orare, neq. vnquam intermittere, quin pro ipſis deprecaretur, quoties oraret Deum. Hoc idem pro Timotheo faciebat. 2. Timoth. 1. Sine intermiſſione, inquit, habeam tui memoriam in orationibus meis. ſeruiebat ergo Deo in ſpiritu, etiam in Romanis, quibus, etiamſi corpore aberat, ſpiritu, & affectu præſens erat, & curam eorum gerebat. 2. Timoth. 1.

Obſecrans, ſi quo modo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos.

Non eſt hæc ſententia declaratio præcedentis, vt velit dicere, memoriam ſeu mentionem, quam ſine intermiſſione in orationibus faciebat, illorum, hanc eſſe; nempe Deum obſecrare faculta-

cultatem veniendi ad eos, ſed eſt accretio, & augumentum, vt ſit ſenſus: Oro ſine intermiſſione pro vobis Deum in orationibus meis. & vltra hoc etiam obſecro, & efflagito Deum, vt promptum, & gratum diuinæ ſuæ maieſtati ad vos veniendi iter tandem concedat. Attendenda autem ſunt verba; petit iter proſperum, ideſt, liberum, & expeditum ab omni difficultate, & impedimento; at non abſolute, ſed limitatione adiecta (In voluntate Dei) ideſt, quod ſit gratum, & ſecundum voluntatem Dei; nihil enim quærebat Paulus, præter Dei gloriam, & voluntatis eius complementum. Si autem vbi de tot hominũ myriadum ſalute agebatur, nihil indiſtincte petit Paulus, ſed petitioni diuinam coniunxit voluntatem, quanam venia digni ſumus, qui res ſenſibiles optamus, nec noſtra omnia diuinæ permittimus voluntati? vt annotauit Theodore. Rurſus illæ particulæ (ſi quo modo tandem aliquando) difficultates modi, & temporis ſignificant, ac ſi dicat: Obſecro, vt modum facilem, & tempus aptum concedat; hactenus enim hæc defuerunt. Illud etiam (Tandem) longitudinem temporis indicat, quo Paulus id Domino obſecrabat. Senſus igitur breuiter hic eſt; Obſecraui Deum diu, vt mihi iter ad vos ſibi gratum tandem concedat proſperum, omni difficultate ſuperata, & impedimento ablato.

Deſidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandum vos.

CVr iter ad Romanos a Deo obſecretur, cauſam exponit. nam deſidero, inquit, vos videre, non temporalis lucri cauſa, ſed propter veſtram ſalutem ſpiritualem, nempe vt officia aliqua gratiæ, & doni ſpiritualis mihi conceſsi vobis communicem, quibus in fide, & religione ſuſcepta confirmemini, & ſtabiliamini. Gratiam ſpiritualem appellat chariſmata Spiritus Sancti, quæ data ſunt Apoſtolis, vt alijs prodeſſent, de quibus. 1. Corin. 12. dicitur. *1.Cor.12.*
Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: his enim gratijs, & donis cæteros iuſtruebant, conſolabantur, & admonebant, & cætera opera ad ſalutem ſpiritualem ordinata adminiſtrabant. Gratiam appellat, vt ſe a Spiritu Sancto accepiſſe, quæ tradebat, ſignificaret. Ne autem nouam doctrinam adferre videretur, adiunxit; vt confirmem vos in ea, quam iam a Petro accepiſtis, doctrina, & religione, non vos dedocere, quæ iam a Domino didiciſtis, ſed confirmare, & ſtabilire deſidero. Attende autem Pauli moderationem; errabant enim Romani in aliquibus, vt ex hac epiſtola patet, & opus illis erat inſtructione; ne tamen tanquam puſil-

Digitized by Google

los terreret, confirmationem appellauit.

Ideſt, ſimul conſolari in vobis per eam, quæ inuicem eſt fidem veſtram, atque meam.

EX hac confirmatione veſtra fiet, vt mutua ſit conſolatio, & lætitia noſtra: mea quidem, dum vos in fide confirmatos agnouero; diſcipulorum enim doctrina recta, & ſincera praeceptorem conſolatur, & delectat: veſtra autem, dum meam fidem veſtrae cõformem experti eritis; diſcipulus enim etiam conſolationem capit, quando magiſtri, & praeceptoris doctrinam fideliter, & perfecte percepiſſe intelligit. Fides igitur eadem, & vna, tam mea, quam veſtra, erit communis conſolatio, & ſpiritualis laetitia amborum, poſtquã a me inſtructi fueritis per gratiam ſpiritualem vobis communicatam. Graece habetur, non (ideſt) ſed (hoc autem eſt) & refertur ad proximum verbum: nempe, ad vos confirmandum, ex quo conſequetur mutua conſolatio: non autem refertur ad verbum (Deſidero vos videre) deſiderabat enim Paulus eos videre, vt in fide confirmaret docendo & inſtruendo, eiſq. confirmatis conſolatio mutua procederet.

ANNOTATIO XX.

DVpliciter hæc verba exponuntur a Doctoribus. Vno modo ab Orig. *Orig.* refert enim hanc conſolationem ad verbum (Confirmandũ) vt ſit ſenſus; Deſidero videre, vt vos confirmem inſtruendo, & docendo, vt hæc facta confirmatio, mutua fiat conſolatio noſtra ex fide communi mea, & veſtra. Altero modo Chryſoſt. & Theodor. ad verbum (Deſidero) referunt, *Chryſoſt. Theod.* vt ſit ſenſus; Deſidero vos videre, vt vobis impertiam aliquid gratiæ ſpiritualis, vt confirmem vos, & deſidero etiam vos videre, vt mutuo conſoler in vobis. Theodulus *Theodul.* vtriuſque meminit expoſitionis. Nobis viſa eſt accommodatior prior; nam verbum illud (Hoc autem eſt) effectũ, & conſecutionem indicat huius cõfirmationis, & communicationis doni, & gratiæ ſpiritualis. refertur quidem ad verbum (Deſidero videre) ſed non immediate, ſed poſt confirmationem, vt ſit ſenſus; Deſidero vos videre, vt vos confirmẽ, & confirmatione facta mutuã in vobis, ſeu vobiſcum conſolationem propter fidem noſtram communẽ capiam. Quamuis enim Romani crederent, adhuc tamen errabant in aliquibus, & inſtructione indigebant, vt vna fieret, & conformis eſſet fides eorum cum Pauli fide. Quæ autem hæc ſit conſolatio, non eodem modo exponunt Doctores. Theodulus lætitiam interpretatur ſpiritualem, *Theodul.* quæ eſt de communi bono fidei illorum, & ſuæ; & idem ſentit Chryſoſtomus. *Chryſoſt.* & ea eſt vera interpretatio. Aliqui fidei incrementum exponunt, vt mutuo fides augeretur, Pauli, & Romanorum; ſicut aliquando ex diſcipulorum doctrina magiſtris augetur ſcientia.

Quam

Quam expoſitionem etiam probat Chryſoſt. & videtur hæc expoſitio Baſil. Regul. breui. reſp. 226. ſic enim inquit. Hoc verbum (conſolari) ſolita eſt Scriptura vſurpare diuerſa ſignificatione a communi loquendi more; ſiquidem conſolari pro eo ponit, quod ex explere animum alicuius in veritatis perceptione, veluti cum dicit; Conſolamini populum meum, dicit Dominus; & Apoſtolus ait; Deſidero videre vos, vt aliquid impertiam vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos, ideſt, ſimul conſolari in vobis per eam, quæ inuicem eſt, fidem veſtram, atq. meam. hæc Baſil. Sed probanda talis expoſitio non videtur; non enim Paulus hoc incremẽto indigebat. excitari quidem potuit Paulus eorum fide ad aliquem actum ſpiritualẽ perfectionis exercendum, ſed non ad diſcendum aliquid ex eis. Mutua igitur conſolatio eſt, mutua lætitia de fide communi, & mutua.

Nolo autem vos ignorare fratres, quia ſæpe propoſui venire ad vos, & probibitus ſum vſq. adhuc.

SI quis obijceret; cur igitur non veniſti, ſi ita deſiderabas, & orationibus inſtabas, maxime cum omnium Gentium factus ſis Apoſtolus? Reſpondet: ſcire vos volo, fratres, propoſuiſſe me non ſemel, ſed ſæpe venire ad vos; ſed vſq. nunc me prohibitum eſſe, nec mihi liberum id fuiſſe, multis hinc inde negotijs, & impedimentis emergentibus, quæ me detinuerunt, ne quod deſiderabam, & animo proponebam, opere perficerem.

ANNOTATIO XXI.

Paulus, à quo prohibitus venire ad Romanos. *Act. 16.* *1. Teſſal. 2.* *Chryſoſt.* *Baſil. Origen.*

PRohibitum eſſe quandoq. Paulum eo venire, quo propoſuerat, legimus; idq. aliquando à Spiritu Sancto, aliquando a Dæmone. de Spiritu Sancto habetur Act. 16. Cum veniſſent, inquit, Myſiam, tentabant in Bithiniam, & non permiſit eos Spiritus Ieſu: De Dæmone habetur. 1. Theſſa. 2. Voluimus, inquit, venire ad vos, ego quidẽ Paulus, & ſemel, & iterum, ſed impediuit nos Sathanas. Eſt igitur inter Doctores duplex interpretatio. Chryſoſt. ſerm. 1. hanc præſentem prohibitionem factam cenſet a Spiritu Sancto. Baſilius vero in Reg. breui. reſp. 275. a Dæmone. Orig. vtramq. probat. Eſt autem aduertendum cum Baſilio, actiones illas, quæ animæ ſolius ſunt, a Dæmone impediri non poſſe ſanctis hominibus; nec enim potuit deſiderium, & propoſitum veniendi, & obſecrationes ad Deum pro itinere proſpero prohibere; tamen quæ exteriori operationi coniunctæ ſunt, Deo permittente aliquando impedit, permittit autem Deus hæc impedimenta, vel probandi, vel detegendi cauſa, vt vel, ſi a propoſito deſiſtat, conuictus, qualis fuerit homo, detegatur; vel, ſi in recto perſeuerauerit, clarius appareat ſtudium ipſius in recte factis. hæc Baſil. Greg. lib. 21. Mora cap. 19. addit cauſam aliam huius diuinæ per-

miſſionis, vt nempe illis, apud quos manere compellitur, magis proſit, & illi perfectius cõfirmentur. dum enim ad Romanos non permittitur venire, illi, apud quos adhuc manebat, magis eius præſentia confirmabantur: non enim permittit Deus Dæmoni mala operari, niſi vt inde bona ex prouidentia diſpoſita, & ordinata extrahat. Fieri etiam poteſt in punitionem aliquando; pœna enim peccatorum eſſe ſolet priuatio prædicationis, & impedimentum aduentus eorum, qui ſua poſſunt iuuare præſentia. hæc impedimenta duo ſic ſe habent; vt, quando Dæmon impedit, adſit etiam Deus permittens; nec enim Dæmonis opera, & impedimentum efficax eſſet, niſi Deus eum impedire ſineret: At quando Deus prohibet, & impedit, non ſemper à Dæmone eſt tale impedimentum; multis enim modis Deus impedire, & prohibere poteſt hominis conatus, & propoſita, etiã Dæmone non interueniente. Vtraq. eſt probabilis ſententia, & expoſitio; tamen magis probatur ea, quæ eſt Chryſoſt. nam dictum eſt; Sine intermiſſione in orationibus Deum obſecraſſe iter proſperum, tamen prohibitum eſſe: quod ad Deum videtur accommodatius referendum. *Chryſoſt.* Aduerte etiam, præter hæc impedimenta duo, etiam eſſe humana, & naturalia, quæ quamuis Deo permittente etiam eueniant, ſolent tamen non Deo, nec Dæmoni tribui, ſed hominibus, & cauſis naturalibus. ſolemus enim impediri infirmitate, vel viæ difficultate, vel aliorum precibus, vel alijs ſimilibus; & de his non improbabiliter etiam exponi Paulus poteſt, vt ſit ſenſus; Varijs negotijs, & difficultatibus emergentibus, quæ me detinuerunt, impeditus ſum, ne ad vos venirem.

ANNOTATIO. XXII.

Sedul. SEdulius, a Deo prohibitum eſſe Paulum, ne ad Romanos hactenus venerit, exponit, tamen cauſam, cur prohibitus fuerit, aperit; nempe, quia ſciebat Deus, Romanos eſſe tunc imparatos ad recipiendã doctrinam; propterea miſſus eſt ad alios paratiores. Hæc cauſa non videtur ſatis accommodata. nam tunc temporis, antequam Paulus veniſſet, Romani fidem Chriſti receperant, vt conſtat ex ſuperioribus dictis; fides enim eorum euulgabatur per orbem. Quod autem ad doctrinam in hac cauſa contentam ſpectat, aduertendum eſt, eandem eſſe quæſtionem, cur Dominus non miſit filium ſuum, & Apoſtolos prius, quam miſit ſunt, &, cur ad aliquas Gentes prius miſſi, prædicauerint, quam ad alias; cur his, non illis annunciata eſt ſalus: & noſtris etiam temporibus poſſet aliquis interrogare, cur tam tarde Indis prædicatum ſit Euangelium. Sedulius vtique reſpondiſſet, miſſos eſſe prædicatores, & Apoſtolos a Deo, quando præſciuit eos eſſe credituros, ipſumq. veniſſe Chriſtum, quando fidem eius ſciuit à mundo recipiendam; quæ doctrina eſt Auguſt. lib. 1. de prædeſtina. Sanct. cap. 9. & Chryſoſt. hom. 65. in Matthæum, vbi de uocatione ad vineam diuerſis facta horis loquitur: tamen eſt maximum diſcrimen inter Auguſt. & Chryſo. nam eadem verba duos ſenſus longe diuer- *Aug.* *Chryſoſt.*

uerſos facere poſſunt; aut enim pręparatio hęc ad voluntatem hominis tantum refertur, quaſi homines ſuo arbitrio, ſuiſque viribus ſe præpararint ad fidem recipiẽdã, tuncq. ſit annunciatum Euangelium, quando ſciuit Deus eos eſſe pręparatos; & hunc ſenſum videtur Chryſoſt. & Sedul. intendere, quem Auguſt. impugnat, & multis in locis perſequitur: aut præparatio hæc a Deo eſt, qui corda ad credendum præparat, tuncq. miſerit prædicatores, quando ſciuit eſſe crediturοs, ideſt, quando ſciuit eos eſſe, quorum corda præparare ipſe diſpoſuerat, & hunc ſenſum intendit, & ſequitur Auguſt. & ſine dubitatione vlla verior eſt hæc, & ſolidior doctrina priori, non enim arbitrium hominis poſt peccatum eas habet vires, vt poſſit per ſe præparari ad fidem annunciatam recipiendam. non negat Chryſoſt. fidem ſuſcipi non poſſe ſine auxilio ſupernaturali; tamen id affirmat, hoc auxilium, vt credant, dari dignis, & qui ſuo ſe arbitrio præpararunt. Hæc attigiſſe ſit ſatis; diſcuſſio enim exacta alterius eſt inſtituti.

Chryſoſt.

Vt aliquem fructum habeam in vobis ſicut et in cæteris Gentibus.

COnnectuntur hæc ſuperioribus; nempe, ſæpe propoſui venire ad vos, vt aliquem fructum habeam in vobis, ſicut in cæteris Gentibus; ſupple, habui. Fructum habere in Gentibus, eſt, ſpirituale bonum impartire; nempe ad fidem conuertere, conuerſas confirmare, confirmatas perficere; cæteraq. Apoſtolica munia erga eas exercere; de quo fructu Ioan.4. dictum eſt a Domino, Poſui vos, vt eatis, & fructum plurimum afferatis. Perpende autem Euangelij indifferentiam; quamuis enim Romani inter cæteras Gentes eminerent, & primatum tenerent, tamen in prædicatione Euangelij, & ſalutis negotio pares eos facit. In vobis, inquit, ſicut in cæteris; non enim apud Deum eſt diſtinctio Iudæi, Græci, Romani, nationum, aut hominum conditionum. omnes peccatores inuenit, pro omnium ſalute mortuus eſt, omnes ad ſe vocat, & venientes, vndecunq. venerint, recipit. Ioann.4.

Græcis, ac barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum.

RAtionem, & cauſam dat, cur cæteris prædicauerit gentibus, maxime, cum ad eas primo diuerterit, quam ad Romanos, & eſt ſenſus. Dixi, me in cæteris Gentibus fructũ habuiſſe, & eis prædicaſſe; nam debitor ſum omnibus Gentibus, Græcis, ac barbaris,

Aug. Chryſoſt.

Digitized by Google

quicunq. & qualeſcunq. ſint; ex munereq. meo debeo etiam illis prædicare, & anuunciare, quæ ſalutis ſunt; nec ſolum cæteris Gentibus, Græcis, & barbaris, ſed ſapientibus, & inſipientibus. quãuis enim apud Græcos maxime ſapientia humana polleat, adhuc eos diſcere oportet; nam ſapientiam prædico, & annuncio, quam nemo principum huius ſeculi, nemo doctus, & ſapiens inuenit, nec inuenire, niſi deſuper edoctus, potuit. eſt enim Euangelium ſapientia cæleſtis ad ſalutem neceſſaria, mundi ſapientibus, & inſipientibus addiſcenda; idcirco omnibus debitor ſum.

ANNOTATIO XXIII.

Theodul. Sedul.

THeodulus, & Sedulius hæc verba coniungunt ſuperioribus ſic: Vt fructum habeam in vobis, ſicut in cæteris Gentibus; Græcis, ac barbaris, ſapientibus, & inſipientibus. vnde latine in caſu auferendi poſita ſunt, ſicut & illa; In cæteris Gentibus. At quia verbum ſequens huic connexioni accommodari non poterat, ſupplendum cenſent relatiuum, nempe, quibus debitor ſum. hoc tamen eſt potius epiſtolam componere, quam interpretari. ſi enim liceret huiuſmodi facere ſupplementa, facile ſententias Pauli in ſenſus longe ab eius intentione diuerſos poſſet vnuſquiſq. trahere. Sunt quidem aliquando ſupplementa facienda, ſed quando neceſſitas ſententiæ id poſtulat: quod in præſenti non fit; cum accommodatiſſime legamus, Græcis, & barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum; vt ſint in caſu donandi. & ſic Orige. Chryſoſt. & communiter Doctores legunt, & exponunt. & tunc cauſam hæc ſententia reddit eius, quod præceſsit; quod cæteris Gentibus prædicauerit.

Paulus quomodo ſapientibus & inſipientibus debitor.

Origen. Chryſoſt.

ANNOTATIO XXIIII.

DVo ſunt verba, quæ expoſitione adhuc, ſeu potius diſcuſſione indigent. Vnum eſt illud (Debitor) quod nempe hoc ſit debitum; Orige. enim debitum hoc dicit, donum linguarum, quod acceperat. cum enim cæterarum Gentium linguam a Spiritu Sancto acceperit, debitor eſt effectus omnibus eis prædicandi. Sapientibus autem debitor eſt factus, quia ſapientiam non huius ſeculi recipit: Inſipientibus vero, quia patientiam, & longanimitatem etiam a Deo habuit, quæ in inſipientibus inſtruendis maxime neceſſaria eſt. ſequuntur hanc expoſitionem Sedulius, & Anſelmus, & quantum ad linguarum donum, etiam Theodoretus. Tamen non videtur ſatis accommodata interpretatio, quamuis vera ſit doctrina. rectius Chryſoſtomus, & Ambroſius ad debi-

Origen.

Sedul. Anſel. Theodor. Chryſoſt. Ambroſ.

debitum ex munere, & functione Apoſtolica referunt: cum enim eſſet Gentium omnium, etiam barbararum, ſapientium, & inſipientium Apoſtolus, & doctor effectus, ex munere debebat eis prædicare, & Apoſtolicam ſuam functionem exercere. Debitor ergo eſt factus Gentibus, quarum Apoſtolus eſt electus, & inſtitutus à Chriſto: quod enim Chriſtianus homo ſit, propter ſe eſt; quod vero Apoſtolus, Epiſcopusve factus eſt, propter alios eſt. Alterum verbum eſt (Sapientibus, & inſipientibus) quod varie exponitur, & connectitur. Anſelmus inter alias expoſitiones etiam adfert, vt ſapientes iuſtos; inſipientes peccatores ſignificent. Aliqui, credentes, & non credentes. Sed rectius cum Chryſoſtomo, Origene, & Ambroſio, & Theodoreto ſapientes exponimus eos, qui humana pollebant ſapientia, quales Græcia multos habuit; inſipientes vero, qui non ſunt rerum humanarum hanc ſcientiam, & peritiam conſecuti: quam etiam expoſitionem adfert Anſelmus, ſed connectit ſic, vt ſapientes ad Græcos, inſipientes ad barbaros referantur, vt hæc duo illis præcedentibus duobus reſpondeant. At rectius, & verius, Chryſoſtomus, & Theodoretus, & alij indiſtincte poſita cenſent; Græcis, & barbaris, ſapientibus, & inſipientibus. nam inter Græcos etiam inſipientes multi, & inter barbaros ſapientes erant. Fuerunt enim inter Chaldæos, Aegyptios, & Arabes multi ſapientes. Præterea etiam barbarum eſſe, linguæ & ſermonis eſt: ſapientem vero, doctrinæ, & peritiæ. Adiunctum autem hoc verbum eſt à Paulo, vt prædicationis ſuæ amplitudinem, & altitudinem indicaret, qua ſapiens, & inſipiens indigebat; ad quam omnes, tamquam nouitios, & diſcipulos accedere oportebat. Simul etiam, vt tacitæ cuidam obiectioni reſponderet; diceret enim aliquis: Cum inter Græcos maxime, & frequentiſſime ſapientia reperiatur, non erat opus tibi, Paule, ad eos prius diuertiſſe, & tantum temporis conſumpſiſſe: propterea reſpondet: Non ſic eſt, omnes enim diſciplina hac indigent, nemoq. ſapiens eſt, qui non debeat fieri diſcipulus, immo aliquando maiori opera, & labore opus eſt, ad huiuſmodi mundi ſapientes inſtituendos, & docendos, maioriq. patientia: non vt Origenes dicebat; datam eſſe patientiam propter inſipientes, & ſapientiam propter ſapientes; cum & ſapientes inſtituere, & docere ſæpius labrioſius ſit. Hinc manifeſta eſt cauſa, cur non diuitum, & pauperum, nobilium, & ignobilium, ſed ſapientium, & inſipientium meminit; nimirum quia de doctrina Euangelij tractabat, quæ ſapientibus neceſſaria non eſſe videri poterat: idcirco ſapientium meminit, & inſipientium, quos omnes eam oportet addiſcere.

Cur Paulus dicatur ſapientibus debitor. *Anſel.* *Origen.* *Chryſoſt.* *Chryſoſt.* *Theodoret.*

ANNOTATIO XXV.

Orig.

Celſus Iudæus, vt refert Orig. li. 1. con. eũdem. hoc opponebat Euangelio, quod inſipientibus eſſet doctrina cõmunis. Nec ſtult⁹, & impius

pius homo aduertebat Dei magnũ beneficium, quo omnibus ſalutem fecit eſſe communem. hac ratione, & cauſa potuiſſet Celſus paruipendere Solem, Cælos, & Elementa,& multa alia, quia omnibus donata ſunt. Tanto ergo præſtat Euangelium cæteris doctrinis, quanto ipſum nemini denegatur, nemoq. quantum eſt ex parte Dei, ab eius diſciplina remouetur, quantumcunque ruſticus,& inſipiens, & pauper exiſtat.

Ita quod in me promptum eſt, & vobis, qui Romæ eſtis euangelizare.

VErba hæc connectuntur illis: Sæpe propoſui venire ad vos, vt fructum aliquem habeam in vobis, ſicut in cæteris Gentibus, ſed prohibitus ſum. hinc colligit: Ita, id eſt, itaque, Quod in me eſt, & quantum eſt in mea voluntate, promptum, & paratum eſt euangelizare etiam vobis; mea voluntas in cauſa non eſt, quominus venerim,& prædicauerim, ſed prohibitio; qua remota, veniam euangelizare etiam vobis. Totus igitur hic contextus eſt ſic ordinandus. Sæpe propoſui venire ad vos, vt fructum aliquem habeam in vobis,ſicut in cæteris Gentibus (Græcis enim,& barbaris, ſapientibus,& inſipientibus debitor ſum) ſed prohibitus ſum: itaque, ſeu igitur, quod in me ſitum eſt, promptus ſum etiam vobis debitum reddere, & euangelizare, ſicut & cæteris euangelizaui, & in eis noſtri muneris debitum exhibui.

ANNOTATIO XXVI.

VArie ſuperior ſententia, & connectitur, & exponitur. Primo loco Theodulus ſupplendum eſſe existimat: Debitor ſum; vt ſit hic ſenſus. Sicut debitor ſum illis Gentibus,ita quãtum in mea eſt promptitudine,etiam vobis euangelizare debitor ſum. Sed hęc ſupplementa,vti diximus, ſine neceſſitate facta recipienda non ſunt; eſſet enim nouam epiſtolam condere, non factam interpretari. Secundo loco Chryſoſt. Theodor. & cæteri connectere videntur cum illis, Græcis, & Barbaris, vt ſit ſenſus: ſicut cæteris Græcis,& Barbaris, ſapientibus debitor ſum,ita quantum in me eſt, promptus ſum etiã vobis euangelizare. Mihi hæc communis expoſitio non admodum probatur; nam ſi particula illa (Ita) ſimilitudinem ſignificat, non videtur ſic accommodari poſſe, ſicut, debitor illis ſum; ita, quantum eſt in me, promptus ſum euangelizare vobis; ſed oportebat dicere; Ita etiam vobis debitor ſum. Tertio igitur loco, exiſtimo particulam (Ita) quandam indicare illationem, eſſeq. loco, Itaque, poſitam; nam apud Latinos probatos etiam in ea ſignificatione vſurpatur; ſicut etiam ἵνα apud Græcos; & tunc ſenſus eſt facilis,& ſatis accommodatus: cum enim dixiſſet, ſe ſæpe ad Romanos venire propoſuiſſe, prohibitum tamen

Theod.

Chryſoſt.
Theod.

men eſſe, colligit dicens: Itaque quod eſt ſitum in mea poteſtate, promptum eſt, ſiue ego promptus ſum etiam vobis euangelizare, ſicut illis gentibus feci. hæc eſt connexio, nam quæ adiuncta ſunt: Vt fructum habeam in vobis, ſicut in cæteris, finem aduentus propoſiti exponunt. & illud; (Græcis, & Barbaris, &c.) interpoſitum eſt, vt cauſam, cur cæteris Gentibus prædicauerit, redderet. Diſtinguenda autem ſunt illa. (Quod in me promptum eſt) vt ſint duo, nempe quod in me, ideſt, quod eſt in mea poteſtate, & volũtate ſitum, promptum eſt euangelizare etiam vobis.

Non enim erubeſco Euangelium.

PRæcedentis ſententiæ hæc cauſam reddit: Sum, inquit, paratus, & promptus etiam Romæ euangelizare: non enim erubeſco prædicare Euangelium; nemo exiſtimet me pudore aliquo retardatum, quominus in ciuitate omnium prima, quo totus orbis conuenit; vbi ſedes Imperij; vbi nobilitas, ſapientia, & fortitudo, & diuitiæ reſident, prædicare audeam. non eſt ſic; non enim erubeſco etiam Romæ Euangelium annunciare, & Chriſtum crucifixum prædicare. hoc dictum eſt, quia Euangelium in cortice videtur contemptibile. iuxta illud 1. Corinth. 1. Prædicamus Chriſtum crucifixum, Gentibus quidem ſtultitiam, Iudæis vero ſcandalum. qua de cauſa Dominus Luc. 9. dixit. Qui erubuerit me, & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in maieſtate ſua. Leo etiam epiſt. 83. ad Palæſtinos Monachos, ſic inquit: Quoniam nouerat quale opprobrium ab inimicis obijceretur Chriſtianis, Paulus dicit, Non erubeſco Euangelium.

1. Cor. 1. *Luc. 9.* *Leo.*

ANNOTATIO XXVII.

Paulus quõ intelligitur nõ erubeſcere Euangelium.

DVo potuerant retardare Paulum à prædicatione Euangelij, pudor, & timor. Pudor, quia in cortice Euangelica doctrina vilis, & contemptibilis videtur: Timor, quia grauiſſimæ pœnæ prædicatoribus, & credentibus infligebantur; multiq. propter hunc timorem à credendo retracti erant, & à ſuſcepta fide retroceſſerant. de pudore dictũ eſt à Domino Luc. 9. Qui erubuerit me, & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet: de timore autem Matth. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus: Cum igitur hæc duo retardare poſſint, quid eſt, quod Paulus de ſolo pudore loquitur. Non erubeſco; non autem dicit, non timeo, cum maius & fortius impedimentum ſit pudore timor. ipſe etiammet Act. 20. timoris meminit; inquit enim. Vincula, & tribulationes Hieroſolymis me manent; ſed nihil horum vereor. immo ratio non videtur adæquata: paratus ſum Romæ euangelizare, quia non erubeſco. Obijceret aliquis; Si non erubeſcis, times; nec ſolum.

Luc. 9. *Matt. 10* *Act. 20.*

ſolum pudor, ſed etiam timor retardare poteſt. Pudor eſt de amiſſione honoris; timor autem de amiſſione vitæ; pudet enim etiam eos, quibus nemo nocere in vita poteſt; timent autem, quibus alij nocere valent. Pro huius difficultatis reſolutione aduertendum eſt, inter cauſas pudoris, & timoris latum eſſe diſcrimen; pudoris enim cauſa eſt ab ipſo Euangelio ſumpta, quia vile, & contemptibile videtur: cauſa vero timoris, ab externo: nempe à perſecutore. Quem igitur pudet Euangelij, ipſum Euangelium afficit iniuria, quia pudendum, & vile reputat: qui vero timet confeſſionem ipſius, aut prædicationem, & ex timore retrocedit à confeſſione, vel prędicatione, non Euangelio vitium tribuit, ſed perſecutoris ſæuitiam refugit; illiq. propriam vitam præfert. Rurſus, qui ſe pudere Euangelij negat, Euangelium commendat; ea enim negatione confitetur illud non eſſe pudendum. at qui negat ſe timere, potius ſe ipſum laudat: nam fortitudinem propriam manifeſtat, qua pericula, & mala omnia pœnæ ſpernit. Hoc ſuppoſito, reſpondeo: Paulum hoc in loco de perfectione Euangelij agere, doctrinamq. Euangelicam commendare velle; ideo pudorem excludit. Non, inquit, erubeſco Euangelium; quamuis enim doctrina noua, & inaudita mundo, & in cortice vilis appareat; tamen non erubeſcam eam propalare, quia pudenda non eſt, ſed honorifica, & maximi facienda. Adde, quando hæc miſſa eſt epiſtola, adhuc Romæ perſecutio in Chriſtianos nondum graſſabatur: idcirco non erat, cur periculorum, & timoris vllam faceret mentionem, eaq. de cauſa nõ dixit, non timeo, ſed contentus eſt dicere; non erubeſco, vt hinc Euangelij perfectionem exponendi ſumeret occaſionem. Ratio igitur, & cauſa adequata eſt, iuxta materiam ſubiectam, & temporis circumſtantiam, quando pericula non imminebant.

Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti.

CAuſam, cur non erubeſcat Euangelium, adiungit. Eſt enim virtus Dei in ſalutem, ideſt, habet efficaciam, & potentiam conferendi ſalutem omni credenti, & recipienti ipſum: non qualemcumque ſalutem, ſed æternam animæ, & corporis, quæ in hoc ſæculo incipit per liberationem animæ à peccatis, & reconciliationem cum Deo. Quamuis igitur appareat in cortice, & primo aſpectu Euangelium vile, & contemptibile; habet tamen latentem energiam, & virtutem diuinam ſaluandi, & ſanitatem ſpiritualem conferendi. Simile eſt, ſi quis medicus paruulam pilulam infirmis miniſtraret, quæ exterius præ paruitate nihili facienda videretur: tamen efficaciſſima ad omnem expellendum morbum eſſet, diceret: non erubeſco propinare pilulam hanc infirmis: eſt enim latens in ea virtus ſanandi quoſcunque infirmos recipientes eam. Attende, In ſalutem eſſe, non tantum ſignificare ſalutis efficaciam, ſed neceſ-

Digitized by Google

neceſſitatem, vt Euangelium ſit efficax ſalutis, & ſine eo nemo eam aſſequi poſſit; ſalus autem hæc eſt, quæ in præſenti datur per remiſſionem peccatorum,& reconciliationem cum Deo,& in futuro ſæculo per æternam beatitudinem. Dum autem dicit, Virtutem Dei eſſe, inſinuat ſalutem hominis opus eſſe Dei; humana enim, aut creata virtus nulla hominem ſaluare potuit, niſi Deus de cælo miſiſſet remedium. Hoc in loco Paulus Euangelium appellat rem ipſam, quæ annunciatur, & prædicatur. Vt enim ſuperius annotauimus,Euangelium aliquando prædicatio,aliquando res prædicata appellatur, in qua poſteriori ſignificatione nunc accipitur. Euangelium autem in cortice nondum credenti vile,& contemptibile apparet. Quod enim Chriſtus crucifixus ſit, infirmitatis videtur; re vera tamen virtus Dei eſt ad ſaluandum, tanto potentior, quanto ipſa infirmitate,& morte,ſalutem,& vitam operatus eſt. 1. Corinth. 1. Prædicamus Chriſtum crucifixum; Iudæis quidem ſcandalum,Gentibus autem ſtultitiam,ipſis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Chriſtum Dei virtutem,atque ſapiētiam,quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei,fortius eſt hominibus. & Abac. 3. Cornua in manibus eius,ibi abſcondita eſt fortitudo eius. quæ verba de cruce dicta ſunt. Hæc virtus Dei,non tantum Chriſtus in ſeipſo eſt,ſed in Sacramentis,& myſterijs Euangelicis latet hæc virtus ſub cortice vili. Sacramenta enim res ſenſibiles exterius ſunt,tamen virtutem Dei continent ad ſanandam animam; propterea Auguſt. de Baptiſmo protulit. Quæ tanta virtus aquæ, vt corpus tangat,& cor abluat? Recte ergo dicitur: Non erubeſco Euangelium; virtus enim Dei eſt, in ſalutem omni credenti, quicunque ſit ille,ſiue barbarus, ſiue Græcus, ſiue Iudæus; nemo enim à ſalute excluditur, ſi modo in auctorem ſalutis Chriſtum,vt par eſt,credat.

1. Cor. 1. *Abac. 3.* *Auguſt.*

Iudæo primum, & Græco.

Pauli concio cur primum Iudęis & Gręcis, quàm cęteris gentibus.

Generalitatem verbi præcedentis explicatius exponit. In ſalutem, inquit, omni credenti Euangelium eſt, tam Iudæo, quàm Gentili,quem Græcum appellat.nemo exiſtimet, vllum excludi ab Euangelij ſalute,aut neceſsitate:omnibus eſt propoſitum, Iudæis, & Gentibus. Addit Paulus particulam (primum) Iudæo primum. quæ non ſignificat, efficacius eſſe Euangelium Iudæo, quàm Gentili credenti, ſed propter duo poſita eſt. Vnum, vt præeminentiam præcedentis ſtatus Iudæi, ſupra ſtatũ Gentium ſignificet;

Digitized by Google

cet; ne enim videretur Iudæos Gentibus miſcere, & æqualem eorum fuiſſe conditionem, in eorum enumeratione adiecit, Iudæo primum, quia ipſe populus erat Dei electus; ipſi lex, prophetia, promiſsio, Chriſtus ſecundum carnem, religio, & cultus à Deo data ſunt. hæc omnia Paulus magnifaciens, & nolens æqualem conditionem eorum affirmare, propterea adiecit, Iudæo primum. Alterum propter ordinem temporis in prædicatione; Iudæis enim prius tempore prædicatum eſt Euangelium, ante Chriſti mortem, & poſt
Act. 13. aſcenſionem eius. ipſis primo prædicādum erat, iuxta illud Act. 13.
Matt. 10 Vobis oportebat primum prædicare verbum Dei. & Matth. 10. In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates eorum ne intraueritis: ſed ite potius ad oues, quæ perierunt domus Iſrael. Optimo autem conſilio Paulus, & Iudæorum expreſſam mentionem fecit, & Gentes Græcorum nomine ſignificauit: illud enim factum eſt, ne Iudæi legem veri Dei, & cultum eius habentes, ſibi non eſſe neceſſarium Euangelium ad ſalutem, nec, ſe hac generali ſententia comprehendi, prætexerent. hoc autem, quia inter omnes Gentes Græci humana ſapientia præpollebant, per quam Reſpub. ſuas honeſtioribus, ac politioribus legibus gubernabant, eaq. de cauſa arbitrari poterant, nec ſibi etiam Euangelium eſſe neceſſarium. Paulus ergo vtriuſque expreſſam facit mentionem, vt omnium auferat excuſationem, & omnes homines comprehendat: ſi enim quibus minus videbatur, neceſſarium eſt, erit profecto cæteris omnibus, quibus, vtpote barbaris, & ignorantibus, magis neceſsarium, dubitari non poterat.

ANNOTATIO XXVIII.

Particula illa (primum) Græce πρῶτον, aliquādo ordinem temporis, aliquando dignitatis ſignificat, vt idem ſignificet, quod Latine prius. & quod etiam præcipue, ſeu potiſſime. ſunt autem frequentiſſima exempla in Scriptura.
Matt. 6. & 13. Matth. 6. Quærite primum regnum Dei, id eſt, præcipue, & ante omnia. & Matth. 13. Colligite primum zizania, ideſt, prius. Chryſoſt. ad temporis anteceſſionem refert, quia prior Iudæus gratiā Euangelij recepit. tamen accommodatior eſt expoſitio, vt etiam ad ordinem dignitatis referatur. nam Iudæi ſtatus vere prælatus erat ſtatui Gentium. Paulus autem commendans etiam in hoc Euangelium, cuius Iudæis fuerat facta promiſſio, & eius figuram, & prophetiam acceperāt; ſimul etiam, ne Iudæis ſuſpectus eſſet, qui Dei populum non agnoſcere videbatur, idcirco in enumeratione eum prætulit, non tamen in efficacia Euangelij, quantum ad abundātiorem gratiam; in hac enim non eſt diſtinctio Iudæi, & Græci.

Atten-

Attende, Hieron. ad Galat. 3. verſus finem; Græcum pro Gentili poſitum affirmare: nam, inquit, Græce ἕλλην, & Græcum, & Ethnicum significat. Solet tamen apud Paulum aliquando, non pro omni Gentili, ſed pro iis, quos Græcos appellamus, accipi; ſicut paulo ſuperius dictum eſt; Græcis, & barbaris debitor ſum. & 1. Cor. 1. Græci ſapientiam quærunt. hoc autem in loco, nomine Græci, omnem gentilem ſignificauit, propter cauſam in commentario dictam. 1. Cor. 1.

Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide, in fidem.

Iuſtitia Dei, quæ dicatur reuelari de fide in fidem.

VErba hæc ad Iudæum referuntur, de quo dixerat, Iudæo primum. & probat, ipſi Iudæo eſſe neceſſarium in ſalutem Euangelium. Explicanda ſunt primo loco verba, & poſtea ſecundo loco contextui accommodanda; reddunt enim cauſam, cur Iudæo Euangelium ſit in ſalutem. Aduerte, iuſtitiam Dei, qua homo iuſtus coram Deo, & ei gratus, remiſsis peccatis, & à Deo reconciliatione obtenta, efficitur; Iudæos olim adeptos eſſe per fidem venturi Christi; quam fidem per Patres, & Prophetas Deus illis reuelauerat: adueniente autem iam Chriſto, & impletis promiſsionibus à Deo illi populo Iudaico factis, ceſſauit fides illa venturi, & quem venturum prius credebant, veniſſe iam, & promiſſa impleuiſſe, credere oportebat; mutandaq. erat fides illa ex veteri, in nouum ſtatum. nam credere adhuc venturum, qui iam aduenerat, non fides, ſed error eſt grauiſsimus, & pernicioſus. Cum ergo fides Chriſti fuerit ad iuſtitiam neceſſaria, iamq. amplius illa fides antiqua non procederet, neceſſe erat volenti prædictam iuſtitiam Dei, remiſsionemq. peccatorum, & reconciliationem cum Deo conſequi, fidem illam mutare in Euangelicam; hæc enim eſt, qua veniſſe credimus Chriſtum, & promiſſam ſalutem effeciſſe, & compleuiſſe. In Euangelio igitur hæc manifeſtatur fides, per quam iuſtificandus eſt homo. Ex his ſenſus verborum eſt manifeſtus, qui eſt talis. Iuſtitia Dei, per quam homo iuſtificatur coram Deo, in Euangelio, ſeu per Euangelium reuelatur, dum, veteri illa fide completa, nouam fidem docet, & oſtendit; illoq. veteri fidei ſtatu ceſſante, nouum oſtendit, vt per hanc iuſtificentur, & iuſtitiam conſequantur. Iudæo ergo eſt neceſſarium, cum iam illius fides deſierit, & in nouum ſit mutanda ſtatum. Iuſtitiam Dei appellat, non qua Deus in ſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſti in nobis ab eo, & coram eo efficimur, & ſumus. Vtitur autem verbo reuelandi; quia in Euangelio multo eſt apertior, & diſtinctior fides, quam olim erat in Legis ſtatu; vbi diuina myſteria velut in vmbra & figura continebantur, iuxta illud Pauli 2. Cor. 3.

Nos,

Nos, inquit, reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur, a claritate, in claritatem. Hoc eſt quod nunc dicit. Reuelatur in Euangelio iuſtitia ex fide in fidem. Quantum autem ad accommodationem, & connexionem ſpectat, recte accommodantur hæc verba; cum enim in ſalutem dixerit eſſe Euangelium Iudæo, & Græco, vtramq. partem probaturus a Iudæo incipit, quem priori loco nominauerat.

ANNOTATIO XXIX.

Theod.

Fides in fidem quo modo tendit, & quę ſit.

QVæ ſit iſta Dei iuſtitia, & quare Dei dicta ſit, indagandum eſt. Theodoretus hanc Dei iuſtitiã, eam, quæ Chriſti Dei, & hominis eſt, eſſe dicit, qua noſtram meruit, & conſecutus eſt redemptionem, & ſalutem. Cum enim potuiſſet Deus, ſi voluiſſet, hominem ſola ſua liberare miſericordia, & liberalitate, noluit, ſed iuſtitiam etiam adhibere, & coniungere diſpoſuit. Cum autem ex parte hominis redimendi nulla eſſet, quia omnes peccatores erant, filium ſuum hominem fieri decreuit. homo autem factus, adeo coram Patre iuſtus fuit, & in ſuis operibus, ac paſſione tanta eſt inuenta iuſtitia, vt pro omnium ſatisfaciens peccatis, noſtram meruerit redemptionem, liberationem, & ſalutem, noſq. remiſſis peccatis Patri reconciliauerit, nobiſque iuſtitiam obtinuerit, qua iuſti coram Patre efficeremur. Hanc Chriſti iuſtitiam Euangelium reuelat, & prædicat. & ſic Theodoretus exponit. Chryſoſt. vero ſerm. 3. non de hac Chriſti iuſtitia, ſed de ea, quæ nobis communicatur, & infunditur propter illam Chriſti, interpretatur. nos enim iuſtitiam conſequimur illius iuſtitiæ Chriſti virtute: quæ quidem communicata iuſtitia in nobis inhæret, & iuſtos formaliter facit: ex virtute tamen iuſtitiæ Chriſti participata. Quamuis autem doctrina Theodoreti vera ſit, tamen expoſitio Chryſoſt. eſt ad mentem Pauli: cuius intentum eſt, oſtendere, Euangelium habere virtutem iuſtificandi, & efficiendi homines iuſtos, reuelareque id, quo iuſti in ſe ipſis efficiuntur, & ſunt; hæc autem fides viua eſt, per quam Chriſto adheremus, & vitam ab ipſius vita, & merito participamus. hac enim fide viua, quæ per dilectionem perficitur, & operatur, Deo reconciliamur, & iuſti coram ipſo (peccatis remiſſis) ſumus. Vbi igitur non eſt fides hæc, non eſt iuſtitia Dei, nec iuſtus eſt coram Deo, qui fidem hanc non habet. idcirco Iudæus inuitatur ad fidem Euangelij; quia non eſt alia fides iam, qua homo iuſtus efficiatur, illa veteri ceſſante, & mutato eius ſtatu. Dicitur autem iuſtitia hæc Dei, tum quia ab ipſo Deo eſt, non a nobis, nec a noſtris meritis, aut viribus naturalibus procedens: tum quia per eum, non apud hominem, ſed apud Deum ipſum iuſti ſumus. Ita dicit Chryſoſt. ſerm. 3. Dei enim iuſtitiam dici aſſerit, propter largitatem, & propter facilitatem; propter largitatem, quia a Deo eſt:

Chryſoſt.

Chryſoſt.

Digitized by Google

eſt: propter facilitatem, quia non in noſtris operibus, & conatibus eſt poſita. Attende autem, Chryſoſtomum hanc ſententiam ſic ſuperiori connectere. Dictum eſt; Euangelium eſſe in ſalutem, nempe æternam; at ne quis hominem ſaluari ſine iuſtitia præcedente exiſtimaret, ſicut qui ſola gratia principis à morte liberatur; additum eſt: Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur: vt ſignificaret æternam ſalutem nos conſequi; prius tamen iuſtificatos, & iuſtitiam adeptos in hoc ſeculo per Chriſtum. At accommodatior eſt expoſitio, vt per ſalutem, non illam æternam tantum, ſed quæ in ſeculo per fidem viuam, & gratiam fit, ſignificari, per quam à peccato liberamur, & Deo reconciliamur: quam ſalutem per Euangelium effici docet; quia per ipſum habetur iuſtitia Dei per fidem nouam, veteri illa mutata; hæc enim iuſtitia ſalus eſt ipſa in hoc ſeculo, principium conſequendæ æternæ, quæ eſt in futuro. Chryſoſt. autem hanc ſententiam generaliter exponit pro Iudæis, & Gentibus. quam expoſitionem multi ſequũtur. nam etiam Gentibus hæc iuſtitia reuelatur in ſalutem: & quamuis id ita ſit, tamen præcipue ad Iudæos refertur, vt paulo inferius magis declarabitur.

ANNOTATIO XXX.

Ex fide in fidem quõ intelligitur.

Ambroſ.

ADhuc illa verba (ex fide in fidem) examinanda ſunt; non enim in eorum expoſitione Doctores ſunt concordes. Ambroſius igitur primo loco, non in eadem ſignificatione accipit vocabulum hoc bis repetitum. Fides enim multiplicis eſt ſignificationis, inter quas duæ ad rem faciunt. Vna eſt, quæ ſignificat fidelitatem, qua quod promiſſum eſt, impletur. Altera eſt, qua verbis alterius aſſentimus, & credimus. Exponit ergo Ambroſius in hunc ſenſum. Ex fide, ideſt, ex fidelitate Dei, qua, quæ promiſit, impleuit, in fidem, & credulitatem, qua ea ipſa impleta eſſe credimus, ſic fit Iuſtitia Euangelica. Secundo loco, Theodoretus credulitatem interpretatur, qua credimus, ſed non reſpectu eorumdem, ſed diuerſorum; vt ſit ſenſus: Ex fide præſentium, in fidem futurorum. Qui enim Chriſto, inquit, credunt, & baptiſmi gratiam ſuſcipiunt, gratiamq. adoptionis filiorum referunt, per ea deducuntur, vt bona futura credant; mortuorum nempe reſurrectionem, & vitam æternam, & regnum cælorum. Hæc expoſitio exactam, & veram continere doctrinam non videtur; qui enim per Euangelium Chriſto credit, ſimul credit baptiſmi gratiam, mortuorum reſurrectionem, vitam æternam, & regnum cælorum. aliter non eſt integra fides, quæ ad gratiam baptiſmi recipiendam neceſſaria eſt: non enim per fidem præſentium deducitur fidelis in fidem futurorum, ſed ſimul vtraque credit, vt per talem fidem iuſtitiam Dei conſequantur. Tertio loco Auguſt. lib. de ſpiritu, & lit. cap. 11. ſic exponit. Ex fide annunciantium, in fidem obedientium; vnus enim fidelis alios facit fideles. Quarto loco, aliqui moderni, de augmento fidei Euangelicæ hæc verba expo-

Theod.

Chryſoſt.

Auguſt.

nunt; fides enim in fideli augmentum recipit, ſicut & cæteræ virtutes: atque etiam ex parte obiecti. nam non omnia myſteria, nec omnes fidei veritates ſimul diſtinctè à fidelibus comprehenduntur. At nec hæc expoſitio ſolida eſt; non enim quando augetur vna virtus, putà charitas, dicimus progredi ex charitate in charitatem, aut ex iuſtitia in iuſtitiam; niſi quando ſunt duæ virtutes diſtinctæ, vt ex charitate in humilitatem; aut quando eſt diſtinctio aliqua extremorum, vt ex imperfecta in perfectam. Adde, Pauli mentem eſſe, probare Iudæis eſſe neceſſarium ad ſalutem Euangelium, etiamſi ipſi fidem habuerint; quia iam illa fides ceſſauit, quantum ad ſtatum ſuum veterem, & nouus erat iam fidei ſtatus, qui eſt Euangelicus, oportereq. illos, ſi iuſtitiam Dei conſequi vellent, mutare ſtatum fidei, & quæ ſperabant, & futura credebant, aduenisſe iam credere, quod ad Euangelij reuelationem ſpectat. De fide ergo illorum, & noſtra loquebatur Paulus, & ſic expoſuimus in commentario, & eſt legitima expoſitio, quam ſequuntur Origen. Clem. Alexan. lib. 2. ſtromat. Chryſoſt. ſerm. 2. & Anſelmus. Fides autẽ hæc noſtra, non ſolum ſtatum iam habet à veteri diſtinctum, quatenus quæ ventura credebantur veniſſe confitemur; ſed etiam quia plura diſtinctè myſteria, & veritates plurimas credimus, quæ Iudæorum multitudini erant occultæ, & ignotæ. *Origen. Clem. Al. Chryſoſt. Anſel.*

Sicut ſcriptum eſt: Iuſtus ex fide viuit.

TEſtimonio Scripturæ probat Paulus, iuſtitiam per fidem eſſe, non ſolum in ſtatu Legis, ſed in Euangelio; adeo vt ſemper in omni ſtatu, & Legis, & Euangelij, & ante legem, per fidem fuerit Dei iuſtitia. vtiturq. teſtimonio Abacuc. Iuſtus, inquit, in fide viuet: quod generaliter dictum omnem complectitur iuſtum; idcirco rectè dictum eſt, Ex fide in fidem: fide enim illa terminata, & completa neceſſe eſt alteram ſuccedere ad iuſtitiam. Hæc etiam verba reſpondent tacitæ obiectioni: nam poterat Iudæus proteruus verbis Pauli præcedentibus ſic reſpondere, & obijcere: Quamuis Euangelium fidei ſtatum mutet, non tamen nobis eſt ad ſalutem neceſſarium. nam nos, non fide, ſed lege ipſa Dei iuſtitiam conſequebamur; Lex enim noſtra, non fides nos iuſtificat; fide autem mutata manet Lex; idcirco hac nos iuſtificabimur, non Euangelio. hanc obiectionem falſam, & proteruam remouet Paulus, teſtimonio veteris ipſius Scripturæ probans, non ſolum nunc per fidem eſſe iuſtitiam, ſed Iudæos etiam, quando Euangelium nondum aduenerat, non lege, ſed fide illa iuſtificatos eſſe, & iuſtitiam Dei obtinuiſſe: ea igitur mutata, iam non poterunt iuſtificari, niſi per fidem Euangelij, in quam illa eſt commutata. *Abac. 2.*

teſti-

Digitized by Google

Abac. 2. teſtimonium autem eſt Abacuc 2. Iuſtus, inquit, fide viuit. vita hæc non corporalis eſt, ſed animæ, & ſpiritualis, qua homo eſt iuſtus, & Deo gratus. idcirco dicitur. Iuſtus fide viuit, ideſt, iuſtus iuſtitiam, qua iuſtus eſt, per fidem habet; non igitur lege, ſed fide Iudæus etiam iuſtificabatur olim; ceſſante igitur fide hac, ſine iuſtitia & iuſtificatione manet Iudæus, niſi ad fidem, in quam illa eſt translata, ſe conferat, quę in Euangelio reuelatur, in quo etiam per fidem eſt iuſtitia. nam iuſtus fide viuit. Hic eſt legitimus ſenſus huius ſententiæ.

ANNOTATIO XXX.

Iuſtus quo modo dicatur ex fide viuere.

ADuertendum eſt, in Hebræo apud Prophetam, & in Gręco textu apud Paulum eſſe verbum futuri: Iuſtus ex fide viuet. & ſic legunt multi etiam Latini. eſt autem varia expoſitio, & accommodatio horum verborum. *Theod.* Theodoretus interpretatur eſſe prophetiam de vita, & iuſtificatione, quæ futura tūc erat per fidem in Euangelio, & in hoc ſenſu referri à Paulo cenſet, vt ſit ſenſus: Futurum eſt, vt iuſtus viuat per fidem, & per eam iuſtitiam conſequatur, vti factum eſt in Euangelio. Paulus ergo iuſtitiam eſſe per fidem affirmans, vtitur Prophetæ teſtimonio, prædicentis hanc futuram per fidem iuſtificationem. *Irenæus.* idem ſentit Irenæus lib. 4. cap. 67. Sed hæc expoſitio, & accommodatio mihi non videtur eſſe ad mentem Prophetæ, nec Pauli: ibi enim Prophetam de Iudæis, qui per fidem iuſtificabantur, & vitam habebant, certum eſt loqui; exhortatur enim eos, vt in fide permaneant, nec deſiſtant ab ea, quamuis aduentus Chriſti tardus ſit, & inquit: Si moram fecerit, expecta illum, veniens veniet, & non tardabit, ecce qui incredulus eſt, non erit anima eius recta in ſemetipſo, iuſtus autem in fide ſua viuet. hæc profecto ad Iudæos tunc temporis ſpectant. Accedat teſtimonium ipſius Pauli ad Galat. 3. *Galat. 3.* vbi hoc iterum refert teſtimonium, probare volens, olim Iudæos etiam per fidem, non per legem iuſtificari. Quod autem, inquit, in Lege nemo iuſtificetur, manifeſtum eſt; quia iuſtus ex fide viuit: Lex autem non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea, viuet in illis: hoc ergo teſtimonium ad Iudæos ſpectat. *Ambr.* Ambroſius de Iudæis hoc teſtimonium exponit, qui tunc victuri per fidem dicebantur; tamen quia verbum eſt futuri, interpretatur hanc vitam eſſe non præſentem, ſed quæ in futuro eſt ſeculo, ac ſi dictum eſſet; iuſtus Iudæus per fidem ſaluabitur. Ita etiā interpretatur Chryſoſtomus ſerm. 2. *Chryſoſt.* tamen adhuc expoſitionem hanc non eſſe legitimam, probat Paulus ad Galat. 3. *Galat. 3.* vbi vitam hanc de iuſtitia interpretatur; vt viuere dicatur, quia iuſtificatur coram Deo per gratiam, & remiſſionem peccatorum, quam fide viua Iudæus tunc conſequebatur, vt ſenſus Prophetæ ſit hic, Iuſtus ex fide viuet, ideſt, fide iuſtificatur, & iuſtus eſt, vitamq.

animæ habet: quamuis verum ſit, etiam poſtea credenti, vti debet, dari à Deo gloriam, & iuſtificato per fidem vitam tribui alterius ſeculi. Iuſtitiam autem in hoc ſeculo vitam dici etiam Paulus oſtendit
Galat. 2. ad Galat. 2. Quod autem, inquit, nunc viuo in carne, in fide viuo Filij Dei. Nec huic expoſitioni obſtat verbum futuri: aliquando enim præſens, & futurum indefinite ponuntur, & vtrumque tempus comprehendunt; dicimus enim nunc, iuſtus per fidem iuſtificatur, & rurſus per fidem iuſtificabitur, & vtrumque tempus per ſe præſens, & futurum amplectitur. ita Propheta cum Iudæis loquens dixit: Iuſtus viuet ex fide, ideſt, vitam habet, ſeu habebit ex fide; & paulo ante dixerat: Qui incredulus eſt, non erit anima illius recta: ideſt, qui non credit, non habet animam rectam, & qui non credet, non habebit animam rectam. Aduertendum autem eſt, valde Prophetam indefinite loquentem, comprehendiſſe ſimul Iudæorum ſtatum tunc præſentem, ſimul etiam Euangelicum futurum: in vtroque enim iuſtus fide viuit, & Dei iuſtitia eſt per fidem, & in hunc ſenſum adducitur à Paulo. nam probat iuſtitiam Dei eſſe ex fide in fidem, ideſt, ſemper per fidem; illa tamen mutata in nouam, quia iam illa fides non erat. hunc autem eſſe ſenſum Prophetæ, & Pauli, ipſemet Paulus aperte oſtendit. nam in loco allegato, ad Galat. 3. citat Prophetam, ad probandum Iudæos fide tunc iu-
Hebr. 10. ſtificatos. at ad Hebr. 10. vtitur eodem teſtimonio, ad probandum in Euangelio etiam fide iuſtificari, & vitam haberi, & exponit etiam Prophetam de aduentu ſecundo Chriſti; igitur conſequitur, Prophetam vtrumque ſenſum intendiſſe, & de vtroque aduentu locutum eſſe. In præſenti ergo vtrumque ſtatum Paulus complectitur, & vtramque partem probat hoc teſtimonio, nempe ex fide in fidem; ac ſi diceret, tunc, & modo iuſtitia per fidem eſt, quia generaliter iuſtum fide viuere ſcriptũ eſt. Quod autem dicit: Iuſtus fide viuet, non eſt intelligendum quod prius ſit iuſtus, & poſtea fide viuat: ſed quod iuſtus tunc, cum iuſtus ſit, per fidem vitam, & iuſtitiam conſequatur. hic eſt ſenſus Prophetæ. Paulus autem vtitur hoc teſtimonio, vt probet, non ſolum in Euangelio per fidem eſſe iuſtitiam, ſed etiam in Lege; ne Iudæus excuſet ſe ab Euangelij ſuſcipiendi neceſſitate, quia per Legem vitam habere poteſt; non enim hanc habuit, niſi per fidem. Aduertendum etiam eſt: in Hebræo haberi: In fide ſua viuet. Septuaginta autem loco Vau. legerunt Iod, & verterunt, In fide mea viuet. ſenſus idem eſt: nam fides eadem ſimul eſt iuſti, & etiam Dei: iuſti, quia ipſi ineſt; Dei, quia à Deo donatur. Vera tamen lectio eſt (in fide ſua) nam ibi loquebatur Propheta, non Deus in perſona propria. Paulus omiſit pronomen, quia nihil ad propoſitum referebat. ad Hebr. 10. legit: Iuſtus meus in fide viuet.

Reue-

Reuelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum illorum.

Ira Dei quomodo reuelatur in omnem impietatem.

HAec verba ad alteram partem referuntur, nempe, & Græco; poſtquam enim Iudæo Euangelium eſſe in ſalutem oſtendit, nunc de Græco, & Gentili idipſum probat; ſic enim iſtæ ſententiæ ſunt connectendæ, quãuis expoſitores non diſtinguant, ſed vtramq. ad omnes referant, quorum expoſitio accommodari vix poteſt. ſenſus ergo eſt, Græco, & Gentili etiam eſt neceſſarium in ſalutem Euangelium, quia per ipſum manifeſtum fit omnibus Gentibus, eas eſſe obnoxias iræ, & indignationi Dei, propter multiplicem impietatem, & iniuſtitiam earum, & vt ab hac ira liberentur, neceſſe eſt ad fidem Euangelij confugere. omnibus quidem ſalus promittitur, & datur in Euangelio credentibus, & tam Iudæo, quàm Gentili neceſſarium eſt: tamen præter communem neceſſitatem erat ratio vna particularis Iudæo, altera autem erat Gentili: quæ nunc exponitur à Paulo. aliter ergo Iudæus, aliter Græcus, & Gentes cæteræ Euangelio indigebant; Iudæus quidem, tamquam is, qui primo fidem, & iuſtitiam Dei habebat: ſed ſtatus eius finem habuerat, nec iam in eo ſalus erat, ſed oportebat ad Euangelium ſe transferre, in quo eſt iam poſita iuſtitia. At Græcus, & Gentes tamquam eæ, quæ à Deo elongatæ, in quibus nec iuſtitia, nec Dei cultus erat, ſed potius iræ, & indignationi obnoxiæ tenebantur. Vnde Iudæus ad Euangelium conuerſus à fide in fidem transferebatur: Græcus vero, & Gentilis ab idololatria, & infidelitate, & ſtatu damnationis, ad fidem, & verum Dei cultum trahebatur. Iudæus ergo fidelis prius erat, & ſtatum habebat, in quo iuſtificari tunc potuit: at Gentes erant infideles, & idololatræ, & in ſtatu mortis; Iudæus igitur tunc veniebat ad Euangelium, ne moreretur, & fieret infidelis, & in ſtatum damnationis incideret, in quo nunc ſunt Iudæi increduli: Gentilis autem, vt fidelis fieret, qui infidelis erat, & à morte liberatus vitam acciperet per Euangelium. Loquor autem de ſtatu: nam inter Iudæos multi eſſe poterant peccatores, ſicut nunc inter Chriſtianos; tamen illorum ſtatus ſalutis tunc erat; ſicut & Euangelicus, quamuis hic multo perfectior, & abundantior. Similiter inter Gentiles aliquis eſſe potuit, qui fide veri Dei iuſtus eſſet: nam Cornelius Gentilis, & iuſtus erat. At loquimur de his, qui Gentiles erant, & gentiliter viuebant, quales omnes fere erant, paucis exceptis, quibus Deus veram ſuam fidem reuelauerat, & ſecũdum eam viuebant: omnibus tamen fuit neceſ-

ſarium Euangelium; omnes enim indigebant vt per fidem Euangelicam iuſti fierent, aut permanerent coram Deo. His ſic expoſitis, verba propoſita Pauli facile explicantur; referuntur enim ad illud, Græco. nempe Euangelium eſſe in ſalutem Gentili; cauſa autem eſt, quia Euangelium reuelat, & manifeſtat iram Dei de cælo imminentem contra omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum illorum, quos verba ſequentia exponunt. Reuelari dicit iram Dei in Euangelio, quia æternas pœnas præparatas malis, maxime idololatris, niſi reſipiſcant, manifeſtat. Gentes enim impune ſe peccare exiſtimabāt in ſuis idololatrijs, immo multi illorum gratam ſe Deo rem exhibere arbitrabantur. Hieron. Abac. 3. in illud; Cum iratus fueris; hunc locum adducens, inquit, Reuelatur ira de cælo. Vbi autem reuelatur, non infertur, non percutit, ſed reuelatur, vt terreat, & territis non inferatur. Dicit, Iram de cælo, præterea, vt dicit Theodor. indicans hoc verbo ſecundum aduentum Chriſti ad iudicandum, & infidelibus omnibus æternæ mortis pœnam inferendam. Idololatriam, impietatem, & iniuſtitiam appellat. nam duo in idololatria ſunt. Vnū eſt, à Deo vero ſe auertere, negato cultu, & honore illi debito; & hoc impietas eſt. Alterum eſt, cultum Deo debitum exhibere creaturæ, & deos profiteri, qui non ſunt; & hoc iniuſtitia eſt, quia quod Dei veri eſt, alteri, cuius non eſt, datur. Dicit autem, omnem impietatem, & iniuſtitiam propter multiplices idololatrias, quibus deditæ Gentes, & Græci inter eas erāt, multos, & innumeros deos colentes, vt paulo inferius dicitur. Euangelium quidem reuelat veram Dei fidem Gentibus, & multa ſalutis myſteria. tamen Paulus nunc iræ Dei meminit, quia cauſam reddit, cur dictum ſit, Græco Euangelium eſſe neceſſarium; omnibus enim, Iudæis, & Gentibus erat neceſſarium ad ſalutem conſequendam, & iram Dei auertendam; tamen maxime Gentibus, in quos ira Dei iuſtior, & grauior erat, quia peſſime omnium in idololatria peccabant.

Abac. 3.

ANNOTATIO XXXII.

Qui ſunt illi, in quos ira Dei reuelatur.

Illud pronomen (illorum) non habetur Græce, ſed eſt articulus ſequentis participij. nam Græce non eſt verbum illud (Detinent) ſed participium: ac ſi diceremus Latine: Hominum veritatem Dei in iniuſtitia detinentium: adiungitur autem ille articulus τῶν participio, non autem nomini præcedenti. Si ergo verbo vtamur, ſic dicendum eſt: In omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent; parum tamen ad ſenſum hoc refert: ſiue enim

enim apponatur pronomen, ſiue demamatur, idem eſt ſenſus. Quod ad rem maxime attinet, illud eſt, qui homines ſunt hi, de quibus ſequentes ſententiæ Pauli procedunt: quamuis enim certum ſit, eſſe Græcos, ſeu Gentiles, tamen in controuerſia eſt, an omnes Gentiles, an aliqui ſint intelligendi. Gentiles autem appello idololatras, & gentiliter viuentes. Sunt autem duæ difficultates. Vna eſt, an de omnibus idololatris Pauli contextus totus ſit interpretandus, an potius de Philoſophis, & ſapientibus ſolis. Altera eſt, ſi de Philoſophis, & ſapientibus contextus procedit, quales hi ſint Philoſophi, & ſapientes. Poſterior difficultas examinanda eſt paulo inferius, quando de ſapientibus fiet expreſſa mentio à Paulo. Quantum autem ad priorem attinet difficultatem, fere omnes interpretes hæc omnia de Philoſophis, & ſapientibus Gentium dicta interpretantur; ex eorum enim reprobatione, cæterorum omnium damnabilis ſtatus conuincebatur. Mihi tamen contrarium probabilius videtur, arbitror enim contextum eſſe generalem, & communem omnibus idololatris, ſapientibus, & inſipientibus; hi namque omnes veritatem Dei in iniuſtitia detinuerunt. Omnibus, quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt, & Deus illis manifeſtauit; omnes commutauerunt gloriam Dei in creaturarum ſimilitudines: omnes tradidit Deus in paſſiones ignominiæ, & reprobum ſenſum; & quæ Paulus dicit, de omnibus verificantur. Quando autem dico, omnes, non oportet in ſingulos omnia referre; non enim omnes adorauerunt eadem, nec omnes eiſdem peccatis puniti ſunt; ſed fit ſermo tamquam de vno corpore, cui, ratione diuerſarum partium, diuerſa tribuere ſolemus, vnum tamen eſt corpus. ita Paulus de omnibus idololatris mentionem facit, & multa de illis prædicat generaliter. Hanc meam expoſitionem confirmo; Primo, ex generalibus Pauli verbis: Ira, inquit, Dei in Euangelio reuelatur in omnem impietatem, & iniuſtitiam. nemo profecto impius, ſiue ſtultus, ſiue ſapiens, ſiue Philoſophus, ſiue non Philoſophus, ab hac generalitate exceptus eſt; communis eſt ira omnibus. Rurſus, Veritatem, inquit, in iniuſtitia detinent. hoc etiam omnibus eſt commune, ſicuti etiam omnibus per creaturas Deus ſe manifeſtum facit, & quantum ex ſe eſt, illuminat. Rurſus omnes ſeruierunt creaturæ, relicto creatore: & denique omnia hæc, quæ Paulus narrat, Philoſophis non fuerunt propria, ſed communia cum cæteris. Secundo, comprobo, quia inferius diſtinguuntur feminæ, & maſculi; at numquam Paulus inter Philoſophos, & ſapientes feminas annumeraſſet. Tertio, quia peccata illa, quæ ex reprobo ſenſu narrantur, communia ſunt etiam non Philoſophis; immo multa illorum potius fuerunt peccata vulgi, & populi, qualia, parentibus non eſſe obedientes, homicidas, inſipientes. ergo Paulus indifferenter in eos inuehitur, tam Philoſophos, quàm non Philoſophos. Quarto, quia hoc Pauli inſtituto maxime accommodatum erat, qui omnibus Gentibus Euangelium neceſſarium eſſe probat, ſicut etiam omnibus Iudæis. Denique contextus ipſe

totus difficillime exponitur, & dure, ac violente, ſi ad ſolos ſapientes hunc reſtringamus, quod in proſecutione fict manifeſtum. Nec obſtat, Paulum paulo inferius de ſapientibus expreſſum feciſſe ſermonem: nam potius hoc confirmat, ſe generaliter fuiſſe locutum; ne enim ad ſapientes verba eius præcedentia non extendi aliquis arbitratus eſſet, ideo eorumdem expreſſam mentionem facit, vt in explicatione ipſa fict manifeſtum.

Qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent.

QVi ſint homines, in quorum impietatem, & iniuſtitiam Dei ira, & vindicta per Euangelium reuelatur, exponit. ſimul etiam explicat cauſam iræ, & vindictæ; nempe veritatem Dei detinere in iniuſtitia. eſt autem commune hoc omnibus idololatris, nempe & Dei veritatem detinere, & in iniuſtitia detinere. detinent quidem veritatem Dei, quia creaturis ipſis Dei veri cognitionem, & notitiam prodentibus, & offerentibus non præbent aures mentis, & oculos, velut earum doctrinæ, & magiſterio reluctantes, & veritatem repellentes. In iniuſtitia autem detinent, quia nomen Dei, & cultum vero Deo debitum creaturæ impendunt, eam Deum eſſe arbitrantes, & tamquam Deum colentes. hoc autem ſumma iniuſtitia eſt; vt enim religio vera iuſtitia eſt, qua quod Dei eſt, creaturæ, cuius non eſt, impenditur. Cætera in annotatione require.

ANNOTATIO XXXIII.

IN aliquibus Græcis exemplaribus non habetur genitiuus ille (Dei) tamen neceſſario eſt intelligendus; vt enim ex ſequentibus conſtat, de hac veritate Dei ſermonem facit Paulus, & antiqui textus Græci legerunt, vt ex interpretibus colligitur. Ad verum autem Pauli ſenſum in hoc toto contextu aſſequendum, maximi refert ſcire, quid ſit veritatem Dei in iniuſtitia detinere; hanc enim ſententiam varie ſacri Doctores exponunt. Primo loco Anſelmus valde late interpretatur; nimirum veritatem in iniuſtitia eos detinere, qui veritatem, ideſt, Dei ſcientiam habent, tamen male viuunt, & in ſuis degunt voluptatibus. tales ſunt mali Chriſtiani, qui fidem habentes, qua Deum verum, & quæ ſunt agenda cognoſcunt, & tamen contra Legem Dei viuunt. Hæc interpretatio vera eſt doctrina, & vere hi veritatem detinent in iniuſtitia; tamen Paulus non de his loquitur; ſed de idololatris, vt ex contextu facile conſtat. Secundo loco Baſilius reg. breui. reſp. 65. paulo ſtrictius exponit; nempe, eos veritatem in iniuſtitia detinere, qui datis ſibi à Deo bonis ad proprias voluntates abutuntur. Hæc interpretatio à ſuperiori diuerſa eſt. nam abuti veritate non eſt, quando veritatem

Anſel.

Qui dicuntur detinere veritatem in iniuſtitia, & quomodo.

Baſil.

tem ſciens aliquis male viuit, ſed quando ipſa veritate, tamquam instrumento, vtitur ad malum. longe enim aliud eſt habere Dei donũ, & male facere: & habere Dei donũ, & illo abuti ad macum. Sed nec hęc interpretatio ad mentem Pauli facit, quod ex ipſo contextu ſatis liquet. Tertio loco Oecumenius exponit; quam expoſitionem etiam probat Anſelmus, nempe, illos veritatem Dei detinere in iniuſtitia, qui ſciunt, & veritatis Dei notitiam habent; tamen intra ſe detinent, ne alijs ſplendeat, permittentes alios in errore eſſe, cum illos poſſent illuſtrare, quod Philoſophos illos gẽtiles feciſſe affirmant. Hæc expoſitio veram habet doctrinam in hoc, quod, qui veritatem, & iuſtitiã Dei habet, nec alijs manifeſtat, cum poſſit; veritatem detinere in iniuſtitia, quando ad ipſius munus veritatem talem docere pertinet. quod ſi non ſit ipſius muneris, detinet quidem veritatẽ, ſed non in iniuſtitia; ſed, vt ita dicam, in non charitate, quia contra debitam agit charitatem, quando veritas vtilis alijs futura creditur, ſecus non: aliquando enim veritas detinetur in prudentia, quando non expedit eam manifeſtare, iuxta illud: Nolite mittere margaritas ante porcos. Tamẽ eſt accommodata hæc expoſitio Paulo, qui hanc iniuſtiam non ſic explicuit, nec ſic hos veritatem detinuiſſe probauit, ſed multo aliter. Adde Philoſophos nec ſic detinuiſſe: nam omnia, quę ſciebant, ſcriptis diuulgarunt: quamuis multi ex ambitione quadam, & mundi gloria, vt nihil detinuiſſe apud ſe dici vere poſſint. Quarto loco Aug. in expoſit. prop. ex epiſt. ad Rom. & Ambroſ. aliter interpretantur, nempe, illos dici veritatem Dei detinere in iniuſtitia, qui Deum verum cognouerunt, & Deos falſos coluerũt; ſcientia eorum, quam habuerunt de Deo, veritas eſt, iniuſtitia eorum idololatria fuit. cui expoſitioni adhærere videntur Chryſ. & Theodulus, & alij; exiſtimant enim Paulum his verbis in illos inuehi Philoſophos, qui Deum verum nouerunt, & per idololatriã falſos coluerunt: idolatria enim vitium eſt voluntatis, fieriq. poteſt, vt non ſolum qui ſcientiam naturalem habet Dei, falſos colat Deos; ſed etiam qui fidẽ habet. idolatria enim eſt exhibitio cultus, & venerationis debitæ Deo vero, erga eum, qui non eſt Deus. ſic aliqui fideles etiam timore, aut cupiditate tracti, Dæmones, aut aliquas creaturas tanquam Deos adorauerunt, & eis ſacrificia, & cultũ impenderunt, quamuis noſſent eos Deum non eſſe, nec eis cultum deberi. Tales arbitrantur hi Doctores Gentium Philoſophos fuiſſe, cõtra quos Paulus clamat, veritatem in iniuſtitia detinuiſſe. Tamen, vti diximus in ſuperiori annotatione, inter idololatras Gentium vix vnus fuit talis, nec Philoſophi talem notitiam Dei habuerunt; & ſi aliquis habuit, vnus, aut alter, nec Deos coluit, non de hoc meminit Paulus, qui Gentium idololatriam, & falſum cultum reprehendere propoſuit; ira enim Dei in omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum reuelata eſt per Euangelium. Aliter ergo mihi ad mentem Pauli ſententia hæc interpretanda videtur. Aduertendum ergo eſt, duo hæc eſſe non neceſſario coniuncta; veritatem detinere, & veritatem in iniuſtitia detinere. In primis veritas Dei eſt notitia, ſcientia, ſeu cognitio

Oecum. *Aug.* *Ambroſ.* *Chryſoſt.* *Theodul.* *Author.*

tio, qua verus agnoſcitur Deus: Eſt autem veritatem Dei detinere ad mentem Pauli, non quidem veri Dei notitiam habere, & eam occultare, diſſimulare, aut intra ſe reprimere; ſed ipſi veritati velut ſe ipſam offerenti, & demonſtranti reluctari; non ei acquieſcere; nec eam recipere. ſicut enim, qui plura teſtimonia, & probationes alicuius veritatis haberet, & ipſe nollet attendere, nec aures præbere, vt oportet, maneretq. in ſua ignorantia, & errore, diceretur detinere, & cohibere veritatem; ita illi homines idololatræ commune habuerunt teſtimonium a Deo in creaturis, & operibus ſenſibilibus, indicans, & clamans, & offerens veri Dei cognitionem, & notitiam attendere volentibus; vt docuit Paulus. Act. 14. dicens, Dimiſit Deus omnes Gentes ingredi vias ſuas; & quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera, implés cibo, & lætitia corda hominum. huic tamẽ efficaciſſimo teſtimonio Dei veritatis percipiendæ non inclinauerunt aures, nec veritati ſe prodenti locum dederunt; ideo detinuiſſe, & cohibuiſſe veritatem dicti ſunt. cõceperunt quidem aliquam ſcintillã in ſe huius veritatis. nam omnes nouerunt Deum eſſe, & multi illorum, qui inter ipſos rerum contemplationi ſtudebant, & Philoſophi dicebantur, multas ſcintillas receperunt: nam multa vera de Deo ſenſerunt, eius æternitatem, immortalitatem, immobilitatem, aliaque cognoſcentes. tamen nemo eorum teſtimonio diuino, & magiſterio creaturarum plenas aures præſtitit, nec Dei notitiam aſſecutus eſt; ſed veris multa miſcuerunt falſa; talem Deum cenſentes, qualis non eſt: idcirco omnes illi veritatem Dei detinuerunt, quam potuiſſent ex rebus ſenſibilibus, quæ ante oculos eorum verſabãtur, addiſcere. hoc eſt, quod dicit Paulus, homines illos veritatem Dei detinuiſſe. Alterum eſt: In iniuſtitia detinuiſſe; ſi enim illi homines nihil amplius habuiſſent, quam Dei veri notitiam aſſecutos non fuiſſe, veritatem detinuiſſent in ignorantia, aut errore. at intra hos terminos non ſe continuerunt, ſed ignorato vero Deo creaturas Deos cenſuerunt, & diuinitatem habere exiſtimauerunt, & cultum vero Deo debitum illis impederunt. hæc autem iniuſtitia abominabilis fuit; ſicut, qui vero Rege vitio proprio, & culpa non agnito, extraneum recipit in Regem, & regios honores, & obſequia ei præſtat, iniuſtus valde eſt. tanto autem fuit maior horum iniuſtitia, quanto maius eſt nomen Dei, & ratio diuinitatis, quam creatura. hæc duo fecerunt Gentes idololatræ; propter quæ Paulus vere eas veritatẽ in iniuſtitia detinuiſſe affirmat. Generalis ergo eſt ſententia, veritatẽ detinuiſſe in iniuſtitia, omnes complectens idololatras, & ſapientes, & inſipientes. Quæ vero paulo inferius ſequuntur, ad ſapientes referuntur, nempe cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, quæ ſuo loco explicabimus.

Act. 14.

Quia, quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis.

PRiorem partem præcedentis ſententiæ Paulus probat, cauſam adferens, quare veritatem detinuiſſe dicti ſint; poſteriorem inferius

inferius

inferius exponet: nempe, in iniuſtitia detinuiſſe. Probatio autem talis eſt. (Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis) ſenſus eſt, id totum, quod ad Dei veri cognitionem neceſſarium eſt, illis eſt manifeſtum; habuerunt enim modum, viam, & magiſterium, quo id aſſequi poſſent. Illis eſt manifeſtum, ideſt, manifeſtatum. illi ergo detinuerunt veritatem; quia potuerunt notitiam Dei veri habere, & ſua culpá manifeſtationem, & illuminationem nō recipientes, non habuerunt, ſed imperfectam, & erroribus mixtam, vt ignorarent potius Deum verum. Attende verba: illud enim (Quod notum eſt Dei) generalitatem indicat, nempe omnia Dei cognoſcibilia; non abſolute, ſed quæ neceſſaria ſunt, vt veri Dei notitia habeatur; hoc eſt notum Dei. hæc autem omnia, via naturali homo aſſequi potuit, quæ enim fidei ſunt, notitiam maiorem, & ampliorem Dei faciunt, ſed ad notitiam Dei veri neceſsaria non ſunt. Antequam enim Trinitatis myſterium reuelatum eſset, Deus verus agnoſcebatur; & vere, ſi quæ naturali lumine cognoſci poterant, illi omnia aſsecuti fuiſsent, vtiq. veri Dei notitiam habuiſsent. Rurſus cum dicitur (Manifeſtum eſt in illis) ſignificat, non quod de facto illi Philoſophi nouerint omnia; ſed quod habuerint viam, & magiſterium ea omnia aſsequendi. Dicitur autem (Quod notum eſt Dei) non autem dictum eſt, Deum eſse manifeſtum, quia non omnia ſimpliciter, quæ Dei ſunt, manifeſta facta naturaliter ſunt, ſed quæ Deum verum notum facere poſsent. Veritatem autem detinuerunt, quia cum poſſent totum, quod ad veri Dei cognitionem neceſsarium eſt, aſsequi, non ſunt aſsecuti, ſed imperfecte, & diminute, vt potius verum Deum ignorauerint.

Deus quomodo innotuerit vel innoteſcere potuerit ſapientibus & philoſophis.

ANNOTATIO XXXIIII.

QVi hos homines Deum verū nouiſſe affirmant, vt in annotatione præcedenti retulimus, verbum illud (Manifeſtum eſt in illis) & verbum ſequens (Deus manifeſtauit) ita interpretantur. vt ſit ſenſus, nouiſſe eos de facto verum Deum. At hunc non eſſe ſenſum, paulo inferius ex ipſo Paulo demonſtrabimus. Verus ſenſus is eſt. Manifeſtum eſſe in illis, quia habuerunt, vnde aſſequi notitiam veri Dei potuiſſent: ſicuti dicimus ſæpe, hoc, vel illud manifeſtum eſt omnibus, non quod omnes noſcant; ſed quod omnes habeant, vnde illud noſcant. ſic ſol omnes dicitur illuminare, & ita Ambr. etiam, Occume. & Theodulus exponunt, ſed vti dixi, idipſum Paulus inferius aperit. Illud etiam (Quod notum eſt Dei) omnes exponunt quod cognoſcibile eſt Dei; hoc autem non recte accommodatur; nam multa ſunt cognoſcibilia Dei, quæ per creaturas homo aſſequi non poteſt, niſi per reuelationem fidei. quod ſi limites, Quod cognoſcibile eſt Dei per

Ambroſ. Oecum. Theodul.

Digitized by Google

per naturam hominis, videtur incerta probatio: in controuerſia enim eſt, quæ iſta ſint, quæ per naturale lumen cognoſcibilia ſint per creaturas. Senſus ergo iſte eſt legitimus: Quod notum eſt Dei, ideſt, quæ ad Dei veri notitiam cognoſcere oportet, & neceſſarium eſt; vti in commentario expoſitum eſt.

Deus enim illis manifeſtauit.

Deus quomodo ſe manifeſtauit ſapientibus & philoſophis.

PRobat, quod notum eſt Dei, manifeſtum eſſe in illis: oſtendens auctorem, & magiſtrum huius manifeſtationis; ac ſi diceret: Quod Dei eſt notum, manifeſtum eſt illis, quia ipſemet verus Deus ſe illis magiſtrum, & præceptorem, ac inſtitutorem exhibuit, dum creaturas viſibiles condidit, quæ ſunt velut voces Dei, quibus ſe ipſum homines docet; & velut ſpecula, in quibus ſe ipſum modo quodam ſpectabilem fecit, iuxta illud Hebr. 11. Fide intelligimus verbo Dei aptata eſſe ſecula, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent. Verbum (manifeſtauit) non ſignificat illos nouiſſe Deum verum, ſed Deum viam dediſſe, & modum, ac diſciplinam, vt noſſe poſſent, vti in præcedenti diximus commentario, & verbum Pauli ſequens id demonſtrat. *Hebr. 11.*

Inuiſibilia enim ipſius a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.

Inuiſibilia Dei quomodo cognoſcantur, & quomodo Deus manifeſtauit.

PRobat quod notum eſt Dei, illis eſſe manifeſtum, & ſimul exponit, quis manifeſtauerit, & magiſterium, ac modum, quo ſe ipſum Deus manifeſtauit. Inuiſibilia, inquit, Dei, & quæ per ſe non poſſunt ab hominibus cognoſci, ex operibus ipſis ſenſibilibus ab eodemmet Deo factis, intellectu comprehenſa fiunt perſpicua, ac nota: hoc autem ab orbe condito, & ab exordio mundi: ac ſi diceret, Deus quidem inuiſibilis eſt, opera tamen viſibilia fecit, ex quibus humanus intellectus diſcurrens aſſurgit, & quæ inuiſibilia Dei, & per ſe incognoſcibilia ſunt, conſpicit, & certa notitia, ac manifeſta cognoſcit; hoc autem non ab vno aut altero ſeculo, ſed ab ipſa mundi creatione. Eſt autem conſonantia verborũ, Inuiſibilia Dei conſpiciuntur, & fiunt viſibilia; at ne viſibilia ſenſibus facta eſſe exiſtimaremus, adiunxit, operibus ipſis intellecta, ideſt, dum viſibilia ſenſu percipimus, humanus intellectus ex his diſcurrens, aſſurgit, & illa conſpicit. Conſpicere autem appellat, non notitiam intuitiuam Dei, quam beati habent, ſed certam, & ſcientificam cognitionem, qualis demonſtratione habetur. Deus

ergo

ergo eſt, qui manifeſtauit ſe; modus autem eſt, per ſenſibiles creaturas: & doctrina hæc, ac magiſterium, non modernum, ſed antiquum eſt; nempe a creatura mundi, ideſt, ab ipſo mundi exordio, ſeu ab orbe condito. ſimul enim ac orbem condidit, ipſiſmet ſuis operibus ſe conſpicuum, & manifeſtum fecit; opera enim ipſius, voces quædam ſunt teſtificantes, & manifeſtum facientes. iuxta illud Pſal. 18. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. & Act. 14. Dimiſit omnes Gentes ingredi uias ſuas: & quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda hominum. Illud uerbum (Intellecta) ſignificat opus eſſe diſcurſu, & illatione, ac collatione, ut per opera ſenſibilia ad inuiſibiliũ Dei aſcendamus cognitionem. quod Salomon Sap. 13. dixit per analogiã, ſeu cognoſcibiliter. A magnitudine, inquit, ſpeciei, & creaturæ per analogiã ſeu analogicè (ita enim habet Græcus textus) poterat horũ creator uideri. Verbũ etiam (intellecta) coniungitur uerbo (inuiſibilia) quod in Græco ſermone manifeſtum eſt, ubi illud (Quæ facta ſunt) legitur ex operibus, ſeu ex factis, aut creatis. Tertul. lib. de Anima cap. 8. de intellectualibus, ſic legit. Inuiſibilia de factitamentis intellecta uiſuntur a conditione mundi.

Pſal. 18. *Sap. 13.* *Tertul.*

ANNOTATIO XXXV.

PErpende in his verbis, apertam probationem illius, quod ſuperius diximus. Si enim illud verbũ (Manifeſtum eſt in illis) & illud (Deus manifeſtauit) ſignificarent illos nouiſſe Deum, & de facto Dei notitiam fuiſſe aſſecutos, inefficax eſſet probatio Pauli. Deus manifeſtauit, quia inuiſibilia per viſibilia conſpiciuntur; eſſet enim probatio de potentia ad actum, ac ſi diceret, cognouerunt, quia habuerunt vnde poſſent cognoſcere; hæc autem probatio inepta eſt. Ex hoc ergo quod Deus inuiſibilia ſua per creaturas conſpicua fecit, id ſolum probatur, illos potuiſſe cognoſcere, Deus ergo dicitur manifeſtaſſe, quia ea fecit quibus agnoſci poſſet, ſicut qui cordis ſui occulta verbis coram alijs exprimit, dicitur manifeſtaſſe præſentibus. Quod ſi aliquis audire, & intelligere noluit, hic occultorum notitiam non aſſecutus eſt; tamen ille vere dicitur ea manifeſtaſſe. Hinc ſequitur, Paulum non loqui de his, qui veram notitiam Dei habuerunt, vti ſuperius diximus: iſtis enim hæ ſententiæ non poſſunt accommodari. Atten de rurſus, non poſſe hæc ad ſolos ſapientes reſtringi. nam teſtimoniũ

creatu-

Digitized by Google

creaturarum omnibus eſt redditum, & perhibitum; & idcirco etiã non Philoſophi non excuſantur a culpa hac, quia Deum ignorauerint.

ANNOTATIO XXXVI.

Manifeſtatio Dei quotuplex ſit.

ADuerte, triplicem eſſe manifeſtationem Dei, per quã Deus humanis innoteſcit intellectibus. Prima eſt naturalis, qua per diſcurſum ex cognitione ſenſibilium creaturarum aſſurgit humanus intellectus in cognitionem inuiſibilium Dei, vt ſciat vnum eſſe principium omnium, immateriale, immobile, æternum: in quo ſapientia, bonitas, iuſtitia, & rectitudo eſt, quæ Paulus appellat inuiſibilia Dei. Altera eſt ſupernaturalis per fidem, qua Deus ipſe reuelat, & aperit multa, quæ ex ſenſibilibus operibus, humanus intellectus diſcurrens, aſſequi non poterat; vt, Deum eſſe trinum, & vnum, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum. Filium humanam aſſumpſiſſe naturam pro noſtra ſalute, & alia huiuſmodi, quæ fide apprehendimus. Hæ manifeſtationes, & cognitiones imperfectæ ſunt. Deum enim ipſum in ſe, & in ſubſtantia ſua non videmus per eas, nec adhuc omnia quæ Dei ſunt aſſequimur. idcirco Paulus eas cognitiones ex parte appellat. 1. Cor. 13. Ex parte cognoſcimus, ex parte prophetamus; cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. *1. Cor. 13.* Tertia eſt beatifica, qua Deus in ſuamet ſubſtantia humanæ menti ſe videndum exhibet, quę eſt omnium perfectiſſima; de qua ibidem Paulus. Videmus, inquit, nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Verba Pauli præſentia, de prima manifeſtatione, quæ omnium eſt minima, procedũt, quæ etiam idololatris, & infidelibus ineſſe poteſt. Dixi autem eſſe minimam omnium, & quidem collatam beatificæ viſioni nemo dubitat at ſi fidei compararetur, poſſet aliquis dubitare, quia clarior eſt notitia, quæ habetur per demonſtrationes, quàm quæ per fidem: tamẽ re vera etiam hæc minor eſt fide, quia etiamſi clarior ſit, reſtrictior eſt; nam multo plura per fidem cognoſcimus, quam per naturalem illam cognitionem; quamuis hoc verum ſit, naturali cognitione ea homines aſſequi poſſe, quibus veri Dei notitia habeatur, vt ſuperius dictum eſt. Rurſus certior eſt: ſæpe enim diſcurſus ſunt fallaces. Generalior etiam eſt: quia non omnes philoſophari poſſunt; credere autem Deo auxiliante valent. & eſt vtilior, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, ſine ſcientia autem illa naturali multi placuerunt, & placent.

ANNOTATIO XXXVII.

ADhuc circa eudem verba adnotandum eſt illud (Inuiſibilia Dei) non eodem modo exponi ab omnibus. Aliqui enim Angelos interpretantur, qui ſunt ſpirituales, & inuiſibiles ſubſtantiæ, in quorũ notitiam humanus intellectus per ſenſibilium cognitionem aſſurgit; quod ex Philoſophis conſtat, qui ex motibus cœlorum ſpirituales haſce ſubſtan-

Inuiſibilia Dei ſint.

Digitized by Google

ſubſtantias cognouerunt. Hanc expoſitionem ſecuti ſunt Orige. Oecumenius, & Theodulus. Sed contextui Paulino accommodari non poteſt. Primo quidem, quia Pauli inſtitutum eſt probare, quod Dei notum eſt, manifeſtum eſſe hominibus mundi, Deumque eis manifeſtaſſe. probatio huius eſt, Quia Dei inuiſibilia ex operibus ipſius Dei intellecta conſpicua fiunt, & manifeſta. Igitur illud (Inuiſibilia Dei) non poteſt referri ad aliud, niſi ad id quod propoſitum eſt, nempe: Quod notum eſt Dei; eſſet enim ab inſtituto diuertere, & ꝓbare quod probandũ non erat. Secundo, quia non abſolute dictum eſt (inuiſibilia) ſed (inuiſibilia Dei) quæ reſtrictio indicat, ad ea, quę Dei ſunt, hæc eſſe referenda. Tertio, quia hæc inuiſibilia Dei ſeparantur ab his, quæ facta ſunt, quaſi per hæc illa conſpiciantur; at Angeli de numero factorum ſunt. Hæc igitur expoſitio non eſt ad mentem Pauli; Ratio autem, quæ hos expoſitores in hanc interpretationem impuliſſe videtur, ea eſt; nam adiunxit Paulus; Sempiterna quoq. virtus eius, & diuinitas. Si ergo inuiſibilia ad Deum referantur, non facile inuenitur quid per inuiſibilia ſignificetur, pręter virtutem, & diuinitatem eius. quo argumento permoti moderni aliqui, verba hæc ſequentia interpretantur per modum declarationis, & expoſitionis cuiuſdam eſſe a Paulo dicta; vt ſit ſenſus, Inuiſibilia Dei; nempe ſempiterna eius virtus, & diuinitas, a creatione mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Hæc tamẽ interpretatio eſt violenta, & hi potius nouam ſententiam componere, quã veterem Pauli exponere videntur. nam particula (quoque) non eſt declarationis, ſed copulationis, & adiectionis, vt ſit ſenſus, Inuiſibilia Dei, ex operibus intellecta conſpiciuntur; & non hæc tantum, ſed & virtus ſempiterna Dei, & diuinitas ex eiſdem operibus conſpiciuntur. & ita antiqui, Græci, & Latini intellexerunt, quibus conſenſit Athanaſ. in orat. 2. cõn Arianos, vt in explicatione eorundem verborum oſtendetur. *Athan.* Attende ergo, virtutem, & diuinitatem etiam includi in verbo, Inuiſibilia Dei; ſed quia cum multa illa ſint, poſſet aliquis exiſtimare hæc, quia difficiliora cognitu ſunt, non eſſe comprehenſa; idcirco adiunxit. Inuiſibilia Dei, nempe ęternitas, ſapientia, & alia huiuſmodi conſpicua ſunt, etiam virtus, & diuinitas: ſic enim loqui ſolemus, quando generalis locutio præceſſit, & aliqua in generali ſignificata particularem habent difficultatem. ſic dicimus; omnes timebunt in die iudicij, etiam iuſti; Mar. 16. Dicite *Mar. 16.* diſcipulis eius, & Petro. exprimitur Petrus, propter negationem, ne videretur excluſus. Ezech. 8. Sep- *Ezech. 8.* tuaginta viri de ſenioribus domus Iſrael, & Ieconias filius Saphan ſtabat in medio eorum; iſte autem de numero illorum ſeptuaginta erat; tamen particulari ratione exprimitur. ita factum eſt in præſenti. Aduertendũ igitur eſt, quamuis Deus omnino in ſe ſimplex, & incompoſita ſubſtantia, & eſſentia ſit, tamen nos modum intelligendi noſtrum ſequentes, diuiſo quodam modo cognoſcimus, non quod ea ſeparata eſſe ac diſtincta in Deo affirmemus; ſed quod non valentes nos vno conceptu totam Dei naturam apprehẽdere, diuerſis, & varijs vtimur; & ſic Deum ſapientem, prouidum, bo-

num,

num, iuſtum, incorporeum, potentem, æternum, & cætera, appellamus, quæ Paulus Dei inuiſibilia vocat: ex creaturarum enim cognitione humanus intellectus inuiſibilem ſapientiam ſupereminere iſtis inferioribus cognoſcit. ſimiliter prouidentiam, ac gubernationẽ, bonitatẽ, iuſtitiã: quæ omnia Deo tribuit. at quia hæc non habent æqualem in cognitione difficultatem; quædam enim facilius, quædam difficilius aſſequitur intellectus humanus, quod in ipſis Philoſophis experientia declarat; multa enim aſſequentes cætera non attigerũt; ideoq. veri Dei notitiam non habuerunt; idcirco poſtquam Paulus (inuiſibila) dixit; adiunxit etiam virtutem, ſeu potentiam eius ſempiternam, ac diuinitatem ex creaturis potuiſſe cognoſci. quid autem per hæc ſignificetur, in ſequentis ſententiæ expoſitione explanabitur. Et hic eſt legitimus ſenſus.

ANNOTATIO XXXVIII.

Deus quo modo manifeſtatur & cognoſcitur.

SVpereſt adhuc illud verbum examinandum (A creatura mundi) Græce, ἀπὸ κτίσεως. nomen autem κτίσις quamuis primo, & præcipue ſignificet actionem ipſam, nẽpe fabricationem; aliquando tamẽ pro termino ipſo, & re fabricata vſurpatur. & ita habetur. Mar. vlt. Prædicate Euangelium omni creaturæ. Sunt ergo varię expoſitiones. Primo Anſel. in hac poſteriori accipit ſignificatione, vt pro re fabricata, & creata vſurpetur, & per excellentiam ſignificat hominem, qui eſt omnium ſenſibilium creaturarum ſupremus, vt a Marco accipitur. erit autem tunc ſenſus, Inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt intellecta, cõſpiciuntur a creatura mundi, ideſt, ipſi homini conſpicua fiunt. Hæc expoſitio non videtur accommodata; ſuperfluum enim eſſet addere (mundi) nec enim Marcus addidit. Secundo loco Chryſoſt. ſerm. 3. cuius expoſitioni multi moderni conſentiunt, exponit, non quidem pro homine, ſed pro tota fabrica mundi: vt ſit ſenſus talis: inuiſibilia Dei conſpiciuntur ex ipſa mundi fabrica, & diſpoſitione; & hoc dum ex operibus ipſis intelliguntur. Hæc expoſitio non ſatis etiam accommodata videtur. nam ſuperfluum videtur, ſi ita exponamus illud (ex operibus, ſeu per ea quæ facta ſunt) ſatis enim eſſet dicere, ex mundi fabrica intellecta conſpiciuntur, aut per ea, quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur. Tertio loco Oecum. & Theodulus coniungunt verbum hoc cum præcedenti, nempe Inuiſibilia Dei a creatione mundi, vt per id velit Paulus ſignificare Angelos, qui inuiſibilia Dei dicuntur, fuiſſe creatos. At hæc expoſitio violẽta videtur. Quarto loco legitima expoſitio mihi viſa eſt. A creatura mundi, ſignificare temporis antiquitatem, vt oſtendat Paulus, inuiſibilia hæc Dei manifeſta eſſe per opera, non a paucis retro annis, ſed ab exordio, & a creationis mundi initio. id quod Græca particula ἀπὸ etiam ſignificat, quæ originẽ, & durationis initium indicat. Matth. 13. Eructabo abſcondita a conſtitutione mundi, Mar. 13. Quales nõ fuerũt ab initio creaturæ. Quod ſi ſenſum Chryſoſt. aut Anſel. Paulus intendiſſet, non hac propoſitione,

Marc. vlt.

Chryſoſt.

Oecum. Theodul.

Author.

Matt. 13

Mar. 13

ne, ſed in vſus eſſet. Hanc noſtram expoſitionẽ indicare viſus eſt Aug. ſermo. 143. vbi hæc verba Pauli ſic exponit. A mundi creatura, ideſt, ex quo Deus mundum creauit, quamuis hoc verbum Auguſtini ambiguum ſit, nempe ex quo mundum creauit, ideſt, quia mũdum creauit, aut ab exordio ipſo, quando mundum creauit. Tertul. lib. de anima cap. 8. de intellectualibus, videtur etiã idẽ indicare; nã ſic legit. Inuiſibilia Dei, a conditione mundi ex factitamentis intellecta viſuntur. *Tertul.*

Sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.

SVperiorem ſententiam auget, non noua addendo, ſed quæ latebant, & in generali pronunciauerat, explicando, ac ſi diceret. Non inuiſibilia Dei ſolum, nempe Deum eſſe ſapientem, iuſtum, aliaq. habentem, quæ multi Gentiles nouerunt, per ea quæ facta ſunt conſpiciuntur; ſed etiam ſempiterna eius virtus, & diuinitas per ea quæ facta ſunt conſpici poſſunt. Hæc verba Paulus adiecit, vt oſtenderet etiam illos veritatem Dei detinuiſſe, qui quamuis Deum eſſe, multaſq. eius perfectiones aſſecuti fuerint, ad perfectã tamen, & veram Dei notitiam non peruenerunt, nec attigerunt cognitionem virtutis, & diuinitatis eius ſempiternæ, cum ex eiſdem operibus factis poſſent etiam iſta cognoſcere. ſenſus ergo eſt, ſempiterna etiam virtus Dei, & diuinitas per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Appellat Paulus virtutem Dei, potentiam qua cuncta fecit, conſeruat, diſponit, prouidet, & gubernat. Diuinitatem vero propriam eius ſubſtantiam, & eſſentiam; qui enim proprium conceptum habet Dei veri, ille dicitur diuinitatem eius noſſe; qui vero non ſentit de eo ſicut eſt, aut negando quæ habet, aut affirmando quæ non habet, non cognoſcit diuinitatem Dei: Gentes autem iſtæ nec virtutem Dei nouerunt, quia non aſſecutæ ſunt perfecte, Deum eſſe omnium principium, ſicut vere eſt; nec etiam diuinitatem ipſius; quia propriam Dei notitiam non habuerunt, miſcentes veris multa falſa, aliter Deum eſſe putantes, & ſentientes quam ipſe ſit. Addit Paulus (ſempiternam) quia virtus, & diuinitas Dei eſt ſine principio; nec eſt coæua his quæ facta ſunt; quam ſempiternitatem multi non nouerunt, Deos aliquos exiſtimantes, qui initium habuerunt, cum diuinitas eſſe non poſſit niſi ſempiterna. Hæc omnia per ea quæ facta ſunt conſpiciuntur.

ANNOTATIO XXXIX.

Creatura mũdi quid denotet.

ADuertendum eſt adhuc, pro exactiori intelligentia eiuſdẽ ſententiæ; hæc duo, nempe virtutem & diuinitatem Dei, eſſe illa eadem, quæ Salomon alijs verbis, homines ex rebus creatis nõ cognouiſſe

Sap. 13. conqueritur, inquit enim Sap. 13. Vani, inquit, ſunt omnes homines, in quibus non eſt ſcientia Dei, & de his, quæ videntur bona, potuerunt intelligere eum, qui vere eſt, neque operibus attendentes, agnouerunt quis eſſet artifex. Hæc Salomon. Perpende duo. Vnum eſt, ex viſibilibus bonis, & perfectis rebus, non agnouiſſe eum qui vere eſt, ideſt, diuinitatem non agnouerunt, nempe intelligentes vnum eſſe supremũ ens, quod a nullo eſt, & omnem in ſe perfectionem concludit, hoc eſt, vere eſſe. Alterum eſt, non attenderunt operibus, nec agnouerunt quis eſſet artifex, ideſt, non cognouerunt hoc ens ſupremum, omnium horum viſibilium fuiſſe auctorem, & artificẽ; ideſt, totum hoc, ac ſi diceret, nec diuinitatem, nec virtutem Dei agnouerunt: eos tamen potuiſſe hæc duo cognoſcere ſtatim exponit, dicens. Ignem, aut ſpiritum, aut cõcitatum aerem, aut girum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem, & lunam rectores orbis terrarum Deos putauerunt: quorum etſi ſpecie delectati, Deos putauerunt, ſciant quanto dominator eorum ſpecioſior eſt; ſpeciei enim generator hæc omnia cõſtituit; aut ſi virtutem, & operam eorum mirati ſunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior eſt illis: a magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter potuit creator horum videri. Hæc Salomon. vbi hæc duo eadem potuiſſe ex operibus cognoſci docet, quod idem Paulus hiſce verbis præſentibus docuit; Hæc eadem duo Dauid etiam docuerat Pſal. 18. Cæli inquit, enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Perpende duo, Cæli enarrant gloriã Dei, ideſt, diuinitatem; ex cælorum enim magnitudine, & perfectione ſupra omnia corpora, & ex eorum diſpoſitione, & pulchritudine, ac opera, vnum eſſe ens, ſupra ea omnia deducimus. Rurſum, opera manuum eius annunciat firmamentum, ideſt, firmamentum, & orbis ipſe indicat ſe eſſe opus Dei, & ab ipſo ſupremo ente effectum, ac ſi diceret, Orbis iſte ſenſibilis ſatis indicat hominibus, & viam aperit, vt cognoſcant diuinitatem, & virtutem Dei. ſtatim adiunxit Dauid attributa Dei: Dies, inquit, diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam, quæ Paulus inuiſibilia Dei appellauit. Hic eſt legitimus ſenſus verborum Pauli. Pſal. 18.

Orbis totus docet Dei ſempiternam diuinitatem.

ANNOTATIO XXXX.

Anſel. SVperiorem ſententiam alij aliter exponunt. Primo loco Anſelmus, per virtutem, filium Dei; per diuinitatem, Spiritum Sanctum, interpretatur, ac ſi diceret, Filius quoque Dei, & Spiritus Sanctus. Hæc tamen interpretatio non videtur cõgruere textui. nam verba Pauli hãc habent connexionem. Per ea quæ facta ſunt, virtus etiam, & diuinitas eius perſpiciuntur; at diſtinctionem perſonarum, & myſteriũ Trinitatis nullatenus homo ex creaturarum cognitione aſſequitur, ſolo lumine naturali fultus; cognitio enim hæc ſola reuelatione ſupernaturali comparatur. nam cum vnica ſit potentia trium perſonarum, & vnica actio, quæ ſimul produnt creaturas, non eſt in creaturis aliquid, quod per ſe ſufficiat deducere intellectum humanum ad cognitionem

Patrum ſententiæ ſuper explicatione diuinitatis & virtutis.

Athan. nem diſtinctionis huius, perſonarum in Deo. Secundo loco Athanaſ. ora. 2. con. Arianos. & lib. 5. de vnica Trinitatis ſubſtantia, hanc ſempiternam virtutem, & diuinitatem interpretatur filium Dei Patri coæternum. quam interpretationẽ *Ambroſ.* Ambro. ſequitur. Sed contra hanc expoſitionem militat eadem ratio: non enim per creaturas ſolas cognoſci poteſt filius Dei a Patre diſtinctus, nec humanus intellectus aſſequitur Deum Patrem eſſe, & filium habere; eſt quidem Dei filius virtus Patris, non tamen ſequitur, qui cognoſcit Deum virtutem habere, aſſequitur eſſe Patrem, & virtutẽ eius eſſe Filium. Tertio loco Origen. *Origen.* per virtutem exponit potentiam, qua omnia facta gubernat, & regit: per diuinitatem ſubſtantiam, qua omnia replet, & in omnibus eſt. Hęc expoſitio accõmodatior eſt; adhuc tamen imperfecta videtur: nam per virtutem non ſolum potentiam, qua omnia regit, ſed qua omnium eſt cauſa, & artifex intelligere oportet: & per diuinitatem non ſolum ſubſtantiam, qua omnia replet, ſed qua ſuper omnia eſt, & quæ propria eſt vero Deo, vt in cõmentario, & annotatione præcedẽti declarauimus.

Ita vt ſint inexcuſabiles.

HAec verba connectuntur proximis, nempe (ſempiterna virtus, & diuinitas) vt ſit ſenſus: virtus, & diuinitas ex operibus factis adeo ſunt conſpicua, vt inexcuſabiles ſint Philoſophi, & ſapientes, qui quamuis alia multa aſſecuti fuerint de Deo, iſta tamen non nouerunt. ſunt autem ſumpta ex Salomone cap. 13. vbi reprehendit Philoſophos, qui iſta ignorarunt, nec ex creaturis aſſecuti ſunt. Poſtquam enim dixit virtutem, & pulchritudinem Dei, ex creaturarum magnitudine, & virtute cognoſci potuiſſe, adiunxit; nec his debet ignoſci: ſi enim tantum ſcire potuerunt, vt poſſent æſtimare ſeculum, quomodo huius dominum non facilius inuenerunt?

ANNOTATIO XLI.

GRæca verba ſic habent εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους Latine. In ipſum eſſe inexcuſabiles. Aliqui moderni ſic exponunt. Ad hoc vt ſint inexcuſabiles: affirmantque præpoſitionem, & coniunctionem illam eſſe indicatiuam finis, ac ſi dictum eſſet, in hunc finem, vt excuſabiles non ſint. Hæc tamen ex- *Philoſophi an digni ſint excuſatione quia non nouerunt Dei virtutem & diuinitatem.* poſitio non continet veram doctrinam, nec verbis eſt accomodata. Quantum ad doctrinam quidem attinet; non eo fine Deus haſce creaturas viſibiles fecit, quæ eum manifeſtarent, vt ipſi homines inexcuſabiles fierent, ſed vt eum agnoſcerent, & agnitum glorificarent, eiq. gratias agerent. Quantum ad accommodationem autem verborum, quia Græce non habetur particula (vt) ſed ſolum dicitur, εἰς τὸ εἶναι, ad ipſum eſſe:

Origen. Chryſoſt.

Origen. & Chryſoſt. ſerm. 3. & eſt communis ſententia expoſitorum, conſecutiue hæc verba exponunt; vt ſit ſenſus: Hinc conſequitur vt ſint inexcuſabiles. Nec hæc etiam videtur admodum accommodata expoſitio: Paulus enim aliquid maius hiſce verbis indicare videtur; propterea enim mihi legitima viſa eſt expoſitio, vt particulam εἰς. exponamus Latinæ, vſq.inâ apud probatos auctores hanc etiam habet ſignificationem, vt ſit ſenſus, Conſpiciuntur hæc Dei inuiſiblia, etiam virtus, ac diuinitas ex operibus, vſque ad hoc, vt inexcuſabiles ſint. ſeu adeo excuſationem non habēt: &, ad verbum vertendo, vſq. eſſe inexcuſabiles, & indefenſabiles: quem ſenſum Latina, & Vulgata verſio optime expreſſit, ſenſu magis quam verbis, conſideratis. Ita vt ſint inexcuſabiles.

Quia cum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.

Inuiſibilia Dei ab initio mundi ex operibus ipſius ſunt conſpicua. ſicut etiam ſempiterna eius virtus & diuinitas.

CVr inexcuſabiles ſint, cauſam reddit, quæ ex præcedentibus ſumitur, & eſt totus, & integer ſenſus legitimus hic. Inuiſibilia Dei, ex operibus ab initio mundi ſunt conſpicua, etiam virtus eius ſempiterna, & diuinitas, adeo vt non ſint excuſabiles illi, qui inuiſibilia Dei nouerunt, non autem eius virtutem, & diuinitatem. Cum Deum, inquit, cognouiſſent, ideſt, quia quamuis inuiſibilia multa Dei aſſecuti fuerint, tamen non vt Deum glorificauerunt, quia non præclare ſenſerunt de eo, cognoſcentes eius diuinitatem, nec gratias egerunt, recognoſcentes eius virtutem, qua omnia fecit, & cuncta bona ab eo ſunt. Deum ergo nouiſſe dicuntur, quia notitiam aliquam Dei habuerunt, ac inuiſibilia, & aliquas perfectiones, quae Dei veri ſunt, nouerunt; at non glorificauerunt, quia non praeclare de eo ſenſerunt, Deum ipſum ſolum non agnoſcentes, multaque indigna Deo ei tribuentes: nec egerunt gratias recognoſcentes ipſum vniuerſorum artificem; haec enim duo reſpondent illis duobus, diuinitas nempe, & virtus; glorificare, ad diuinitatem; agere gratias ad virtutem.

ANNOTATIO. XLII.

Auguſt. Ambroſ. Anſel.

Qui ſunt Philoſophi inexcuſabiles.

DIfficultas eſt, de quibus Philoſophis, & ſapientibus Paulus loquatur; Aug. enim in expo. prop. ex Epiſt. ad Rom. Amb. Anſel. & multi ex modernis exiſtimãt, de his Philoſophis loqui Paulum, qui Deũ verum nouerunt notitia naturali, & ex ſcientia ac malitia Deos contra propriam conſcientiam coluerunt. adiungit Auguſt. Salomonem Sap. 13. etiam in Philoſophos, & ſapientes idololatras inuectum fuiſſe; tamen hos non nouiſſe Deum; quos autem Paulus reprehendit Dei cognitionem, & notitiam aſſecutos fuiſſe. Alij vero interpretes nec

quia Deũ non agnouerunt. Sap. 13.

hos

hos ſapientes veri Dei notitiam habuiſſe cenſent, ſed erraſſe in veri Dei cognitione, & qualis non erat Deum exiſtimaſſe, ita Orig. Chryſo. Theo. ſentire videntur, Pro Aug. ſententia eſt verbum Pauli, & Salomonis; Salomon enim expreſſe illos Deum ignoraſſe affirmauit, at Paulus oppoſitum dicit. Cum, inquit, Deũ cognouiſſent. Tamen legitima ſententia ad mentem Pauli ea eſt, iſtos ſapientes non habuiſſe veri Dei notitiam, nec agnitionem, nec id ſignificat verbum illud: Cum Deum cognouiſſent. ratio autem quæ mihi hoc perſuadet eſt. Primo quidem quia cum ſapientes Gentium his verbis arguantur, illos oportet intelligere, qui erant frequentiſſimi inter eas; at de nemine conſtat Deũ verum agnouiſſe, & coluiſſe Idola; ſed eos erraſſe in Dei cognitione, quod cõſtat ex ipſiſmet primis Philoſophis Græcorum Ariſtotele, & Platone, qui errores habuerunt cõtra Deum verum, nec talem agnouerunt, qualis eſt: nam aut ipſum nõ eſſe Deum exiſtimarunt, ſed ens primum, & ſupremum; aut ſi Deum appellarunt, diuinitatem communem alijs præter ipſum fecerunt; aut ipſum rerum inferiorum improuidũ, aut negligentem erga ea, quæ fiebãt poſuerunt. multa alia ei tribuerũt, quæ Deo vero contraria ſunt, vt ex ipſorum libris conſtat. Secundo Athana. Greg. Nazian. & alij Patres antiqui, contra idololatras ſcribentes, & exacte Philoſophorum mentionem facientes, nullius meminerunt, qui talem notitiam habuerit. immo Athanaſ. in Orat. cõn. idola refert Platonem de numine dubitantem, & cogitantem cum Socrate templum Dianæ ingreſſum eſſe, & adoraſſe; nihil enim certi conſecutus erat ille magnus Plato; quamuis enim aliqui cognouerint ſtatuas, & imagines non eſſe Deos, vt refert Athana. tamen quos cenſuerunt Deos, veri non erãt, ſed aut Dæmones, aut Angeli, aut aliquid tale, quod non eſſet, ſed quod decepti finxerunt. Tertio, quia verba ſequentia Euanuiſſe in ſuis diſcurſibus, & obſcuratum cor eorum fuiſſe, indicant eos non nouiſſe Deum; adeo vt coactus fuerit Anſelmus affirmare, ſemel habuiſſe notitiam Dei, & poſtea amiſiſſe, quod ſine vllo fundamẽto videtur affirmatũ. Verius ergo cenſeo, & ad mentem Pauli, Philoſophos hos, & ſapientes multa Dei fuiſſe aſſecutos; tamen ad veram, & integram veri Dei notitiam non perueniſſe, ſed euanuiſſe, & obſcuratum fuiſſe cor eorum, propter inſipientiam, qua neſcierunt eius, cuius multa inuiſibilia aſſecuti fuerãt, virtutem, & diuinitatem indagare, & inuenire. Verbum autem Pauli (Cum Deum cognouiſſent) non obſtat huic legitimæ expoſitioni: nam duplici ratione dicuntur nouiſſe. Vna eſt, quia nouerunt Deum eſſe, & multas veritates ad eum pertinentes attigerunt; tamen cum ſuis vanis diſcurſibus, relicto vero creaturarum magiſterio, nituntur, multa falſa miſcuerunt; ideo dicuntur Deum nouiſſe, & ignoraſſe, quia nõ in totum nouerunt, nec in totum ignorarunt; inexcuſabiles tamen fuerunt, quia vnde perfecte noſſe poſſent habuerunt; Hinc eſt quod Salomon eos ignoraſſe: Paulus eos nouiſſe Deum affirmarunt; poſtea tamen idem Paulus ignorationem expreſſit eorum dicens. Euanuiſſe in ſuis cogitationibus, & obſcuratum fuiſſe cor eorum. Gentes etiã non ſapientes Deũ nouerunt, quãuis

Origen. Chryſoſt. Theodor.

Athanaſ. Gregor. Nazian.

Philoſophi an vere Deum agnouerint.

multo minus quam Philoſophi; nã nemo diuinitatem eſse negauit pręter vnum, aut alterum inſipientem; tamen ignorarunt, quia ad perfectam notitiam non peruenerunt. Altera eſt, quia multi Philoſophi cognouerunt eum, qui Deus erat, tamen non agnouerant eſse Deum, ſicut qui cognoſcit hominem qui vere eſt Rex, tamen ignorat eum eſse Regem. ita aliqui ex his nouerunt Deum, ideſt eum, qui Deus erat; nam principium æternum, & immateriale, immobile, & impaſſibile, hoc vere eſt Deus, tamen neſcierunt ipſum eſſe ſolum Deum, & diuinitatem habere omnem in ſe, & hoc eſt noſſe Deum, & non glorificaſſe vti Deum. Nec eſt noua phraſis in Scriptura loquendi. nam Dominus Ioan. 9. dixit cæco. Tu credis in filium Dei, & reſpondenti, Quis eſt, vt credam in eum? dixit, vidiſti eum. Si viderat, quare interrogabat quis eſſet, niſi quia viderat eum qui eſt filius Dei, & neſciebat ipſum eſſe filium Dei? Similiter Ioan. 14. Et viam ſcitis, & quo vadam ſcitis. poſtea Thomas dicit. neſcimus quo vadis, & quomodo viam poterimus ſcire. hæc duo vera erãt. ſcitis, & neſcimus. ſcitis, quia eum; qui erat via, & terminus cognoſcebãt, qui erat Chriſtus, tamen ignorabant eſſe talem; ita nunc hi Deum noviſſe dicuntur, tamen non glorificaſſe vt Deum, nec de eius diuinitate, & virtute ſenſiſſe, vt par erat. Hic eſt legitimus ſenſus, & interpretatio. Quantum autem ad illud Salomonis attinet; fateor Salomonem de Philoſophis locutum fuiſſe, qui corporeum Deũ putarunt Solem, Lunam, Stellas, aut aliquam partem orbis, nec incorporeum agnouiſſe principium; ideo iſti minorem multo notitiam Dei habuerunt, propterea ignoraſſe dicti ſunt. tamen Paulus, quia inter Græcos verſatus erat, qui ampliorem notitiam habuerunt de Deo, ideo affirmauit cognouiſſe; tamen, tam hi, quam illi ſapientes ignorarunt diuinitatem, & virtutem Dei, etiamſi multa vere fuerint aſſecuti. Ad maiorem autem declarationem, adhuc eſt ſequens annotatio conſideranda.

Philoſophi an vere Deum agnouerint.

Ioann. 9.

Ioan. 14.

ANNOTATIO XLIII.

Annotanda eſt hoc in loco doctrina Iuſtin. in explicat. qq. Gentium, Reſpon. 140. vbi docet, in Scriptura ignorationem quæ culpa hominis ineſt, cum potuiſſet facile Deum noſſe, dici aliquando ſcientiam, & cognitionem. quod confirmat illo Ioan. 7. & me ſcitis, & vnde ſim ſcitis, ideſt, ſcire, & cognoſcere poteſtis; de facto enim illi ignorabant Chriſtum. Hac doctrina ſuppoſita, vt is, qui cognoſcere poteſt, quamuis ignoret, aliquando noſſe dicatur, dubitatio eſſe alicui poſset, vtram ſignificationem hoc verbum (cognouiſſent) habeat, nempe an ſignificet, cum Deum cognouiſsent, ideſt cum Deum noſse potuiſsent, an potius cum de facto, & re vera cognouiſsent. Priorem ſignificationem ſequitur Photius in cathena, & Sedulius. At ſequentia verba expoſitioni huic non fauent; nam adiunxit Paulus: Cum Deum cognouiſsent, non ſicut Deum glorificauerunt; nec gratias egerunt; ſi enim de ijs, qui ignorarunt, cum noſse poſsent, loqueretur,

Iuſtin.

Ioan. 7.

Quod Philoſophi verè Deum agnouerint, ſed errarunt in eius virtute, ac diuinitate, quia corporeũ putarunt.

retur,non ſic dicendum erat,ſed culpa eorum exponenda ſic erat. Cum Deum noſse poſsent, non cognouerunt; at dum dicit; Cum Deum cognouiſsent, non glorificauerunt, nec gratias egerunt, de ijs loqui ſe manifeſtat,qui non ignorarunt omnino Deum,ſed cognouerunt,& culpa eorum hæc fuit, quod non ſicut Deum glorificauerunt. Aug. Amb. Sedulius,& alij exponunt,verũ Deũ hos cognouiſse,cognitionemq. perfectam habuiſse; exiſtimant enim, vt ſuperius diximus, Philoſophos hoſce Deum verum nouiſse, & ex malitia, ac ſcienter Deos falſos coluiſse, vt ſit ſenſus: Cum Deum verum cognouiſſent, non glorificauerunt Deum, ideſt, non impẽderunt cultum ipſi, nec gratias egerunt. At iſta expoſitio non cohæret ſuperioribus; non enim Paulus probauit eos Deum nouiſſe, ſed tantum potuiſſe noſſe, & veritatem detinuiſſe. Dicendum ergo eſt,hos nouiſſe Deum quantum ad aliqua, ſed ignoraſſe eius virtutem, & diuinitatem, quia non nouerunt eſſe verum Deũ, & artificẽ vniuerſorũ, & hoc eſt nõ glorificaſſe eũ tanquã Deum,neq. gratias egiſſe,recognoſcendo eum artificem,& auctorem omnium. Et reſpondent, vti diximus, hæc verba præcedentibus. Inuiſibilia Dei, vt virtus, ac diuinitas, nouerunt quantum ad aliqua inuiſibilia eius, ſed non virtutem eius ſempiternam, & diuinitatem. hæc autem in annotatione ſequenti adhuc magis explicabitur.

ANNOTATIO XLIIII.

Non glorificauerũt ſicut Deũ philoſophi, quomodo.

Alterum verbum eſt conſiderandum, & examinandum, nempe quid ſibi velit, non glorificaſſe ſicut Deum. De gloria,& glorificatione diximus in commentarijs ſuper Ioannẽ,& in ſermo.ſuper, Beati quorum remiſſæ ſunt. & diffuſe, ac copioſe in tractatu de Gloria. Nunc autem ſatis eſt annotare, dupliciter contingere poſſe, vt homo Deum glorificet. Vno modo quando præclare de Deo ſentit, quod faciunt fideles, quando rectã fidem, & perfectam de Deo habẽt, per quam Dei magnitudinem & perfectionem miram agnoſcunt, & confitentur. de hoc dicitur Ioann. 11. Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, vt clarificetur filius Dei per eam. ibi idem eſt verbum Græcum, quo hoc in loco vtitur Paulus, ſuntq. multa loca ſcripturæ in hac ſignificatione.

Ioan. 11.

Altero modo quando Deum honore, & cultu debito celebramus, & veneramur, ac verbo, & opere ipſius magnitudinem confitemur, & profitemur. ſic dicitur Iſa. 43. Victimis tuis non glorificaſti me. 1. Cor. 6. Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. iuxta hoc Aug. lib. vno cõn ſermonẽ Arianorũ cap. 31. dixit. Glorificare, honorificare, clarificare tria verba, ſed vna res eſt. Græca δοξάζειν. prior cognitio ad intellectum, & cognitionem: poſterior ad voluntatem, & cultum pertinet. Hoc ſuppoſito, Theodoretus in priori exponit ſignificatione, nempe præclare de Deo ſentire, quod hi Philoſophi non fecerunt, qui non vt par erat de Deo ſenſerunt, ſed figuras corporeas Deo decepti impoſuerunt. Origen. & Chryſoſt. conſentire videntur, ſed Aug. Gregor. hom. 11. in Eze-

Iſa. 43.
1. Cor. 6.
Auguſt.
Thedor.
Origen.
Chryſoſt.
Aug.
Gregor.

in Ezech. cum alijs etiam expoſitoribus in poſteriori ſignificatione vſurpare videntur, nempe, Cum Deum cognouiſſent, non impenderunt ei cultum, & honorem debitum, nec diuinitatem eius verbis, & operibus, vt par erat, profeſſi ſunt, nec ſe gratos exhibuerunt beneficijs acceptis, quæ ab eo prouenire non dubitabant; hoc eſt non egiſſe gratias, & ita Ambroſ. & Anſelmus exponunt, ſimiliter & Sedulius. Auguſt. autem in expoſit. propoſit. Paul. ad Romanos exponit. Non glorificaſſe, quia non cognouerunt hanc Dei cognitionem, quam habuerunt, ſe a Deo accepiſſe, nec pro ea gratias egerunt ei, ad eundem tendit ſenſum; ſignificatio tamen prior eſt legitima, quam Græci Doctores illi amplexi ſunt: hoc adiecto; non ſolum illos dici non glorificaſſe Deum, tanquam Deum, quia corporeum ſenſerunt eſſe: multi enim incorporeum exiſtimauerunt; ſed etiam quia non eam opinionem de Deo habuerunt, quæ ipſi debebatur: aut enim improuidum, aut ex neceſſitate agentem, aut diuinitatem eius communem alijs eſſe, aut corporeum ſenſerunt; vt verum ſit, neminem eius diuinitatem, & virtutem agnouiſſe; ſed aliqua tantum inuiſibilia eius. Gratias autem non egiſſe dicuntur, quia non cognouerunt eum auctorem omnium bonorum, pro quibus agendæ ſunt gratiæ. hoc enim ad virtutem eius pertinet; vti enim diximus, hæc verba duo referuntur ad diuinitatem, & virtutem.

Ambroſ. Anſel. Sedul. Aug.

Sed euanuerunt in cogitationibus ſuis.

ANthiteſis hæc eſt verborum præcedentium; illi enim homines Deum cognoſcentes, non glorificarunt eum, nec ei gratias egerunt, ſed potius in ſuis cogitationibus, & ratiocinationibus euanuerunt. Eſt autem optima Anthiteſis, cum enim non eam de Deo notitiam aſſecuti fuerint, quæ veri Dei eſt, euanuerunt. Græce. Vani facti ſunt, ideſt, loco veri Dei eos eſſe exiſtimarunt, qui non eſſent, & hoc per ſuas ratiocinationes, & ſyllogiſmos; diſcurrentes enim, & ſyllogiſantes, ac ratiocinantes, magiſterio Dei, quod ex creaturis fit, relicto, ſeu parum conſiderato, ſibiq. nimium fidentes, non glorificarunt, nec notitiam veri Dei inuenerunt, ſed in falſos Deos inciderunt, loco veri Dei creaturas Deos eſſe putantes. Conſonat hæc Pauli ſententia Salomoni Sap. 13. Vani, inquit, ſunt homines, in quibus non eſt ſcientia Dei. hoc nunc dicit Paulus. Vani facti ſunt, quia quæ Dei inuiſibilia nouerunt, falſo tribuentes creaturæ, ſcientiam veri Dei non habuerunt, & vani ſunt facti. Cogitationes Græce διαλογισμοὶ dicuntur, ideſt, diſcurſus, & ratiocinationes.

Sap. 13.

ANNO-

ANNOTATIO XLV.

Theod. Euaneſcere in cogitationib. quid ſit. *Orig.* *Chryſoſt.* *Anſel.* *Auguſt.*

EVaneſcere in cogitationibus, non omnes eodem modo exponunt. Theodor. ad errores Philoſophorum refert, vt euanuiſſe dicti ſint, quia Deum in figuris corporeis cognouerunt, propterea à vera cognitione Dei aberrarunt. idem Orig. & Chryſoſt. ſentire videntur. quæ expoſitio eadem eſt cum expoſitione in commentario expoſita. Anſelmus ad ſuperbiam, & elationem refert; vt ſit ſenſus: Hac Dei cognitione elati ſunt, & ſuperbierunt. & eſt hæc expoſitio Aug. lib. expoſit. propoſ. ad Rom. vbi totam ſententiam ſic exponit. Non glorificarunt Deum. recognoſcentes hanc cognitionem ab eo, nec gratias pro ea agentes, ſed ſuis cogitationibus tribuerunt. Verbi ſignificatio non fauet huic expoſitioni; nec enim Latinum, nec Græcum in ea apud auctores vſurpatũ eſt ſignificatione. Alij Ariſtotelem ſequentes definientem vanum; quod ad deſtinatum finem non peruenit, exponunt, euanuiſſe hos, quia non peruenerunt ad fructum notitiæ Dei, qui eſt cultus ipſius; non enim coluerunt eum, quem nouerunt. At iam ſuperius diximus hos Philoſophos non habuiſſe veram notitiam Dei; poteſt tamen hæc ſignificatio Ariſtotelis etiam aptari noſtræ expoſitioni; cum enim notitiam aliquam Dei habuerint, & eam perfecerint, euanuiſſe recte dicuntur, quia ad complementum non peruenit notitia Dei. Legitima tamen expoſitio eſt, eos dictos vanos eſſe factos, quia ſcientiam veri Dei non habuerunt, ſed deos putauerunt eos, qui non erant; hoc enim eſt eſſe vanum, vt ex Salomone retulimus in commentario. Paulus enim in his ſententijs Salomonem maxime imitatus eſt; in Scriptura enim, vana, & vanitates dicuntur dij falſi. 1. Reg. 12. Nolite declinare poſt vana. Act. 14. Ab his vanis conuerſi ad Deum viuum. Deut. 32. Irritauerunt in vanitatibus ſuis. Vani ergo facti ſunt, ſeu euanuerunt, vana credentes, & ſequentes quæ non ſunt.

Et obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.

EVanuerunt, ad Dei ſcientiam non peruenientes, & inde cor, & mens eorum inſipiens, & neſciens verum Deum agnoſcere, obtenebrata eſt, alios Deos fingentes ab illo vero Deo, quorum diuinitatem credidit, & ſibi perſuaſit.

ANNOTATIO XLVI.

Anſel. Obſcuratum cor quomodo intelligitur.

ANſelmus obſcuratum eorum cor interpretatur, quia quam de Deo veram notitiam habuerunt amiſerunt, quia non glorificarunt Deum, ſed elati ſunt in ſuis cogitationibus. Hæc tamen expoſitio non videtur ad mentem Pauli, qui de illis hominibus loquitur, qui notitiam veri Dei non habuerũt, quamuis eũ cognoſcerent, qui erat Deus

verus,

verus, quantum ad aliqua: & hanc notitiam non amiſerunt, ſed eam retinentes alioś ſimul deos exiſtimarunt. Theodor. Obſcuratum dicit cor eorum, quia, quamuis aliquas de Deo veritates fuerint conſecuti, opiniones tamen multas falſas, & impias habuerunt. & re vera ita eſt; nam nonnulli eorum prouidentiam eius negarunt. alij neceſſitatem, & fatum contra liberam eius poteſtatem induxerunt. alij potentiam eius in agendo depreſſerunt. alij alios errores contra diuinitatem habuerunt, & omnes diuinitatem eius non nouerunt, nec virtutem; quia aut ipſum non eſſe Deum, aut non ſolum, ſed alios cum ipſo Deos exiſtimarunt: immo in multis alijs errarunt. alij enim mortales hominum animas, alij transmigrationes introduxerunt. alij peccata multa contra legem naturalem, tamquam iuſta probarunt. ſuntq. infiniti errores horum, & de his etiam loquitur Paulus. Inſipiens autem cor eorum dicitur, non propter obſcurationem, ſed quia Deum inuenire neſcierunt; cum vnde id ſcire poſſent habuerint. ex qua inſipientia, obſcuritas, & ignoratio, mentisq. tenebræ prouenerunt.

Theod.

Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.

STultitiam, & inſipientiam eorum auget, cum enim ſe appellarent, & cenſerent ſapientes, ſtulti facti ſunt; multis enim obcæcati ſunt erroribus, quos ipſi tamquam veritates receperunt: tantoq. maior eorum fuit inſipientia, & ſtultitia, quanto ipſi ſapientes ſe eſſe profitebantur; minus enim decipitur, & inſipiens eſt, qui falſum pro vero recipit, quam is, qui, dum errat, ſcire ſe exiſtimat, & ſapientem profitetur. Particula (enim) non habetur Græce, quamuis etiam ſubintelligi debeat, more Hebræorum, qui non ſemper haſce particulas exprimunt: idem tamen eſt ſenſus. nam hæc ſententia, probatio eſt inſipientiæ prius dictæ, & ſimul exaggeratio quædam. Græce φάσκοντες, idem ſignificat ac dicentes, aut dictitantes, ſeu cenſentes & exiſtimantes ſe eſſe ſapientes.

Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis incorruptibilis Chriſti.

Mutare gloriam Dei in imaginem corruptibilis hois quid ſit.

TAxatis ſapientibus, ad omnes conuertit ſermonem, quos dixerat veritatem Dei detinuiſſe, tam Philoſophos, quam non Philoſophos. & probat alteram partem, nempe in iniuſtitia detinuiſſe. Mutauerunt, inquit, ideſt, præclarum diuinitatis nomen, cultum, adorationem, & confeſſionem, quæ Deo immortali, & incorruptibili exhibere debuerunt, conuerterunt, & collocarunt in ſimilitudinem corruptibilis hominis; talem futilem ſimilitudinem

Deum

Deum appellantes, confitentes, & tamquam Deum colentes, & venerantes. Perpende autem verba Pauli, quibus iſtorum exaggerat ſtultitiam. non dicit, mutaſſe gloriam Dei in hominem corruptibilem, quod ſtultiſſimum erat, cum Deus incorruptibilis ſit, & ſempiternæ naturæ; ſed vt omnem metam ſtultitiæ tranſcenderent. In ſimilitudinem, inquit, imaginis hominis. Græca vox ὁμοίωμα potius aſſimilationem Latine, quàm ſimilitudinem ſonat; vt ſit ſenſus: In aſsimilationem imaginis. & eſt Hebraiſmus, quaſi diceret, in imaginem hominis, non naturalem, ſed ab ipſis factam in ſimilitudinem hominis, & ipſorum manibus efformatam: adorarunt enim ligneas, & lapideas, & aureas ſtatuas, quæ nec homines, nec adhuc res aliqua naturalis eſt, ſed opera manibus hominum facta. Vide quantum à veritate Dei elongauerint ſe; natura enim Dei incorporea, incorruptibilis, & ſempiterna eſt. Quæ vero vt deos adorarunt, imagines erant rerum corruptibilium, & adhuc ab hominibus ipſis effectæ. iuxta illud Pſalm. 113. Simulachra Gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum. idem dicitur Sap. 13. illo ergo vero Deo relicto, ad hæc adoranda tamquam deos ſe conuerterunt, & diuinum nomen, & honorem in hæc tranſtulerunt. Hanc Pauli ſententiam Salomon Sap. 14. hiſce protulit verbis: Lignis, inquit, & lapidibus impoſuerunt nomen incommunicabile Dei. Ierem. cap. 2. de Iudæis in idololatriam conuerſis eamdem protulit. Populus, inquit, meus commutauit gloriam ſuam in idolum. & Dauid Pſal. 105. Mutauerunt gloriam ſuam in ſimitudinem vituli comedentis fœnum. Quam Paulus appellat gloriam Dei, Dauid, & Ieremias dicunt, gloriam ſuam, nempe hominum; gloria enim, & honor hominum eſt veri Dei confeſsio, & cultus. quanto enim Deus eſt ſublimior, quem venerantur populi, tanto eſt populorum venerantium gloria maior. vnde gloriantes in Domino dicebant Iudæi. Non eſt Deus noſter, vt dij eorum. Vides duo mala horum hominum: Deum verum nec nouerunt, nec coluerunt. & vltra hoc ad creaturas tamquam Deos colendas ſe conuerterunt. iuxta illud Ierem. 2. Duo mala fecit populus meus, & me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſsipatas, quæ non valent aquam continere. Hæc de idololatris Iudæis dixit Ieremias, quæ de Gentibus profert hiſce verbis Paulus. Impia profecto, & iniuſtiſsima commutatio hæc eſt.

Pſal. 113 *Sap. 13.* *Sap. 14.* *Ierem. 2.* *Pſal. 105.* *Ierem. 2.*

Et volucrum, & quadrupedum, & ſerpentum.

NOn hominũ imagines tantũ, ſed etiam irrationabilium animalium ſimilitudines coluerunt, & quod extremæ amentiæ eſt, viliſsimorum, & horribilium. Hæc verba non ad eoſdem pertinent homines, ſed diuerſas diuerſorum idololatrias deſcribit, quales inter Gentes, & nationes mundi fuerunt; quamuis multi omnia hæc ſimul adorauerint. immo ipſa animalia multi adorarunt, vt cõſtat de Aegyptijs. Athan. alias numerat, immo & Salomõ Sap. 13 quas omnes ſub creaturę vocabulo cõprehẽdit inferius ipſe Paulus.

ANNOTATIO XLVII.

ADuerte tria. Vnum eſt, multos Gentiles ipſa ſola lignea, & lapidea Deos eſſe exiſtimaſſe; aliquos autem Philoſophos non ipſa deos, ſed in ipſis deos repræſentari ſenſiſſe. tamen omnes, tam hi, quàm illi, vti Deum adorarunt, & adoranda crediderunt. Hæc docet Athan. in orat. con. idololat. Alterum eſt annotandum, illud (in ſimilitudinem) Græce non haberi in accuſandi caſu, ſed in caſu dandi, qui vſurpatur apud Latinos pro auferendi caſu, vnde aliqui interpretandum cenſent: In ſimilitudine. vt ſit Hebraiſmus in hunc ſenſum. Gloriam Dei ſimilitudine imaginis mutarunt. ideſt, exiſtimarunt Deum eſſe corporeum, qui ſimilis eſſet his corporum figuris. cui conſonat illud Act. 17. Non debemus exiſtimare auro, aut argento, aut lapidi ſculpturæ artis, & cogitationibus hominis diuinum eſſe ſimile. Hæc tamen moderna interpretatio non eſt accommodata. Paulus enim hoc verbum deſumpſit ex Pſal. 105. vbi idem prorſus eſt verbum, & in eodem caſu apud Septuag. Et fecerunt, inquit, vitulum, & adorauerunt eum, & mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. vbi quod dixerat adorauerũt eum, repetijt dicens: Commutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli, ideſt, qua adoratione proſequi debuerant verum Deum, eam impenderunt ſimilitudini vituli. Certum autem erat, Iudæis Deum Iacob, non eſſe ſimilẽ vitulo. hoc nunc dicit Paulus, relicto vero Deo coluiſſe, & gloriam, ac venerationem debitam vero Deo transtuliſſe, & dediſſe iſtis ſimilitudinibus; cultum enim, & gloriam Dei appellat nomen, cultum, venerationem, ſacrificium, quæ in Dei confeſſionem, & gloriam, ac recognitionem fiebant. Tertium eſt, illud (In ſimilitudinem imaginis) aliquos interpretatos, in ſimulachrũ repræſentans hominem volucrem, &c. tamen re vera nõ eſt hic ſenſus; amplius .n. aliquid ſignificat Paulus, vti diximus in cõment: quod Dauid dixerat: Fecerũt vitulum, & adorauerunt eum. & ita Græci Doctores exponunt, & antiqui Latini. Præpoſitione autem illa, ἐν vſus eſt loco εἰς, ideſt, in, pro, ad ſicut & Septuagin. interpretes in illo Pſalmo allegato.

Athan.

Pſal. 5.

Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.

ENormia peccata, in quæ iuſto Dei iudicio, propter idololatriã prolabi permiſſi ſunt, Paulus enarrat, vt tanto magis Gentes

iræ

iræ Dei obnoxias,& Euangelio ſalutis indigere manifeſtet. Inquit ergo: Propter quod, ideſt, propter peccatum, quia commutauerunt gloriam Dei, & veritatem in iniuſtitia detinuerunt; Deus eos puniuit ſpirituali pœna, ſinendo, & permittendo illos trahi à concupiſcentijs cordis eorum, ideſt, voluptatibus carnis permiſit, vt in ſequentibus verbis exponit. Eſt autem generalis pœna Philoſophis & non Philoſophis idololatris.

ANNOTATIO XLVIII.

Tradere homines in deſideria cordis quid ſit.

NOn dicitur Deus tradere hominem, quaſi inducẽs in peccatum, ſed permittens eum operari ex ſuo proprio appetitu, nec retrahens auxilio ſuæ gratiæ. Tradere ergo non eſt agere, ſed permittere, & ſinere hominẽ agere, vt Aug. in lib. expoſit. ep. ad Rom. & Chryſ. & cæteri Patres expoſuerunt. Eſt autem proprior locutio Græca: non enim in accuſandi caſu, ſed dandi dicitur: Tradidit in deſiderijs, quia homo non à Deo impulſus eſt in ea, ſed in eis demiſſus. Deſiderium autem potius concupiſcentia dicitur, idq. vox Græca ſignificat. Hanc explicationem docuit etiam Dauid Pſal. 80. eamdem ſententiam verbis alijs pronuncians. Dimiſi, inquit, eos, ſecundum deſideria cordis eorum. Recte autem dicitur (cordis eorum) non abſolute (cordis) vt has concupiſcentias à natura hominis corrupta per peccatum, non à Dei gratia, nec à natura integra, & perfecta emanaſſe ſciamus; quia enim homo creatus rectus, Deo inobediens fuit per peccatum; idcirco caro, & appetitus inferior rebellis contra rationem factus ei eſt, & niſi diuino auxilio gratiæ per Chriſtum dato cohibeatur, & retineatur, in abſurdiſſima, & peſſima quæque hominem impellit; propterea q. numero plurali exprimitur, vt varia, & multiplicia, in quæ tendit, mala exprimantur. Huic concupiſcentiæ effreni, propter idololatriam ſunt iſti permiſſi, maxime tamen ad carnales voluptates, vt ſtatim exponitur.

Auguſt.

Pſal. 80.

In immunditiam, vt contumelia afficiant corpora ſua in ſemetipſis.

EXponit quæ ſunt hæ concupiſcentiæ, quibus ſint traditi, & permiſſi (in immunditiam) inquit, ac ſi diceret, inter alias maxime in hanc, vt per eam corpora propria dedecore, & turpitudine afficiant. Permiſſi igitur ſunt concupiſcentiæ carnali; & hoc, vt propria corpora ignominia afficiant, ſuiſq. proprijs corporibus dedecoris, & fœditatis notam inurant; hoc eſt, afficere corpora contumelia in ſemetipſis, vt magis in annotatione explicabitur; per fornicationem enim ipſummet corpus fornicantis dedecoratur, & deturpatur. Particula (vt) finem permiſsionis huius particularis peccati indicat: nempe, Deus ideo permiſit eos carnis concupiſcentiæ, & immunditię carnali, vt tali peccato corpora propria ſua ignominia, & dedecore afficiant.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIO XLIX.

Afficere corpora ſua in ſemetipſis quid intelligatur.

Chryſoſt.

PArticulam illam (in ſemetipſis) varie exponunt Doctores, & inde prouenit, vt & ipſa ſententia etiam in varios explicetur ſenſus. Chryſoſt. ſerm. 3. exponit ſic. In ſemetipſis, ideſt, inter ſeipſos, vt vnus alterum deturpet, adinuicéq. contumeliam patiantur. Anſelmus aliter exponit. nempe (in ſemetipſis) ideſt, ſine alterius commiſtione ſe polluant; quod peccati genus dicitur mollicies. de quo 1. Corinth. 6. legitur: Neque fornicarij, neque idolis ſeruiẽtes, neque adulteri, neque molles regnum Dei poſſidebunt. Neutra expoſitio ad mentem Pauli videtur; illud enim (in ſemetipſis) non ad perſonas, ſed ad corpora refertur, vt ſit ſenſus. Contumelia afficiant corpora ſua, in ipſiſmet corporibus. quod idem Paulus 1. Corinth. 6. expoſuit dicens: Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus ſuum eſt; qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Et ita eſt; nam ipſum corpus in ſe recipit ignominiam; fit enim caro meretricis: nam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur cum ipſa. Qui igitur fornicatur, membra ſua facit membra meretricis, & ipſi ſuo corpori dedecus infert. Et hic eſt legitimus ſenſus; his enim verbis Paulus nondum loquitur de peccatis carnalibus contra naturam, ſed de fornicationibus, & adulterijs, ac ſtupris, quibus corpus in ſeipſo deturpatur. Vt enim poſtea dicemus, ordine quodam pœnæ aggrauati ſunt, vt primo in peccata ſimplicia carnis ſint traditi: poſtea, dum in ſua perſeuerant idololatria, in peccata contra naturam: tandem in reprobum ſenſum. quanto enim pertinacius in ſuis hęrebant idololatrijs, tãto grauioribus à Deo correcti ſunt pœnis: non enim ſimul omnia hæc inflicta ſunt; & idcirco Paulus non omnia ſimul enumerat, ſed per interualla quędam. Præterea, quo idololatria grauior, & enormior, eo etiam pœna maior fuit. Vt autem ex Salom. Sap. 13. conſtat, illa fuit idololatria peſſima, qua ſimilitudines ab ipſis hominibus factas, tamquam deos adorarunt, & coluerunt. hi enim maiori ignominia Deum affecerunt. idcirco in magis ignominioſa peccata labi ſunt permiſſi. Contumelia Græce eſt ἀτιμία. quæ dedecus ignominiamue ſignificat, & eſt honori contraria. Græce eſt verbum vnicum, quo vtitur Paulus ἀτιμάω, ideſt, ignominia afficio.

Anſel.

1. Cor. 6.

Sap. 13.

Qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potius quàm creatori.

CAuſam exponit, cur traditi ſint: & hæc verba artificioſe complectuntur duo ſuperius dicta. Vnum fuit, detinuiſſe veritatem Dei, & ſapientes euanuiſſe in ſuis diſcurſibus: hoc autem eſt veritatem Dei mutaſſe in mendacium: quia ignorantes

tes verum Deum, crediderunt,& recognouerunt deos eos,qui non erant; ideo mendacia dicuntur. Alterum fuit, gloriam Dei mutaſſe in ſimilitudinem hominis, &c. hoc generaliter appellat ſeruiuiſſe, & coluiſſe creaturam potius, quàm creatorem; propter hæc ergo traditi ſunt concupiſcentijs ſuis in immunditiam. Dixerat iam cauſam in illa particula (Propter hæc) tamen eam hiſce verbis explicatius exponit, more Hebræorum. Relatiuum autem (qui) non ſolum refert eos, qui traditi ſint huic immunditiei, ſed vim habet particulæ cauſalis, vt indicet eam eſſe cauſam, propter quam ſunt traditi: nempe quia veritatem Dei commutarunt mendacio,& vero Deo poſthabito, deos falſos receperunt; cultumq., quem Deo vero tamquam creatori exhibere debuerunt, creaturis ipſis præſtiterunt. Duo ergo commiſerunt: Vnum ad intellectum: Alterum ad voluntatem ſpectat. Ad intellectum illud pertinet, quod notitia veri Dei relicta, falſitatibus,& erroribus eam obſcurarunt; ſeq. dementarunt; illos Deos eſſe credentes, qui non erant. Ad voluntatem autem, quia vera religione poſtpoſita, per quam vero Deo cultus, & obſequium impenditur, ad falſam & impiam ſe conuerterunt: cultum, & obſequia impendentes creaturis, quæ erant propria creatoris. Quia ergo ignominia, quantum eſt ex ſe, verum Deum affecerunt; ideo verus Deus eos permiſit ignominia, & dedecore propria ſua afficere corpora. Attende, duo hæc verba (coluerunt, & ſeruierunt: vnum ad cultum: alterum ad venerationem,& adorationem referri; coluerunt enim, & adorauerunt Deos falſos. Creatura generale eſt vocabulum, complectens tam idola quàm quaſcunque res, ad quas per idololatriam Gentes ſunt conuerſæ, etiamſi rerum imagines non fuerint.

ANNOTATIO XXXV.

ILlud verbum (Potius quàm creatori) non ſignificat, illos coluiſſe creatorem minus quàm creaturam; quaſi ſit ſenſus: vtrumque coluerunt, ſed potius ac magis creaturam. non inquam hic eſt ſenſus: ſed, quod relicto creatore, nulloq. cultu ei impenſo, ad creaturas totos ſe conuerterunt colendas. Id quod in Græco magis exprimitur; nam idem eſt, ac ſi dicas, coluerunt creaturam extra creatorem. Vnde Hilarius lib. 12. de Trinitate ſignificantius vertit. Præterito, inquit, creatore. & Cyprianus lib. 3. contra Iudæos ad Quirin. cap. 10. legit: Seruierunt creaturæ, relicto creatore.

Hilar.

Cyprian.

Qui

Qui eſt benedictus in ſecula, amen.

Coniuncta ſunt hæc verba ſuperioribus. Seruierunt, inquit, creaturæ potius, quàm creatori, qui creator eſt benedictus in ſecula, amen. Ne enim, quia huiuſmodi homines Deum contumelia affecerunt, eius veritatem in mendacium commutantes, & creaturæ, eo poſthabito, ſeruientes, ipſum Deum minus aliquid in ſe habere aliquis exiſtimaret; propterea adiunxit Paulus: Qui eſt benedictus in ſecula, amen. ideſt, in æternum in ſeipſo glorioſus eſt, ac beatus, nihil mali, aut boni in ſe ab vllo extra ſe recipiens. & hoc (amen) ideſt, certo, & immutabiliter. eius enim gloria nec amitti, nec variari in ſe poteſt; nec augetur hominum pietate: nec minuitur impietate eorumdem. Pſal. 101. Mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Particula (amen) eſt affirmantis ſtabilitatem maieſtatis Dei, & eius gloriæ immmutabilitatem.

Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.

Verba hæc ad eoſdem referuntur; vt enim oſtendat Paulus, procedentibus hominum peccatis, Deum pœnas etiam auxiſſe, idcirco ipſe hac vtitur repetitione; pœna tamen hæc grauior eſt. Rurſus etiam, quia, quamuis idololatris ſit inflicta, non tamen omnibus: nam inter eos quidam grauius, quidam magis grauiter peccarunt: quidam minus, quidam magis excuſabiles extiterunt. vt conſtat ex Sap. 13. Permiſit ergo Deus idololatras propter prædicta peccata paſſionibus ignominiæ: prius quidem cupiditati cordis traditi dicuntur; nunc autem paſſionibus. Græce habetur in ſingulari, hoc autem multo peius eſt; πάθη enim morbum, ſiue ægritudinem, ſeu perpeſsionem ſignificat: inde affectus animi paſſiones appellamus; quaſi morbi quidam, & ægritudines ſint animi, & rationis non valentis ſuo vti munere; ſicut corpus ægrum ſuas non poteſt exercere operationes. Traditus ergo homo paſsionibus, non ratione ducitur, ſed velut animal irrationale, & omnis rationis expers, quo impetus affectionis impellit, fertur. Eſt autem Hebraiſmus (Paſsiones ignominiæ) ideſt, ignominioſas; ab effectu; quia homines ignominioſos ſine honore, ſine decore, immo fœdos, & abominabiles omnibus facit; talia ſunt peccata, in quæ paſsiones hæ impellunt, quæ ſtatim exponit Paulus. Aduertendum autem eſt, illos prius traditos eſſe immunditiei, vt corpora ſua ignominia afficerent. at nunc

Sap. 13.

tradi,

Digitized by Google

tradi, non vt corpora ſua, ſed vt ſe totos dedecorent, ac deturpent, & infames efficiant. tales enim peccata carnis contra naturam homines reddunt, & merito, quia pręter corporis fœditatem, eſt etiam dedecus animæ: qui enim contra naturam opera talia perpetrat, ſe rationis expertem animam habere demonſtrat, & tanto irrationabiliorem beſtijs, quanto minus beſtiæ talia faciunt. Fuit autem hæc pœna eis proportionata; ipſi enim gloriam Dei in ea, quæ inferiora beſtijs ſunt, mutarunt, adorantes ſimilitudines beſtiarum, quæ beſtijs ſunt viliores; idcirco traduntur paſſionibus ad ea patranda, quæ beſtiæ ipſæ abhorrent. Hoc in loco vtitur Paulus nomine ἀτιμία ab eodem verbo deriuato ἀτιμίω, quo ſuperius vſus eſt in priore traditione.

ANNOTATIO LI.

Aliqui moderni, ſenſum legitimum Pauli non aſſecuti, hanc ſuperiorem ſententiam repetitionem, & explicationem præcedentis exiſtimant; vt ſit ſenſus. Propterea, inquit, tradidit eos De⁹ in paſſiones ignominiæ; quaſi declaret quæ dixerat. Sed hanc expoſitionem alienam eſſe à mente Pauli, ipſa verba cõuincunt: nam peius, & grauius eſt tradi eos paſſionibus ignominię, quam tradi cupiditati cordis, vt corpora propria ignominia afficiant. Perpendit hoc recte Orige. nempe diſtinctam eſſe pœnam, & traditionem, & re vera *Origen.* ita eſt; πάθη enim, ſeu πάθημα, ſeu πάθος diſtinguitur ab ἐπιθυμία. vt conſtat ex Paulo ad Gal. 5. Cruci- *Galat. 5.* fixerunt carnem cum vitijs, & concupiſcentijs. Græce non vitijs. ſed παθήμασι legitur, & pro concupiſcentijs ἐπιθυμίαις.

Nam & feminæ eorum immutauerunt naturalem vſum, in eum vſum, qui eſt contra naturam.

SVperiorem probat ſententiam; exponens peccata in quæ paſſiones ignominiæ, quibus traditi ſunt, eos impulerunt; probatio autem ſumitur ab effectibus ipſis, in quos ignominioſæ iſtæ paſſiones proruperunt, & eſt ſenſus talis. Nam quæ inter eos erant feminæ, ſe inuicem contra naturam polluerunt: feminæ contra feminas exardeſcentes; hoc enim ſignificat quando dicit: Relicto vſu naturali, qui eſt in commiſtione cum viro, ſecundum generationis vaſa, feminas prorupiſſe in vſum contra naturam; de maſculis eſt ſententia proxima. Dicit autem (immutaſſe) ad indicandam conſuetudinem prauam; non enim ſemel, aut iterum, ſed frequenti abuſu, & conſuetudine nefanda peccarunt. Et notanda eſt particula (&) quæ in Græco legitur, auget enim ſententiã, quaſi diceret;

Adeo ſunt traditi paſſionibus ignominiæ, vt etiam feminæ, quæ naturaliter honeſtiores eſſe ſolent, relicta omni honeſtate, omnes naturæ limites tranſcenderint, in concupiſcentijs.

ANNOTATIO LII.

Ambroſ. Theodul. Anſelm.

ALiqui vſum hunc cõtra naturam exponunt, quo feminæ cum maſculis indebitè commiſcẽtur, at Ambroſ. Theodul. & Anſelm. accommodatius exponunt, de commiſtione feminarum inter ſe; nam vt ex ſequentibus verbis deducitur, ſeparata eſt ſententia maſculorum, & feminarum; vt ſicut illi inter ſeſe, ita & hæ inter ſeſe etiam commiſtæ ſint. Obijciet autem aliquis, & merito: cum dictum ſit. Tradidit eos Deus in paſſiones ignominiæ, idque Paulus hiſce verbis probare velit; cur dicit. (Nam feminæ eorum) potius enim dicendum videbatur. Nam & ipſi; non enim quia eorum feminæ traditæ ſunt, propterea ſequitur eos eſſe traditos. Chryſ. reſpondere videtur. eos dici traditos, quia ex conſenſu eorum feminæ hæc perpetrabant. At verus & legitimus ſenſus eſt iſte, quæ inter eos erant feminæ, immutauerunt vſum naturalem: & qui inter eos erant maſculi, exarſerunt in maſculos; vt iſti ſint ijdem, quos dixerat traditos paſſionibus ignominiæ, ac ſi clare diceret: Tradidit eos Deus paſſionibus; tam enim feminæ, quam maſculi contra naturam carnalibus concupiſcentijs ſe polluerunt; commune enim fuit peccatum: nam & feminæ, & maſculi mutauerunt gloriam Dei in ſimilitudinem imaginis hominis.

Similiter & maſculi, relicto naturali vſu feminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis in inuicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes.

QVi etiam inter eos maſculi erant, relicto vſu naturali feminæ, inuicem ſe polluerunt. Illud additamentum (feminæ) dum dicitur (relicto vſu naturali feminæ) indicat, in ſuperiori ſententia (feminæ immutauerunt vſum naturalem) addendum eſſe (maſculi;) vt enim hi vſum naturalem feminæ, ita & feminæ vſum naturalem maſculi mutauerunt: feminæ feminis, maſculi maſculis ſe coniungentes; idq; etiam aduerbium illud (ſimiliter) comprobat. Ponderandum eſt autem cum Chryſ. verbum in vtraque ſententia (Vſu naturali) quod illorum immoderationem maxime arguit. quaſi diceret. Cum haberent naturalem modum, quo ſuas ſufficienter explerent voluptates, modos naturæ aduerſarios inuenerunt; ſicut etiam ſuperius, dum de dogmate loqueretur, dixit. Cum ex viſibilibus Deum potuiſſent cognoſcere, vanas ſuas ſunt ſecuti ratiocinationes. Attende autem, verbum (Exarſerunt) quo

vis con-

Digitized by Google

vis concupiſcentiæ ſupra modum omnem licentioſa exprimitur; hoc enim eſt, in concupiſcentijs exardeſcere; et ita eodem, conſuetudo, & frequentia ſignificatur. Eſt autem Hebraiſmus illa adiectio præpoſitionis; Latinus enim ſermo in caſu efficiendi non vtitur præpoſitione; non enim dicimus, in calore lignum comburi, ſed calore, ita iſti concupiſcentia ſua immoderatiſſima exarſerunt.

Et mercedem, quam oportuit erroris ſui in ſemetipſis recipientes.

PRoportionatam Dei vindictam idololatriæ, & errori illorum fuiſſe docet. (Mercedem, inquit, quam oportuit,) ideſt, pœnam condignam errori ſuo receperunt in ſe, & ſuis corporibus; hi enim ordinem peruerterunt cum ignominia quadam in Deum illata; nam relicto creatore, ad creaturam ſe conuerterunt: iuſta etiam & proportionata eſt recompenſatio, vt permittantur etiam ordinem naturæ inuertere cum dedecore, & ignominia propria ipſorummet.

ANNOTATIO LIII.

GRæcum vocabulum ſignificātius eſt, quam Latinum; vbi nos habemus, mercedem, Græci habent ἀντιμισθίαν, ideſt, recompenſationem. Quantum autem ad explicationem attinet, Theodoretus *Theodor.* hanc mercedem, & recompenſationem refert ad peccata ipſa carnalia. Vt ſit ſenſus. peccata turpia, & contra naturam committentes, receperunt dignam compenſationem, nempe ignominiam, & infamiam, quæ ex talibus peccatis conſequitur. *Chryſoſt.* Chryſ. tamen ſerm. 4. quē *Ambroſ.* Ambroſ. *Sedul.* Sedulius, & alij ſequuntur, ipſa ignominioſa peccata recompenſationem eſſe affirmant idololatriæ illorum. & hæc expoſitio accōmodatior videtur verbis Pauli: nam mercedem dicit erroris eorum; error autem is eſt, quo idola vt Deos receperunt, & coluerunt, ac propriam hanc recompenſationem acceperunt, vt permiſſi à Deo in ignominioſa peccata prolaberētur. Quare autem hæc ſit condigna vindicta, exponit Anſel. Quia, inquit, ſicut auctorem naturæ reliquerunt, ita & ordinem naturæ relinquere in ſuis cōmiſtionibus permiſſi ſunt. *Anſel.* Ambroſ. aliter exponit. *Ambroſ.* Sicut idololatria grauiſſimum fuit peccatum, ita in ſordidiſſima peccata permiſſi ſunt labi. Accommodatior tamen eſt expoſitio in commentario poſita.

Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum.

NOuam adhuc refert vindictam, & cauſam exponit. Particula autem (&) copulat, & auget. Eſt autē Hebraiſmus; ſupplenda eſt enim particula (Ita) Sicut non probauerunt, ita tradidit eos

in reprobum ſenſum. Eſt autem ſenſus hic, ſicut ipſi non habuerũt rectum iudicium in Dei noritia aſſequenda; ita etiam Deus tradidit eos in non rectum iudicium circa agenda; vt ſicut male iudicarunt, & peruerſum iudicium fecerunt in Deo vero agnoſcendo, ita peruerſum ſequantur iudicium in ſuis moribus, hoc eſt nõ probaſſe Deum habere in notitia, & eos traditos eſſe in reprobum ſenſum. Et notanda eſt elegantia ſermonis tam Latini, quam Græci. Quia non probauerunt, traditi ſunt in reprobum ſenſum. Græce mentem legimus, non ſenſum. In reprobam mentem. Cætera in annotatione inuenies.

ANNOTATIO LIIII.

OMnes expoſitores hanc ſuperiorem ſententiam expoſuerũt, tanquam ſeparatam à præcedenti, vt ſit tertia pęna, & traditio, & nos, quia probabilis eſt, eam ſumus ſecuti. Tamen non videtur diſſimulanda alia expoſitio, quæ nobis non minus probabilis, immo forſã legitima videtur; vt hæc ſentẽtia ſit præcedentis explicatio; nempe cur dictum ſit eos recepiſſe recompenſationem ſuo dignam errore, ſeu quã oportebat recipere; hoc exponit reddens cauſam; particula enim (&) aliquando cauſam indicat loco (quia) & eſt ſenſus: Iſti recompenſationem acceperunt ſui erroris, & idololatriæ, quia ſicut non probauerunt Deum noſſe, ita Deus tradidit in reprobum ſenſum, vt faciant quæ non ſunt conſentanea, & quæ illos dedecent, qualia peccata illa turpia narrata, & inſuper alia multa, quæ etiam ſequuntur, nimirum repleti omni iniquitate, auaritia &c. Hæc annotaſſe ſatis ſit.

ANNOTATIO LV.

Philoſophi & peccatores quomodo non probauerunt habere Dei notitiam.

ALiqua ſunt in ſuperioris ſententiæ explicatione adnotãda. Vnum eſt, illa verba (Non probauerũt Deum habere in notitia) tripliciter exponi. Vno modo in hunc ſenſum. Exiſtimarunt Deum non noſſe eorum peccata, & crimina quæ perpetrabant; putarunt enim Deum non gerere curã horum inferiorum, & ideo ſe impune facere omnia illa turpia, quæ narrata ſunt, arbitrati ſunt; proptereaque Deus tradidit in reprobum ſenſum aliorum peccatorum, & criminum. ita Ambroſ. exponit. Et quamuis verbis aliquo modo poſſit hæc accommodari expoſitio, tamen non omnino, quin aliqua verbis fiat violentia. Altero modo, qui hos Philoſophos Deũ nouiſſe, & de his hanc ſententiam interpretandam affirmant, exponunt (Non habuiſſe Deum in notitia) ideſt, nõ ſibi propoſuiſſe ante oculos Deum; qui enim male operatur, Deum ante oculos mentis non ſibi proponit. Sed nec hæc expoſitio accommodatur; non enim hi notitiam Dei habuerunt, vti ſuperius diximus. Tertio eſt expoſitio Chryſ. Theodoreti, & communis Græcorum, vt ſit ſenſus. Neglexerunt, nec curam

Chryſoſt. Theodor.

curam adhibuerunt Dei veri notitiam habere, & eum noſſe. ita Baſil. hæc verba interpretatur in oratione de iudicio Dei, & regul. breui. reſp. 20. & Gregor. Nyſſ. in enarratione vitæ Moyſi. Hæc expoſitio legitima videtur. Verus ergo ſenſus eſt, ſicut illi non probarunt Deum habere in notitia, ideſt, culpa ſua Deum non nouerunt, nec de eo recte ſenſerunt; ita etiam Deus eos tradidit in reprobam mentem, vt non recte etiam ſentiant in agẽdis, & in moribus ſuis, &, vt dicit Greg. lib. 25. Mora. cap. 9. Sicut errarunt in Dei cognitione, ita traduntur vt errent in agendis. Sunt autem annotanda verba Baſil. in Iſai. cap. 5. cuius verba ſunt. Qui ſepti nõ ſunt vi rationis, & Angelica virtute, hi vtique expoſiti ſunt perturbationibus animi abſurdis prorſum, perq; redundantem graueolentiam peccati, exponuntur deprędantium manibus, vt tanto amplius ſe voluntent, ac verſentur in cęno peccati, ſeque penitius vili luto contegant. Huic ſimile eſt, quod ait Apoſtolus, & ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit eos Deus in paſſiones ignominiæ, vt faciant ea, quæ non conueniunt; hoc eſt, à ſe excutientes fidelem animæ cuſtodiam, quæ proficiſcitur ex inſtinctu rationis, expoſiti ſunt pecuinis cogitationibus, & improbandæ culturæ Dæmoniorum, quæ ad omnem immunditiam efficacia ſunt.

Gregor. Nyſſen.

Pęna eorum, qui non curarunt Dei notitiam habere.

Gregor.

Baſil.

ANNOTATIO LVI.

Alterum adnotandum eſt circa (reprobum ſenſum) Græcę non ſenſus, ſed mens legitur; apud Latinos autem etiam ſenſus aliquãdo pro ipſa mente vſurpatur. Eſt autem Græcę reprobus ἀδόκιμος, à verbo δοκιμάζω quod idem ſignificat ac Latine probo, cenſeo, iudico, inde ἀδόκιμος, quaſi non habens iudicium, nec probationem, quia probat non probanda, iudicat non iudicanda; quod Latine peruerſum dicimus; mens ergo reproba à prauo iudicio dicitur, quod dupliciter fieri contingit. Vno modo, in generali circa mores, quando iudicamus multa licere, quæ non licent; multa iniqua eſſe, quæ iuſta ſunt. Altero modo in particulari; nemo enim operatur niſi præcedente iudicio intellectus particulari, quo iudicat ſibi tunc id eſſe faciendum. quod iudicium in praue operantibus ſemper eſt falſum: omnis enim malus eſt ignorans, poteſtque fieri, exiſtente iudicio generali vero, hoc particulare eſſe falſum, vt qui ſciens furari eſſe malum, tamen iudicat nunc furandum ſibi eſſe, & furatur. aliquando vtrunque eſt falſum, vt ſi quis furtum licere crederet, & ſimul iudicaret eſſe ſibi tunc furandum. Eſt ergo mens reproba aliquando propter iudicia particularia; aliquando propter vtraque. & ita in præſenti ſumitur; iſti enim in mentem reprobam, propter idololatriam ſunt traditi, quia multa illicita, & contra naturam peccata exiſtimarunt licita eſſe, & iuſte fieri poſſe; multi enim illorum, peccata fornicationis, & nefanda exiſtimarunt non eſſe vitia; aliqui etiã furta probarunt; aliqui vindictam propria auctoritate facere laudarunt. Multa deniq; ſimilia

Mens reproba ſiue ſenſus reprobus quomodo intelligatur.

ſimilia iudicia habuerũt generalia: multa etiam peccata impunita fore omnino crediderunt,& Deũ pro peccatis pœnam nullam inferre putarunt. Iudicia vero particularia talia fuerunt, qualia generalia; idcirco mentem reprobam habuerunt. Dicitur reproba aut actiue, quia reprobanda probat vt fiant: aut paſſiue,quia reprobanda talis mens eſt. Attende autem non dici mentem reprobam, propter vnum aut alterum reprobandum iudiciũ; ſed propter habitum,quando eo eſt iam in ſtatu, vt firmiter inhæreat in peruerſitate ſua. Huius reprobæ mentis, quæ cauſa fuit enormium, & multiplicium peccatorũ, quæ ſtatim Paulus narrat, meminit etiam Salomon Sap. 14. ſub verbis alijs dicens: Et ſuffecerat eos errare circa Dei ſcientiam, ſed & in magno viuentes inſcitiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant; aut enim filios ſuos ſacrificantes, aut obſcura ſacrificia facientes, aut inſaniæ plenas vigilias habentes, neque vitam, neque nuptias mundas cuſtodiunt; ſed & alius alium per inuidiã occidit, aut adulterans contriſtat, & cætera, quæ multa ibi numerat.

ANNOTATIO LVII.

Gregor. Quæ ſint peccata tantum, quę pœna peccati, quę peccatum & pęna ſimul.

GRegor. hom. 11. in Ezech. & lib. 25. Mora. cap. 9. veram doctrinam ex hoc loco,& præcedẽtibus annotat. Nempe aliqua eſſe peccata tantum; aliqua peccata,& cauſam peccati; aliqua peccata,& pœnam peccati; aliqua & peccata, & pęnam,ac cauſam ſimul peccati. Peccata tantum ſunt, quæ aliquis committit,tamen commiſſa ſtatim delet per pœnitentiam. Peccata vero & cauſa peccati, quæ aliquis committit, tamen quia per pœnitentiam cito non delet, hominem inducunt vt noua committat,illa ſunt peccata,& cauſa peccati. Peccata vero,& pœna peccati ſunt ea, in quæ aliquis labitur propter aliquod præcedens peccatum, tamen quia hæc,& præcedentia per pœnitentiam delentur,ibi ſiſtitur,nec aliud conſequitur peccatum: quod ſi adhuc impęnitẽs eſt, illud peccatum, quod erat pęna peccati,cauſa ſit noui peccati; & tunc peccatum pœna,& cauſa peccati fit. Trium horũ exempla habemus in his Pauli verbis: hi enim homines veram Dei notitiam reliquerunt, nec ſicut Deum glorificarunt; hoc peccatũ factum eſt cauſa peccati: propter id enim commutarunt gloriam Dei in ſimilitudinem imaginis: hoc pęna eſt; & rurſus cauſa: quia propterea tradidit Deus eos in paſſiones ignominiæ,vt faciant quæ contra naturam ſunt.hoc autem eſt pęna peccati; vltima enim ſunt peccata,& pœna peccati. Doctrina hæc vera eſt, cum enim qui in peccato eſt vires non habeat per ſe ſolum reſiſtendi tentationibus,gratia Dei nõ adiutus,cito labitur in peccatum,niſi per pœnitentiam peccato deleto ad gratiam Dei reſtituatur. Mihi vnum adhuc videtur in hac parte dicendum, nempe aliud eſſe effectum peccati eſſe, aliud pęnam eſſe peccati; non enim quodcunque peccatum, in quod labitur homo ex præcedenti peccato, dicitur pœna peccati: niſi in quo labi iuſto Dei iudicio propter commiſſum præcedens ſinitur.

Vt ſa-

Vt faciant ea, quæ non conueniunt.

QVæ mala,& peccata enormia ex hoc reprobo ſenſu,& mente ſequantur exponit. & prius quidem in generali; poſterius in particulari. In generali quidem, hoc eſt; (vt nempe ea faciant quæ non conueniunt) ideſt, ea quæ probanda nõ ſunt, nec conſentanea; cæca enim mens in omne præcipitium ſecura, & prõpta fertur, maxime à Deo derelicta, & paſſionũ vehementia agitata. (Quæ non cõueniunt) ſignificantius Græce exprimitur, nempe vt faciant indigna ſe: ſeu, quæ eos dedecent, ſeu non ſunt conſentanea, qualia ea ſunt, quæ rationi maxime aduerſantia ſunt.

Repletos omni iniquitate.

IN particulari exponit, & enarrat ea quæ non conueniunt, in quæ iſti homines per reprobum ſenſum ſunt traditi. Et incipit à genere peccatorum. (Repletos, inquit, omni iniquitate) ſeu iniuſtitia; iniuſtitia ſeu iniquitas genus eſt cætera quæ ſequuntur comprehendens. vti enim iuſtitia omnem virtutem: ita iniuſtitia omne vitium complectitur. omni hi erant iniuſtitia repleti; dicuntur repleti propter multitudinem peccatorum, & propter augmentum, & accrementum in ſingulis peccatis, & vitijs. Refertur autem, ſi ſermonem Latinum conſideramus, ad verbum (tradidit) nempe Tradidit repletos omni iniquitate, quod nõ ſic eſt intelligendum, quaſi, poſtquã fuerint repleti omni iniquitate, traditi ſint in reprobum ſenſum; ſed quod propter peccatum idololatriæ, & quia non probauerunt Deum habere in notitia, traditi ſint in reprobum ſenſum, vt faciant quæ non conueniant, & repleantur omni iniquitate, & iniuſtitia.

ANNOTATIO LVIII.

AT in Græco ſermone hęc omnia referri videntur ad verbum (faciant) quod eſt in infinitiuo, ac ſi dicas. Facere quæ non cõueniunt, repletos omni iniquitate: ſiue faciant quæ non conueniunt, repleti omni iniquitate &c. & ita in caſu nominandi legit iſta Cypri. epiſt. 68. Origen. exponit cauſaliter in hunc ſenſum. *Origen. Cyprian.* Tradidit in reprobum ſenſum, vt faciant quæ non conueniant, quia erant repleti omni iniquitate, & cæteris peccatis. Tamen nõ eſt probanda expoſitio; ſi enim hæc omnia ſunt cauſa cur in reprobum ſenſum tradãtur, non ſupereſt aliud quod iſti fecerint, quod non conueniat. Dicendum ergo eſt, iſta omnia eſſe explicationem eorum, quæ non conueniunt, quæ ex reprobo ſenſu proceſſerunt.

Malitia, fornicatione, auaritia, nequitia.

ENumeratio eſt ſpecierum generis præcedentis. Sunt autem quatuor velut radices quædam, ſingulæ multorum peccatorum. Primum eſt (Malitia) Græce πονηρία quæ meo iudicio eſt vitium animi, quo homo inclinatur ad nocendum alijs, etiam ſine cauſa, ſed ex quadam in malum procliuitate, qualis eſt malitia Dęmonis, quem ea de cauſa πονηρὸν appellamus. (Fornicatio, & auaritia) quid ſit facile omnes intelligunt. Quartum eſt (nequitia,) Græce κακία, quæ aliquando generaliter ſumitur pro omni vitio, & ſic definitur à Baſil. lib. de conſtitut. Monaſt. cap. 3. eſſe virtutis deſertio: hoc tamen in loco particulare vitium ſignificat; quod meo iudicio id eſt, quo homo quæ praua ſunt libenter amplectitur, & quæ recta, auerſatur; ſunt enim homines adeo vitijs, & prauis conſuetudinibus immerſi, vt vitia, & à ratione exorbitantia libenter amplectantur, in malitia gloriantes; è contrario vero quæ rationi ſunt conſona, abhorreant.

ANNOTATIO LIX.

Theodor.

Malitia quid denotet.

THeodoretus hæc duo aliter exponit; (Malitiam) enim mentem belluinam interpretatur; (nequitiam) vero, animæ ad deteriora inclinationem, & quæ ad proximi detrimentum ſuſcipitur cogitationem. Mihi autem probabilior viſa fuiſſet interpretatio, ſi duo hæc vltima verba diuiſiſſet, & malitiam definiſſet, eſſe inclinationē ad proximi detrimentum; nequitiam autem, ad deteriora inclinationem, & tunc his quæ dicta ſunt valde eſſent conformia.

Plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate.

PRoſequitur peccatorum enarrationē, & propter ſermonis elegantiam, quæ in Græco ſermone apparet, mutat enumerandi modum: & rurſus, quia hæc maxime contra proximū ſunt, (Plenos, inquit, inuidia, homicidio.) recte autem hæc connectuntur; ex inuidia enim homicidia, & cædes proximorum ſæpe perpetrantur. Habent autem in Græco ſermone hæc duo prolationis, & vocis affinitatem; quid vero hæc duo ſint, explicare opus non eſt: reliqua autem tria explicatione indigent, quam habemus ex Baſilio. (Cōtentio) Græce ἔρις, ſic ab ipſo definitur reg. breui. reſp. 66. Quādo quis ex his, quæ oſtentationis, aut inanis gloriæ cauſa facit, etiā vt ſimiliter faciant alios prouocat, atq; irritat. (Dolus) autem Græce *Baſil.*

Cōtentio, dolus, & malignitas quę?

δόλος,

δόλος, ſic ab eodem ibidem reſp. 77. deſcribitur: Eorum quæ ad inſidiandum infertur exquiſita diligentia; quotieſcunq; videlicet quis per ſimulationem alicuius boni, eo perinde ac eſca quadam alicui obiecto, quæ ad inſidias pertinent, exequitur. (Malignitas) Græce κακοήθεια ibidem ſic ab eo deſcribitur: Primum, & latens in moribus vitium. Forſan his verbis voluit ſignificare Baſilius verſutiam. Eſt autem verſutia, calliditas quædam, qua modo hoc, modo illud aliquis ſimulat, & ſeſe in omnes ſpecies vertit. eſt autem valde coniuncta dolo. Ariſtoteles tamen κακοήθειαν definit: Vitium quo omnia in deteriorem partem accipiuntur.

Suſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos.

PRoſequitur adhuc vitia eorundem enumerare. (Suſurrones) dicuntur, qui diſcordiam inter amicos, & concordes occulte ſeminant; eorum auribus perſtrepentes. (Detractores) ſunt, qui maledictis, vel minuunt, vel denigrant aliorum famam, & opinionem. (Deo odibiles) vnica vox eſt apud Græcos: ſunt homines irreligioſi, qui rerum diuinarum ſunt contemptores, & quæ Dei ſunt auerſantes. Aliqui vertunt Dei oſores. Cypr. epiſt. 68. vertit, Deo abhorrentes. (Contumelioſi) qui alios afficiunt contumelijs, & iniurijs. Cypr. ibidem vertit, iniurioſos. (Superbi, Elati.) ſuperbus Græce habetur ὑπερήφανος. elatus autem dicitur ἀλάζον. quibus vocabulis vſus eſt etiam 2. Thim. 3. Eſt autem ſuperbus, qui propter ea bona quæ habet nimiũ inflatur, & alijs ſe præfert, velut Phariſæus ille Luc. 18. (Elatus) autem ſeu ἀλάζων. idem eſt ac Latine arrogans, qui cum nihil habeat, vnde præclare de ſe ſentiat, intumeſcit; vnde ἀλαζονεία eſt eorum, qui plus de ſe promittunt quam poſſint. ita hæc duo diſtinguit Theod. Cypr. loco citato, pro (Elatis) legit, Iactantes ſui. Baſil. autem regul. breui. reſp. 56. præter iſta etiã alia vocabula adfert ex Paulo, & inter ea differentiam ſignificationum conſtituit.

Inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſq; fœdere, ſine miſericordia.

(INuentores malorum) definit Baſil. reg. breui. reſp. 78. eos eſſe, qui præter ea, quæ vſitata, & nota vulgo ſunt mala, alia etiam excogitant, & inueniunt; quaſi communia perpetrare eis non ſufficiat. (Parentibus non obedientes) quod vitium eſt naturali rationi aduerſarium. (Inſipientes) ideſt, ſine iudicio, qui inconſi- *Baſil.*

inconſiderate, & irrationabiliter omnia peragunt. (Incompoſiti) qui inurbanis moribus ſunt, & ab omni ſocietate, & conuerſatione honeſta alienam vitam ducunt, Græce ἀσύνθετος, ideſt, incompoſitus, inurbanis moribus. (Sine affectione) ἀστόργους, affectione amoris carens, qui neminem amat, nec vllam cum aliquo amicitiam habet. (Abſq; fœdere) qui pactorum, & fœderum iura rumpunt, & fideifragi ſunt. (Sine miſericordia) qui nullius calamitate mouentur, ſed ferina viſcera habent.

Crimina & ſcelera quę proueniunt ex reprobo ſenſu.

ANNOTATIO LX.

Baſil.

BAſil. reg. breui. reſp. 248. inquirit, cum ſapiētia, & intellectus ſit donum Dei, q̄uo Apoſtolus vitio vertit iſtis, quod inſipiētes fuerint. Reſpondet ſic. Si quis nouit voluntatem Dei, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & Spiritus Sancti diligentiam animaduertit, in diuiſione, & operatione donorum Dei: hic plane intelligit tarditatem intelligentiæ non ex eo naſci, quod tardus ſit qui beneficium dat; ſed ex eo quod increduli ſunt in quos confertur, & recte reprehenditur, qui intelligentiæ expers eſt; vt qui exorto ſole oculos non aperiat, & in tenebris degat, neque ſurſum aſpiciat, vt illuminetur.

Qui cum iuſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte: non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.

ENumeratis criminibus, & ſceleribus ex reprobo ſenſu, & mente procedentibus, ne quis eos à culpa immunes, quia in reprobum traditi ſenſum ſunt, exiſtimaret: adiungit Paulus, eos excuſari nulla poſſe via nec modo. Cum enim cognouiſſent ius, & legem Dei; nempe iuſtum naturale, & honeſtum, de quo multas leges condiderant, non intellexerunt, qui iſta perpetrabant, & qui etiam eis conſentiebant, morte eſſe dignos, nec impune ea facere: debuerunt enim ea aſſequi, & cognoſcere, quæ lex naturalis improbat, & damnat, cum lex talis ſit à Deo, non impune committi, ſed talium patratores eſſe æterna morte puniendos. Hoc ignorarunt homines illi, exiſtimantes peccatorum vindictam non eſſe à Deo ſumendam, nec peccata eſſe iniuriam, & offenſam Dei; ſi aliquid autem attigerunt, id imperfecte nouerunt. Conſentientes etiam impune agere arbitrati ſunt; cum tamen, tam hi, quam illi digni ſint morte. (Iuſtitiam Dei) appellat ius naturale. Mentionem autem facit de conſentientibus, propter aliquos Philoſophos,

phos, qui,& ſi non hæc commiſerint,tamẽ ea facientibus adhibuerunt conſenſum, aliqua probantes, aliqua diſſimulantes. Similis eſt hæc ſententia illi ſuperiori de dogmatibus; fuerunt enim illi inexcuſabiles, quia,cum Deum cognouiſſent,non tanquam Deum glorificauerunt; ita nunc de moribus dicitur, eos culpa non vacaſſe,quia ius Dei noſcentes,non aſſecuti ſunt, horum criminum perpetratores eſſe obnoxios morti à Deo infligendæ, tam eos,quam qui eis conſenſerunt.

ANNOTATIO LXI.

Latina & Vulgata lectio, in hoc loco,multum diuerſa eſt ab ea, quæ nunc in Græcis exemplaribus habetur,& quam ſequuntur Chryſ. Theodor. Oecumen.ſic enim habet. Cum iuſtitiam Dei cognouiſſent, quod qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolum ea faciunt, ſed cõſentiunt facientibus.Et hoc multum auget ſapientum crimen; nempe quia nouerunt ſecundum leges naturales,horum malorum perpetratores eſſe dignos morte. hoc autem cognoſcentes eadem crimina fecerunt, aliiſque facientibus conſenſerunt,vel probãdo,vel diſſimulando; cum tamen tanquam magiſtri, & doctores debuiſſent inferiores, & inſipientes illuſtrare, & docere veritatem. Noſtram lectionem ſequitur Cypri. epiſt. 68. & Aug. in expoſ. propoſ. ad Rom.Fateor,lectionem Græcam probabilem eſſe, propter interpretum tantorum auctoritatem; tamen magis mihi probanda videtur lectio noſtra Vulgata; dubium enim non eſt, etiam antiqua exemplaria Græca varia fuiſſe,vt conſtat ex Origen.& Oecumenio, & aliquibus exemplaribus, quæ nunc habentur. Ratio autem propter quam mihi Vulgata probabilior videtur, hæc eſt: quia Paulo ſuperius hos in reprobum ſenſum traditos eſſe dixerat, hæc autem reprobatio mentis, vti explicuimus, cæcitas fuit in iudiciis, non ſolum particularibus, ſed multis vniuerſalibus; hæc ergo verba quæ concludunt totam ſententiam, valde conſonant, ſi legamus eos non intellexiſſe horum criminum perpetratores, nec conſentientes obnoxios eſſe morti; putarunt enim crimina hęc manere impunita, & multa eorum crimina nõ eſſe, vti ſuperius diximus;quod ad ſenſum reprobum pertinet. qui ſenſus quadrat cum illa ſententia. Cum Deum cognouiſſent, non vt Deum glorificarunt, iuxta ſenſum ſuperius expoſitum.

Chryſoſt. Theodor. Oecumen.

Cyprian. Auguſt.

Origen. Oecumen.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM

PROPTER *quod inexcuſabilis es o homo omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas. Scimus enim quoniam iudicium Dei eſt ſecundum veritatem in eos, qui talia agunt. Exiſtimas autem hoc, o homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impoenitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius: ijs quidem, qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: ijs autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio. Tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum, & Græci: gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum, & Græco: non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum. Quicumque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt: & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur: Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus, in die, cum iudicabit Deus occulta hominum, ſecundum Euangelium meum per Ieſum Chriſtum. Si autem tu Iudæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo, & noſti voluntatem eius, & probas vtiliora, inſtructus per legem, confidis teipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ, & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, teipſum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non moechandum, moecharis: qui abominaris idola, ſacrilegium facis: qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras. (Nomẽ enim Dei per vos blaſphematur inter Gentes, ſicut ſcriptũ eſt.)*

Circum-

Digitized by Google

Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues: ſi autem præuaricator legis ſis, circumciſio tua præputium facta eſt. Si igitur præputium iuſtitias legis cuſtodiat: nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur? & iudicabit id, quod ex natura eſt præputium, legem conſummans, te, qui per litteram, & circumciſionem præuaricator legis es? Non enim qui in manifeſto, Iudæus eſt: neque quæ in manifeſto, in carne, eſt circumciſio: ſed qui in abſcondito, Iudæus eſt: & circumciſio cordis in ſpiritu, non littera: cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.

ANNOTATIO I.

HActenus Paulus peſſimum Gentium ſtatum expoſuit, vt eas omnes Euangelio indigere, per quod ira Dei in eos, qui perſeuerare in illo volunt, reuelatur; & ſalus ad ipſum confugientibus proponitur, demonſtraret; ſimul etiam omnẽ eis ſuperbiendi, ac ſeſe propter priorem ſtatum extollendi ſupra Iudæos occaſionem amputaret. Nunc in hoc ſecundo capite ad Iudæos ſe conuertit; ac priuſquam Euangelium etiam ipſis eſſe neceſſarium doceat, oſtendendo neminem lege, aut legis operibus iuſtificatum, ſed fide; eorundem ſuperbiam ſupra Gentes, propter legem à Deo acceptam, ſe efferendi, reprimit; gloriabantur enim Iudei, ac ſibi primas partes in Euangelio deberi ſupra Gentes arbitrabãtur, quia à Deo ipſo legem acceperant, quam illæ non acceperunt; nec peccata quæ in Deum committebant, nec peccatorum pœnas à Deo infligendas nouerant; quæ ipſi Iudæi per legem aſſecuti erant; Idcirco ſe magiſtros, & doctores Gentium collatione exiſtimabant, ac iuſtitiã maiorem apud Deum habere profitebantur. Paulus ergo hãc iactantiam, & gloriationem ex lege deprimit, docens Deum non tam legẽ ipſam aſpicere, quam opera, & legis obſeruantiam, ad ea remunerãda; contra vero, legis tranſgreſſiones, & vitia ad puniendum, & ſuplicium inferendum, ſiue Iudæus ſit, ſiue Gentilis qui ea operatur, ſiue legem ſcriptam acceperit, ſiue non. Quamuis enim Gentilis legem non acceperit, ſicut Iudæus, legis opera quę ad mores pertinent habere poteſt; & potuit ratione ipſa naturali illuſtrante, quæ facienda, & quæ cauenda ſunt; quod ſi Gentilis ratione poſtpoſita peſſime vixit ante Euangelium, Iudęus etiam legem habens multis modis eam eſt tranſgreſſus, vt nec in hoc ſit, in quo Iudęus ſuperbire valeat. Hoc eſt quod Paulus in capite præſẽti docere intendit. Attende ergo diligenter, nõ eſſe Pauli mentem, legem, aut legis opera, excluſa fide, iuſtũ facere hominem corã Deo, & præmio dignũ: aut ſine fide, & gratia legis opera perfecte fieri poſſe; cum nequaquã id ita ſit: nam iuſtitia per quam remiſſio peccatorum, & reconciliatio cum Deo fit, non ex lege, aut legis operibus, ſed ex fide in Chriſtum datur, qua iuſtitia non accepta, nec lex tota impleri poteſt, nec

nec quæ ſecundum legem opera fiunt, accepta ſunt Deo, nec iuſtitiã coram eo conferunt, quæ omnia poſtea Paulus docet. Quod autem Paulus intendit nunc, ideſt. Legem ipſam acceptam non facere hominem, ſeu Iudæum melioris conditionis apud Deum, quantum ad ſalutem, & iuſtitiam, ſi opera deſint; quæ quidem opera ſi adſint, Deo eſſe accepta, hominemq; coram Deo iuſtum eſſe, non qui legem accepit, ſed qui legis opera habet. Quæ quidem intelligere oportet, ſi fidem habeat viuam, ſine qua legis opera perfecta non ſunt; huius tamen fidei nõ multum meminit nunc Paulus, quamuis eam ſignificauerit: quia de lege ei erat ſermo, propter quam Iudæus gloriabatur, conferebatque legem operibus legis; de fide paulo poſt diffuſe dicturus. Hinc ſequitur, doctrinam capitis huius non procedere ſolum de Iudæo, & Gentili conuerſis ad Euangelium; ſed etiam de eiſdem ante ſtatum Euangelij: nam fides Iudæis, & Gentibus communicata eſt, quamuis magis multo in Iudęis vigebat, per quam fidem potuerunt etiam qui ex Gentibus, remiſſionem, & gratiam iuſtificationis conſequi, ante aduentum, & multi de facto conſecuti ſunt, ſicut & qui ex Iudæis potuerunt etiam illi ſine lege ſcripta opera legis implere, ſicut & qui legem habuerunt. Non ergo ante aduentum Euangelij habuit Iudæus, propter quod glorietur, & ſibi ſupra Gentilem ſalutem promittat, cum fides communis ſit vtrique, & legis etiam opera ante & poſt Euangelium; quod ſi illi peccarunt, etiã & ipſi legem tranſgreſſi ſunt, quam acceperunt. Hæc omnia in expoſitione capitis dilucidiora fient.

Propter quod inexcuſabilis es, ô homo, omnis qui iudicas.

AD Iudæos ſe conuertit Paulus reprehendendos; hac enim ratione inter cõuerſos ex Gentibus, & ex Iudaiſmo cõtentionẽ mutuam optime cõponit, dum vtroſq; peccatores, & Dei vindictæ obnoxios eſſe oſtendit. Connectuntur autem ſuperioribus iſta ſic; dixerat enim Gentes iuſtitiã Dei cognouiſſe, tamen non intellexiſſe, nec aſſecutas fuiſſe, eos qui talia crimina perpetrabant, aut perpetrantibus conſentiebant, nõ impune ea committere, ſed Dei vindictæ obnoxios eſſe, & morte dignos. quod quidem eos à culpa non excuſabat; cum enim Dei iuſtitiam nouiſſent, debuerunt & illud cognoſcere. Hinc ad Iudæos ſe conuertit, qui id intellexerunt. nam ex lege Dei illis data nouerant ea facientes, & conſentientes eſſe morte dignos. Idæo dicti ſunt Iudæi iudicare, quia talia eſſe crimina, & eorum patratores dignos morte nouerant, at Gentes propterea mortis reas cenſebant; cum hęc tamen ipſi eadem cõmitterent. quos Paulus inexcuſabiles, & dignos etiã morte declarat: nec quia legem, & ſcientiam, ſeu fidem Dei habent, qua iudicant, propterea à

pœna

Digitized by Google

pœna excuſantur. Hic eſt ergo ſenſus (Propter quod,) ideſt, quia ſi qui non intellexerunt, faciunt tamen, aut conſentiunt, digni ſunt morte; multo magis qui intellexerunt, & talia faciunt; digni ſunt morte. (O homo) ideſt Iudæe, (Qui iudicas) & intelligis quod Gẽtilis non intellexit, inexcuſabilis es, & à pœna mortis non euades; cum nec Gentilis ignorans excuſetur. Iudicium hoc loco generaliter accipit vt recte annotat Chryſ. pro cenſura, qua vnus alterum cenſet dignum aut pœna, aut præmio. quod etiam particulares homines faciunt erga ſuperiores. de quo 1. Corint. 3. dicitur: Nolite ante tempus iudicare, & Luc. 6. Nolite iudicare, ne iudicemini & de tali iudicio hunc locum exponunt. Cyprian. lib. 3. ad Quirinum cap. 21. & Baſil. in Moral. reg. 51. cap. 1. Cætera in annotatione require.

Chryſoſt. *1. Cor. 3.* *Luc. 6.* *Cyprian.* *Baſil.*

ANNOTATIO II.

Origen. ORigenes hæc verba ad caput præcedens refert, vtpote verbis vltimis connexa, & à ſequentibus illis. Scimus quoniam iudiciũ Dei: exordium ſecundi capitis accipit. At reliqui omnes expoſitores ab his capitis initium faciunt. Eſt autẽ in expoſitione diuerſitas: quamuis omnes fere ad vltima verba capitis ſuperioris referãt, & eiſdem connectant. Primo loco Ambroſ. ſic connectit, & exponit; cum enim ſuperius dictum eſſet: Qui illa faciunt, & facientibus conſentiunt, dignos eſſe morte: ne quis exiſtimaret qui faciunt, & alijs facientibus non conſentiunt, ſed potius eos damnant, & iudicant non eſſe morte dignos; ideo Paulus hęc adiunxit; affirmans eos etiam eſſe dignos morte. Hæc expoſitio, & cõnexio non poteſt facile accommodari. nam illud (Propterea, ſeu propter quod) nullam habet illationẽ, nec ſequelam ex præcedentibus in eo ſenſu quẽ prætendit Ambroſ. ſed oportebat copulandi particula vti, nẽpe, Inexcuſabilis etiã es, ò homo.

Ambroſ.

Secũdo loco Theodoretus exponit hæc dicta eſſe propter eos, qui principatum gerebant inter Gentes, & alios iudicabant, corũ crimina tanquã iudices puniẽtes, quos inexcuſabiles declarat, quia eadẽ ipſi etiã faciunt. Tertio loco Chryſ. ſer. 5. hęc dicta cenſet propter Romanos, qui orbis primatum gerebãt, alios omnes iudicãtes, & tamẽ eadem faciebãt mala. Paulo inferius idẽ Chryſ. hæc eadem verba extendit ad omnes ſiue ſubditos, ſiue ſuperiores; nã etiamſi non omnes iudicia ferant publica tanquam iudices; tamen vnuſquiſq; mente ſua iudicat facta aliorum, etiã ſuperiorum. Quarto loco Anſelmus ad omnẽ hominem Iudæũ, & Gentilẽ hanc refert ſentẽtiã, vt Paulus velit omnes, qui mala faciant, & aliorũ mala damnãt, eſſe inexcuſabiles. Cõueniunt Ambroſ. Chryſ. & Anſel. in hoc, quod iudiciũ generaliter ſumitur. Theodoretus autẽ iudiciũ quale iudicibus cõpetit interpretatur. Omnes tamẽ hæ expoſitiones cõtextui non ſatis aptantur; ſi enim nihil aliud Paulus inten-

Theodor. *Chryſoſt.* *Anſel.* *Ambroſ.* *Chryſoſt.* *Anſel.*

Digitized by Google

intenderet, quam eam ſimplicem, & generalem ſententiam tradere, non erat, cur tantum immoraretur in ea confirmanda; multa enim ſubiungit, quæ profecto dure explicantur, ſi has amplectamur expoſitiones, & dure etiam connectuntur ſuperioribus. Legitima expoſitio, & connexio ea eſt, vt ad Iudæos, omiſſis Gentilibus, ſe conuertat, quos iudicare dicit, quia ſecundum diuinam legem, & ſcientiam à Deo acceptam nouerant, & cenſebant criminum illorum patratores dignos eſſe, & obnoxios æternæ morti; & tamen eadem perpetrabant. quos Paulus docet eſſe inexcuſabiles, id eſt, omni prorſus excuſatione carere; cum illi, qui non intellexerunt, excuſationem etiam non habeant, qui excuſabiliores videbantur propter ignorantiam. non ergo Iudæos tranſgreſſores lex accepta à Deo, & ſcientia, ſecundum quam iudicabat, eos excuſabat; nec melioris conditionis quam Gentes faciebat, immo grauioris pœnę reos; quia cum legem, & ſcientiam haberent, contra legem, & propriam conſcientiam agebant. Hæc expoſitio ſequẽtibus ſententijs multum confirmatur, vt in earundem expoſitione conſtabit, eaque expoſitione probatur lectio Vulgata ſententiæ vltimæ capitis primi eſſe legitima. In hoc enim Gentes, & Iudæi differebant, quod illæ non omnia illa quę patrarunt, eſſe peccata ſunt aſſecutæ, nec intellexerunt perfecte dignos eſſe morte æterna criminum illorum patratores; at hi nouerunt. Hoc etiam conuenit Pauli intento, volentis Gentes, & Iudæos inuicem de primatu in Eccleſia cõtendentes componere, & vtrorumque ſuperbiam reprimere, neutroſque habere quod ſe iactent, cum peccatores omnes fuerint, & Dei gratia liberati: vnde recte hæc ſententia ad caput diſtinctum pertinet. Hæc expoſitio fuit Aug. lib. de Spiritu & Litter. ad Marcellin. cap. 26. vbi affirmat his verbis ſe ad Iudæos Paulum conuertere, qui de lege gloriabantur.

In quo enim iudicas alterum, te ipſum condemnas, eadem enim agis, quæ iudicas.

PRobat inexcuſabilem eſſe iudicantem, & eſt ſenſus. Eodem iudicio, quo alterum iudicas dignum morte, te ipſum etiam damnas, & dignum morte decernis. nam tu Gentilem iudicas dignum morte, quia quæ contra legem ſunt facit: cum autem tu eadem facias, pari iudicio te dignum morte eadem cenſes, & in te ipſum damnationis iudicium, & ſententiam fers; non ergo ò Iudæe lex te excuſat, quin potius lex ipſa facit, vt tu te ipſum dignũ cenſeas morte, & proprio iudicio damnes. Græce habetur (Eadem facis, qui iudicas. ideſt, tu qui iudicas) communis lectio habet. (quæ.) idem tamen eſt ſenſus. In quo iudicas, Græca phraſis eſt, Latine, eo ipſo quo iudicas.

Scimus

Scimus enim quoniam iudicium Dei eſt ſecundum veritatem in eos, qui talia agunt.

CONfirmat ſuperiorem ſententiam, quia iudicium Dei eſt in omnes eos, qui talia opera, qualia prædicta ſunt, faciunt. (ſecundum veritatem) ideſt, ſine vlla acceptatione perſonarum; Deus enim damnat & ſententiam fert in eos qui mala faciunt, & opera ipſa conſiderat, perſonarum rationem non habet; ſiue iudicent alios, ſiue non; ſiue acceperint legem, ſiue non acceperint. Dicit autem (ſcimus) quia cum Iudæis loquitur, qui ſcientiam Scripturarum habebant, ex quibus ſciebant Deum non eſſe acceptatorem perſonarum, & omnes peccantes damnare, propterea dicit: Scimus Dei iudicium eſſe ſecundum veritatem, & non ſecundum acceptionem perſonarum, in omnes qui mala operantur, quicumque ſint illi. ſi ergo ita eſt, dum alterum, ò Iudæe, iudicas, & eadem facis, tu teipſum damnatione dignum iudicas, vti re vera es.

cur magis peccauerint Iudęi quàm Gentiles, non ſeruando legem Dei

ANNOTATIO III.

GRæce habetur particula δὲ, non γὰρ, ideſt, (ſcimus autem) non (ſcimus enim) ſenſus tamen non propterea mutatur; confirmatio enim eſt hæc ſentẽtiæ præcedentis, quamuis aliquando vna particula pro altera ponatur. Quantum vero ad connexionem, & ſenſum attinet, Chryſoſt. ſer. 5. ſic connectit, & exponit. Ne quis diceret, quid tum? modo impunitus euado: adiecit; non ſic erit in altero ſeculo, vbi iudicium eſt ſecundum veritatem. Ambroſ. aliter dicit: Manifeſtum, inquit, eſt, ſi nos iudicamus talia crimina, Deum etiam iudicaturum; ſi enim hominibus diſplicent, multo magis diſplicebunt Deo. Sed accommodatior videtur, ſi dicamus, confirmatam eſſe ſententiam ſuperiorem; nempe: Qui iudicat alterum, & eadem agit, ſeipſum ſuo iudicio proprio dignum morte iudicare, quia iudicium Dei eſt ſecundum veritatem, ideſt, ſecũdum rem ipſam, prout vnuſquiſque operatur ſine exceptione vlla, ſiue Iudęus ſit, ſiue Gentilis; propterea fit, vt qui male agit, & alium iudicat, ſeipſum damnet, & dignum pœna cenſeat; qui ergo iudicat, & male viuit, & operatur, in ſe ſententiam fert. nam Dei iudicium generale eſt, reſpiciens opus, non perſonam. Appoſuit autem (ſcimus) quia Iudæis loquebatur, qualis ipſe erat; hi enim ſciebant ex Scripturis tale eſſe Dei iudicium. ſexcenta autem ſunt teſtimonia Scripturæ veteris, quæ docent, Deum omnes peccatores terræ puniturum, eiuſq. iudicium eſſe ſecundum veritatem, quia non fallitur, nec corrumpitur, nec perſonam accipit, ſed opera.

Chryſoſt.

Ambroſ.

Hæc declaratio comprobat noſtram expoſitionem datam, nempe de Iudæis loqui nunc Paulum.

Exiſtimas autem hoc, ò homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?

INuehitur in Iudæum iudicantem Gentiles talia crimina perpetrantes, cum tamen ipſe eadem faciat. Vtitur autem interrogatione quadam, quæ vim habet reprehenſiuam; ſic enim aliquando loqui ſolemus his, in quos inuehimur. Pſal. 49. Exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis, non quod iniquus id exiſtimauerit, ſed, quod facto, & vita ſua ſe Deum ſibi eſſe ſimilem credere indicauerit; ita nunc exiſtimas tu, qui iudicas, & eadem facis, te effugiturum Dei iudicium. Non exiſtimabat id Iudæus, tamen dum alios iudicabat, cum ipſe eadem faceret, ipſo facto videbatur ſe exiſtimare Dei damnationem effugiturum, nec delicta ſua eſſe iudicanda: & hoc ad reprehenſionem acrem pertinet. Habet autem emphaſim (ò homo effugies Dei iudicium) homo terreus, & mortalis, & infirmus euadetne iudicium Dei, qui omnia poteſt, & quem nihil latet, & qui iuſtus ſine vlla perſonarum acceptione exiſtit. *Pſal. 49.*

An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?

SImilis eſt interrogatio hæc ſuperiori, quaſi dicat: O Iudæe, dum iudicas alterum, & eadem tu facis, videris aut exiſtimare te non eſſe iudicandum; aut diuitias bonitatis, & patientiæ Dei contemnere. quorum vtrumque graue vitium, & ſcelus eſt: aut id exiſtimare: aut Dei bonitatem, & patientiam contemnere. Perpende verba, ex quorum explicatione ſenſus perfecte percipitur (Bonitas) Græce χρηστότης. Latine bonitas, aut benignitas vertitur, quam ſuperius in fine capitis præcedentis definiuimus ex Baſil. reg. breui. reſp. 214. eam virtutem eſſe, qua homo, non requiſitis eorum meritis, ſed ſponte alijs benefacit, & vtilis eſt; ideo Deus dicitur χρηστός, ideſt, benignus, quia non præcedentibus hominum meritis eos ſaluare voluit, & vult, eiſq. condonat peccata. quæ deſcriptio ex Paulo deducitur ad Tit. 3. Apparuit, inquit, benignitas Saluatoris Dei. & ſtatim velut declarans addit. Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit, ideſt, nullis præcedentibus meritis, ſed ſponte ſua nobis benefecit. ibi habetur χρηστότης. (Patientia) Græce ἀνοχή. id eſt, ſuſti-

Deus ideo nõ ſtatim punit peccata, quia expectat reſipiſcentiam.

Baſil.

Tit. 3.

Digitized by Google

eſt; ſuſtinentia:& tolerantia dicitur, qua Deus peccantes homines non ſtatim punit, nec iniurias ſibi illatas vindicat, ſed pœnitentibus veniam offert. (Longanimitas) Grçce μακροθυμία eſt qua longo tempore,& multa addentes peccata peccatis Deus adhuc expectat ad pœnitentiam. Per benignitatẽ ergo Deus peccatores,& non meritos ſaluos vult fieri. per patientiam eorum peccata, & proprias iniurias non ſtatim vindicat. per longanimitatem multo tempore, & multa cumulata peccata diſſimulat, expectans reſipiſcentiam In his tribus Deus diues eſt, & abundans, ac copioſus; eſt enim abundantis benignitatis, quia non ſolum non merentibus hominibus veniam, & ſalutem operari voluit, ſed etiam ipſis demerentibus. Diues in patientia, quia tot, ac tanta ſuſtinet hominum crimina, ac ſcelera: totieſq. prouocatus diſſimulat. Diues etiam in longanimitate, qui maiori parte hominis vitæ in peccatis tranſacta, adhuc vel pro vna die ſæpe hominem expectat. hæ ſunt diuitiæ benignitatis, patientiæ, & longanimitatis Dei; ſunt autem hæ diuitiæ erga Iudæos,& Gentiles; tamen particulari quadam ratione ad Iudæos referuntur; ipſis enim peccantibus dedit legem, fidem, ac religionem, qua aliorũ etiam poſsint malefacta iudicare, vt ſe emendent, & corrigant, & adhuc peccantes patitur, & expectat. quas diuitias ille contemnere dicitur, qui propter tantam benignitatem, patientiam, & longanimitatem peccare non deſiſtit, vindictam Dei non timens, ſed veniam falſo ſibi de tanta benignitate promittens. Senſus ergo totus eſt. O Iudæe qui iudicas alios, & eadem perpetras, exiſtimaſne te non ſubiturum Dei iudicium, nec tua peccata punitum iri? quod ſi non exiſtimas, veniam tibi promittis temere ſperans à Deo poſt perpetranda peccata pœnitentiam, Dei benignitate, & patientia, ac longanimitate abutens, & quæ te ad pœnitentiam ſtatim perpetratorum debuerunt inuitare, tu tibi ad ſecurius, & licentioſius deinceps peccandum argumentum facis. Hoc autem in ſequentibus verbis exponit Paulus.

Deus dicitur diues in patientia & longanimitate.

Ignorans quod benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? ſecundum autem duritiam tuam, & impoenitens cor theſaurizas tibi iram?

HAec verba ſuperiori ſententiæ connectuntur, & ad eamdem interrogationem pertinent. vt ſit ſenſus: Contemniſne diuitias benignitatis, & patientiæ, & longanimitatis Dei, ignorans ipſius benignitatem, vt reſipiſcas, te expectare, & vindictam diſsimulare, quod niſi reſipiſcas per pœnitentiam, & durus, & impœ-

nitens perſeueras, quo maior eſt hæc benignitas, & magis expe-ctaris impunis, tanto maiorem vindictam accumulas tibi redden-dam in die iudicij Domini? contemnisne ergo diuitias bonitatis Dei, ignorans hæc duo? Eſt autem cauſa contemptus ignorantia hæc; qui enim benignitate Dei abutitur, & licentiam, ac ſecurita-tem ex ea accipit peccandi, ignorare videtur benignitatem Dei in hoc tendere, non vt noua homo peccata adiungat, ſed vt reſipiſcat. rurſus etiam ignorare videtur, niſi reſipiſcat, quod bonum illi vide-batur, in maius multo cedere detrimentum, & damnum. tanto enim ſeuerior eſt pœna, & vindicta acerbior, quanto peccator diu-tius eſt ad pœnitentiam expectatus, nec reſipuit. Attende verbo-rum alluſionem: Diuitias benignitatis contemnens, iræ & vindi-ctæ diuitias accumulat; verbum enim, theſaurizare, ad diuitias re-fertur, & eſt continua metaphora. Quamuis autem Paulus non re-petat niſi vnum, nempe benignitatem Dei, tamen cætera duo intel-liguntur; copioſa enim Dei benignitas, patientia, & longanimitas in hunc ſunt finem, vt eis inducatur, & adducatur peccator ad pœ-nitentiam. qui autem occaſionem ſibi eas facit peccandi, contem-nit eas, & ipſis abutitur. Cor durum dicitur, quia Dei impulſibus non cedit, ſed pertinax eſt in ſuo peccato; ex duritia enim impœ-nitentia procedit. qui aũt tanta benignitate non permouetur, durũ nimis cor habere conuincitur, & opponũtur verba verbis: benignitas Dei ad pœnitentiam inducit; at peccator durus, & impœnitẽs iram accumulat. Opponuntur aũt hæc: duritia benignitati; impœnitentia pœnitentiæ; diuitijs benignitatis, theſaurus vindictæ, & iræ Dei.

Deus pœnę tarditatem grauitate compenſat.

ANNOTATIO IV.

Gregor.

GRegorius hom. 13. in Ezech. hunc locum adducens, inquit: Miſericors Deus tempus nobis ad pœnitentiam relaxat: ſed cum eius gratiæ patientiam nos ad augmentum vertimus culpæ, hoc ipſum tempus quod ad parcẽdum pie diſpoſuit, diſtrictius ad feriendũ vertit; vt quia reuerti quis etiam ſpatio temporis accepto noluerit, per hoc mala ſua ad reatũ augeat, per quod ea diluere potuit, ſi conuerti voluiſſet. Vnde ſcriptum eſt: Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundum duritiam autem tuam, & cor impœnitens theſaurizas tibi iram. De benignitate ergo Dei irã ſibi in die iræ reprobus theſaurizat; quia dũ ad pœnitendũ tempus accipitur, & ad peccandum exhibetur, ipſum remediũ gratiæ vertitur in augmentum culpæ. Hæc Greg. quibus locus hic maxime declaratur. Eamdẽ doctrinam Hier. Oſe. optimo explanat exemplo, de illo, qui aduerſum alterũ ſagittã emiſſurus dirigit; paulatim tñ arcum intendit, tẽpus concedens vt fugiat. qui ſi fugere non velit, tanto fortius ſagitta emiſſa infigitur, quãto maiori tempore arcus intenſio fuit facta.

Dei benignitas ad pœnitentiam te adducit.

In die

In die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei.

TEmpus exponit, quando hæc vindicta theſaurizata infligetur (in die, inquit, iræ, & reuelationis iudicij Dei) ideſt, eo tempore, quo Dominus de peccatis ſumet vindictam, & reuelabit iudicium ſuum. Tunc manifeſtabit damnationem, & iudicium quod hactenus occultatur; & ideo contemnitur. Cum ergo vindictæ tempus acceſſerit, quando Deus ſua iudicia reuelauerit, tam erga bonos, quàm contra malos, tunc experietur peccator, quantum vindictæ, & pœnæ ſibi accreuerit ex eo, quod propter benignitatem, & patientiam expectatus reſipiſcere noluerit. Iudicium hoc in loco generaliter accipitur, quo & boni ad præmium, & mali ad pœnam iudicandi ſunt, quod iam eſt præparatum in diuina mente, ſed nondum reuelatum, nec manifeſtatum omnibus vſque in vltimum diem; tunc ira & vindicta hæc in impœnitentes theſaurizata omnibus manifeſta erit. quod iudicium iuſtum dicitur; non enim eſt quale humanum, in quo ſæpe iuſtitia non ſeruatur, & multis de cauſis corrumpitur; at Dei iudicium incorruptibile eſt. Græce autem vnico vocabulo iuſtum Dei iudicium ſignificatur.

ANNOTATIO V.

Dies vltimus quare dicitur dies iræ.

IN aliquibus exemplaribus Græcis habetur particula diuidens ſic. Reuelationis, & iuſti iudicij Dei: dies enim vltimus dies iræ dicitur, quia tunc mali punientur perfecte in corpore, & anima. Dies etiam reuelationis, quia tunc omnia manifeſtabuntur occulta. 1. Corinth. 4. Illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Dicitur etiam dies iuſti iudicij, quia tunc vniuerſale iudicium faciet Deus bonorum, & malorum. Quod ſi legamus ſine illa coniunctione, tunc reuelatio ad iudicium refertur. & ſic aliqua exemplaria Græca habent, & communis lectio vulgata. Vtraque lectio eſt conueniens, & ſenſus idem eſt.

1. Cor. 4.

Qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua.

MVltis verbis hanc ſententiam Paulus exponit, ne vllus ſibi cum male viuat, Dei iudicium effugiturum falſo perſuadeat. hæc autem verba iudicium Dei prædictum quale futurum ſit exponunt. Reddet, inquit, vnicuique Deus ſecundum opera ſua, generalis eſt redditio hæc. commune iudicium malis, & bonis; non tamen erit par, nec æquale iudicium: ſicut nec æqualia opera, ſed vnicuique reddetur ſecundum opera ſua. Quam diſparitatem ſe-

Digitized by Google

quentibus verbis explanat Paulus; malis enim mala, bonis bona reddet. Nemo ergo male viuens impunitatem ſibi promittat, etiam ſi alios iudicare valeat per legem; nemo bene viuens præmium deſperet. ſumpta eſt hæc Pauli ſententia ex Pſal. 65. Tu, inquit, reddes vnicuique ſecundum opera ſua.

ANNOTATIO VI.

Hominis iuſtitia nõ in ſola fide, ſed ẽt operibus poſita eſt.

His & ſequentibus verbis Catholica veritas ſatis aperte comprobatur, non in ſola fide poſitam eſſe iuſtitiam hominis, ſed etiam in operibus: quæ ex fide operatur, & charitate. nec ſoli fidei mercedem, ſed etiam operibus ex fide, & charitate procedentibus reddi. non enim dictum eſt, reddet vnicuique ſecundum fidem ſuam; ſed ſecundum opera ſua; ideſt, fidelis, pro ratione operum, mercedem, & vitam æternam accipiet; infidelis autem, aut fidelis male viuens, pro ratione operũ malorum, vindictam habebit, & pœnam. Quam doctrinã annotarunt Chryſoſt. & Oecum. hæc & ſequentia verba conſiderantes. Quam etiam non minus expreſſe Dñs Matth. 25. docuit, dicens: Poſſidete regnum paratum vobis à conſtitutione mundi; eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare; ſitiui & dediſtis mihi bibere; malos autem, & non operantes è contrario condemnat. Sunt ſexcenta huiuſmodi teſtimonia, & ſanctorum Patrum doctrinæ, quibus hæc Catholica veritas roboratur. Eam tamen mirum in modum confirmant, & roborant vanæ, & futiles aduerſantium hæreticorum reſponſiones. Vt enim in fide ſola iuſtitiam poſitam eſſe, & mercedem ei ſoli debitam defendant, ad hoc præſens teſtimonium multipliciter reſpondent. Primo quidem aliqui illorum illud (ſua) ad Chriſtum referent. Reddet vnicuique ſecundum opera ſua, nempe Chriſti, & Dei ipſius, non hominis; quaſi iuſtitia Chriſti noſtra ſit. Sed aperte expoſitio hæc reprobatur; cum enim generalis ſit hæc ſententia, bonos, & malos complectens, vt ipſemet Paulus ſtatim exponit, neceſſe eſt ſecũdum hanc interpretationem, mala opera etiam eſſe Chriſti, & Dei, quod impium eſt affirmare. Opera ergo hæc ad homines referuntur, quorum vnicuique reddet Deus ſecundum opera eorum. Alij ſecundo loco, vt obtrudant fidem hanc ſuam interpretantur ſic; reddet vnicuique ſecundum fidem, quæ per opera manifeſtatur. Sed quàm violẽta ſit hæc interpretatio nemo non videt; quam etiam verba ſequentia non admittunt, in quibus, non fidei diſtinctio, ſed operum ipſorum in bona & mala adfertur. Tertio, alij nihil prioribus reſponſionibus, vt par erat, ſatisfacti, nouam excogitant; nempe, reddet vnicuique ſecundum opera ſua; ideſt, poſt opera ſua. Perpende in quas anguſtias ſe conijciunt, qui veritatem deſerunt, & mendacium tuentur. Talis particula (ſecundum) in tota Scriptura, nec in vllo probato auctore, ſicut nec Græca κατὰ, in ea vnquam vſurpatur

Matt. 25

patur

Digitized by Google

patur ſignificatione, vt ſignificet (poſt). Adde, repugnare contextui talem expoſitionem. nam Paulus non ad tempus, ſed ad qualitatem reſpexit operationum. Reddet, inquit, ſecundum opera, ideſt, qualia opera, talis erit redditio. id quod verba ſequentia declarant. Alij quarto admittunt ſecundum opera reddi, & operum eſſe mercedem aliquam, ſed non vitam æternam, nec regnum cæleſte, ſed alia bona ſpiritualia. quorum expoſitionem Paulus falſitatis conuincit, verbo ſequenti: vbi bene operantibus vitam æternam reddi declarat. Dominus Matth. 25. bene operantibus dicit. Poſſidete regnum. Alij quinto loco nimium ſe vrgeri ſentientes, ad aliud ridiculum reſponſum confugiunt. admittunt ſenſum eum eſſe; nempe redditurum ſecundum opera; tamẽ neminem talem hominem reperiri, qui ea opera habeat, vt vita æterna in mercedem pro eis detur, nec eſſe à Paulo hanc prolatam ſententiam, quaſi velit aliquos homines eſſe, qui ea habeant opera; ſed vt oſtendat, fide ſola Chriſti iuſtitiam dari, vt paulo poſt ipſemet docet. Quam expoſitionem refutare multis opus non eſt, cum contextus ipſe totus eam confutet. eſt enim ſententia hæc communis Gentibus, & Iudæis, & quamuis inter Gentes non reperirentur, qui bene operati fuerint, quod tamen falſum eſt; nam multi inter eos iuſti fuerunt. Iob enim gẽtilis fuit, & iuſtus: & Cornelius gentilis erat, & iuſtus Act. 10. ante aduentum Euangelij: tamen de Iudæis negari non poteſt; & tamen his etiam dicitur: Reddet vnicuique iuxta opera ſua. Adde, cum iſta verba generalia ſint, & communia malis, & bonis, ſequeretur etiam nec eſſe homines qui mala opera facerent, propter quæ redderetur indignatio, & vindicta. Reſponſiones hæ profecto aperte, & palam oſtendunt, talia reſpondentes ſe ſentire verbis hiſce conuictos. Vtinam & id intelligerent, & confiterentur. Catholica veritas facilis eſt: nempe opera ea eſſe bona, & digna præmio, & vita, quæ recta ſunt, & ex fide, & gratia proficiſcuntur, hæc opera iuſtitia ſunt, non ex ſui natura, ſed propter virtutem, & meritum Chriſti nobis per fidem, & gratiam communicatum; & iuxta talia opera Deus reddet iuſtis vitam. Nec excludimus fidem, ſine qua opera, iuſtitiæ rationem non habent; ſed includimus, & probamus. in ea tamen ſola totam iuſtitiam non ponimus, ſed ſimul in charitate, & operibus ex vtriſque procedentibus. hoc autem non ex vi operum, immo nec ex vi fidei ipſius vt opus quoddam noſtrum eſt, ſed ex gratia, & dono virtutis Chriſti, cuius efficacia, & merito opera noſtra nobis ab ipſo collata, hanc habent iuſtitiam. Paulus autem non meminit ita expreſſe fidei, quia de Lege loquebatur, propter quam ſe Iudæus efferebat ſupra Gentilem. Qui ergo hæc opera habet, recipiet mercedem: qui vero non habet, aut mala habet, etiamſi fidem teneat, pœnam recipiet, fidesq. illi potius nocumento erit. nam grauius punitur fidelis male viuens, quàm infidelis cæteris paribus, iuxta illud Luc. 12. Cognoſcens voluntatem domini, & non faciens; vapulabit multis. quod optime adnotauit

Matt. 25

Act. 10.

Deus reddet vnicui[que]

quæ ſecundum opera ſua, i. nõ tantum Iudæo, ſed ẽt Gentili.

Luc. 12.

Digitized by Google

tauit Iuſtin. in explic. qq. gent. reſp. 3. inferius plura dicemus de re hac.

Iis quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.

EXponit ſuperiorem ſententiam. eſt autem maxime attendendum, in ea duo contineri. Vnum eſt, quod ad qualitatem operum pertinet; iuxta opera enim Deus retribuit. Alterum eſt, quod ad perſonas ſpectat; Deus enim non erga Gentes tantum, aut Iudæos, ſed erga ſingulos, quicunque ſint illi, ita ſe habet, vt vnicuique iuxta operum eius qualitatem retribuat. Paulus ergo priori loco exponit ſuperiorem ſententiam, quantum ad operum qualitatem: poſteriori vero quantum ad generalitatem perſonarum: & in vtraque duas partes diſtinguit; nempe operum bonorum, & malorum; ſeu operantium bene, & operantium male. Hæc igitur ſententia, & ſequens ad operum pertinet qualitatem. Et hoc eſt conſiderandum pro aſſequendo ſenſu, & connexione huius contextus. Eſt autem ſenſus: non omnibus æqualia Deus reddet; ſed ijs, qui ſecundum patientiam boni operis, ideſt, patienter, & perſeueranter bene operando, quærunt gloriam, & honorem, ac incorruptionem; ijs inquam reddet vitam æternam. Attende ſingula verba (ſecundum patientiam boni operis) alludit ad verbum Domini Luc. 8. vbi de bene operantibus, & iuſtis, quibus merces repoſita eſt loquens Dominus ſic dicit. Qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. eodem eſt vſus Paulus verbo ὑπομονὴ Græce, quod & patientiam, & perſeuerantiam ſignificat; iuſtus autem hac opus habet, vt per opera ſua mercedem recipiat. quod ad Hebr. 10. idem teſtificans Paulus, Patientia, inquit, vobis neceſſaria eſt, vt facientes voluntatem Dei reportetis promiſſionem. cum enim bene operantibus multæ ſe ingerant difficultates, tentationes, impedimenta, tribulationes, quæ à recto itinere digredi impellant, quæ omnia neceſſarium ſit ſuperare; præter hæc etiam præmium non in hoc ſeculo tribuatur, ſed poſt hanc differatur vitam; propterea iuſtus patientia maxime indiget, per quam his omnibus reſiſtat, & diu expectans perſeueranter operetur. Luc. 21. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Qui ergo bene operantur, patienter, & perſeueranter vſque in finem, his redditur æterna vita; & hi dicuntur ſecundum patientiam boni operis quærere. Quærunt autem primo gloriã; ſecundo honorem; tertio incorruptionem. his vtitur Paulus

Qui fructum afferunt in patientia, recipient mercedẽ.

Luc. 8.

Paulus ad ſignificandam bonorum operum qualitatem. vera enim gloria,& honor ex operibus virtutis, & ſtudioſis, ac honeſtis ſunt. Alludit autem ad Gentes, de quibus dixerat: ignominia affeciſſe propria corpora propter immunditiam, & gloriam Dei in imaginem corruptibilium mutaſſe: contraria modo ſtatuit in ijs qui talia non commiſerunt,ſed bonis vacarunt operibus. hi profecto veram gloriam,& honorem,& incorruptionem ſecuti ſunt, quæ in operibus bonis,& ſecundum legem ſunt poſita. Incorruptionem appellat opera virtutum; qui enim ea amplectitur,vanis,& fluxilibus caducisq. rebus ſpretis,ad ea quæ vere bona ſunt ſe conuertit. Praui enim mores, & opera corruptio dicta ſunt Gen. 6. 2. Thim. 1. Deſtruxit,inquit,mortem,& illuminauit vitam,& incorruptionem. 1. Pet. 3. Qui abſconditus eſt homo in incorruptibilitate,quieti,& modeſti ſpiritus. Gen. 6. Corruperat omnis caro viam ſuam; horũ enim finis corruptio,& interitus eſt: bonorum vero,vita,& incorruptio. *Geneſ. 6. 2. Timoth. 1. 1. Petri. 3.*

ANNOTATIO VII.

Theodor. THeodore. hanc ſuperiorem ſententiam de Iudæis, & Gentibus, ante aduentũ Euangelij dictam eſſe interpretatur: qui enim ex Gentibus bene operati ſunt ante Euangelium, conſecuti ſunt vitam æternam; ſicut etiam qui ex Iudęis recte vixerunt. vult enim Paulus, Iudæos non habere quo ſe efferant propter legem acceptam ſupra Gẽtes, cum ſi hæ peccauerunt, etiam & illi; ſi vero ipſis bene operantibus, & legem ſeruantibus Deus mercedem retribuit, etiam & illis. Ita tamen ſententia hæc ad ſtatum ante Euangelium refertur, vt etiam Euangelicum ſtatum cõplectatur. nam qui ex Iudæis,& Gentibus cõuerſi erãt, & ſecundum patientiam boni operis gloriam, honorem, & incorruptionem quærebant, vitam æternã Deus reddere paratus erat. Paulus enim generaliter locutus eſt; vti in annotatione prima diximus. Quantum ad ſententiæ huius expoſitionem ſpectat, aduertendũ eſt, varie eam Doctores interpretari, propter ambiguitatem cõnexionis verborum. Græca enim verba ſic habent; ac ſi Latine dicas; ſiquidem ſecundũ patientiam boni operis gloriam,& honorem,& incorruptionem quærentibus vitam æternam. illud ergo (quærentibus) quod etiam ambiguum eſt, nam et eſt verbum tertiæ perſonę puralis modi indicantis,& etiam eſt participij, caſus dandi; nempe (quærentibus) aut etiam (quærunt) quoquo ſumatur, referri, & connecti poteſt, aut cum præcedentibus nominibus, nẽpe, (gloriam, honorem,& incorruptionem quærunt,) aut cum ſequẽti; nempe (vitam æternam quærũt;) ſemper enim ſupplendum eſt verbum præcedens (reddet:) nam oratio hæc eſt figurata per zeugma quoddam dicta: ſi cum præcedentibus connectas, erit ſenſus: Secundũ patientiam boni operis, gloriam, honorem, & incorruptionem quærentibus, Deus reddet vitam æternam; ſi vero cum poſteriori coniungas, erit ſenſus: Qui ſecundum patientiam

Digitized by Google

tiam boni operis, quærunt vitam
æternam, Deus gloriam, honorem,
& incorruptibilitatem reddet. Eſt
igitur triplex expoſitio Doctorum:
Vna eſt; quæ cum præcedentibus
connectit. vt ſit ſenſus, Iis qui ſecũ-
dum patientiam boni operis quæ-
runt vitam æternam, reddet Deus
honorem, gloriam, & incorruptibi-
litatem, & hi Doctores per hyper-
baton, & verborum tranſmutatio-
nem Paulum locutum cenſent, iux-
Ioan. 1. ta illud Ioan. 1. Dedit eis poteſta-
tem filios Dei fieri, ijs qui credunt
in nomine eius, ideſt, dedit ijs qui
credunt in nomine eius, poteſtatem
filios Dei fieri. Hanc expoſitionem
ſecuti ſunt Oecumeni. Ambroſ. &
Oecum. Ambroſ. Gregor. Greg. li. 28. Mora. cap. 6. cui quam-
uis faueant Græca verba, quia am-
bigua ſunt; tamen communis Lati-
na verſio contradicit, quæ tali ſen-
ſui accommodari non poteſt, ipſa
etiam expoſitio, quamuis verbis La
tinis accommodatur, non videtur
multum probanda. nam figurata
locutio non eſt admittenda, quando
ſenſus optimus ſine figura haberi
poteſt. cum autem ſine Hyperbato
ſenſus Pauli conuenientiſſimus ha-
beatur, non videtur ad figuratas Lo
cutiones recurſus debere fieri. Se-
Origen. Chryſoſt. Theodor. cunda expoſitio eſt, quam Origen.
Chryſ. & Theophilat. probant, quæ
talis eſt; verbum enim (Quærunt
ſeu quærentibus) connectunt præ-
cedentibus, & illud (vitam æternã)
referunt ad verbum (reddet.) eritq.
ſenſus, Iis qui ſecundum patientiã
boni operis quærunt gloriam, hono
rem, & incorruptionem, Deus red-
det vitam æternam. quæ expoſitio
ſine Hyperbato eſt, & facilior, ac-
commodatior, ac legitima magis
videtur: ideoq. eam in commenta-
rio amplexi ſumus; maxime quia
communis verſio eam probat. Ter
tia expoſitio eſt modernorum quo-
rundam, qui illud (Boni operis) non
ad patientiam, ſed ad ſequentia re-
ferunt, vt ſit ſenſus, Iis qui ſecundũ
patientiam quærunt vitam æternã,
reddet boni operis gloriam, hono-
rem, & incorruptionem. conuenit
quidem cum prima expoſitione: in
hoc autem differt, quod diuidit il-
lud (Boni operis) & connectit ſe-
quentibus, ſed connexio apta non
eſt. nã Paulus poſt hæc repetit ſic.
Gloria, & honor, & pax omni ope-
ranti bonum: & non dicit, honor, &
gloria operis boni. illud ergo) Bo-
ni operis) connecti debet præceden
ti verbo, vt ſit ſenſus: Qui patien-
ter bene operantur. cum enim tres
expoſitiones veram habeant doctri
nam, illa eſt eligenda, quę verbis fa-
cilius accommodatur, nec vllam in-
fert vim, nec adfert vllam ſermonis
improprietatem; hæc autem eſt ſe-
cunda, quam ſecuti ſumus. Eſt etiã
inter expoſitores alia in exponendo
diuerſitas. nam illud (Patientiam)
aliqui referunt ad Dei patientiam
de qua dictum erat (Patientiæ diui-
tias cõtemnis,) eritq. ſenſus, Iis qui
ſecundum patientiam boni operis,
ideſt, qui patientia Dei non abuten-
tes, pœnitentiã agunt, & bene ope-
rantur. ita Amb. & Anſel. exponunt; *Amb. Anſel.*
tamẽ expoſitio nõ ſatis accõmoda-
ta videtur. nam hæc ſententia cõmu
nis eſt peccatoribus pęnitentibus,
& iuſtis; omnes enim qui bona ope-
ra faciunt in patientia, habent vi-
tam: ſuperior autem eſt contra pec
catores. rurſus, non eodem vſus eſt
vocabulo Paulus, quamuis Latinus
interpres id fecerit; illa enim ἀνοχὴ
hęc autem ὑπομονὴ. dicitur, quo
verbo vſus eſt Dominus Luc. 8. & *Luc. 8.*
idem Paulus ad Hebr. 10. quando *Hebr. 10.*
decu-

docuerunt patientiam eſſe neceſſariam omnibus ad fructificandum, vt vere hoc verbo alludere voluerit ad patientiam hanc recte operantium, vti in commentario expoſuimus, & ita Origen. & Chryſoſt. interpretantur, inferentes, ad patientiam, & perſeuerantiam operantis bonum. *Orig. Chryſoſt.*

Iis autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio.

ALteram contrariam partem exponit, quæ ad qualitatem etiã operum malorum pertinet. contentioſis, inquit, & non acquieſcentibus veritati; acquieſcentibus autem iniquitati, ira, & indignatio; ſupplendum eſt verbum, reddetur. Duo genera malorum operum deſcribit; vnum ad intellectum pertinet. alterum ad affectum: hæc enim duo ſunt principia malorum operum: ex illo omnes errores, & falſitates, & contra dogmata fidei, & contra mores bonos procedunt; ex hoc omnis iniquitas, & iniuſtitia emanat. Qui, inquit, ſunt ex contentione, nec veritati acquieſcunt; ſunt enim hæc duo coniungenda: pertinaces enim & contentioſi reſiſtunt veritati, & in errores prolabuntur, hoc ad intellectum pertinet; qui etiam non acquieſcunt iuſtitiæ, ſed iniquitati, mala opera ſequentes, etiam cognita veritate, quod ad affectum ſpectat; omnes hi in iram, & indignationem incurrunt. illud maxime propter Gentes, hoc propter Iudæos dictum eſt: illi enim veritati; hi iuſtitiæ non obtemperarunt. quamuis vtrumq. ſimul etiam in his, & illis ſit inuentum. Græce non habetur illud (Qui ſunt) ſed (Iis ex contentione) eſt enim græciſmus idem ſignificans ac contentioſis, ſiue, qui ſunt ex contentione. Rurſus, Græca habent quandam verborum ſimilitudinem, ſeu oppoſitionem. nam quod Latine dicitur, acquieſcunt, &, non credunt, apud Græcos ſunt verbum ſimplex, & compoſitum, & per participium; ac ſi diceremus; non obtemperantibus veritati, obtemperantibus autem iniuſtitiæ, ſeu iniquitati. Verbum ἀπειθέω, ſignificat non pareo, non obedio, aut non mihi perſuadeo, verbum autem ſimplex πείθω, contrariam habet ſignificationem. Recte autem adnotat Chryſoſt. in his verbis malitiam voluntariam ſignificari, quaſi non coacti, ſed ſponte veritatem renuerint, & iniuſtitiam ſint amplexi. Prudenter autem meminit Paulus huius vitij contentionis; quia adhuc in Gentibus, & Iudaeis conuerſis regnabat, & ad veritatem concipiendam impedimento megno eſt mantibus hominum. 1. Cor. 1. ſignifi-

Pertinaces & contentioſi reſiſtunt veritati, ſicut Idololatræ gentiles.

Chryſoſt.

1. Cor. 1.

1.Cor.11. ſignificatum eſt mihi quod contentiones ſunt inter vos. 1. Cor. 11. Si quis videtur contentioſus eſſe,nos talem conſuetudinem non habemus. Rom. 13. Non in contentione, & æmulatione. & ad Gala. 5. inter opera carnis contentionem numerat. Vt ergo remoueret conuerſos a contentionibus, quæ inter eos frequentiſſimæ erant, peccati huius mentionem facit, quod etiam erat ante aduentum Euangelij inter eos, & quo iram Dei maxime prouocabant. de hoc eodem capite 1. dixerat contra idololatras: Plenos contentione, dolo, & malignitate; & coniungitur recte verbo ſequenti (non acquieſcentibus veritati) is enim eſt effectus contentioni valde familiaris, & cõnexus. & Oecumenius cenſet illud (&) eſſe paragogicum, vt inter contentioſos, & non acquieſcentes veritati non ſit diſtinctionis particula. Dicitur autem ira, & indignatio eis reddenda a Deo: non quod Deus his perturbationibus commoueatur, ſed ratione effectuum, quia eadem cum iJs faciet, quæ homo iratus, & indignatus facit: nempe vindictam de iniuria ſumere. Eſt autem differentia inter iram, quæ Græce dicitur θυμός, & indignationem, quæ dicitur ὀργη. illa enim leuior eſt, nempe quando ſanguis incipit ebullire circa cor, Latine excandeſcentia dicitur: at hæc grauior, nempe quando erumpit in vindictam, quia ſaepe Deus incipit in hac vita peccantes punire, & in futuro ſaeculo proſequitur, vt docet Greg. lib. 18. Mora. cap. 13. ſed illa leuior eſt pœna huic poſteriori collata. ſiue etiam dictum ideſt, quia Deus non aequaliter omnes punit, ſed leuius aut grauius, pro ratione peccatorum.

Rom. 13. Gal. 5. Oecum.

ANNOTATIO VIII.

QVi ex contentione dicantur non eodem modo Doctores exponunt. Primo loco Ambro. eos ex contentione interpretatur, qui ſua peccata iudicanda non credũt, nec iudicium venturum Chriſti expectant, ſed patientiam Dei contemnentes, contendunt euacuare Dei iudicium. Secundo loco Orig. eos interpretatur ex contentione, qui quod libuerit pro lege habent, idq. cõtẽtioſe defendunt, per hãc hæreſes naſcuntur, per hanc ſchiſmata, & omnia ſcandala in Eccleſijs generantur, dum hi, qui apud ſemetipſos prudentes ſunt, & in cõſpectu ſuo ſapientes, quod libet pro lege habent, idq. defendere conantur. inde eſt, vt non obtemperetur veritati, & obtemperetur iniquitati. ita Orig. exponit. Tertio Chryſoſt. ſer. 5. eos dicit ex contentione, qui ex ſocordia quadam, & ignauia, ac inertia in malitia verſantur. Quarto loco Theodore. eos ex contentione appellat, qui non caſu aliquo in vitium prolabuntur, ſed qui id magno ſtudio aggrediuntur. videtur

Ambroſ. Qui dicuntur eſſe ex contentione. Orig. Chryſoſt. Theod.

Digitized by Google

detur hæc expoſitio accedere expoſitioni Origenis. Quinto loco eſt Anſel. qui eos ex contentione interpretatur, qui veritatem impugnãt, & contentioſe errores ſuos defendunt; non ratione, ſed animi pertinacia, quod etiam videtur conſentire Origeni. Sexto loco, moderni aliqui eos eſſe ex contentione aſſerunt, nempe Iudæos, qui Moyſem, & Legem ſibi ſufficere contendebant, nec Euangelij veritati acquieſcebant. Mihi magis probatur Origenis expoſitio, cui Theodore. & Anſelmus accedere videntur. Quid autem per veritatem ſit intelligendum, adhuc non conſentiunt expoſitores. Ambroſ. enim veritatem hanc interpretatur, qua creditur futurum iudicium per Chriſtum, vt id ſit non acquieſcere veritati, quod non credere iudicium futurum per Chriſtum; & qui contentionibus id negant, dicuntur eſſe ex contentione; & hi ipſi etiam dicti ſunt credere iniquitati, quia iniquitas eſt negare quod verum eſt, & quod futurum Deus prædixit. Videtur hæc violenta expoſitio, nec facilis accõmodatu. Anſelmus ad veritatem Euangelicam refert, vt increduli Euangelio dicti ſint non acquieſcere veritati. Sed adhuc hæc expoſitio plena non eſt; nam Paulus de ſtatu etiam ante aduentum Euangelij loquebatur. Accommodatior videtur expoſitio Orige. & Chryſoſt. vt generalius veritatem intelligamus; veritas enim eſt, quæ ad recta, & legitima dogmata credendorum, & agendorum pertinet; illi autem veritati nõ acquieſcunt, nec obtemperant, qui eam ſua culpa deſerunt, aut non aſſequuntur: & hi maxime ſunt contentioſi, & pertinaces, qui ſuo cerebro ducti, quo affectus, & cupiditas fert, non quod ratio recta, aut diſciplina ordinata dictat, amplectuntur: idcirco non dicuntur, non credere veritati; ſed, non obtemperare veritati; nam verbum Græcum id etiam ſignificat, & in ea ſignificatione Chryſoſt. & Oecume. interpretantur, & in eadem etiam accipiendum eſt in ſequenti ſententia; nempe, credunt iniquitati, ideſt, obtemperant, & ſe dedunt iniuſtitiæ, quo nomine vitia omnia, & peccata ſignificantur.

Anſel. — *Author cũ Orig. Theodor. & Anſel.* — *Origen. Chryſoſt.*

Tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum, & Græci.

Expoſita qualitate operum, de qua dixerat: Iuxta opera Deũ redditurum, exponit nunc generalitatem perſonarum; nempe non cum Iudæis, aut Græcis ſolis Deum ita ſe habere, ſed cum omnibus, quicumq. & qualeſcumq. illi ſint; & duas item ſtatuit ſententias de bene, & male operantibus. incipit autem a male operantibus, vt ſermo hic proxime præcedenti continuetur. Tribulatio, inquit, & anguſtia eſt aduerſus omnem hominem operantem malum, tam Iudæum, quam Græcum, ac ſi diceret: Quod dixi iuxta opera Deum redditurum, non eſt Gentili proprium, ſed & Iudæo, & Græco, ac omni homini. Communis eſt autem etiã ſententia iſta

Male operans manum Dei non effugiet.

Iudæo,

Iudæo, & Græco, ſeu Gentili ante aduentum etiam Euangelij, vt notant Chryſoſt. ſer. 5. & Theodo. idem etiam annotauit Athana. in qq. ad Antiochum, q. 124. de ſequenti ſententia, quæ iſti connexa eſt: Tribulatio & anguſtia futura dicuntur in omnem animã hominis, ideſt, in omnem hominem; ſignificat enim mala operantem non euaſurum manum Domini; his enim duobus vindicta Dei exprimitur; nam tribulatio, afflictionem, ſeu oppreſſionem; anguſtia autem, praeclusionem omnis fugae ſignificat. ſic dicimus aliquem in anguſtia eſſe, quando locus euadendi non eſt. Threno. 1. Comprehenderunt eam inter anguſtias. idem ergo eſt ac ſi dicat. Erit paena quam euadere nemo poterit, in omnem animam hominis operantis malum. Origen. appoſitam cenſet anguſtiam, vt diſtinguatur tribulatio hæc, a tribulatione iuſtorum in hoc ſeculo; in hac enim non eſt anguſtia. Pſal. 4. In tribulatione dilataſti mihi 2. Cor. 6. Tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur. Iudæum primum appellat vti diximus ſuperius cap. 1. vt ſtatum Iudæorum Gentium ſtatui præponat; erat enim perfectior.

Chryſo. Tertul. Athan.

ANNOTATIO. IX.

HAec duo aliqui præcedentibus coniungunt, & ad ſuperiorem ſententiam referunt, nempe: Iis, qui ſunt ex contentione, & non acquieſcunt veritati, credũt autem iniquitati, ira, & indignatio, tribulatio, & anguſtia. ita Theodore. & Ambroſius legunt, & Orige. tamen ſequẽs ſententia hanc eſſe ſeparatam probat, vt ſint duæ generales ſententiæ diſtinctæ a ſuperioribus; illæ enim operum qualitatem, hæ perſonarũ generalitatem exponunt, vti diximus ſuperius; vtrumq. enim illa ſententia (Reddet vnicuiq. ſecundum opera ſua) amplectebatur. & hic eſt legitimus ſenſus, & contextus. Adde, ſi duo hæc verba ſuperioribus connectantur, oratio reſidua manet imperfecta. Attende præterea, illam particulam (Primum) aliquos ea ratione poſitam affirmare, vt Iudæos malum operantes magis, ac ſeuerius puniendos quam Gentes ſignificet; vt pote qui maiorẽ legis notitiã habuerunt. ita Athan. interpretatur in qq. ad Antioch. q. 144. & Chryſoſt. ſerm. 5. additque Chryſoſt. Paulum ſignificaſſe his verbis, legem Iudæo male operanti potius oneri fuiſſe, eumque accuſaſſe magis, quam excuſaſſe. Doctrina hæc vera eſt: cæteris enim paribus, magis peccat qui ex ſcientia peccat, quam qui ex ignorantia; & qui ex maiori ſcientia, quam qui ex minori. Iudæus ergo male operans damnabilior fuit, quam Gentilis, ſicut & nunc Chriſtianus male viuens. non tamen id Paulum ſignificare voluiſſe exiſtimo; ſed particulam hanc poſuiſſe, vt Iudæum non eſſe æqualis conditionis cum Gentili, quantum ad ſtatus Euangelium præcedentes, ſignificaret. erat enim Iudæus populus

Theod. Ambroſ. Origen.

Athanaſ. Chryſoſt.

Iudæus male operans damnabilior quam gentilis, ſicut hodie Chriſtianus.

Dei

Dei electus, & multis inſignitus priuilegijs, in quo Patres illi Deo amiciſſimi fuerant, & in quo vera religio, & fides erat; ne ergo videretur Paulus in vtriuſq. enumeratione pares eos facere, nec diſtinguere Populum electum Dei, à non electo, idcirco vſus eſt particula (primum) ſicut qui alijs ſalutem impartitur communem, quando inęqualitas eſt perſonarum, ſolet hac vti diſtinctione, dicens, ſaluere vos iubeo, primū maiores, deinde minores. particula ergo (primum) his locis appoſita non pęnæ, aut pręmij inęqualitatem; ſed ordinem, & pręeminentiam ſtatuum inter eos, ante aduentum Euangelij, indicat.

Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudaeo primum, & Graeco.

Contrariam partem exponit, operanti, inquit, bonum, ſiue Iudæo, ſiue Græco gloria, honor, & pax. ſupplendum eſt (erit) aut (reddetur). hæc ſimiliter ſententia de ſtatu Iudæi, & Græci, etiam ante aduentum Euangelij, procedit: nec de Græco, ſeu Gentili idololatra loquitur; hic enim non operatur bonum; ſed de eo qui extra ſtatum Iudaiſmi tunc erat, & verum Deum colebat, ſecundumque Legem naturalem viuebat, vt Chryſoſt. Athanaſ. & Theodoret. docent, quorum aliquos fuiſſe certum eſt; & potuiſſent multo plures eſſe, niſi culpa, & vitium ipſorum in cauſa fuiſſet. non enim omnes fideles, & iuſti tunc ſolo Iudaiſmo concludebantur. ante Iudaiſmum etiam multi iuſti præceſſerunt. Omnis ergo qui ante Euangelium & in Euangelio bene uixit, & ſecundum legem Dei; verumq. cultum, ac fidem habuit, ſalutem obtinuit, & huic dicitur gloria, honor, & pax reddita. quod ſuperius incorruptionem, hoc nunc pacem appellat; vbi enim perpetua pax eſt, incorruptio eſt. Pſal. 147. Qui poſuit fines tuos pacem. Apponitur particula (primum) eadem de cauſa, ob quam poſita etiam eſt ſuperius. quamuis etiam verum ſit, opera bona Iudæorum, ante aduentum Chriſti, cæteris paribus, maiori fuiſſe digna praemio, quam opera Gentium; quia ex maiori obligatione, & arctiori praecepto procedebant. idem enim opus ex aequali fide, & gratia, ac charitate procedens, magis eſt meritorium in eo, qui ex praecepto, & maiori obligatione id facit, quam in eo, qui non ex praecepto, aut non ex tanta obligatione operatur. tamen Paulus non id intendit, vti diximus in praecedenti commentario.

Operanti bonū pax honor & gloria promittitur.

Chryſoſt. Athan. Theodor.

ANNOTATIO XLI.

Orig.

Probanda non eſt hoc in loco doctrina quædam Origenis: in his enim, & præcedentibus Pauli verbis tres hominum ordines deſcribi

ſcribi docet. Primus eſt eorum qui per patientiam boni operis gloriã, honorem, & incorruptionem quærunt; quibus promittitur vita æterna. hãc ſententiam ad Chriſtianos, maxime Martyres pertinere dicit. Alter eſt eorum, qui ſunt ex contentione, & veritati non credunt ſed iniuſtitiæ: his inquit, ira, indignatio, tribulatio, & anguſtia, nimirũ omni operanti malum, Iudæo primum,& Græco indicitur: ſic enim Origenes hunc diuidit, & ordinat contextum. Eſt autem hæc ſententia contra malos omnes indifferenter. Tertius ordo eſt eorum, de quibus dicitur; Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum,& Græco; & per Iudæum, & Græcum interpretatur omnes ſiue ex Gentibus, qui Euangelio non credunt,ſed in infidelitate manent, Deum non cognoſcentes,& tamen bona opera moralia faciunt, ſeruant temperantiam, iuſtitiam,& cæteras virtutes; ſiue ex Iudæis,qui aliqua perſuaſione muniti Chriſto non credunt, tamen vitã habẽt probe inſtitutam. his, inquit Origenes, æterna vita non promittitur, nec regnum cæleſte; tamen non defraudantur præmio; honor enim, & gloria, & pax illis eſt promiſſa. & de huiuſmodi hominibus hæc vltima ſententia procedit. Hæc eſt Origenis doctrina.omiſſa autem contextus diuiſione, & primi,ac ſecundi ordinis expoſitione,quæ quãuis non videantur ad mentem Pauli, doctrinam tamen erroneam non continẽt.Quod vero ad tertium ſpectat, nec ad mentem Pauli, nec ad doctrinæ Catholicæ veritatem talia dicta faciunt.Fatemur quidem.Paulum loqui de Gentibus, & Iudæis etiam ante fidem Euangelij, tamen

Sine fide operanti non eſt reſeruatum præmium.

non de ijs, qui prædicantibus Apoſtolis non crediderunt; nec de ſtatu poſt euulgatum Euangelium,ſed de ſtatibus illorum ante aduentum, & prædicationem Euangelij; tunc autem nec Gentilis, nec Græcus, nec Iudæus bona opera digna præmio habuit,niſi per fidem;nec vllus Deo placuit ante Chriſti aduentum, niſi qui crediderit.Sine fide enim impoſſibile eſt Deo placere, ad Hebr. 11. vbi de hominibus ante aduentum Chriſti loquebatur Paulus.Quando autem nunc dicitur: Omni operanti bonum(gloria,pax,& honor)ſupponit Græcos,& Iudæos veri Dei fidem habuiſſe; & qui talem fidem habentes bene vixerunt, etiam vitã æternam ſunt conſecuti; quamuis non fuerint admiſſi ad eam vſq. ad Chriſti mortem;nec eſt medium aliquod præter vitam æternam, aut mortem æternam adultis hominibus. Paulus autem nunc opera cõſiderat, quia de lege loquebatur, propter quam Iudæi ſe efferebant ſupra Gentes,quæ legem nõ acceperant a Deo exteriorem, qualem receperunt Iudæi; & oſtendit opera legis habuiſſe, & habere, etiamſi lex ipſa non ſit accepta exterius, ſufficere, & hominem dignum efficere præmio; non tamen fides excluditur,ſine qua nec iuſtitia eſt, nec lex impleri poteſt vt oportet. Præterea in ſequentibus capitibus exponit, neminem vnquam iuſtitiam hanc operum habuiſſe, niſi per fidem. Tria ergo ſunt in quibus nõ eſt probanda Origen. doctrina; Vnum eſt, Gentes potuiſſe vitare damnationem, & præmium conſequi cum ſola Dei naturali cognitione, & recta vita. hoc non ita eſt ſentiendum: ſine fide enim nemo acceptus eſt Deo, nec, ſine fide, vita vlla recta, &

Sine fide neque lex neq. iuſtitia adimpletur.

bona

bona eſt, vt dicit Aug. lib. de fide, & oper. cap. 23. nec damnationem effugiet; nam, cum omnes naſcantur in peccato originali; nemoque ſine fide peccati remiſſionem conſequi potuerit vnquam, nemo acceptus erit Deo ſine fide. Alterum, in quo non eſt probanda doctrina Origenis, illud eſt. Qui ex Gentibus non credit, tamen cognitionem naturalem habet Dei, & bene viuit, habere gloriam, & honorem, & pacē, ſed non æternam vitam, quæ ſolis credentibus datur. hoc non eſt Catholicum aſſertum; nemo enim ſine fide a damnatione liberatur æterna, ſicut nec a peccato liberatur. nec eſt ſtatus iſte medius, quem imaginatur Origenes, nec efficaciam habet argumentum ipſius: inquit enim; Illi reprehenduntur, qui, cum Deum cognouiſſent, nō ſicut Deum glorificauerunt, nec gratias egerūt, qui ergo Deum cognouerunt, & glorificarunt, ſunt laudandi, & mercedem accipient. Reſpondeo primo, nec illos, de qbus loquitur Paulus, Deum vere cognouiſſe, vti ſuperius expoſuimus. Reſpondeo ſecundo, eo dato, non valet conſequentia, ſicut nō valet; qui cognouerunt Deū, & idola adorauerunt, reprehendendi ſunt, ergo qui cognouerūt, & idola non adorauerunt, laudandi ſunt, & præmium habent; hoc non ſequitur, quia, vt præmium habeant, & Deo ſint accepti, plura requiruntur: ad malum enim ſufficit vnius defectus, ad bonum omnia neceſſaria cō uenire debent. Quod ſi dicas: quid de illis, qui naturaliter Deum nouerunt, et recte vixerunt? Reſpondeo, neminem talem inuentum eſſe: nā ſi aliqua bona fecerunt, multa alia mala commiſerunt; erant enim in peccato; ſine gratia autem bonum morale integre impleri non poteſt. quod ſi aliquis totum quod potuit fecit, miſericorditer hic fidei illuminationem a Deo recepit, & gratiam qua poſſet, vt oportuit, recte viuere. Tertium in quo non eſt probanda doctrina Orige. illud eſt, de Iudæis nolentibus credere perſuaſione aliqua munitis. hoc falſum eſt: nulla enim perſuaſio probabilis illis manet, Euangelio iam prædicato; ſed infideles ſunt cenſendi, & in ſtatu damnationis; quando autem Euangelium nondum erat euulgatum, etiam Chriſto iam in terris exiſtente, nōdum tamen eius doctrina manifeſtata inter eos, multi fideles erant, nec fidei ſubſtātiam amiſerāt. Tenendum ergo eſt, Paulum in hac ſententia de bene operantibus, de ijs etiam loqui, qui aduentum Chriſti præceſſerant, quorum bona opera ſine fide non erant. Paulus autem de lege, Iudæorum, qua ſe iactabant gloriantes, loquens, operum mentionem fecit, oſtendens etiam hæc non defuiſſe Gentibus ſine lege.

Sine fide nemo à dānatione liberatur.

Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.

CAuſam adiungit, cur vnicuiq., ſiue Iudæo, ſiue Græco, reddat ſecundum opera ſua; bene quidem operanti bonum, male vero operanti malum; quia non, inquit, eſt Deus perſonarum acceptor; non enim mala opera vllius punire deſiſtit, quia Iudæus eſt, aut Græcus qui ea facit, ſed quicumq. & qualiſcumq. malus

H eſt, &

eſt, & peccator, punit; nec contrario bona opera præmio defraudat, cuiuſcumque, & qualiacumque illa ſint. Similis eſt ſententia (Petri Act. 10. In veritate, inquit, comperio) quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.

Quicumq. enim ſine lege peccauerunt, ſine lege & peribunt; & quicumq. in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.

Apud Deū non eſt acceptio perſonarum.

PRobat non eſſe acceptionem perſonarum apud Deum, quantum ad priorem illam partem de male operantibus. nam qui ſine lege peccarunt, ideſt, Gentes, quæ non acceperunt legem Dei in Scripturis, & externam, ſicut Iudæi, & tamen mala opera fecerunt, peribunt, & damnabuntur etiam ſine lege, ideſt, etiamſi legem talem non habuerint. Iudæi autem, qui in lege peccauerunt, ideſt, habentes legem externam datam a Deo, mala opera fecerunt, & faciunt, per legem iudicabuntur, ideſt, ſecundum ipſam legem, quam acceperunt, examinati, & eius tranſgreſſores inuenti damnabuntur, iudicijque iuſti pœnas patientur. Attende, Gentes dici eſſe ſine lege, quia non eam acceperunt in Scripturis a Deo per hominem aliquem, ſicut Iudæi per Moyſem; tamen habuerunt ſculptam in mentibus a natura ipſa; lumen enim naturale rationis, quod honeſtum eſt, & rationi conſentaneum manifeſtum facit: idcirco peccarunt Gentes, & opera mala habuerunt, quia tranſgreſſi ſunt legem rationis, quam mentibus inſculptam receperunt, quod ſtatim exponit Paulus. Adde etiam, præter legem naturalem Deum multa praecepta dediſſe Iudaeis poſitiua, quae naturalis ratio non manifeſtabat, qualia fuerunt illa Cæremonialia, & Iudicialia, quae Gentes obſeruare non tenebantur. Deus enim illa populo Iudaico ſoli iniunxit, ideoque Iudaei ea non obſeruantes cenſebantur tranſgreſſores, & Dei iram, & indignationem contrahebant, non autem Gentes: ijs de cauſis hae dictae ſunt ſine lege, Iudaei autem in lege: & rurſus per legem non ſolum ſeu moralem, etiam cæremonialem, & Iudicialem iudicandi.

Gentes ſine lege viuentes peccant contra legem inditam in corde & mente.

Iudęis prę ter legem naturalem dedit De⁹ etiam cæremonialem.

ANNOTATIO XI.

AMbroſ. in illis verbis (ſine lege peribunt) affirmat, Gentes iam dudum legi Moyſi obnoxias teneri illo tunc temporis, quando

do Euangelium incepit euulgari, ſubijſſeq. iudicium, quia gratiam Chriſti non receperunt, legique datæ per Moyſem non aſſenſerunt. In hac doctrina Ambroſ. declarandum videtur illud, quod affirmat, Gentes legi Moyſi obnoxias fuiſſe iam dudum, ideſt, quando Euangelium appropinquabat. hoc non ſic eſt intelligendum, vt velit Ambroſ. ſignificare, Gentes aliquando fuiſſe obligatas vti circumciſione, & ſeruare cæremonialia, aut iudicialia præcepta legis illius. eſſet enim doctrina falſa, & non probanda. Sed ſenſus Ambroſij hic eſt, Gentes debuiſſe credere, legem illam fuiſſe à Deo, & vna cum Iudæis Chriſtum in lege illa promiſſum acceptare, & ad Euangelium ſe conuertere, quod tempore illo, quando fuit Euangelium prædicatum, verum eſt. Sicut enim tenebantur credere in Chriſtum, ita tenebantur etiam credere illis Scripturis, quę de Chriſto erant; Tamen hæc ad Pauli intentum non faciunt, qui loquitur etiam de ſtatibus Iudæorum, & Gentium ante aduentum Euangelij, vti diximus in principio. Hæc de Ambroſ. Aduertenda etiam eſt doctrina, quam in hæc etiam verba annotat Anſelmus. duo enim dicit; Vnum eſt: ſine lege peccare, & ſine lege puniri, idem ſignificare, ac leuius peccare, & leuius puniri: nam Gentilis minus peccat, & minus punitur, quam Iudæus, cæteris paribus, & hoc verum eſt, & eſt expoſitio Athana. in qq. ad Antiochum. q. 144. & Occumen. & Hila. in Pſal. 129. tamen non exiſtimo eum eſſe Pauli ſenſum; qui ſolum intendit docere pœnam, & mercedem eſſe communem omni operanti bene, vel male, tam Iudæo, quam Gentili. Alterum quod docet Anſelmus, eſt, Gentilem dictum eſſe ſine lege perire, quia non iudicatur ſecundum legem; ſed eo ipſo in gehennam mittitur: Iudæus autem iudicatur ſecundum legem, quia ratio legis in eo exigitur. puto Anſelmum alludere ad illud: Impij non reſurgunt in iudicio. & illud: Iam iudicatus eſt, qui non credit. tamen hæc doctrina qua ratione ſit intelligenda, late diſcuſſimus Ioan. 3. ideo ſuperſedemus nunc; id ſolum annotantes; etiam ſecundum legem iudicandum Gentilem, non ſcriptã, ſed naturalem; nec Paulum loqui de idololatris ſolis, ſed de ijs qui Deum cognoſcentes, bene, aut male vixerunt. Sine lege autem perire, non eſt, rationem legis naturalis non eſſe exigendam: ſed, etiamſi exteriorem legem non acceperint, qui male vixerint, perituros eſſe, & perijſſe ante aduentum Euangelij, & poſt. Aduertenda adhuc eſt doctrina quædam erronea, & hæretica, quam refert, & impugnat Auguſt. lib. de fide, & operibus cap. 23. dicebant aliqui maius eſſe perire, quàm iudicari; illud enim æternam pœnam, hoc temporalem indicat; Gentes autem ſine lege dicuntur perituræ, quia cum fidem non habeant, in æternum damnabuntur; at Iudæi fideles, etiamſi legem tranſgreſſi fuerint, punientur quidem, ſed tandem ſaluabuntur; nemo enim fidelis peccator in æternum damnatur; ideo iudicari dicuntur. Hæc doctrina hæretica eſt. fidelis enim non bene viuens, in æternum damnatur. Matth. 25. Ibunt qui mala egerunt in ignem æter-

[Margin notes: Gẽtes quare non excusãtur ob obſeruantia legis Moyſi ante aduentum Chriſti. — *Anſel.* — *Athanaſ. Occum. Hilar.* — *Ioan. 3.* — Gentes quõ dicuntur ſine lege perire, & iudicari ſecundũ legem. — *Aug.* — *Matt. 25*]

æternum: qui autem dicuntur Iudæi tranſgreſſores iudicandi, non per hoc æterna damnatio negatur. nam Ioan. 5. dicitur: Reſurgent in reſurrectionem iudicij. & Ioan. 3. Qui non credit, iam iudicatus eſt, vbi iudicium pro damnatione æterna accipitur. ſed dicuntur iudicandi, quia damnatio eorum fiet cum diſcuſſione maiori; quia legem habebant expreſſam, & ampliorem. Adde hoc in loco Paulum generaliter loqui etiam de Gentibus, quæ fidem habuerunt; tamen non recte vixerunt, hæ ſine lege etiam peribunt. Doctrina iſta, quam Auguſt. reprobat, eſt Origen. hom. 3. in Leui. & hom. 1. in Ezech. & inſinuat eam in expoſitione huius ſententiæ ad Romanos, de qua mentionem fecimus in explicatione illius. 1. Cor. 3. Saluus erit ſic quaſi per ignem, Adiunxit Auguſt. potius maiorem vindictam ſignificari Iudæis infligendam, quando iudicandi dicuntur, quia ſcientes peccauerunt.

Ioan. 3. *Origen.* *1. Cor. 3.*

Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.

PRobat non eſſe acceptionem perſonarum apud Deum, quantum ad poſteriorem partem; nempe de bene operantibus. eſt autem communis hæc ſententia Iudæis, & Gentibus, dictaq. eſt cum quadam depreſſione arrogantiæ Iudæorum circa legem, & eſt ſenſus; non qui legem audierunt, & acceperunt, eo ipſo iuſti cenſentur apud Deum, dignique iudicantur præmio; ſed factores, & qui legis opera faciunt, iuſtificantur, & probantur apud Deum, ſiue audierint, ſiue non: idcirco qui bonum operantur, & legem obſeruant, ſiue auditores fuerint, ſiue non, ſiue Iudæi, ſiue Græci, iuſtificantur a Deo, & digni mercede cenſentur. ſi ergo Iudaeus qui legem accepit, factor non eſt, apud Deum non iuſtificatur; contrario vero, ſi Graecus opera legis faciat, quamuis legem non accepit, iuſtificatur. hic eſt legitimus ſenſus. Priori verbo arrogantiam reprimit Iudaeorum, qui lege a Deo accepta gloriabantur, & eo argumento iuſtitiam ſibi vindicabant contra Gentes, quae legem non acceperant. inquit ergo Paulus: non in hoc iuſtitia eſt, & merces; auditor enim legis non iuſtificatur apud Deum, ſi opera non habeat; non auditor autem iuſtificabitur, ſi operetur. iuſtitia enim in legis obſeruantia eſt; & iniquitas, ac Dei contra eam vindicta, in tranſgreſſione. Iuſtificari appellat, non ſolum iuſtos effici, & dignos præmio, & mercede, ſed tales

cen-

cenſeri, & iudicari à Deo ipſo; vt exponit Aug. lib. de Spiritu, & littera, cap. 26. vbi complectitur vtrumq. iuſtitia operum, ex fide tamen, & dilectione procedentium. His Pauli verbis ſatis aperte confirmatur, contra nugatores huius temporis.

ANNOTATIO XII.

Non auditores tantum, ſed factores legis iuſtificabuntur, quo intelligendum.

ALiqui hanc ſententiam, probationem poſterioris partis precedentis ſententiæ exiſtimant, illa enim duas habuit partes; vnam; Qui ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt. alteram, Qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur: hanc poſteriorem quæ ad Iudæos pertinet, primo loco probari putāt; vt ſit ſenſus; Iudæi, qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur, quia non auditores, ſed factores iuſtificabuntur. At mihi non videtur accommodata connexio, nec ſenſus legitimus. cum enim Paulus duo propoſuerit, nempe, gloria, & honor operanti bonum, Iudæo primum, & Græco; & tribulatio, & anguſtia omni operanti malum; Iudæo primum, & Græco; oportebat vtramq. probare partem. probauit quidem poſteriorem verbis præcedentibus; Qui ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt: qui in lege peccauerūt, per legem iudicabuntur, vt malos Iudęos, & Græcos comprehenderet; oportebat ergo alteram partem de bonis confirmare. hoc autem facit dicens: Non factores legis iuſtificabuntur, & pronunciabuntur a Deo iuſti, & digni mercede: factores, non auditores; ideſt, etiamſi audierint. ſi enim auditores tantum iuſtificandi eſſent, Gentes non complecteretur, at dum dicit factores, etiamſi non fuerint auditores, & Gentes, & Iudæos comprehendit, & hic eſt ſenſus, & connexio legitima. Quod ſi ad Iudæos hæc referantur verba, tunc manet imperfectus contextus Paulinus: nam præcipua pars de operantibus bonum, manet ſine explicatione, & probatione ſua. Adde, ſi ad Iudæos ſolos hæc pertinerent, dicendum erat, non auditores tantum, ſed ſimul factores, nempe qui audierint, & ſeruauerint legem. At dum excluduntur auditores, quod proprium eſt Iudæo; & exprimuntur factores, quod commune eſt Iudæo, & Græco, hæc verba vtrique eſſe communia manifeſtum eſt, & huic expoſitioni conſonant ſequentia.

ANNOTATIO XIII.

SEntentia hæc Pauli (Factores legis iuſtificabuntur) aduerſari videtur alijs ſententijs ab ipſomet Paulo traditis cap. 3. ſequenti. Ex operibus, inquit, legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo. Galat. 2. Non iuſtificabitur homo ex operibus Legis. Gala. 3. In lege nemo iuſtificatur apud Deum. & Act. 13. etiam dictum eſt: Non potuiſtis in lege Moyſi iuſtificari. cum autem hæ omnes

Rom. 3. Gal. 2. Gal. 3. Act. 13.

Digitized by Google

ſententiæ veræ ſint, & a Spiritu Sancto traditæ, oportet verum ſenſum vtriuſque partis inueſtigare. nam vtraque hæc aſſertio vera eſt, Factores legis iuſtificantur, & operibus legis non iuſtificatur homo. Vana, & imperfecta eſt hæreticorum modernorum doctrina, vnam partem tuentium, nempe, ex operibus non iuſtificari hominem, ſed ſola fide; cum non minus vera ſit aſſertio altera, quam tradit Paulus, nempe, Factores legis iuſtificari; quæ etiam eſt Iacobi cap. 2. Videtis, inquit, quoniam ex operibus iuſtificatur homo. Imperfecta eſt etiam quorundam Catholicorum modernorum reſponſio, Paulum intelligendum eſſe de quadam iuſtitia legali, & morali, quæ eſt in legis obſeruantia, quæ quidem poteſt eſſe in infideli, & peccatore. ſed hanc reſponſionem refutat verbum illud (Apud Deum); iuſtitia enim illa, non eſt apud Deum: Rom. 4. Si ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. Præterea, quia Paulus loquitur de operibus de quibus dixerat; Secundum patientiam boni operis, quærunt vitam æternam. de vera ergo iuſtitia ſermo eſt. Chatholica igitur doctrina vera eſt, & perfecta: hæc enim vtriuſque partis veritatem declarat, & profitetur. quæ modo doctrina explicanda breuiter eſt. Ante omnia aduertendum eſt. Iuſtificare in Scriptura ſacra tripliciter vſurpari. Primo quidem ſignificat iuſtum facere; quando enim qui iuſtus non erat, aut iniuſtus prius erat, iuſtitiam accipit, & fit iuſtus, dicitur iuſtificari. ita accipitur ad Rom. 4. Credenti, inquit, in eum, qui iuſtificat impium. ad Roman. 3. Vnus eſt Deus, qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem. Gala. 3. ex fide iuſtificat Gentes. Act. 13. In hoc omnis qui credit iuſtificatur. multa ſunt huiuſmodi teſtimonia. Secundo, iuſtificare idem eſt, ac iuſtiorem facere. cum enim iuſtitia latitudinem habeat, & iuſtior homo fieri, ac melior poſſit, quandocumque ex iuſto fit iuſtior, & iuſtitiam iuſtitiæ accumulat, dicitur iuſtificari, ita habetur Apoca. 22. Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Tertio, idem ſignificat iuſtificare, ac declarare, ſeu pronunciare alterum, ſiue ſe ipſum iuſtum. quæ ſignificatio eſt frequentiſſima in Scripturis. Eccleſ. 7. Non te iuſtifices ante Deum. Eccleſ. 18. Locutus eſt ſuperba, & iuſtificauerunt eum. Matth. 7. Ex verbis tuis iuſtificaberis. Luc. 10. Ille volens iuſtificare ſeipſum, ideſt, oſtendere ſe eſſe iuſtum. ſunt ſexcenta huiuſmodi teſtimonia.

Hac ergo verbi ſignificatione expoſita, Auguſt. lib. de Spiritu, & litera cap. 26. hanc locorum, & ſententiarum apparentem pugnam ſic ad concordiam, & conſenſum reducit; docens, opera non præcedere iuſtificationem, quaſi ex virtute operum iuſtitia detur, qua homo, ex impio aut iniuſto, ſeu non iuſto, fiat iuſtus; hanc enim iuſtitiam gratis Deus dat per fidem, non propter opera, aut ex vi operum legis. Et hoc eſt quod illæ omnes ſententiæ docent, nempe hominem non iuſtificari ex operibus legis, ſed gratis per fidem; non autem per legem. Legem autem non ſolam illam cæremonialem, ſed moralem etiam, quæ Decalogo continetur, intelligimus. non enim virtu-

Marginalia: Iuſtificare quotupliciter ſumatur in Scriptura. — Iacob. 2. — Rom. 4. — Iuſtificare quot modis ſumatur in Scriptura. — Rom. 3. & 4. — Galat. 3. — Act. 3. — Apoc. 22. — Eccle. 7. & 18. — Matth. 7 — Luc. 10. — Auguſt.

Digitized by Google

virtute vllius operis legis iuſtificatur homo, vt ex peccatore, & non iuſto fiat iuſtus. Iuſtificato autem homini gratis, & non virtute legis, ſed fidei Chriſti, opera legis accedunt. nam poſtquam, remiſſo peccato, iuſtificatus eſt homo fide, & gratia, tunc legis opera facere, & legem implere poteſt, & implet, quam, priuſquam iuſtificaretur, arbitrium hominis peccato infirmum implere non valebat. & hoc eſt quod dicit nunc Paulus: Factores legis iuſtificabuntur; non quod iuſtificatio ſequatur factores legis, ſed quod præcedat, vt iuſtificati legem poſtea ſeruent. Si ergo in prima ſignificatione verbum iuſtificandi accipiatur, erit iſte ſenſus: Homines fient iuſti, vt faciant legem, non quod operibus ipſis legis fiant de non iuſtis iuſti: nam gratis iuſtificantur a peccato per fidem; ſed quod prius per fidem iuſtificentur, & ſic factores ſint legis. Si vero in tertia accipiatur ſignificatione; tunc ſenſus erit: legis factores iuſti pronunciabuntur, & declarabuntur a Deo. qui credit enim, & legem ſeruat, hunc iuſtum, & dignum præmio pronunciat Deus. hæc eſt Auguſt. doctrina in illo citato capite, cui Catholici omnes conſentiunt in ea parte, in qua affirmat, gratis nos iuſtitiam primam acquirere per fidem, non ex vi operum præcedentium legis, quæ ſequuntur hominem iam iuſtificatum. Eſt etiam uera expoſitio eius ſecunda, iuſtificari factores legis ea ratione eſſe dictos, quia Deus tales declarat, & deputat iuſtos, & præmio, ac mercede dignos. hæc duo vera, & Catholica ſunt.

Factores legis dicũtur iuſtificati, quia pronunciãtur iuſti ex præcedenti gratia.

Tamen vnum deeſt expoſitioni Auguſtini, quod alijs in locis explanauit: ſi factores legis iuſti ſunt, & iuſti decernuntur, & declarantur a Deo, neceſſario conſequitur, opera ipſa ad iuſtitiam pertinere, & operibus ipſis ineſſe iuſtitiam, quod Iacobus docuit cap. 2. dicens: ex operibus iuſtificatur homo, & non ex ſola fide. propterea ipſemet Auguſt. alijs in locis docet, præter primam iuſtificationem, qua ex impio fit pius, & ex iniuſto iuſtus per fidem, & lauacrum, adhuc eſſe iuſtificationem: qua iuſtitia accepta, primum creſcit, & augetur; et hæc fit per opera ex fide, et gratia, et prima iuſtificatione procedentia. et de hac tota iuſtificatione Iacobus dixit, quia ex operibus iuſtificatur homo, et non ex ſola fide. et hi ſunt iuſti, et legis factores, quos Deus decernit, et pronunciat iuſtos, et qui nunc iuſtificari dicuntur. Doctrina hæc eſt Auguſtini lib. 2. contra Iulian. cujus hęc ſunt verba. Iuſtificatio nobis in hac vita ſecundum tria iſta confertur. prius lauacro regenerationis, quo remittuntur cuncta peccata; deinde congreſſione cum vitijs, a quorum reatu abſoluti ſumus: tertio dum noſtra exauditur oratio, qua dicimus: Dimitte nobis debita noſtra. hæc Auguſt. Attende, congreſſione cum vitijs, quorum reatus eſt ablatus, et oratione hominem iam iuſtificatum à peccatis, per baptiſmum, et fidem etiam iuſtificari. quid eſt iuſtificatum iuſtificari, niſi augumentum accipere iuſtitiae? et quae eſt congreſſio cum vitijs, niſi virtutis opera, quibus vitia expugnamus? homo igitur iuſtificatur operibus ijs, quæ ſequuntur pri-

Iacob. 2.

Aug.

mam iuſtificationem, quæ gratis fit per fidem viuam, & lauacrum in his, qui nondum loti ſunt. idem Aug. ſerm. 16. de verbis Apoſtoli ſic ait. Iuſtificati ſumus, ſed ipſa iuſtitia creſcit, cum proficimus, & quomodo creſcit, dicam, & vobiſcum quodammodo conferam, vt vnuſquiſque veſtrum, iam in ipſa iuſtificatione conſtitutus, accepta ſcilicet remiſſione peccatorum per lauacrum regenerationis, accepto Spiritu Sancto, proficiens de die in diem, videat vbi ſit, accedat, proficiat, & creſcat, donec conſumetur, vt non finiatur, ſed vt perficiatur. Incipit homo a fide: Quid pertinet ad fidem? credere. ſed adhuc iſta fides diſcernatur ab immundis ſpiritibus: Ad fidem quid pertinet? credere, ſed ait Apoſtolus Iacobus, Dæmones credunt, & contremiſcunt; ſi tantum credis, & ſine ſpe viuis, vel dilectionem non habes; & dæmones credunt, & cōtremiſcunt, quid magnum eſt? dicis Chriſtum filium Dei, hoc dixit Petrus, & audiuit, Beatus es Simon Bariona. hoc dixerunt dæmones, & audierunt, obmuteſcite. Paucis intermiſſis, adiungit. Vna vox eſt, ſed Dominus radicem interrogat, non florem. prius ergo diſcerne fidem tuam a fide Dæmonis, vnde eam diſcernis? Dæmones hoc dixerunt timendo, Petrus amando: adde ergo fidei ſpem. & quæ ſpes eſt, niſi de aliqua conſcientiæ bonitate? ſpeique ipſi adde charitatem. Et poſt aliqua, Fides, quæ per dilectionem operatur. Vnuſquiſque inſpiciat ſe intus, appendat ſe in omnibus factis ſuis, bonis operibus ſuis, quæ facit ex charitate. Hæc, & alia multa Auguſt. vbi vides progreſſum totius iuſtitiæ, initium, & augumentum. Iuſtificatur homo fide, ſpe, charitate, bonis operibus: illud initium eſt, hæc conſummatio. opera ex fide, & charitate procedentia iuſtitiam augent. operibus hiſce iuſtificatur homo, dum ex iuſto fit iuſtior. Hæc eſt Auguſt. doctrina Catholica, & qua omnes ſcripturæ concordantur, & conſentientes inueniuntur. Totus ergo iuſtitiæ progreſſus, non ex fide tantum, ſed ſimul ex operibus fit: & hoc docet Iacobus, & in hac præſenti ſententia Paulus. at initium, & prima iuſtificatio, non ex operibus, ſed ex fide: & hoc docet in alijs ſententijs Paulus idem.

Aug.

Adhuc tamen, in maiorem huiuſce rei declarationem, ſunt aliqua adnotanda. Vnum eſt: operibus bonis, & ſecundum legem, quæ ex fide, & charitate procedunt, non tantum iuſtificatum hominem iuſtitiæ accipere augmentum, & magis iuſtificari; ſed etiam primam acceptam iuſtitiam conſeruari; iuſtificatus enim fide, & charitate, niſi legis opera faciat, & quod præceptum eſt impleat, non ſolum priuatur augmento iuſtitiæ, ſed etiam quam habebat amittet: amittitur enim charitas, & gratia, quando quæ charitas præcipit non efficiuntur. opera ergo legis ſequentia augent, & conſeruant acceptam iuſtitiam. Hinc facile eſt intelligere verba Iacobi 2. inquit enim, Homo ex operibus iuſtificatur, & non ex ſola fide.

Obijceret aliquis: aut opera primam iuſtificationem faciunt, aut ſecundam; primam non admittit Catholicus. ſi ergo ſecundam faciunt, quomodo dictum eſt, Fides,

Hominem ex operibus iuſtificari, non ex ſola fide.

Fides ſine operibus mortua eſt? non id videbatur inferendum eſſe, cum fides ſine operibus primam efficiat iuſtificationem. Reſpondeo, fidem ſine operibus legis, primam conferre iuſtificationem, quando viua eſt per charitatem; at niſi ſequantur legis opera, quod viuum erat, mortuum efficitur; & ipſa acquiſita, prima perit, propterea dixit Apoſtolus: Fides ſine operibus mortua eſt: nimirum niſi opera ſequantur fidem, ipſa, quæ prius erat viua per charitatem, & gratiam, mortua efficitur. Auguſtinus hoc idem non ignorauit. nam in eodem ſerm. 16. paulo ante verba allegata, habet hæc verba doctiſſima. Grati ſimus ex eo, quod habemus, vt addatur quod non habemus, & non perdamus quod habemus. hæc Auguſt.

Alterum eſt adnotandum; opera quidem legis aliqua præcedere poſſe primam iuſtificationem. nam & impij ſine fide, & peccatores ſine gratia aliqua poſſunt opera legis facere, quamuis non omnia: hæc tamen ipſum non poſſunt iuſtum efficere, nec virtute, aut merito vllius operis primam obtinet iuſtificationem; ſed gratis per Chriſtum prima iuſtitia, quæ eſt remiſſio peccati, & reconciliatio cum Deo, confertur credenti in eum, qui iuſtificat impium; vt inferius exactius tractabitur. Multum ergo eſt diſcriminis inter opera antecedentia, & ſequentia primam iuſtificationem; ſequentia enim iam ad fidem, & dilectionem Chriſti pertinent, cum ſint ex tali radice procedentia: & hæc, vti diximus, augent, & conſeruant iuſtitiam præcedentem.

Quantum ergo ad legitimum Pauli ſenſum attinet, dicendum eſt, Paulum in hoc capite id ſolum agere; nempe oſtendere, eam iuſtitiam quæ ex lege eſt, (nam præcepta Dei ſeruare iuſtitia eſt,) non eſſe poſitam in eo, quod homo legem exterius accipiat, ſicut acceperunt Iudæi; ſed in eo, quod opera legis faciat, ſiue eam acceperit magiſterio exteriori per Moyſem, ſiue interiori lumine naturali. Iuſtitia ergo legis communis eſt Iudæo, & Gentili, nec habet Iudæus, quo glorietur, quod legem acceperit, ſi opera legis non facit. Supponit Paulus fidem, & ipſius iuſtitiam, ſine qua non poteſt eſſe legis iuſtitia perfecta, & coram Deo; non enim loquitur nunc de fide vſque ad caput quartum; iuſtitia autem legis, quæ ex fidei iuſtitia procedit, auget, vti diximus, & conſeruat illam; tales factores legis ſunt qui iuſtificantur apud Deum, quos Deus probat, & iuſtos cenſet, & ipſi indies creſcunt in iuſtitia accepta, & in ea perſeuerant.

Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt; eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex.

Gentiles poſſunt eſſe facto-

OBiectioni tacitæ reſpondet, quomodo Gentiles, ſi non auditores legis ſunt, poſſunt eſſe factores? quomodo etiam ſi legis

res, & prę uaricatores legis, etiam ſi illa non audierunt.

legis non ſunt auditores, peccare poſſunt contra legem, & perire? ad hoc reſpondet Paulus hiſce verbis: Quia, inquit, quando Gentes, quæ legem non habent, quæ ſunt legis, naturaliter, ideſt, natura duce, & ſine doctrina exteriori faciunt; tunc ipſimet ſibi Lex ſunt, ideſt, habent in ſeipſis, & in corde ſuo dictamen rationis naturale, indicans mala, & bona opera; illa fugienda, hæc amplectenda; quod internum dictamen, loco legis illis eſt, & legis habet rationem: poſſunt ergo eſſe factores legis, quamuis auditores non fuerint. Attende, Gentes dici non habere legem; quia ſcriptam, & exteriori magiſterio diuino traditam non habent, ſicut Iudæi habuerunt. Illud autem (eiuſmodi) ad homines refertur, vt ſit ſenſus: eiuſmodi, ideſt, hi non habentes legem ſibi ipſis ſunt lex. Illud autem (naturaliter) non ſignificat viribus naturæ ſolis Gentes moralem legem implere; ſed ad exterius magiſterium refertur; vt naturaliter facere idem ſit, ac non accepto exteriori magiſterio diuino, quale acceperunt Iudæi, ſed natura duce, & magiſtra, legis opera facere. Non excluditur per hoc internum auxilium diuinum, ſine quo hominis arbitrium legem non valet moralem, nec etiam ipſam ſcriptam ſeruare.

Gentiles habent legis dictamen in mente, indicans bona & mala opera.

ANNOTATIO XIV.

Moderni, qui ſuperiorem ſententiam illam: Non auditores, ſed factores iuſtificabuntur; ad Iudæos referebant, ſic iſtam connectunt; illa enim ſuperior ſententia: Qui ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt. & qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur, duas habuit partes, poſteriorem de Iudæis, nempe: Qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur; cenſent probatam eſſe illis verbis: Non auditores, ſed factores iuſtificabuntur: priorem vero; Qui ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt; per quamdam prolepſim nunc probari exiſtimant, & verba hæc ſic interpretantur. Cum Gentes quæ legem non habent, faciant quæ legis ſunt; ſibi ergo ſunt lex, & ea ratione peccantes peribunt: illam enim particulam (cum) faciunt coniunctionem, & legunt ſententiam per quamdam ſuſpenſionem, vt probatio quædam partis illius (ſibi ſunt lex) vt ſit ſenſus: ex eo, quod opera legis faciunt, argumentum eſt eos ſibi eſſe legem. Tamen violenta eſt expoſitio: nam particula (cum) Græcis ὅταν, aduerbium eſt. Latine (quando.) Sententia ergo non eſt ſuſpenſionis, nec probationis, ſed affirmationis; vt ſit ſenſus: Quando Gentes, quæ legem non habent, quæ legis ſunt faciunt, tunc ipſi ſibi ſunt lex. & ita Latinus interpres docte vertit (cum faciunt:) & non (cum faciant) quamuis enim Græce ſit ſubiunctiuum tempus, id eſt, quia talis particula ſubiunctiuo copulatur, tamen ſemper eſt aduerbium temporis, non coniunctio; & apud

Gentiles quomodo ſibiipſis ſunt lex.

apud Latinos idem ſignificat, ac (quando faciunt.) Adde, ſi ſenſus talis eſſet, qualem iſti exponunt, inefficax eſſet probatio Pauli; ex eo nempe, quia opera legis faciunt. inde conſtat ipſos ſibi eſſe legem: profecto non ſequitur: nam ſicut dicit Ariſtoteles lib. 3. Ethic. Multi faciunt opera prudentiæ, tamen non ſequitur, eos prudentiam habere; quia caſu aliquo faciunt, non ex electione; ita reſpondere aliquis poſſet. quamuis opera legis faciãt, non ſequitur ipſos ſibi eſſe legem, & eam habere inſculptam corde, quia caſu, aut aliqua alia de cauſa talia opera facere poſſunt. probatio denique non eſſet efficax. Adde, veram probationem Paulum verbis ſequentibus adieciſſe, nempe ex conſcientia ipſa; hoc enim rectum, & efficax eſt argumentum, probans habere eos, qui exteriorem legem non habent, intus in corde legem ſcriptam. Vera ergo connexio, & expoſitio eſt in commentario adhibita, & expoſita. Attendendum etiam hoc in loco eſt, illud (eiuſmodi) non ad legem referri, ſicut Anſelmus retulit, ſed ad homines, ac ſi dicamus, iſti homines legem non habentes ſibi ſunt lex; ex verbo autem Græco id conſtat, nec eſt vlla ambiguitas.

ANNOTATIO XV.

Aug. SVperiorem ſententiam multis verbis diſcutit Auguſt. lib. de ſpirit. & lit. à capite 26. vſque ad 30. duas autem adfert expoſitiones. Vna eſt, quam ipſe probare videtur, vt non de Gentibus nondum ad Euangelium conuerſis, ſed de his, qui fidem Chriſti iam ſuſceperunt, iſta Pauli verba ſint intelligenda. hæ Gentes conuerſæ ſunt, quæ dicuntur legem habere inſculptam in cordibus, & naturaliter, quæ legis ſunt facere. Quod ſi ab Auguſtino petat aliquis, quomodo naturaliter quæ legis ſunt facere dicantur; cum fides, & gratia ſit per quam legem obſeruant? Reſpondet ipſe; gratiam datam eſſe ad perficiendam naturam. quod igitur per gratiam fit, dici etiam poteſt naturaliter fieri, nempe per naturam gratia perfectam. Inductus eſt Auguſtinus in hanc expoſitionem verbis illis Hierem. 31. Dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum deſcribam eam. Quibus verbis Euangelicæ legis priuilegium ſignificatur; quæ non tabulis lapideis, vt dicitur 2. Cor. 3. ſed Spiritu Dei viui ſcripta eſt in tabulis cordis carnalibus. Si igitur de Gentibus nondum ad Chriſtum conuerſis dictum eſſet, habuiſſe legem ſculptam in cordibus, quod iam eſſet priuilegium Euangelij? Hæc eſt Auguſt. expoſitio breuiter enarrata, in quam ipſe magis inclinat.

Gentiles quomodo haberent legẽ ſculptam in mentibus.

Ierem. 31

2. Cor. 3.

Præter quam adhibet alteram. nam ſic etiam verba ſuperiora exponi poſſe cenſet, vt de Gentibus nondum ad Chriſtum conuerſis, in ſuaq. idololatria manentibus, hæc ſententia intelligatur; in his enim non eſt totum lumen naturale deletum, quin aliqua opera bona cognoſcant, & faciant. idcirco dictum eſt, quæ legis ſunt naturaliter facere. Tunc autem differentiam eſſe cenſet à nouo Teſtamento; quod in hoc totũ, quod lumen integrum naturale continebat, in corde ſcribitur credentium, per gratiam, & fidem,

fidem, quod in veteri in lapideis tabulis ſcriptum fuit.

Neutra expoſitio mihi ſatis Paulino contextui accommodata videtur; generalis enim eſt ſermo Pauli, de Gentibus ſiue ad Euangelium conuerſis, ſiue ante Euangelium exiſtentibus. hæ quæ legis ſunt moralis facere potuerunt, & fecerunt, non quidem ſine fide, & gratia; has enim ſupponit Paulus: ſed ſine lege ſcripta, exteriusq. accepta à Deo; hoc enim, vti diximus ſuperius, eſt quod Paulus nunc tractat. Gentes enim, quamuis non acceperint legẽ ſcriptam, habuerunt, & habent, quo opera bona,& mala dignoſcerent: & qui fecerũt, iuſtificati ſunt;qui vero non, perierunt. Paulus enim in his verbis reſpondet obiectioni tacitæ, nempe, quomodo Gentes,quæ ſine lege ſunt,& fuerunt,quia non acceperunt, potuerunt,& poſſunt bona facere, & à Deo præmium habere? nam dictum eſt, Gloria, & honor omni operanti bonum.huic reſpondet Paulus, etiamſi legem non habeant ſcriptam,per naturale lumen agnouiſſe legis opera. Præterea expoſitio illius verbi (naturaliter) accommodari non poteſt. nam ſi Gentilis dicitur naturaliter quæ legis ſunt facere,quia per gratiam, quæ naturam perficit, legis opera efficit, non diſtingueretur à Iudæo. nam Iudæus naturaliter quæ legis ſunt facit, quia per gratiam eamdem perficientem naturam ea facit. Paulum autem voluiſſe diſtinguere Gentes à Iudæis per hoc, quod illi naturaliter,hi non naturaliter quæ legis ſunt faciunt, ipſe cõtextus ſine aliqua alia probatione demonſtrat. Non ergo illud(naturaliter) talem admittit ſenſum, ſed eam opus eſt habere ſignificationem, qua Gentilis à Iudæo diſtinguitur, vt (naturaliter) id ſignificet, quod ſola natura duce, & magiſtra, ſine alio magiſterio exteriori diuino; hoc enim proprium fuit Gentibus. Præterea valde improprie, Naturæ nomine, gratia Chriſti exprimitur, cum ſemper gratiam à natura Scriptura diſtinguat; virtusq. gratiæ naturam multum excedat: & id Paulus in hac epiſtola docere valde ſtudet; quomodo igitur nunc,quod gratiæ eſt,nomine naturæ ſignificaret, vbi de vtriuſque diſtinctione, & poteſtate diſſeritur?

Poſterior autem Auguſtini expoſitio accommodari contextui nõ poſſe videtur; nam, vti iam diximus, his verbis Paulus obiectionem ſoluit, quæ ex ſuperioribus procedebat. dixerat enim: Non auditores, ſed factores legis iuſtificabuntur; & rurſus, Gloria, & honor omni operanti bonum, Iudæo primum, & Græco. poſſet quis inquirere, quomodo Græcus facere poteſt quæ legis ſunt, & iuſtificari ſi legem non audiuit? huic inquiſitioni reſpondens Paulus, dicit: Gentes, quando quæ legis ſunt faciunt naturaliter, ideſt, ſine exteriori magiſterio, ipſi tunc ſibi ſunt lex; ideſt,habent intra ſe dictamen rationis naturalis, quæ legis ſunt indicans. igitur non de idololatris ſolis Paulus loquebatur; hi enim non iuſtificati ſunt, ſed de ſtatu Gentium in ſe, & de ijs, qui verum Deum colebant, ac fide, & gratia præditi, quæ legis ſunt operabantur, etiamſi non haberent ſcriptam exterius. multos enim tales ante aduentum Chriſti fuiſſe non eſt dubitandum, vt paulo ſuperius oſtendimus.

Digitized by Google

dimus. & multos adorare verum Deum ad templum Salomonis adſcendiſſe conſtat. extra ſynagogam enim tunc ſalus Gentibus eſſe poterat. & hoc eſt quod Paulus docere intendit: de operibus tamen loquitur, quæ cum Iudæis communia habebant; donec inferius, totam iuſtitiam ex fide Chriſti emanaſſe, ordinate procedendo demonſtret. & de talibus Gentibus Athanaſius, Chryſoſtomus, Theodoretus, has ſententias exponunt, quas ego generaliter de omnibus Gentibus, & ante Euangelium, & poſt intelligendas exiſtimo, & idololatris; quia iſtæ ſaltē aliqua legis opera etiam faciunt: Paulus enim, & de bonis, & de malis loquitur, quorum illi ſalutem, hi vindictam recipiunt, etiamſi legem exteriorem non habuerint. Paulus ergo in his verbis generaliter de Gentibus loquitur, etiam ante Euangelij aduentum, ſimiliter & de Iudæis.

Athan. Chryſoſt. Theod.

Id autem, quod Auguſtinum permouit, & induxit, facile ſolui, immo & in ipſum retorqueri poteſt; nemo enim negare poteſt, Gentibus non conuerſis lumen naturale rationis effulſiſſe, & legis moralis præcepta magna ex parte nota fuiſſe. de idololatris enim Paulus ſupra aſſeruit, eos iuſtitiam Dei cognouiſſe; igitur habuerunt illi legem inſculptā in cordibus. Verum quod erit priuilegium legis Euangelicæ, quæ in tabulis cordis inſculpta dicitur? non ergo euademus hanc obiectionem, etiamſi affirmemus Paulū loqui de Gentibus conuerſis. Dicendum igitur eſt, longe aliter legem naturalem inſculptam cordibus hominum, & legem Euangelicam cordibus credentium. illa dicitur inſculpta cordibus etiam Iudæorum, ratione luminis naturalis intellectus, quæ manifeſtat quæ legis ſunt, nempe mala fugienda, & bona facienda honeſta; quod lumen in peccatore, & infideli etiā eſt, communeq. eſt Gentibus, Iudæis, Paganis, & Chriſtianis, & omnibus ratione vtentibus; quamuis quibuſdam magis, quibuſdam minus lex hæc innoteſcat. at lex Euangelica inſculpta dicitur multo aliter, nempe ratione luminis fidei, quo cognoſcitur diuina voluntas; ratione etiam gratiæ, & charitatis, qua quod lex præcipit impleri poteſt. Hæc eſt optima, & diuina ſculptura, quam Paulus illis verbis, 2. Corin. 3. expreſſit. Non, inquit, atramento ſcripta, ſed Spiritu Dei viui. hac ſculptura non tantum moralia, & naturalia præcepta, ſed etiam poſitiua omnia, ac conſilia ſcripta ſunt in cordibus credentium, & Chriſtianorum Chriſtiane viuentium. Hoc eſt quod Hieremias prædixit, futurum nempe tempus, quando Deus noſter, carne ſumpta, legem Euangelicam pronunciaret, & fide, ac gratia corda fidelium repleret, quibus & cognoſcerent, & implere poſſent totam integram legem. hoc priuilegium eſt Euangelicum, quod non Iudæorum ſtatui, nec Gentium conditioni debebatur.

2. Cor. 3.

Quod ſi adhuc inquiras. Nonne Gentes quæ legis illius erant feciſſe dicuntur? ſi ergo fecerunt, & impleuerunt, neceſſario fatendum eſt illas habuiſſe ſcriptam legem in corde, etiam hac ſculptura gratiæ, & fidei, ſine quibus non potuiſſent facere, nec apud Deum iuſtitiam habere. Fateor, & verum eſſe confirmo, & probo: tamen in hoc non erat à Iudæo Gentilis diſcretus, qui

niſi

niſi etiam fidem, & gratiam habuiſſet, quæ legis in ſcripto accepit, implere non potuiſſet; nec enim Gentilis facere potuiſſet, quæ inſculpta habuit per lumen naturale, nec Iudæus, quæ per ſcripturam, niſi vterque habuiſſet hanc ſculpturam Noui Teſtamenti, quæ eſt per fidem, & gratiam Chriſti, & hoc idem docet Auguſtinus. Dicimus tamen nos, id neutrius ſtatus fuiſſe proprium, ſed Euangelij & Chriſti; à principio enim mundi gratia Euangelica per fidem, & gratiam Chriſti effulſit, & antequã auctor Euangelij veniret, dignatus eſt, propter ſuum aduentum futurum, in cordibus hominum operari, ne ſine ſalutis remedio illi priores manſiſſent. at Paulus nondum hoc myſterium diſcuſſit. Donec ad ſequentia capita perueniat, quod commune eſt Gentili, & Iudæo docet; nempe bene operari, & male; præmium recipere, aut vindictam ex operibus. poſtea oſtendet, ſine fide, & gratia Chriſti coram Deo iuſtitiam nec fuiſſe, nec eſſe, nec ipſa opera vllum habere potuiſſe, aut poſſe beatitudinis præmium: inde totam iuſtitiam, inde virtutem emanaſſe. Hoc autem facit, vt Euangelium commendet, & eius neceſſitatem declaret; in quo iam fides Chriſti aduentus annunciatur, qui illa operabatur. Iudæus ergo aut Gentilis etiam ante aduentum Euangelij hoc differebant, quod ille ſcriptam, hic non ſcriptam legem habebat; tamen nec hic, nec ille opera legis effecit, aut efficit ſine fide, & gratia, quæ ad Euangelium pertinebat, diuina tamen clementia, & largitate anticipata fuerunt. Hæc eſt legitima Pauli expoſitio, & doctrina vera.

Ambroſius aliter exponit, de Gentibus enim ad Chriſtum conuerſis interpretatur; cum Auguſtino in hoc conueniens; tamen quæ legis ſunt facere exponit, quia credunt in Deum, & Chriſtum; legem enim facere, ſeu implere, idem eſſe dicit, ac credere. Hoc autem, nempe credere, naturaliter Gentes facere docet; quia proprio iudicio, & voluntate credunt, ratione cuius proprij iudicij, & voluntatis dicuntur ſibi lex eſſe. Hanc Ambroſ. expoſitionem parum duram eſſe nemo non videt, nec ſatis contextui accommodari poteſt; quando enim Paulus factores legis iuſtificatos affirmauit, & non auditores, negari non poteſt, de lege, & operibus illis agere, de quibus ante dixerat: Secundum patientiam boni operis quærunt vitam æternam. de eiſdem ergo etiam hæc ſententia intelligenda eſt: aliter deſtrueretur contextus. Adde etiam improprietatem verborum; nec enim credere, eſt legem facere, cum lex, & fides valde diſtinguantur inter ſe. Adhuc etiam nec naturaliter dici debet homo credere, qui non credit, niſi in Spiritu ſancto. *Ambroſ.*

Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.

Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in

PRobat eos ſibi eſſe legem, & eſt mirabilis efficacia probationis. non dicit: Qui habent opus legis ſcriptum in cordibus; ſed, quod magis eſt: Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus, id eſt, ha-

cordibus ſuis, ipſi ſunt ſibi lex.

eſt, habent in ſe argumentum, & probationem, quæ innoteſcere facit, eos habere ſcriptum opus legis in ſuis cordibus. merito ergo dicti ſunt ſibi eſſe lex, quippe qui non ſolum habent ſcriptum opus legis in cordibus, ſed etiam ſpecimen habent, & argumentum in ſe, oſtendens, & probans eos habere intra ſe ſcripta opera legis. Scriptura hæc cordis, eſt lumen naturale, ea probans, aut prohibens, quæ lex ſcripta exterius probat, aut prohibet facienda; quod enim Iudæo dictum eſt lege ſcripta; Non occides, Non furaberis, Non fornicaberis, Cole parentes, Deum venerare, Non periurabis, & cætera ſimilia, hæc eadem opera lumen naturale cordis prohibet, aut probat Gentibus legem non habentibus. Illud autem relatiuum (qui) vim habet cauſæ, ac ſi diceret: Quippe qui oſtendunt ſe habere opera legis ſcripta in cordibus ſuis.

Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum.

Conſcientia teſtatur nos habere opera ſcripta in corde.

EXponit quod ſit hoc ſpecimen, & argumentum oſtendens, & probans, eos habere opera legis ſcripta in cordibus ſuis. Conſcientia, inquit, ipſorum conteſtatur, & teſtimonium reddit, eos habere legis opera ſcripta in corde, per quam conſcientiam, tamquam teſtem teſtimonium reddentem huius ſcripturæ in cordibus, ipſi oſtendunt, & manifeſtum faciunt, ſe habere ſcripta opera legis, ac ſibi eſſe legem. conſcientia ergo eſt, quæ conteſtatur; id quod conteſtatur, ſeu cuius teſtimonium reddit, eſt, illos habere ſcripta opera legis in corde: quibus conteſtatur, ſeu teſtimonium reddit: quamuis Latine exprimatur in illo relatiuo (illis) tamen Græce non habetur; ſed ſolum dicitur: conteſtante conſcientia ipſorum: quia non ſolum illis, ſed omnibus conſcientia ipſorum conteſtatur, illos habuiſſe ſcripta opera in corde; quamuis modo non innoteſcit hoc teſtimonium vſque in diem reuelationis iudicij: tunc conſcientia ſingulorum, teſtimonium Deo, Angelis, & hominibus reddet, eos notitiam habuiſſe operum legis, nec excuſabiles eſſe. Attende, conſcientiam eſſe, quæ monet hominem bene agere, & retrahit à male agendo, & quæ, quando male agit, accuſat; quando autem bene, probat. Conſcientia igitur teſtatur, & teſtimonium præbet notitiæ legis; non enim accuſare poteſt, aut defendere hominem, niſi illi ineſſet notitia operum legis, nempe quæ bona, aut mala ſint. hic eſt modus, quo teſtimonium reddit, & eſt argumentum, & teſtis fide dignus, illos habuiſſe opera legis in corde

ſcripta,

Digitized by Google

ſcripta: nam conſcientia operum interius premebantur, & aliquando gaudebant. Græce, illud (teſtimonium reddente) eſt vnicum verbum. Conteſtante, ideſt, ſimul teſtante: ac ſi dicat, præter ipſam ſcripturam cordis, quæ ſui teſtimonium perhibet, & conſcientia ipſa ſingulorum teſtatur.

Et inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.

HAec verba explicatio quædam ſunt præcedentium, nempe, quo pacto conſcientia illos habuiſſe ſcripta opera legis in corde, conteſtetur; nimirum dum conſcientia hominem proprijs aliquando ſuis ratiocinationibus accuſat, & remordet, tamquam eum, qui male egerit; aliquando in contrarium defendat, tamquam eum, qui recte egerit. Sic conſcientia teſtimonium reddit, ſcripta habere eiuſmodi homines opera legis in corde. non enim eſt accuſatio, aut defenſio, niſi lex aliqua probans, aut prohibens opera adſit. cum autem illi ſcripturam exterius non habuerint, neceſſe eſt habuiſſe ſcripturam internam. eſt enim conſcientia inſtar accuſatoris, aut patroni in forenſibus cauſis. modo enim accuſatoris, modo patroni perſonam agit, vt defendat, aut accuſet hominem, intra quem ipſa latet: immo ipſa vindex, ipſa coronans eſt. nam malus ſtimulo agitatur propriæ conſcientiæ, & teſtimonio boni operis gaudet bonus. Græce (cogitationibus) λογισμῶν, quaſi ratiocinationibus; his enim conſcientia vtitur, dum male, aut bene hominem egiſſe conuincit. hæc igitur conſcientia accuſans, & defendens eſt teſtis omni exceptione ſuperior, teſtificans etiam Gentes notitiam legis habuiſſe, & qui non habent exterius ſcriptam, conuincit habere interius. Græce in genitiuo legitur (cogitationum accuſantium:) ſed loco ablatiui poſitum eſt, quo Græci carent, & Latine vertitur, cogitationibus accuſantibus.

Conſcientia dicitur accuſator, & defenſor.

In die cum iudicabit Deus occulta hominum, ſecundum Euangelium meum, per Ieſum Chriſtum.

VErba hæc connexa ſunt verbo illi (oſtendunt) [illegible] enim [illegible] Gentes non habentes legem Moſaicam, ſeu ſcriptam exterius à Deo datam, ſibi ipſis eſſe legem, eamq. habere interius in cordibus inſculptam; nec ſolum hoc, ſed intra ſeipſas etiam habere teſtem fide digniſſimum, conteſtantem hanc cordis ſcripturam; conſcientiam nempe ipſam accuſantem, aut defendentem. quo teſtimonio

In die iudicij conſcientia teſtis apparebit.

ſtimonio oſtendunt, & manifeſtum faciunt, eos ſibi ipſis eſſe legem. Exprimit nunc Paulus, quando oſtendetur id, & manifeſtabitur. In die, inquit, vltimo, quando occulta hominum Deus iudicabit: tunc omnia hominum interiora manifeſtabuntur, & reuelabuntur, tuncq. conſcientia vniuſcuiuſque teſtis apparebit, & omnibus teſtabitur, & reddet teſtimonium legis in cordibus ſcriptæ. Hactenus occultus eſt teſtis, & eius teſtimonium ſoli habenti innoteſcit: at in die illo ſingulorum conſcientiæ omnibus apparebunt, & tunc oſtendetur omnibus, Gentes ſibi ipſis fuiſſe legem; earum conſcientijs coram omnibus acclamantibus. Exponit autem Paulus iudicium hoc. Quando, inquit, Deus iudicabit occulta hominum, per Ieſum Chriſtum, ideſt, quando Chriſtus Deus, & homo veniet viſibiliter iudicare omnes homines; eſt enim iudex à Deo conſtitutus viuorum, & mortuorum. Act. 10. Dicitur autem Deus iudicare per Chriſtum, quia Deus eſt iudex inuiſibilis: per Chriſtum autem, vt homo eſt, viſibile iudicium exercebit. Præterea Deus eſt primus iudex, Chriſtus autem vt homo iudex ex poteſtate communicata. Ioan. 5. *Ioan. 5.* Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio. de qua re diximus multa ſuper Ioannem. At quia ignotum erat hoc iudicium Gentibus, Iudæis autem, quamuis in Prophetis prædictum, tamen occultum, & non diſtinctè perceptum: propterea adiunxit Paulus; Secundum Euangelium meum, ideſt, ſecundum Euangelium, quod ego prædico; hoc enim eſt quod docet, & aperte tradit, iudicium hoc vniuerſale futurum per Chriſtum. Quando ergo hæc dies acceſſerit, tunc apparebit, & oſtendetur, Gentes legem non habentes inexcuſabiles fuiſſe, legemq. in cordibus habuiſſe; tunc conſcientia ſingulorum coram omnibus teſtabitur, & eius rei reddet teſtimonium.

Si autem tu Iudæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo, & noſti voluntatem eius, & probas vtiliora inſtructus per legem, confidis teipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ, & veritatis in lege.

DOcuit hactenus Paulus, omnem operantem bonum habiturum mercedem, operantem malum, vindictam, tam Iudæum,

quàm Græcũ,tam habentem legem, quàm ea carentem. neque eſſe acceptionem vllam perſonarũ apud Deum. Hiſce nũc verbis deprimit iactantiã Iudæorum, cauſasq., quibus ſe Gentibus præferebant in iuſtificatione apud Deum, enarrat; docens non ſe tutari vlla earum Iudæos male viuentes poſſe, immo omnia ea potius eos damnatione digniores facere. Tota autem ſuperior ſententia imperfecta eſt; nam connectitur ſequentibus verbis, quorum ſenſus integer breuibus expoſitus, hic eſt. O Iudæe, etiamſi habeas multa, quibus gloriaris, hæc tamen omnia, ſi legem transgrediaris, non te excuſant apud Deum, immo maioris vindictæ reum efficiunt. dicit ergo Paulus: O Iudæe, ecce tu multa habes, quibus gloriaris, (cognominaris enim Iudæus) erat enim hoc nomen olim venerabile, & honorificum (requieſcis in lege) non enim laboras, nec vagaris, inquirendo quid agendum, quidve fugiendum ſit; hæc enim ſine labore, & diuagatione lex accepta docet. (Gloriaris in Deo) quia verum Dei cultum, & religionem habes, & populus illius electus es, & dicis: Notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius. (& noſti voluntatem eius:) quæ enim Deus vult ab homine fieri, & caueri, lex ipſius indicat, (& probas vtiliora inſtructus per legem) ideſt, habes paedagogiam, & inſtructionem legis, per quam quæ vtiliora, & meliora ſunt, eligis, & probas, dum non tantum cognoſcis quæ ſint agenda bona; ſed etiam meliora. (Et confidis teipſum eſſe ducem cæcorum) ideſt, videris tibi ſcientiam legis, & Scripturæ habenti poſſe alios omnes homines docere, nempe Gentiles, quos reputas tamquam cæcos, & lumine carentes, inſipientes, & infantes, qui morum diſciplina indigeant; te autem magiſtrum, ducem, & lumen iactas. His nominibus vtitur Paulus, vt annotat Chryſoſtomus, vt faſtum & arrogantiam Iudæorum repraeſentet; nominibus enim hiſce ſe Iudæi iactabant; nimium etiam ſupercilium erga proſelytos gerebant, & ſuperbe ad Iudaiſmum Gentes adducere curabant. (Habentem formam ſcientiæ, & veritatis) ideſt, regulam agendorum, & credendorum in Lege ipſa, & Scriptura habes, vt ſit ſenſus: Hæc nomina tibi aſſumis; magiſtri, ducis, luminis, teipſum ſuperiorem alijs faciens, quippe qui habeas formulam, & regulam in lege tibi datam ſcientiæ, & veritatis, qua alios doceas mores, & fidem. Scientia ad mores, ſeu agenda, veritas ad fidem, ſeu credenda, refertur. Hæc ſunt, propter quæ Iudæi ſe anteponi Gentibus debere

Iudæorũ arrogantia apparet, quia ſe Gẽtibus præferebant.

Chryſoſt.

debere

debere exiſtimabant, non ſolum ante, ſed etiam poſt Euangelium.

ANNOTATIO XVI.

Origen. Theoph. Ambroſ. Theod. Oecum.

VAria eſt lectio in Græcis exemplaribus; aliqua enim habent εἰ δὲ, quod Latine ſignificat (ſi autem) & ita Origen. & Theoph. & Ambroſ. legere videntur. alia vero habent vnam particulam ἴδε, quæ Latine ſonat (ecce) & ita Theodor. legit, & Oecum. atque ita videtur legendum. nam ſi legamus (ſi autem) oratio manet imperfecta, & inabſoluta, vt cuilibet conſideranti patet. per particulam autem (ecce) oratio perfecta, & abſoluta eſt, & habet quamdam emphaſim, vt inſinuet arrogantiam Iudæorum, qua ſe Gentibus præponebant.

Qui ergo alium doces, teipſum non doces? Qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis non moechandum, moecharis? Qui abominaris idola, ſacrilegium facis?

Iudæus ideo arrogans, & damnatus quia quod prædicabat fieri, non faciebat.

COmplet ſententiam præcedentem, & eſt ſenſus. Tu ergo, cum aliorum doctorem te eſſe prætendas, ac iactes, debes te ipſum docere; ideſt, quæ alios agenda doces, tu ipſe etiam deberes agere. abſurdum quippe videtur alios docere, & non eadem agere, quæ docet agenda; hoc enim appellat, non ſeipſum docere, nempe non vti doctrina in ſe, quàm alijs præbet: exemplis hæc exponit. Prædicas, inquit, non furandum, & furaris; dicis non mœchandum, & mœcharis; idola deteſtaris, & abominaris, tamquam ea, quæ contra Dei veri cultum ſunt, & tamen tu ſacrilegium committis, multa quæ ad Dei cultum pertinent violando. Non dixit Paulus, idola abominaris, & idola adoras. nam Iudæus verum Deum colebat: ſed, ſacrilegium facis, etiamſi non colas idola, tamen cultum veri Dei violas. idololatria enim ſpecies quædam ſacrilegij eſt: idcirco Iudæus quodammodo eadem videtur facere, quæ in alijs reprehendit. Similia ſunt iſta verba illis ſuperioribus: Eadem agis, quæ iudicas. Habent autem quamdam hæc verba tacitam comminationem; quaſi diceret: Tu, qui doces, maioris vindictæ, & culpæ reus efficeris, dum non ſic agis, ſicut doces, & prædicas. Attende particulam illam illatiuam (ergo) habet enim quamdam illationem, quaſi diceret, ex præcedentibus inferens: Tu doces alios, ergo teipſum docere debes: quod cum non facis, ſed aliter viuis, & facis quàm doces, & prædicas

Oecum. dicas, abſurdiſſimam rem facis, & crimen graue committis. Oecumen. annotat, hæc poſſe legi abſolute, atque etiam cum interrogatione: & quamuis idem fere ſit ſenſus, tamen accommodatior, & ſignificantior eſt, maioremque habet energiam, ſi cum interrogatione legamus, & ita expoſitores communiter legunt, & exponunt.

ANNOTATIO XVII.

Chryſoſt. CHryſoſt. ſer. 6. hoc Iudæorum ſacrilegium exponit, quia idolothytis, & his, quæ dæmonijs offerebantur, vtebantur. Ambroſ. interpretatur ſacrilegium illud eſſe, quia Chriſtum negauerunt. Aug. Auguſt. vero exponit, quia quæ Dei erant violabant. Aliqui exponunt, quia quæ Dei cultui deputata erant, in ſuos conuertebant vſus. hæc vera ſunt; multis enim modis ſacrilegium quod eſt contra Dei cultum committi poteſt. Ambroſ. Ambroſij vero expoſitio non videtur ad mentem Pauli, qui de ſtatu etiam ante aduentum Euangelij loquebatur, & de his etiam, qui conuerſi erant.

Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras?

Iudęus gloriabatur de lege, cuius erat pręuaricator.

PRoſequitur eamdem ſententiam. Gloriaris, inquit, in lege, ideſt, pro magna gloria, & honore legem à vero Deo accepiſſe ducis, & dicis: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. & reuera glorioſum, & magnificum beneficium eſt; ex altera tamen parte Deum contumelia afficis, dum eius legem tranſgrederis, & præuaricaris, eumq. quo gloriaris inhonoras, & quantum eſt in te inglorium facis. Attende, Paulum non dare vitio Iudæo, quod glorietur in lege, ſicut nec quod doceat alios, nec quod prædicet non furandum, nec mœchandum, nec quod abominetur idola; hæc enim omnia licebant, & ſtudioſa erant; ſed id vitium, & reprehenſione dignum erat, quod non reſponderet vita ſermoni, & doctrinæ; aliter enim viuebat, & operabatur quàm prædicabat, atque loquebatur, ſeq. propter illa ſola cæteris præferebat, ac eorum cauſa ſuperbe de ſe ſentiebat, quæ grauioris ſunt culpæ, & ſeueriori iudicio digna.

ANNO-

ANNOTATIO XVIII.

Baſil. ATtende ex Baſil. reg. breui. reſp.4. & reſp.194. per quodcumque peccatum, quo legis diuinæ fit tranſgreſſio, Deum affici à peccatore contumelia; qui enim præuaricatur legem, legem contemnit. contemptus autem legis, in eum committitur, qui eſt auctor, & inſtitutor legis. Eſt præter hunc contemptum, & contumeliam, qua, qui peccat, afficit auctorem legis Deum etiam altera contumelia, quæ non in omni peccato eſt, ſed in publico, & ſcandalum inferente: nam apud Gentes, & infideles verus Deus contemnitur, quando vident illos, qui Deum colunt, & profitentur, in ipſum peccare, & eius legem tranſgredi; qui enim Deum non cognoſcunt, dum vident illius cultores male viuere, legemq. eius præuaricari, talem Deum exiſtimant, quales ſunt cultores, idcirco tranſgreſſores legis non ſolum inhonorant Deum, quia ipſi contumeliam inferunt, eius lege contempta; ſed etiam eum inhonorari à Gentibus, & verum Deum ignorantibus faciunt; ſicut è contrario bene, & laudabiliter viuentes Deum honorant, tum per ſe ipſos; tum quia alijs cauſa ſunt, vt honorifice de Deo ſentiant. iuxta illud Matth. 5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. *Matt. 5.* Paulus de contumelia vtraque loquitur, præcipue tamen de poſteriori, quæ ſine priori eſſe non poteſt. & ita Baſil. reg. breui. reſp.250. interpretatur hunc locum. *Baſil.* quamuis reſp. 4. generaliter de omni peccato expoſuerit, Iudæi enim tranſgredientes legem Dei veri, Deum inhonorabant, non ſolum quia contumelia eum ipſi afficiebant per legis contemptum, ſed etiam, quia Gentibus, apud quas degebant, occaſio erant, vt ex vita eorum mala, indebitam de vero Deo opinionem conciperent. Eſſe autem hanc mentem, & ſenſum Pauli, verba ſequentia in probationem adducta ſatis indicant.

Nomen enim Dei per vos blaſphematur in Gentibus, ſicut ſcriptum eſt.

HAnc contumeliam, qua Deum Iudæus afficiat, & inhonoret, auctoritate Scripturæ confirmat. Nomen, inquit, Dei per vos Iudæos blaſphematur in Gentibus, ideſt, vita veſtra mala, ac præuaricationibus ſceleribusque veſtris hoc efficitis, vt Gentes ea videntes, ſiniſtre de veſtra religione ſentiant, ac de vero Deo male opinentur, & obloquantur. hoc autem eſt blaſphemari nomen Dei. Scriptum eſt hoc teſtimonium Iſaiæ 52. Quoniam ablatus eſt, inquit, Populus meus gratis, *Iſa. 52.*

dominatores eius inique agunt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blaſphematur. Illud (in Gentibus) habetur ſecundum Septuaginta editionem. Hieron. in eum locum Iſaiæ affirmat, referri poſſe hæc Pauli verba ad illud Ezech. 36. Ingreſſi ſunt ad Gentes, & polluerunt nomen ſanctum meum, cum diceretur de eis: Populus Domini iſte eſt, & de terra eius egreſſi ſunt. Attende, ſi per Iudæos male viuentes nomen Dei blaſphematum eſt in Gentibus, quanto magis nunc per malos Chriſtianos blaſphemabitur nomen Dei apud Paganos, cum Euangelium præſtantius ſit lege? quanto etiam magis Chriſtianus male viuens Deum inhonorabit, cum peior ſit contemptus Euangelij, quàm legis? Perpende, quomodo Paulus ea, quibus Iudæus gloriabatur; & ſe cæteris præponendum cenſebat, in ipſius depreſſionem conuerterit.

Hieron.
Ezec. 36.

Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues, ſi autem præuaricator legis ſis, circumciſio tua facta eſt præputium.

REmouet Apoſtolus adhuc aliud, quo Iudæus gloriabatur, & ſe præferebat; nempe circumciſionem datam à Deo Patribus, & quæ populum Dei à non Populo diſcernebat. Inquit Paulus: Aliud præter legem eſt, quo ò Iudæe te effers, nempe circumciſio: hanc autem fateor prodeſſe, & vtilem tibi eſſe, ſed ſi legem obſerues, & quæ præcepta ſunt, facias. quæ ſi neglexeris, legemq. tranſgreſſus fueris, circumciſio facta eſt tibi præputium; ideſt, nullam ex ea capies vtilitatem, non aliter, ac ſi incircumciſus eſſes, & præputium haberes. non igitur in circumciſione exteriori, non in Scripturæ legis acceptione, ſed in legis obſeruantia iuſtitia poſita eſt. Attende, Paulum potuiſſe inferre, non ſolum circumciſionem inutilem factam eſſe ſicut præputium, ſed etiam obeſſe, & magis nocere; vt enim fides, & baptiſmus, ac profeſsio, & ſtatus perfectior magis nocent ex accidenti, & vitio hominis ipſius, quando non viuit, vt credit, nec operatur ſecundum profeſſionem baptiſmi, & ſtatus ſui, quàm ſi numquam ea accepiſſet; ita etiam circumciſio nocebat tranſgreſſori legis: grauius enim peccabat cæteris paribus, quam ſi incircumciſus fuiſſet: ſatis tamen iudicabat Paulus ad Iudæorum deprimendam arrogantiam eſſe, ſi eos male viuentes Gentibus æquaret; per hoc enim ita deprimebatur eorum arrogantia, vt in deſperationem non prolaberentur;

Iudęus dicitur Deũ blaſphemare prę uaricãdo legem.

berentur; quod fieri poſſet, ſi adhuc poſtponerentur Gentilibus; ſimiliter etiam auferebatur occaſio Gentili ſe contra Iudæum efferendi. Attende, duplicem diſtingui circumciſionem; exteriorem, & interiorem; duplex etiam præputium. Attende etiam, circumciſionem dictam prodeſſe, non quod in Euangelio ſit ſeruanda circumciſio, ſed quod ante Euangelium illi populo vtilis fuit, & ipſo etiam Euangelij aduentu: nam circumciſis Euangelium fuit primo prædicandum.

Si igitur præputium iuſtitias legis cuſtodiat, nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur?

circumciſio & præputium in quo differant.

MAgna eſt ſignificationis vis in particula illationis (igitur) nam Paulus infert, ſi circumciſio legem non obſeruanti non magis prodeſt quàm præputium; conſequitur, ſi præputium, ideſt, Gentilis, & incircumciſus legem obſeruet, præputium, ſeu incircumciſionem nihil illi obfuturam, ſed reputanda potius ac ſi circumciſus eſſet; quo verificatur quod dictum eſt: Omni operanti bonum, ideſt, ſeruanti legem, gloria, honor, & pax; Iudæo, & Græco; circumciſo, & incircumciſo. Perpende, quanto artificio Apoſtolus auditores ad Euangelium ſuſcipiendum diſponat. In Euangelio enim lex morum retinetur, circumciſio expellitur, idcirco, iuſtitiam in lege morum præcipue poſitam, non in circumciſione, contendit, dum Gentilem etiam ſine circumciſione iuſtificatum eſſe poſſe oſtendit. Attende, præputium in primo loco ſignificare Gentiles incircumciſos; ſecundo vero loco ſignificare incircumciſionem ipſam. aliquando enim opponitur Iudæo circumciſo, aliquando ipſi circumciſioni; ſicut & nomen circumciſionis aliquando pro ipſo Iudæo circumciſo ponitur ad Galat. 2. Concreditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut & Petro circumciſionis; *Gal.* ideſt, Gentium mihi, Petro vero Iudæorum: & rurſus: Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatu circumciſionis, ideſt, Iudæorum. aliquando pro ipſamet circumciſione ponitur 1. Corinth. 7. Circumciſio nihil eſt. *1. Cor. 7.* Rom. 3. Quæ vtilitas circumciſionis; ita etiam præputium accipitur pro Gentili, & pro ipſa eius incircumciſione. *Rom. 3.* Iuſtitias legis appellat moralia opera, quæ lex præcipit.

Et iudicabit id quod ex natura eſt præputium, legem conſummans, te, qui per literam, & circumciſionem præuaricator legis es.

AVget ſententiam ſuperiorem, & eſt ſenſus: Non ſolum Gentilis incircumciſus iuſtitias legis cuſtodiens, apud Deum reputabitur tamquam circumciſus, & Iudæus, & iuſtificabitur; ſed adhuc iudicabit, & damnabit Iudæum ipſum circumciſum, qui cum habuerit circũciſionem ipſam exteriorem à Deo, acceperitq. literam, ideſt, legem ipſam ſcriptam, ratione quarum tenebatur amplius iuſtitias cuſtodire, inuentus ſit præuaricator legis. Attende, maiorem obligationem habuiſſe Iudæum legem obſeruandi, quàm Gentilem, tum propter circumciſionem, per quam à Deo tamquam populus proprius eſt à cæteris diſcretus; tum propter Legis perfectiorem notitiam acceptam. Si igitur hic, qui minus obligatus erat, legis opera habet, profectò merito iudicabit, & damnabit eum, qui, cum magis obligatus eſſet, non cuſtodiuit. Iudicare dicitur, quia erit argumentum magnum damnationis Iudæorum, ſicut etiam Luc. 11. Regina auſtri in vltimo die iudicatura dicitur Iudæos incredulos. Attende autem verba (ex natura præputium) appellat Gentilem carnale habentem præputium; diſtinguit enim verbis ſequentibus præputium mentis, quod eſt, gentiliter viuere, etiamſi exterius ſit circumciſus. Literam appellat legem ſcriptam, quam Iudæus accepit. Per præputiũ ergo ex natura legem conſummans, intelligit Gentilem corporaliter incircumciſum legis opera facientem. quibus verbis ſignificat Paulus, ſi Iudæus circumciſus, & legem habens ſcriptam; legis opera non facit, inferiorem eſſe multo Gentili incircumciſo legis iuſtitias cuſtodiente. Hæc autem dicta etiam ſunt de ſtatu ante aduentum Euangelij. Paulus enim ad arrogantiam Iudæorum reprimendam, ex legis ſtatu veteri, ſtatum ſtatui confert, nec loquitur de Gentili idololatra; hic enim legis iuſtitias non poteſt cuſtodire, ſed de fideli, quales fuerunt inter eos aliqui ante aduentum Chriſti; & plurimos eſſe potuiſſe eorum ſtatus non vetabat.

Iudæus quare magis tenebatur obſeruare legẽ quàm gentilis.

Luc. 11.

circumciſio Iudæi facta eſt præputiũ ſine legis obſeruantia.

ANNO-

ANNOTATIO XIX.

DVbitatio grauis alicui, ſuperiora tantum verba conſideranti, ſubIorici poſſet; argumētatio enim & illatio Pauli non videtur efficax. Inquit enim: Circuncifio prodeſt, ſi legem obſerues; at ſi præuaricator es legis, nihil prodeſt, non aliter ac præputium. igitur ſi Gentilis legem obſeruet, Iudæus reputabitur, ideſt & iuſtificabitur apud Deum non minus, ac Iudæus. Obijceret Iudæus: non valere huiuſmodi illationem, ſed eſſe quidem verum, ſi Iudæus non obſeruet legem, circuncifionem ei non prodeſſe; tamen falſum eſſe, Gentilem legem obſeruantem iuſtificari; nam legis obſeruātia prodeſt ſoli circunciſo. ſicut ſi quis modo diceret, Fides ſine operibus non prodeſt; inde tamen non ſequitur; ſi igitur aliquis habeat opera, & non fidem, iuſtificabitur, & fidelis reputabitur: opera enim ſine fide, immo ſine charitate nihil proſunt ad ſalutem. 1. Corint. 13. ita diceret Iudæus de circunciſione; quæ, licet non proſit ſine obſeruantia legis; tamen obſeruantia legis ſine ea nihil prodeſt, & vtraq. ſimul eſt neceſſaria. Huic obiectioni, & difficultati facile reſpondetur: hanc Pauli illationem niti verbis ſequentibus; nō enim conſideranda eſt ſententia ſuperior ſola, ſed adiuncta probatione, quam addidit ſtatim. Non enim, inquit, qui in manifeſto eſt Iudæus, aut quæ manifeſta in carne circunciſio eſt, ſed qui in abſcōdito Iudæus eſt, & circunciſio cordis in ſpiritu: ac ſi diceret: Circunciſio, quæ apud Deum laudem habet, nō eſt hæc exterior, ſed interior cordis, quæ etiam incircunciſo ſecundum carnem ineſſe poteſt. qui autem circunciſus eſt corde, ille eſt apud Deum Iudæus, & laudem à Deo habet. Ex his verbis adiunctis, ad confirmationem illius illationis, ſoluta eſt difficultas. non enim circunciſio exterior confertur Iudæi, ſine qua opera non iuſtificant. fides enim ad iuſtitiā neceſſaria eſt, quamuis ſola non ſufficiat. at circunciſio non erat neceſſaria ad iuſtitiam, cum ante circunciſionem ipſam multi fuerint iuſtificati, vt in ſequentibus Paulus demonſtrat. Quod ſi circunciſio proderat illi populo, id factum eſt ratione fidei, cuius circunciſio quædam erat profeſſio. proderat etiam illi populo, ne, ſi eam contemneret, iram Dei incurreret; præceperat enim Deus eis, vt circunciderentur, non autem Gentibus.

Iudæo quare magis proderat obſeruantia legis quam gentili.

1. Cor. 13.

Non enim qui in manifeſto, Iudæus eſt, neque quæ manifeſto in carne eſt circunciſio, ſed qui in abſcondito Iudæus eſt, & circunciſio cordis in ſpiritu non litera, cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.

CAuſam ſuperioris illationis, & ſententiae adijcit, nempe, cur qui legem obſeruat, etiamſi incircunciſus ſit carne, iuſtificetur apud Deum; qui vero legis eſt praeuaricator, etiam circun-

cilus

ciſus corpore, non iuſtificetur, nec gratus ſit Deo, circunciſioque carnis per ſe nihil proſit, niſi adſit legis obſeruantia. cauſa horum hæc eſt, quia non quæ externa ſunt ſigna, per ſe Deus reſpicit, ſed quod eſt interius in corde, & Spiritu. Iudæus ergo, & circunciſus ſpiritu, ac corde, eſt qui Deo placet, & apud Deum laudem habet; Iudæus vero, & circunciſus carne, & in exteriori tantum, non habet laudem apud Deum, quamuis apud homines laudetur, & commendetur. Verba hæc ſic ſunt connectenda. non qui in manifeſto, ideſt, non qui apparet tantum, ille Iudæus eſt; nec quæ in manifeſto in carne fit, illa circunciſio eſt; intellige apud Deum. exterior ergo tantum circunciſio, & exterior tantum Iudæus non ſunt, quæ accepta ſunt Deo, ſed qui in abſcondito, ideſt, in anima, & ſpiritu per legis obſeruantiam, fidem, & gratiam, ille eſt Iudaeus apud Deum, & circunciſio illa eſt apud Deum, quae eſt cordis in ſpiritu, non litera, ideſt, non exterior ſecundum legem facta in carne, ſed in anima per purgationem a vitijs. Qui igitur corde in Spiritu eſt circunciſus a vitijs omnibus, & legem obſeruat, hic eſt Iudaeus apud Deum, ſiue adſit circunciſio literae, & carnis, ſiue non. cuius, nempe Iudaei, corde circunciſi laus non ex hominibus, qui exteriora tantum reſpiciunt, ſed ex Deo, corda intuentis, eſt. Attende, verbis hiſce Paulum alludere ad verba Scripturarum, quae hanc ſpiritualem circunciſionem docent, & praecipiunt. Deutero. 10. Circuncidite praeputium cordis veſtri. Deutero. 30. Circuncidet Dominus cor tuum. Ierem. 4. Circuncidimini Domino, & auferte mala cogitationum veſtrarum. Leui. 26. Circunciſa mens eorum erubeſcat. Iere. 9. Omnis domus Iſrael incircunciſa. Quibus teſtimonijs conuincitur Iudaeus fateri eſſe circunciſionem cordis, & ſpiritualem, & hanc Deo commendari, reprobatis incircunciſis corde, etiamſi carne ſint circunciſi. Igitur apud Deum Iudæus eſt, & circunciſus qui hanc habet, etiamſi carnis careat circunciſione: contra vero, incircunciſus reputabitur, qui cordis circunciſione priuatur, quamuis carne circunciſus. Ex quibus recte ſequitur, quod dixerat Paulus prius, ſi iuſtitias legis praeputium, & Gentilis obſeruet, praeputium in circunciſionem reputabitur, quia corde eſt circunciſus; contra vero carnis circunſio legem praeuaricans, reputabitur praeputium.

Iudæus dicitur qui corde & ſpiritu circunciſus

Deut. 10. Deut. 30. Ierem. 4. Leuit. 26. Ierem. 9.

ANNOTATIO XX.

Illud (In Spiritu, non litera) aliqui ad Iudæum referunt, non ad cordis circunciſionem, quia quod ſequitur (cuius laus) de Iudęo dicitur.

ta-

tamen communis expoſitio eſt, ad illud (cordis) referendum eſſe, vt ſit ſenſus, & circunciſio, nempe, vera, & Deo grata, eſt cordis; in Spiritu nempe facta, non litera, & carne exterius; & ita exponit Ciril. lib. 4. in Ioan. cap. 51. annotans vnum ex his verbis deductum, nempe circunciſionem illam Iudaicam, non in fidei futurorum ſignum tantum datam eſſe, ſed etiam in ſpiritualis circunciſionis ſignificationem, vt corde circunciderentur, qui carnis circunciſionem ſubibãt, etiam Aug. eodem modo coniungit hæc verba lib. de Spiritu, & litera, cap. 8. vbi per Spiritum, exponit Spiritum Sanctum, vt dicta ſit circunciſio in Spiritu, quia per Spiritum Sanctum eſt effecta, non per legem; ſic enim inquit, Circunciſionem cordis, puram ab omni concupiſcentia voluntatem, quæ non fit litera docente, & minante, ſed ſpiritu ſanante, atq; iuuante. idem tamen Aug. lib. expoſitionis propoſitionum quarundam ex Epiſt. ad Rom. aliter exponit, nempe in Spiritu, ideſt, ſecundum ſenſum ſpiritualem legis, nõ ſecundum ſenſum literalem, qui eſt de carnali circunciſione. Poteſt etiam exponi circunciſio in ſpiritu, ideſt, in anima, quæ fit per remotionem, & præciſionem a vitijs, non corpore, quæ eſt ſecundum legis literam. Aduerte, Paulum non excludere circunciſionem carnis, quæ illi populo data, & præcepta fuit à Deo, & quam recipere tenebatur, ſed docere hanc non eſſe præcipuam, neque quæ per ſe Deo grata eſt, ſed quæ fit ſpiritu, & corde a vitijs, & peccatis. nec præcipue Iudæus eſt apud Deum, qui exteriores ceremonias ſeruat, ſed qui legis præcepta ad mores pertinentia cuſtodit; adeo vt ſi Gentilis circunciſus corde legis præcepta faciat, apud Deum hic talis laudem habeat. Hæc omnia in capitibus ſequentibus Paulus exponit, & in eorum explicatione, ea nos enodare curabimus. Hæc, quæ a Paulo hactenus ſunt dicta de Iudæorum, & Gentium ſtatibus, etiam ante Euangelium, vti in principio diximus, procedunt. nam ſenſim, & methodo quadam Apoſtolus ad doctrinam Euangelicam eos, ad quos ſcribebat, deduxit.

Circunciſio vera & Deo grata eſt cordis.

Cirill.

Auguſt.

Auguſt.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

QVid ergo amplius Iudæo eſt? aut quæ vtilitas circumciſionis? Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita ſunt illis eloquia Dei. quid enim ſi quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit? Abſit. Eſt autem Deus verax: omnis autem homo mendax, ſicut ſcriptum eſt: Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis: & vincas cum iudicaris. Si autem iniquitas noſtra iuſtitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus eſt Deus, qui infert iram? (ſecundum hominem dico.) Abſit. alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipſius: quid adhuc & ego tamquam peccator iudicor? & non (ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala vt veniant bona: quorum damnatio iuſta eſt. Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Cauſati enim ſumus Iudæos, & Græcos omnes ſub peccato eſſe, ſicut ſcriptum eſt: Quia non eſt iuſtus quiſquam: non eſt intelligens, non eſt requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant: Venenum aſpidum ſub labijs eorum: Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt: Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem: Contritio, & infelicitas in vijs eorum: & viam pacis non cognouerunt: Non eſt timor Dei ante oculos eorum. Scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur, ijs, qui in lege ſunt, loquitur: vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt: teſtificata a lege & Prophetis. Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum: non enim eſt diſtinctio: Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore: vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti. Vbi eſt ergo gloriatio tua? Excluſa eſt. Per quam legem? Factorum? Non: ſed per legem fidei. Arbitramur enim iuſtificari hominem per

Digitized by Google

fidem ſine operibus legis. An Iudæorum Deus tantum? nonne & Gentium? Immo & Gentium. quoniam quidem vnus eſt Deus, qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem. Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit: ſed legem ſtatuimus.

Quid ergo amplius Iudæo eſt, aut quæ vtilitas circunciſionis? multum per omnem modum.

SOluit Paulus quaſdam obiectiones, quæ ex præcedenti doctrina opponi à Iudæis poterant. Dictum enim eſt, ſi Iudæus legem non obſeruet, eius circunciſionem factam eſſe præputium; contra autem, ſi Gentilis iuſtitias legis cuſtodiat, eius præputium reputari in circunciſionem. apud Deum etiam, non qui in manifeſto, ſed qui in abſcondito eſt, eum eſſe Iudæum, nec carnis circunciſionem, ſed cordis in ſpiritu eſſe gratam Deo. Hæc doctrina, quæ velut epilogus eſt totius capitis præcedentis, videbatur Iudæorum ſtatum ſuperfluum, & inutilem facere, & Iudæis omnino Gentes æquare. Idcirco Paulus, obiectionibus quibuſdam ſolutis, eam doctrinam explanat. quarum prima verbis propoſitis continetur; cuius ſenſus eſt: ſi vera ſunt quæ narrauimus, quid ergo eſt in quo Iudæus præcellat Gentilem? ideſt, non videtur aliquid eſſe in quo Iudæus ſit præponendus Gentili, nec videtur vlla vtilitas eſſe circunciſionis. Cui obiectioni reſpondet Paulus, non ſic eſſe, ſed multa eſſe in quibus Iudaeus praecellit, circunciſionemq. vtilem eſſe. Illud (Per omnem modum) vox eſt affirmantis, ac ſi diceret, multum eſt certe. Particula (ergo) ex praecedentibus in ſuperioris capitis fine dictis, illationem ſequentium indicat.

ANNOTATIO I.

GRæce πολὺ in ſingularri multum, & refertur ad illud (amplius) quod Græce dicitur περισσὸν, ideſt, Quid reſtat, vt ſit ſenſus. Quid eſt id quod ſupereſt, in quo Iudæus Gentili præſtet? Multum, inquit, eſt, Latine numero plurali vti ſolemus, multa; tamen vt Græca vox exprimeretur, vſus eſt interpres ſingulari. Aliqui legendum cenſent πολλὴ cum ita, non cum ipſilon, vt ſit generis feminini, & referatur ad vtilitatem: Quæ vtilitas circunciſionis? multa per omnem modum, tamen Græci codices in neutro genere legunt.

Primum quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei.

Iudæus in quo præſtet Gentili.

EXponit Paulus in quo Iudaeus praeſtet Gentili, & quae ſit vtilitas circunciſionis: non autem omnia enumerat, quia ad rem non videntur facere, ſed vnum, quod praecipuum, & primarium eſt. id autem eſt, oracula diuina in ſacris Scripturis contenta, commiſſa, & concredita eſſe Iudaeis. apud eos enim, velut in quadam cuſtodia, & depoſito eloquia Dei manſerunt, factiq. ſunt depoſitarij,& cuſtodes eloquiorum Dei, in quibus promiſſio venturi Saluatoris, & myſteriorum futurorum figurae, & prophetiae continentur. Hic theſaurus incomparabilis illis eſt concreditus, & ſeruandus commiſſus, donec veniret Chriſtus, & promiſſiones, & quae ſcripta erant adimplens,communem hunc etiam Gentibus theſaurum efficeret. Haec eſt primaria vtilitas circunciſionis, & Iudaeorum priuilegium, Gentilibus non conceſſum, de quo Pſal. 147. Qui annunciat verbum ſuũ Iacob,& iuſtitias ſuas Iſrael. Non fecit taliter omni nationi. Graece non habetur (illis) ſed ſubintelligitur,idcirco Latinus interpres appoſuit.

Circunciſionis vtilitas.

Pſ. 147.

ANNOTATIO II.

Iudęus pręfertur gẽtili,quia ei concredita ſunt Dei eloquia,pacta & promiſſiones.

ALiqui illud (primum) narrationis ordinem tantum ſignificare affirmant. Alij ad numerationis principium, quaſi multa Iudæorum priuilegia narret; hoc autem primum eſt, reliqua in epiſtolę proſecutione deſcribi putant. ſed neutra expoſitio accommodata videtur; non prior, quia non facit Paulus narrandi initium, ſicut fecerat cap. 1. quando dixit; Primum quidem gratias ago Deo meo. non poſterior, nam obiectioni propoſitæ de excellentia Iudæi non aliud reſpondet, nec priuilegium aliud deſcribit, quam hoc vnum, quod multa concludit. Tertio loco Orig. quem ſequitur Sedulius, in hunc ſenſum exponunt. Primo Iudæis tradita ſunt eloquia Dei, poſtea vero Gentibus conuerſis ad Euangelium. ſed nec hęc expoſitio eſt ad mentem Pauli. nam pacta, & promiſſiones ſolis Iudæis fuerũt factæ, de quibus Paulus loquitur. Quarta expoſitio eſt Ambroſ. & ea legitima videtur,vt vox hęc poſita ſit pro eo, quod dicimus præcipuum, & primarium. Sæpe enim in ea ſignificatione vſurpatur, & ita in commentario expoſuimus; qua voce inſinuat alia eſſe multa, quibus Iudæus Gentilem excedat; tamen ſe non alia quam hoc primarium proponere velle. Et attende; Paulum conferre ſtatum ſtatui; non enim de idololatris Gentibus, ſed de ijs etiam,qui extra Iudaiſmum Deum colebant, loquitur, a multitudine enim Gentium hunc ſibi Deus populum peculiarem ſeparauit,eumq. circunciſione diſtinxit; cui eloquia

Origen. Sedul.

Ambroſ.

verbi

verbi ſui concredidit, in eoq. promiſſiones, & pacta diuina, futurorumq. myſteriorum prędictiones, legem etiam, quæ venturorum erat vmbra, depoſuit, & cuſtodiēda tradidit. Hęc enim ſignificant eloquia Dei; & non ſolam legem, ſicut Chryſoſt. & Theodore. ſentire videntur. Lex enim ſola inquantum pręcepta quędam continebat, non eſt quod Paulus ſignificare intēdit, quamuis id etiam fuerit priuilegium, ſed lex inquantum eſt figura futurorum, & quę continet pacta, & promiſſiones ſalutis hominum; hęc ſunt oracula concredita, ad quę populum elegit particularem. cui expoſitioni conſonant quę ſequuntur.

Chryſoſt. *Theodor.*

Quid enim, ſi quidam illorum non crediderunt? numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit?

TAcitæ obiectioni, quæ ſecunda ordine eſt, reſpondet. prior enim obiectio Iudæorum nomine erat; hæc autem eſt Gentium, priuilegium Iudæorum euertere tentantium. poſſet enim Gentilis aliquis dicere, non excellit Iudæus Gentilem in hoc, quod illi ſunt concredita eloquia, pacta, & promiſſiones Dei. nam multi illorum increduli extiterunt Deo, & ad idola ſe conuerterunt: ideo iratus Deus irrita fecit eloquia ſua tradita, pactaq. ac promiſſiones non impleuit. non ergo eſt cur Iudæus in hoc amplius habere dicatur: eloquia enim hæc facta ſunt irrita, nec complementum habitura ſunt, propter incredulitatem Iudaeorum multorũ. Dicit (Quidam illorum) quia non omnes increduli fuerunt. & quamuis maior pars extiterit incredula, tamen vt inuidiae opinionem declinet, quia ad rem id non faciebat, moderatione vſus, quoſdam dicit. Attendenda etiam eſt particula, enim. (Quid enim) reddit enim cauſam praecedentis ſententiae; nempe habere Iudaeum amplius quam Graecũ. quia quamuis aliqui Iudaeorum increduli fuerint, tamen eloquia Dei illis tradita firme manent. Euacuari autem appellat fidem, quando irrita fit promiſſio, nec impletur quod promiſſum eſt. In Graeco eſt verbum futuri; Fidem Dei euacuabit, & irritam reddet? Rurſus etiam obiectionem proponit Paulus per modum interrogationis, quia non affirmatur ab aliquo facta, ſed ad rem ipſam explicandam inducitur, quaſi ab aliquo eſſet propoſita.

Abſit.

SVperiorem obiectionem remouet Paulus, Abſit, inquit. quamuis enim aliqui illorum increduli fuerint, tamen firma manent

Dei

Digitized by Google

Dei promiſſa; nec propter illorum infidelitatem, veracitas, fidelitaſq. Dei irrita fit. Attende, non ſatis fuiſſe Paulo negationem quæ in verbis ſuperioribus latebat; interrogatio enim vim negandi ſæpe habet; ſed voluit adhuc cum quadam deteſtatione negare, quaſi iniuria afficeretur Deus, quando eius veritas in dubium vocabatur. Abſit, inquit; ſic ſentire de Deo, vehementem enim negationem verbum hoc ſignificat, & eſt verbum optatiui modi, quod quidem negationem auget, quaſi diceret: Auertat Deus, non ita ſit, vt Dei veritas, ac fides euacuetur, propter Iudæorum quorundam incredulitatem. quia quamuis aliqui illorum increduli extiterint, eloquia tamen ipſa ſuam habent efficaciam, & implebuntur, fidei Dei in promiſſionibus ſuis firma manente. Similis eſt ſententia Pſal. 88. Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint, ſi iuſtitias meas profanauerint, & mandata mea non cuſtodierint; viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, neq. nocebo in veritate mea, neq. profanabo teſtamentum meum. & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita, & cætera. Hic eſt legitimus ſenſus, & connexio iſtius ſententiæ Paulinæ.

Pſal. 88.

Promiſſio Dei non euacuatur, fide firma manente.

Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax.

QVæ ſimplici verbo negauerat, ratione confirmat; vt certitudinem promiſſionum Dei, & ſtabilitatem fidei eius oſtendat. & eſt in Græco modus imperandi: ac ſi diceret. Eſto autem Deus verax, & omnis homo mendax: cuius ſenſus eſt. Abſit, vt veritas Dei irrita fiat propter hominum quorundam incredulitatem: ſit autem Deus verax quantumcumq., non aliqui, ſed omnis homo ſit mendax; præſtat veracitas Dei, non quorundam, ſed omnium hominum mendacio, nec irrita vnquam fiet. eſt ergo probatio talis, Deus verax eſt, ideſt, non eſt Deus ſicut homo; hic enim mentiri poteſt, nec ſuis promiſſis ſtare, at Deus non talis eſt naturæ, ſed qui mentiri non poteſt. ſicut ergo propter naturam hominis imperfectam non mutatur natura Dei perfectiſsima, ita nec propter hominis incredulitatem, aut mendacium, Deus a ſua veritate in dictis, & factis recedit, ſed immobilis manet. propterea meminit Paulus hominis, vt Deum ſignificet non eſſe ſicut hominem, qui non ſemper ſuis dictis, & promiſſis ſtat; Deus autem

Deus verax, omnis homo mēdax, quomodo intelligatur.

tem

tem non eſt talis. Eſt autem ſumpta illa ſententiæ pars poſte-
Pſ. 115. rior ex Pſal. 115. Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo men
Pſal. 85. dax. prior autem pars ex Pſal. 85. Et tu Domine Deus patiens,
& multæ miſericordiæ, & verax; hæc enim Paulus tanquam
Scripturæ verba pronunciat, eaq. confirmat.

ANNOTATIO I.

DVo ſunt annotanda, vnum eſt, quod ad verba ſenſumq. attinet; Græce enim non habetur verbum præſentis indicatiui (eſt) ſed imperatiui, eſto, ſeu fiat Deus verax, & forſan ita legebatur, & per corruptionem legitur (eſt) *Hier.* Hiero. ad Tit. 1. legit, Fiat autem Deus verax. at *Cypr.* Cypri. epiſt. 55. ad Cornelium legit ſic. Eſt enim Deus verax. Græcus tamen textus nec particulam cauſalem, nec indicandi tempus habet; ſed, ſit autem Deus verax, omnis autem homo mẽdax, vt Hiero. legit. Alterum ad ſenſum ſpectat. Aduertendũ enim eſt, veracitatem, & fidelitatem diſtinctas eſſe virtutes. Veracitas enim eſt, per quam homo in dictis, & verbis ſuis veritatem cuſtodit, vt nullum proferat mendacium, nec aliter loquatur quam ſentiat, quæ alio nomine dicitur etiam veritas. homines enim veraces appellamus, qui veritatem loquuntur, fidelitas autem, quam fidem appellat, eſt virtus circa pacta, & promiſſiones, qua quod promiſſum eſt, impletur, hominesque qui quæ promiſerunt, & pacti ſunt, implent, fideles dicimus, fidelitas veracitatem in ſe continet: qui enim quod promiſit non implet, non ſolum fidelitatem non ſeruat, ſed nec veracitatem, quia falſam facit promiſſionem ſuam. qui enim dicit: Ego dabo, niſi poſtea det, protulit falſum; non tamen omnis veracitas eſt fidelitas. nam illa eſt in dictis omnibus, etiam vbi promiſſio, & pactum non eſt. Solet aliquando veracitas pro fidelitate vſurpari, eſt autem Deus verax, & fidelis; verax qui mentiri non poteſt: fidelis qui ſua ſeruat promiſſa, & pacta. Pſal. 144. Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis. in hoc Pauli loco verax ponitur, vt etiam complectatur fidelitatem; nã Deus & veritatem in ſuis eloquijs, & fidelitatem in ſuis ſeruat promiſſionibus. contra vero, homo mendax in vtroque eſt. Quod autem dicitur, omnis homo mendax, potius ad conditionem naturæ ſpectat. talis enim eſt, vt mentiri valeat, & ſæpe id faciat: at Deus non ſic ſe habet, quod Hiero. ad Tit. 1. exponens illud (Quam promiſit qui non mentitur Deus) annotauit. hunc enim locum citans, Deum, inquit, veracem dici, non quaſi mentiri poſſit, & nolit; ſed quia pater eſt veritatis, in quo nullum eſt mendacium; homo verax eſt, qui cum mentiri poſſit, nolit. idcirco mendax eſt, quia mentiri poteſt, quamuis non mentiatur.

Sicut ſcriptum eſt, Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

AD ſuperiorem ſententiam hæc verba pertinent, eiq. connectuntur ſic. Eſto, & ſit Deus verax, & homo mendax, vt iuſtificetur Deus in ſermonibus ſuis, & vincat, cum iudicatur, ſicut ſcriptum eſt; ac ſi diceret. Abſit, fidem Dei euacuari per hominum mendacia, & infidelitatem, ſit potius ipſe verax, & homo mendax, & verum ſit quod ſcriptum eſt, Iuſtificeris in ſermonibus tuis. teſtimonium eſt ex Pſal. 50. ſumptum. ibi Dauid petens a Deo veniam peccati ſui, Tibi, inquit, ſoli peccaui, & malum coram te feci, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris, quorum verborum hic eſt ſenſus. Confiteor me peccaſſe contra te; confiteor autem vt omnibus conſtet, & innoteſcat, quia ſis iuſtus tu, & fidelis in tuis ſermonibus, & promiſſionibus, ac pactis; cum enim propter peccatum meum, poſſes iure me priuare bonis quæ promiſiſti, & de ſemine meo carnem non aſſumere, tamen adhuc ſeruare pacta voluiſti, & in hoc iuſtitia, & fidelitas tua multum commendatur, & iuſtificaris, id eſt, omnibus, te iuſtum eſſe & fidelem, manifeſtas; & quando impij, & idololatræ hoc audient, non poterunt non te talem iudicare, vinceſque cum iudicaberis, ideſt, quando illi, qui tibi non credunt, immo detrahunt, & inimici ſunt, tale factum percipient, profecto pro te ſententiam proferent, & dicent, iuſtus eſt hic Deus, qui ſua pacta ſeruat etiam his, a quibus iniuria, poſt pacta, & promiſſiones afficitur. Fidelitas pars eſt iuſtitiæ; idcirco qui fidelis eſt, iuſtus eſt, et qui pronunciatur fidelis etiam iuſtificatur, et iuſtus declaratur. Particula (vt) relatione ad peccatum conſecutionem indicat; peccaui, hinc fiet, vt iuſtificeris. relatione ad confeſſionem, finem demonſtrat; me fateor peccaſſe, vt nota fiat tua iuſtitia. Hic eſt ſenſus verborum Dauid; quibus recte Paulus intentum ſuum confirmat, nempe, incredulitatem Iudæorum non euacuaſſe fidelitatem Dei, ſed ea non obſtante firma, & ſtabilia Dei eloquia permanſiſſe. Eſt autem valde aduertendum, in teſtimonio citato duo apparere; nempe, Dei veracitatem, & hominis mendacium, veracitas Dei eſt, per quam, quod prius promiſit Dauid, ipſi impleuit; mendacium

Deus quomodo iuſtus dicitur in ſermonibus.

Pſ. 50.

cium autem, in peccato Dauid: omne enim peccatum mendacium appellari ſolet, quia contra fidelitatem Deo debitam eſt. In hoc ergo teſtimonio, & Deum veracem, & hominem mendacem, nec propter hominis mendacium irritam factam eſſe veritatem Dei, conſtat. hoc eſt ergo quod dicit Paulus, Abſit, ideſt, ne fiat irrita Dei fides; ſed potius maneat Deus verax, & homo mendax, vt iuſtificetur in ſermonibus ſuis, & vincat iudicatus, ſicut Dauid ſcripſit. Hic eſt legitimus ſenſus, non ille, quem aliqui adhibent.

Si autem iniquitas noſtra iuſtitiam Dei commendat, quid dicemus? numquid iniquus eſt Deus, qui infert iram? ſecundum hominem dico, abſit.

TErtia obiectio hæc eſt, quam ex proxima ſententia, nempe, verax ſit, vt iuſtificetur in ſermonibus ſuis, opponere homo carnalis poſſet: propterea Paulus inquit, Secundum hominem dico, ideſt, ea oppono, quæ homo carnalis, & non ſapiens quæ Dei ſunt, obijcere nobis poſset. eſt autem talis. Si noſtra iniquitas in cauſa eſt, vt Dei iuſtitia, & fidelitas innoteſcat, & manifeſtetur, ac commendetur, in ſuiſque ſermonibus iuſtificetur; iniquus igitur videbitur Deus, ſi talem iniquitatem puniat, et in homines inferat iram, cum potius videatur debere remunerare eos tanquam auctores, vt eius iuſtitia magis eluceret. Inferre autem Deus iram, et punire Iudæos incredulos, & legis præuaricatores ſuperius capite præcedenti dictus eſt; videtur ergo hoc pugnare ſuperioribus. Reſpondet Paulus, abſit affirmare, Deum iniquum eſse, dum punit, et iram infert, etiam in eos peccatores, quorum peccatis eius elucet fidelitas, et iuſtitia. Attende, loqui de peccatis Iudæorum. propterea dicit; Si iniquitas noſtra. ſe enim Iudæum natura fatetur: de his enim ſermo erat, quorum incredulitas fidem Dei non euacuauit, ſed potius illuſtrauit. eſt autem obiectio nomine Iudæi carnalis facta, reducentis Paulum ad quandam inconſonantiam dictorum. Deum autem iram intuliſse, et Iudæos propter incredulitatem, & eorum peccata non ſemel tantum, ſed ſæpe puniuiſſe, & ſeuere caſtigaſſe, veteres Scripturæ ſatis manifeſtant.

Iniquitas noſtra eſt cauſa cur Deus iuſtificetur in ſermonibus ſuis.

Digitized by Google

Eucherius in Quæſt. noui teſtam. illud (ſecundum hominem) ſic interpretatur, ſecundum, inquit, hominem, ideſt, ſecundum humanam elocutionem, vel quòd iniquum Deum appellauerit; vel quòd iram eius dixerit, cuius paſſio in Deum non cadit. Hæc ille.

Alioquin quomodo Deus iudicabit hunc mundum.

IVdæi obiectionem, non ſimplici verbo, ſed ratione, & argumento refutat. nempe Deum iniquum non eſſe. Eſt autem ratio, & probatio talis; quia ſi iniquus eſſet, mundum hunc iudicare non poſſet, nec vniuerſæ terræ iudex eſſet. alludit Paulus ad illud Geneſ. 18. Volenti enim Deo punire Sodomam, & Gomorrham, dixit Abraham, Abſit a te vt rem hanc facias, & occidas iuſtum cum impio, fiatque iuſtus ſicut impius, non eſt hoc tuum, qui iudicas omnem terram. Ita nunc Paulus Iudæis loquens in Scriptura verſatiſſimis, & obijcientibus iniuſtitiam Deo, ſi puniat peccata, quibus eius fidelitas elucet, reſpondet, nullam eſſe iniuſtitiam in eo, quia iudex eſt vniuerſæ terræ: Iudex autem non eſſet, ſi iuſtus non eſſet: non enim iudicium competit Deo ſicut homini. homo enim iudex eſt voluntate, & participatione, ideo ſæpe iniuſtus iudex reperitur: at Deus natura eſt iudex, ſicut & dominus, in quo non poteſt eſſe iudicium falſum, aut iniquum. cum enim non habeat Deus ſupra ſe iudicem, iniuſtitia iudicaret iuſtitiam, quod eſſe non poteſt. iuſtus enim iudicare debet iniuſtum. Eſſe autem Deum omnium populorum, & vniuerſæ terræ iudicem, multa alia teſtimonia Scripturæ docent. Dicitur autem iudex omnium, non tantum propter vniuerſale iudicium futurum, ſed quia etiam in hoc ſæculo iuſtitiam exercet, & æquitatem in ſuis operibus ſeruat. Potuiſſet Paulus directam reddere refutationem, & ſoluere obiectionem propoſitam ſic: Peccata hominum non ex ſe hoc habere vt illuſtrent Dei veritatem, & fidem, ſed id prouenire ex ipſius Dei bonitate, qui adhuc peccantibus hominibus ſuas implere vult promiſſiones, idcirco iuſte Deus iram infert pro peccatis. ſicut etiam perſecutor inique agit, & iram meretur, quamuis qui perſecu-

Geneſ. 18.

Digitized by Google

ſecutionem patienter fert, illuſtretur, & perficiatur, quia non id ex perſecutione per ſe, ſed ex voluntate patientis, & diuino auxilio procedit. Paulus autem non hac refutatione, ſed Scripturæ doctrina, & teſtimonio vtitur, quod efficacius eſt Scripturis fidem dantibus; & adhuc meriti eſt maioris, dum intellectus ratiocinationes, fidei, & Scripturae obedientes ſubiugamus.

Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipſius, quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor?

ALtera hæc eſt eiuſdem obiectionis refutatio, non minus efficax, quam ſubtilis. Sumitur autem ex ipſamet obiectione retorta in obijcientem; & eſt ſenſus, Si meum mendacium, ideſt, Iudæorum infidelitas, Dei veracitatem valde declarauit, ideoque ſe veraciſsimum eſſe in mendacio illorum oſtendit, quippe qui veritatem ſeruauerit ijs, qui ei mentiti ſunt, nec fidem ei ſeruarunt, quomodo qui tantae veracitatis eſt, iudicat, & punit illum tanquam peccatorem? (Adhuc) ideſt, etiam ſi peccatum illuſtret veritatem eius? profecto id non faceret qui verax eſse declaratur, & eſt, niſi ille vere peccator eſset, & ira dignus; nam qui ſuam ſeruat, & oſtendit veracitatem cum mentientibus, & incredulis, ſeruabit adhuc eandem quando punit, & caſtigat eos, & ſic iuſtam inferet vindictam, tanquam in eos qui vere peccant. Hic eſt legitimus ſenſus ſententiæ huius difficilis, & obſcuræ. Loquitur autem in perſona ſua Paulus, nomine tamen Iudaeorum incredulorum, vt vitet odium, & ſuauiorem faciat doctrinam. Et ex eadem veracitate, & fidelitate, quam veritatem appellat, illuſtrata in Iudaeorum incredulitate, ſumit argumentum ad probandum, quando iram infert contra incredulitatem. Adhuc, ideſt, etiamſi oſtendat ipſius veracitatem, ſeruare etiam eandem veritatem, ſeu veracitatem, quæ iuſtitia eſt. Iniquitas ergo nulla in hoc iudicio eſt. Aduerte, veritatem abundare in gloriam Dei in mendacio hominis, idem ſignificat, ac infidelitatem Iudæorum ceſsiſse in manifeſtationem, & oſtenſionem veracitatis Dei magnam, Deumque eſse valde veracem, & veraciſsimum ex eorum infidelitate illuxiſse. Quod autem dicit (Quid adhuc & ego

Deus probatur omnium eſſe Index iuſtus & verax.

Veracitatem abundare in gloriā Dei ex mendacio hominis.

iudicor vt peccator) idem ſignificat ac ſi dictum eſſet; quare adhuc, ideſt, non obſtante oſtenſione, & illuſtratione, & gloria Dei, quæ fit per peccatum, & ego iudicor tanquam peccator, ideſt, etiam ego punior tanquam peccator, ſicut punitur ille, cuius peccato non illuſtratur veritas Dei? Huic interrogationi ſupplenda eſt negatio. nam hæc eſt virtus interrogationis huius, ac ſi diceret, nequaquam vt talis punirer a verace Deo, niſi peccator eſſem, & ira dignus; vt Deus etiam in hoc ſe oſtendat veracem, & iuſtum, ſicut in implendis pactis, ſitque verax in complemento promiſſionum ſuarum, non obſtante incredulitate, ſimulque verax in eadem incredulitate punienda, & iudicanda.

ANNOTATIO IIII.

SVperiorem ſententiam cæteri interpretes aliter ac nos exponunt. exiſtimant enim, Paulum eandem obiectionem iterum repetere; vt ſit ſenſus; ſi veracitas Dei in meo mendacio manifeſtatur, & glorificatur in eo Deus, quare ego iudicor, & caſtigor tanquam peccator, cum potius remunerandus videar. Hæc eſt communis expoſitio; quæ mihi nulla ratione probatur. cum enim ſit obiectio verba indigna Deo continens, adeo vt Paulus ſe excuſauerit eam pronuncians, dum dixit; Secundum hominem dico; & cum quadam etiam deteſtatione repulerit dicens; Abſit; adhuc etiam ratione ſumpta ex Scriptura, & Dei officio iudicandi, refutauerit; non videbatur, nec erat cur eam repeteret. ſatis enim apertis verbis prius expoſuerat, maxime cum poſt hæc verba, nulla ſequatur refutatio. non ergo eſt repetitio, ſed potius obiectionis refutatio altera, primo enim refutauerat, argumento ſumpto ex iudicio Dei, quo mundum iudicat: Secundo hiſce verbis refutat, argumento ſumpto ex ipſamet obiectione: vt ſit ſenſus, ſi Deus adeo verax eſt, vt non obſtante mendacio hominis verax permaneat, & veritatem ſuam conſeruet, quæ tanto magis oſtenditur, quanto homine mentiente, & peccante ille ſua promiſſa complet, certe verax etiam erit, quando eundem mendacem, & infidelem tanquam peccatorem iudicat, & punit. Vnde illa interrogatio; Quid tanquam peccator iudicor? reſoluenda fic eſt: cum verax ſit adeo Deus, quomodo talem infidelem, & mendacem punit, niſi quia talis eſt, & veracitatem ſuam etiam in hoc conſeruat, ſicut in implendis pactis, & promiſſis. eſt enim Deus in vtroque verax, in mendacio, & infidelitate hominis; & dum ſua pacta ſeruat, & dum mendacem, & infidelem eundem iudicat, & punit. nam veritas etiam iuſtitiam ſignificat, & veracitas, quæ eſt in adimplendis promiſſionibus, quædam iuſtitia eſt. Eſt ergo Deus iuſtus, & ſuam oſtendit iuſtitiam

Deus dicitur verax in mendacio, & in infidelitate hominis

ſtitiam

ſtitiam in promiſſis implendis, cum iјs qui peccarunt, & in puniendis ipſis peccantibus, propter quorum peccatum, & infidelitatem eius iuſtitia in promiſſionum complemento illuſtrata, & manifeſtata eſt. Hic eſt legitimus ſenſus, & connectitur accommodaturq. tam ſuperioribus, quam his quæ ſequuntur.

Et non (ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala vt veniant bona? quorum damnatio iuſta eſt.

TErtia refutatio eiuſdem obiectionis eſt haec ſententia, cuius ſenſus iſte eſt. Non licet mala facere, vt bona veniant, illudque dictum, quod aduerſarij noſtri, & nominis Chriſtiani inimici, & detractores nobis imponunt, quaſi aſſeramus, & dicamus; Faciamus mala, vt veniant bona, nos non probamus, ſed potius damnamus. ſi ergo non licet, immo eſt damnabile, facere mala, vt veniant bona; iuſte igitur Deus punit peccatum, & infidelitatem illam, etiam per quam hoc bonum conſecutum eſt, nempe, veritatis Dei manifeſtatio. peccatum enim eſt mala facere, vt bona veniant, & qui hoc faciunt, iuſta eſt eorum damnatio. Attende, verba eſſe interrogationis, vim habentia negandi, quaſi diceret; cum Deus ſit verax, quomodo ego, cuius mendacio Deus glorificatur, tanquam peccator iudicor? Adde; niſi quia vere peccator, & dignus poena ſum. Rurſus etiam; cur non eſt verum illud dictum, & probandum; Faciamus mala, vt veniant bona? Adde; cum hoc ſit falſum, & reprobandum, & horum qui ita faciunt ſit iuſta damnatio; ſequitur ergo Deum inferre iram in peccatores, etiam illos, quorum peccato Dei veritas elucet. Attende, hos qui blaſphemabant & detrahebant Apoſtolo, incredulos fuiſſe: imponebant enim multa Apoſtolis, & vnum inter alia hoc erat; quaſi affirmarent hanc ſententiam, licere mala facere, vt bona euenirent. Quod Paulus damnat; affirmans iuſte damnari eos, qui mala faciunt, vt eueniant bona, & ſe in hoc conſentire cum aduerſarijs, qui talem etiam reprobant ſententiam. Blaſphemari ab illis ſignificat, non ſolum male audire apud eos, ſed ab eiſdem detrahi, & contumelia affici, ac inculpari, ac ſi talia docerent.

Non licet mala facere vt inde eueniant bona.

ANNOTATIO V.

HAnc etiam ſententiam cæteri interpretes non accommodate exponere videntur, ſuperiori cōnectentes; cum potius ſit noua refutatio, vti expoſuimus in commentario. quamuis enim ſit vnicus totus hic contextus, nimirum; Quomodo tanquam peccator iudicor, & non potius verum eſt illud: faciamus mala, vt veniant bona; ſed horum ſit iuſta damnatio; tamen duas complectitur refutationes prædictas. Illa autem verba (Quorum iuſta eſt damnatio) referunt etiam ad illos, qui imponebant Apoſtolo tale dictum, quaſi diceret. Quorum damnatio iuſta eſt, quia nobis calumniam imponunt. Sed accommodatius, & ad rem appoſititius videtur, ſi ad eos, qui mala faciunt, vt bona eueniant, referantur. nam hanc per calumniam ſententiam impoſitam repellere volebat, docens, non ſe id ſentire, ſed potius eos, qui talia faciunt, dignos damnatione cenſere.

Quid ergo? præcellimus eos? nequaquam.

REfutatis duabus obiectionibus, aliam adfert, quæ eſt ordine tertia. obiectio autem hæc eſt Iudaeorum, quae ſic ſuperioribus connectitur. dixerat enim Paulus, vtilem fuiſſe circumciſionem, Iudaeumq. amplius habuiſſe quam Gentilem; hoc autem erat; quia tradita ſunt ei eloquia Dei; rurſus in Gentilium perſona obiecerat, Iudaeos non in hoc amplius habuiſſe. nam multi illorum increduli extiterunt eloquijs Dei, ac propter incredulitatem amiſiſſe hoc priuilegium videbantur. ad quam obiectionem reſpondit; non ſic eſſe: nam, non obſtante eorum incredulitate, eloquia pactaq. Dei firma perſeuerarunt. Ne autem eorum incredulitatem probare, aut excuſare viſus eſſet; maxime quia dixerat, per eam Dei veritatem, & fidelitatem illuſtratam fuiſſe: iterum obiecit; obiectionemq. ſoluit, docens; non obſtante hac manifeſtatione veritatis Dei, illos peccaſſe, & iuſte a Deo punitos fuiſſe. quod Paulus oblata occaſione fecit, vt incredulorum ſolueret calumniam ei imponentium; quaſi doceret, licere mala facere, vt venirent bona. Firmum ergo manet, eloquia, & pacta Dei Iudaeis tradita, non eſſe euacuata; ſed certa, & effectum conſecuta, & conſecutura adhuc eſſe. Ex his conſequitur, amplius habuiſſe Iudaeum, quam Gentilem. Hoc propoſito, Iudaeorum nomine nouā infert conſecutionem, vt oſtendat, non

Pacta & eloquia Dei quomodo firma perſeuerent.

quia

quia aliquid amplius habuere Iudæi, propterea conſequi, eos eſſe præferendos Gentibus; ſenſus ergo verborum eſt. Quid ergo? ac ſi diceret, ſi eloquia Dei tradita Iudæo, non ſunt euacuata, & Iudæus habet amplius, quàm Gentilis, ergo præcellunt Iudæi Gentiles: reſpondet, nequaquam; ideſt, non propterea conſequitur, Iudæos præcellere. Particula (ergo) ex ſuperioribus illationem inſinuat; vt ſit ſenſus: Si eloquia Dei Iudæis tradita, euacuata non ſunt, ergo præcellimus nos Iudæi. illatio tamen non abſolute, ſed per interrogationem fit. Quid ergo? ſeu, Ergo ne præcellimus? vt facilius reſponderi ad eam poſſit; nequaquam. Aliqui diuidunt duplici interrogatione. quid ergo? præcellimus? vt refert Oecumenius, tamen vnica eſt, ac ſi diceretur. Ergo ne præcellimus? particula enim (quid) interrogantis eſt. Prudenter autem Paulus ſe ipſum cum Iudæis commiſcet in prima perſona loquens; dum enim ſe ſimul depreſſit cum eis, minus odij, & offenſionis concitare veritati videbatur. Quando autem Iudæorum excellentiam in principio capitis aſſeruit, in tertia perſona locutus eſt. Attende rurſus, Paulum negare Iudæos præcellere Gentes; nec propter circumciſionem, nec propter legem in iuſtificatione coram Deo: non enim quia circumciſi ſunt, & legem acceperunt, ideo digniores erant, & iuſtiores apud Deum, aut merebantur accipere gratiam iuſtificationis, & Euangelium. gratis enim vtriſque data eſt gratia, & fides, nec meritum præceſſit in Græco, aut in Iudæo, ſed potius demeritum; quod diuino artificio Paulus docet, vt oſtendat, Euangelium donum eſſe gratuitum Dei, nec in eo præferri Iudæum Gentili, aut ſapientem inſipienti, Græcumue barbaro, ſed omnes indignos præextitiſſe, & ex diuina gratia gratis vocatos, & iuſtificatos eſſe per fidem, non circumciſionem, non lege, ſed legis operibus.

ANNOTATIO VI.

DVbitationem excitant Oecumenius, & moderni quidam in verbis Pauli, cum enim dictum ſit ſuperius; Multum per omnem modum habere Iudæum ſupra Gentilem, qua ratione modo Apoſtolus Iudæos præcellere, & ſuperare negat? Reſpondent; illud quod Iudæus habet, in quo ſuperat Gentilem, non ex meritis proprijs, ſed ex ſola Dei benignitate accepiſſe, idcirco negatur præcellere, quamuis habeat amplius quàm Gentilis. Hæc reſponſio non eſt ſatis accommodata. nam eadē de cauſa Chriſtianus per Euangelium non excederet Gentilem, & Iudæum infidelem, nec iuſtificatus peccatorem.

quia

Iudæus licet præcellat Gentilem in donis, non debet tñ gloriari, quia gratis habuit à Deo.

quia hæc, in quibus excellunt, non meritis proprijs, ſed Dei benignitate acceperunt; & tamen vere ſuperamus Chriſtiani eos, qui tales non ſunt. Præterea Pauli intentum hoc eſt, docere Iudæos etiam cum circumciſione, & lege non excedere, nec ſuperare Gentiles; id enim in capite præcedenti docuerat, affirmans; ſi legem non obſeruet, circumciſionem factam eſſe præputium: contra vero, ſi Gentilis obſeruet legis iuſtitias, præputium eius reputari in circumciſionem. Legitima ergo reſpõſio eſt, Paulum non de quocumque exceſſu, & eminentia loqui, ſed relatione ad iuſtitiam coram Deo, & ad gratiam, & reconciliationem, quam nec lex, nec circumciſio per ſe efficiebant, aut vmquam fecerunt; ſed fides in Chriſtum, quæ ad gratiam Euangelicam pertinet. quam quidem fidem, nec Iudæus per circumciſionem, nec Gentes per præputium, nec per legem vllam conſequi meruerunt, ſed gratis per Chriſtum. Qua ratione fit, vt in Euangelio non ſit cur Iudæus, aut Gentilis de mutua excellentia inuicem contendant, cum gratis acceperint id, quo indigni præceſſerunt; ſuperat ergo Iudæus in circumciſione, in lege, in multis alijs beneficijs à Deo illi ſoli collatis; tamen hæc omnia non effecerunt eum dignum iuſtificatione, nec iuſtitiam attulerunt ei coram Deo, ſed fides viua in Chriſtum, quæ communis eſt Gentili, & quam vtrique gratis Euangelium enunciat, & communicat. ſicut diuites modo excedunt pauperes, & nobiles ignobiles, illi in diuitijs, hi in nobilitate. at in iuſtitia coram Deo aſſequenda pares ſunt, & nemo præcellit; omnes enim ſunt peccatores, & opus habent, gratis per fidem iuſtificari. Hic eſt legitimus ſenſus Pauli, & hæc doctrina & ſuperioribus eius dictis, & his, quæ ſequuntur accommodatiſſima eſt.

Cauſati enim ſumus, Iudæos, & Græcos omnes eſſe ſub peccato.

CVr non præcellant Iudæi Græcos in iuſtitia coram Deo quaſi lege ipſa iuſtificati, cauſam & probationem exponit. nam cauſati, inquit, ſumus, omnes eſſe tam Iudæos, quàm Græcos ſub peccato: non habet ergo Iudæus, in quo glorietur de iuſtitia coram Deo. ſermo hic procedit de Iudæo, cauſa legis, & circumciſionis, & de Græco ratione ſtatus naturalis, ſecluſa fide, quæ eſt ſupra legem, & ſupra naturam, ad ſtatumq. Euangelicum pertinet. dicit autem Paulus ſe cauſatum eſſe omnes eſſe ſub peccato, ac ſi diceret: cauſam ante attulimus; cur non præcellant Iudæi, nempe eos eſſe etiam ſub peccato, ſicut cæteros omnes homines. nec per legem aut circumciſionem habuiſſe iuſtitiam coram Deo. cauſari enim eſt cauſam rei adferre, eſt autem Græcum verbum compoſitum, præcauſati ſumus, ideſt, prius cauſam attulimus: hæc autem eſt, omnes eſſe ſub peccato. in primo enim capite Gentes ſub peccato

oſtendit

Digitized by Google

oſtendit verum Deū non ſequentes; in ſecundo autem Iudæos veri Dei cognitionem quidem habentes, ſed legis mandata præuaricantes. ſapienter autem dictum eſt, omnes eſſe ſub peccato: nam qui in ſtatu Euangelij, & fidei ſunt, peccatores eſſe poſſunt, ſed non ſub peccato, quia habent vnde poſſint, ſi velint, ab ipſo liberari, nempe viuam fidem Chriſti, & ſacramenta efficacia ſalutis. ſpontanee ergo in peccato ſunt, at qui in ſtatu legis & naturæ erant, ſub peccato erant, quia non habebant in lege, nec in natura vnde liberarentur; nemo enim à peccato iuſtificatus eſt, niſi per fidem Chriſti, quæ non ratione ſtatus legis, aut naturæ, ſed ex diſpenſatione diuina communicabatur ſupra naturam & legem. quæ quidem fides in Euangelio iam manifeſtata eſt, & ad ſtatum eius pertinet. cum igitur ſub peccato fuerint omnes ex ſtatu proprio ipſorum, non habet Iudæus vnde ſibi ex lege iuſtitiam promittat, nec vnde in hoc Græcum excellat. exactiorem intelligentiam in duabus ſequentibus annotationibus quære.

ANNOTATIO VII.

Ambroſ. Anſel. Sedul. Theod.

VErbum cauſati Græce eſt προῃτιασάμεθα, quod varie exponunt interpretes, Chryſoſt. ſer. 7. Ambr. & Anſelm. Sedul. cauſis redditis oſtendimus, vt ſit ſenſus; prius oſtendimus omnes eſſe ſub peccato, ſimul oſtenſa & reddita cauſa, cur ſub peccato eſſent; Græci n. ſub peccato erant, quia idololatræ, Iudæi vero, quia legis præuaricatores. quæ expoſitio eſt valde probabilis, & accommodata, quā multi ſequuntur. Occumen. aliter exponit, euicimus, inquit, omnes eſſe ſub peccato. quæ expoſitio fere eadem eſt, nam euincere, ſeu probare, eſt cauſam eius quod affirmatur, vel negatur adferre. aliqui moderni aliter exponunt, nēpe criminati ſumus, & accuſauimus. ſed hæc minus probabilis videtur: ſi enim is eſſet ſenſus, ſuperfluum erat adiungere, omnes eſſe ſub peccato; ſatis enim erat dicere, criminati enim ſumus omnes, aut accuſauimus omnes peccati. mihi legitima expoſitio ea viſa eſt, quam in commentario ſumus ſecuti: nam verbum Græcum proprie id ſignificat, quod apud Latinos cauſari, ſeu præuaricari, in eaq. ſignificatione vſurparunt Septuaginta Eccl. 29. Loquetur, inquit, verba tædij, & murmurabit, & tempus cauſabitur. cauſari autem eſt apud Latinos rei geſtæ cauſam afferre. cauſari ergo ſub peccato eſſe omnes, idem eſt, ac omnes eſſe ſub peccato in cauſam alicuius rei afferre. hoc autem facit Paulus, qui cum oſtēderit prius, tam Iudæos, quàm Græcos eſſe ſub peccato, hoc nunc in cauſam adfert, cur non præcellat Iudæus Græcum in iuſtitia, nec ab eo præcellatur: vbique enim eſt ſub peccato; loquitur autem de præterito, præcauſati ſumus. quamuis apud Græcos aoriſtus ſit, quia prius eſſe ſub

peccato

peccato in præcedentibus capitibus oſtenderat, quamuis modo id, quod dictum, & oſtenſum eſt, in cauſam adferat, cur non præcellant Iudæi. hæc expoſitio mihi legitima videtur, tum quia verbi propriam retinet ſignificationem, tum quia ſenſui magis aptatur.

ANNOTATIO VIII.

POteſt & hic verborum Pauli eſſe ſenſus: vt verbum, cauſati ſumus, non in actiua, ſed in paſſiua ſignificatione accipiatur: nec ad ſolam Pauli perſonam, ſed ad vtroſque communiter, Iudæos ſcilicet & Gentes, referatur: hoc ſenſu, iam ante in Scripturis (quas mox citat) accuſati, & in crimen vocati ſumus, omnes, tam Iudæos quàm Græcos, exiſtere ſub peccato. non eſt igitur vnde Iudæi præcellant Græcos in iuſtitia coram Deo. Qui ſenſus & cum præcedentibus, & cum ſequentibus non male cohæret. Nec eſt, quòd quempiam moneat paſſiua verbi ſignificatio. Verbum enim Græcum, accuſare, inſimulare, in crimen vocare, & cauſari ſignificat; & in vtraque ſignificatione, actiua, & paſſiua accipi, probant grauiſſimi auctores. nam & Gorgias Leontius in encomio Helenæ, & Xenophon lib. 4. in paſſiua, & accuſandi, ſeu inſimulandi ſignificatione eo verbo ſunt vſi. Verbum quidem Latinum, nō facile admittit paſſiuam ſignificationem, apud Latiniſſimos auctores: ſed interpres Scripturæ non ſemper eum rigorem ſeruare ſolet.

Sicut ſcriptum eſt. Quia non eſt iuſtus quiſquam, non eſt intelligens non eſt requirens Deum.

QVando, & quomodo Iudæi præcauſati fuerint, omnes eſſe ſub peccato, exponit, & confirmat teſtimonijs Dauid, & Iſaiæ, à multis retro annis pronunciatis. quibus omnes, tam Iudæi, quàm Gentiles, excepto nemine, iniuſti, & peccatores, & ſub peccato eſſe, inſimulati ſunt. Verba Dauid ſumpta ſunt ex Pſalmo decimotertio, iuxta verſionem vulgatam, quæ communiter in Eccleſia legitur, in quo Dauidem generaliter loqui ipſa verba declarant; inquit enim: Deus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum. Paulus autem in aliquibus non tam verba, quàm ſenſum adfert (Non, inquit, eſt vllus iuſtus) hoc verbo omnes generaliter iuſtitia carere pronunciantur. (Non eſt intelligens) hoc propter idololatras veram Dei notitiam non habentes. (Non eſt requirens Deum) propter Iudæos Deum cognoſcentes, ſed eum non ſequentes, nec mandata legis obſeruantes, dictum eſt. Primum ergo verbum eſt generale; Nemo iuſtus eſt, tam Iudæus, quàm Gentilis. quæ ſequuntur,

partes

partes ſunt; ac ſi diceret: Quidam non cognoſcunt Deum; quidam cognoſcunt, ſed eius mandata non ſeruant, nec requirunt. ideo nemo iuſtus eſt inter filios hominum. Hæc, vti in præcedenti annotatione diximus, intelligenda ſunt, ſtatu legis, aut naturæ conſiderato. in his nemo inuentus eſt ſine peccato, nec ab eo liberari potuit, niſi per id, quod ſupra naturam, & ſupra legem erat, nempe fidem Chriſti, quam Euangelium reuelat, prædicat, & manifeſtat.

ANNOTATIO IX.

ADuerte, ſecundum Hebraicam lectionem, quæ nunc habetur, non omnes verſiculi nunc citati ſunt ex Pſalmo decimotertio, ſed ex varijs Pſalmis, & Iſaia in vnum collectis, quod Hieron. in prologo ſuper librum 16. in Iſaiam annotauit; octo enim verſus, quos in Pſal. 13. nunc legit Eccleſia, non habentur in Hebræo, nempe illi: (Sepulchrum patens eſt guttur eorum. Linguis ſuis doloſe agebant. Venenum aſpidum ſub labijs eorum. quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt, veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. contritio & infelicitas in vijs eorum. Viam pacis non cognouerunt, non eſt timor Dei ante oculos eorum.) hos putat Hieronymus ex diuerſis Pſalmis, & ex Iſaia ſumptos eſſe, non tamen ex 13. Pſalmo, ſecundum Hebraicam lectionem, nec ſecundum Septuaginta, ſed ex ſola Vulgata editione. hunc tamen verſum, qui expoſitus eſt, & ſequentem, ex decimotertio ſumptos eſſe Pſalmo, omnes confitentur. Ex ijs autem octo, duos illos (Sepulchrum patens eſt guttur eorum: Linguis ſuis doloſe agebant.) ex Pſal. 5. ſumptos Hieron. exiſtimat. tertium autem (Venenum aſpidum ſub labijs eorum) ex 133. illud autem (Quorum os amaritudine, & maledictione plenum eſt) ex nono. illos autem tres (Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem; Contritio, & infelicitas in vijs eorum; & Viam pacis non cognouerunt) ex Iſaia 59. ſumptos cenſet. vltimum autem (Non eſt timor Dei ante oculos eorum) ex 35. Pſalmo. Paulus ergo ex multis locis teſtimonium contexuit; ita Hieron. ſentit, ſiue ergo ex vno, ſiue ex multis Scripturæ locis hæc ſumpta ſint, eadem eſt veritatis auctoritas.

Hieron. *Pſal. 13.* *Pſal. 5.*

Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

VErſiculus hic ſumitur ex 13. Pſal. ſecundum Hebraicam lectionem, atque etiam vulgatam. proſequitur autem Dauid omnes à iuſtitia excludere, & cauſam continent tacitam hæc verba præcedentium; nimirũ, Non eſt iuſtus, nec intelligens, nec requirens *Pſal. 13.*

rens Deum: Quia omnes declinauerunt, ideſt, receſſerunt à Deo, ſimul etiam omnes facti ſunt inutiles, ideſt, nullius bonæ frugis; recedentes enim à Deo fructum bonum non afferunt; ſicut palmites à vite abſciſſi fructum non faciunt. Hinc eſt, vt non ſit qui faciat bonum, nec vnus quidem. Hic eſt verus ſenſus. illud (inutiles facti ſunt) verbum eſt Græcum apud Septuaginta ἀχρειόομαι, quod idem ſignificat ac inutilis, & nullius bonæ frugis homo. Apud Hebræos eſt verbum אלח, quod ſignificat putreſcere, aut inutile eſſe. Perpende generalitatem ſententiæ; neminem enim excludit. Eſt etiam recta verborum conſecutio, qui à Deo recedũt, inutiles fiunt; inutiles aũt fructum bonum mandatorum Dei non faciunt. tales fuerunt omnes ſine fide, & gratia Chriſti, etiamſi circumciſionem, & legem habuerunt. Oecumenius illud (ſimul) interpretatur; ſimul Iudæus cum Gentili, omnes inutiles facti ſunt.

Qui dicũtur declinaſſe & facti inutiles.

Oecum.

ANNOTATIO X.

Chryſoſt. Anſel. CHryſoſt. & Anſelm. hoc totum teſtimonium contra Iudæos eſſe, & ad hoc idem adductum eſſe à Paulo, affirmãt. Verba tamen Pauli, & contextus, ac intentio, hanc expoſitionem non admittunt: nam his teſtimonijs Paulus generalem ſententiam; omnes, nempe Iudæos & Græcos, eſſe ſub peccato, probat. Sicut, inquit, ſcriptum eſt. neceſſe ergo eſt hoc teſtimonium generaliter intelligere; aliter diminuta eſt etiam probatio. Adde, ſententias ipſas allegatas generales eſſe. Reſpexit Deus ſuper filios hominum, omnes declinauerunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. quas de Gentibus etiam expoſuerunt Baſil. Auguſt. & Hieron. in ſuis commentarijs, & in hoc loco Theodor. & Oecum. generaliter interpretantur; & quæ ſequuntur id ipſum confirmant, vt poſtea magis explanabitur.

Baſil. Aug. Hieron. Theodor. Oecum.

Auguſt. Aduerte adhuc, Auguſtinum lib. 16. ciuit. cap. 10. affirmare, hæc verba de filijs hominum, nempe de malis, non autem de filijs Dei, qui boni ſunt, dicta eſſe. quæ quidem expoſitio vera eſt in hoc, nempe de malis eſſe verba iſta intelligenda. tamen mens Dauid eſt, oſtendere omnes eſſe filios hominum, neminemq. inter eos iuſtum eſſe repertum. Omnes enim declinarunt, omnes inutiles facti ſunt, nec lex, nec circumciſio eos ſanauit: quod ſi qui iuſti fuerunt, id non ex lege, non ex operibus aſſecuti ſunt, ſed ex gratia, & dono Dei per fidem, quæ ſupra legem, & ſupra opera legis, ſupraq. naturam eſt, in quo ſenſu à Paulo nunc citantur hæc verba, vt Iudæus agnoſcat, ſe non præcellere Gentilem per legem, aut circumciſionem, quantum ad iuſtitiam coram Deo. Sententia ergo iſta vniuerſalis eſt, complectens omnes homines, bonos, & malos: nam etiam boni mali erant, & à malo non lege, aut natura ſunt liberati.

Ex do-

Ex doctrinâ hac, & expoſitione non ſequitur, quod aliqui peruerſe intelligentes docent, omnia opera infidelium eſſe peccata; nam poſſunt aliqui boni facere, quod tamen ad iuſtitiam, & liberationem à peccato inefficax eſt. hoc ſolum prætendit Propheta, ſimul etiam Paulus, ſine fide, & gratia Chriſti omnes eſſe in peccato, nec poſſe vllum fructum ſalutis facere, aut opus, quod ad iuſtitiam aſſequendam ex ſe efficax ſit.

Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant. Venenum aſpidum ſub labijs eorum.

PRoſequitur teſtimonium; & duo horum trium priores verſiculi ex Pſalmo 5. Tertius ex centeſimo trigeſimo nono, ſecundum Hebraicam lectionem, & Hieronymum ſumpti ſunt; quibus peccata linguæ, ſeu verbo commiſſa annotantur, & per metaphoram deſcribuntur. Guttur eorum dicitur ſepulchrum patens; vt enim patens, & apertum ſepulchrum peſſimos, ac fœtidos ſpargit odores, qui hominum ſaluti noxij ſunt; ſic ab iſtorum gutture per linguam, & labia, noxia verba procedunt, aut deceptoria, aut quæ vitam proximi lædunt: poſteriores enim verſiculi exponunt, cur ſepulchrum patens dictum ſit eorum guttur, nempe quia per ipſum verba doloſa, & deceptoria contra proximum procedunt in linguam: & rurſus verba nociua, quibus famæ, honori, & vitæ proximorum detrahitur per labia: idcirco, venenum aſpidum ſub labijs eorum, dicitur. Verba ergo eorum aut doloſa, aut nociua valde ſunt.

Pſal. 5. Pſal. 139. Hieron.

Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt.

ARtificioſe omnia inſtrumenta ſermonis refert Dauid, guttur, linguam, labia, os, vt peccata in verbis maxime damnet, & homines in huiuſmodi peccata eſſe procliuiores oſtendat. ſumptus eſt autem verſiculus hic ex nono Pſalmo, ſecundum Hebraicam, & Hieronymi lectionem. Os dicitur maledictione plenum, per iniurias, contumelias, blaſphemias, iuxta illud Iacob. 3. In ipſa lingua maledicimus homines, qui ad imaginem, & ſimilitudinem Dei facti ſunt. Amaritudine autem plenum dicitur, propter verba quibus proximos affligimus, & contriſtamus. Propter dolos linguæ dictum eſt. Lingua ſua doloſe agebant. Propter nocumentum contra vitam proximi illatum dictum eſt: Venenum

Os quō dicitur maledictione plenum.

Hieron. Iacob. 3.

Digitized by Google

nenum ſub labijs eorum. Propter iniurias, contumelias, & blaſphemias, dicitur os maledictione plenum, aſpera, ac dura verba, os dicitur amaritudine plenum; verbo enim inſidiatur homo vitæ, honori, famæ, quieti, & felicitati proximi, quæ omnia his verſiculis ſignificabantur.

Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Contritio, & infelicitas in vijs eorum. & viam pacis non cognouerunt.

SVmpti ſunt hi tres verſiculi ſecundum Hieron. ex Iſai. 59. & peccata operis deſcribuntur; ſic enim Paulus omnia peccata enarrat. nam in primis verſiculis peccata cordis exprimuntur, Non eſt intelligens, non eſt requirens Deum. Omnes declinauerunt, inutiles facti ſunt. Poſtea peccata oris narrantur, in verſiculis nempe proxime expoſitis, nunc ad peccata operis deſcribenda ſe conuertit; ſic enim Paulus, quàm infecti omnes eſſent peccato, demonſtrauit. Tria ergo dicuntur, primum eſt, veloces eſſe eorum pedes ad effundendum ſanguinem; ideſt, leui, faciliq. cauſa ad occidendum proximum inique mouentur. Alterum eſt, contritio, & infelicitas in vijs eorum, ideſt, crebris malis, damnis, & infortunijs ſe mutuo accipiunt. Tertium eſt, viam pacis non cognouerunt, ideſt, pacem non probarunt, ſed mutua inter ſe, & continua diſſidia, contentiones, rixas, lites, & bella exercent. His tribus ſignificat illos, nec iuſtitiam, nec charitatem, nec pacem cum proximis ſeruaſſe, quæ ſunt principia omnium peccatorum operis.

Hieron. Iſa. 59.

Peccata oris narrantur.

Non eſt timor Dei ante oculos eorum.

HOc ex trigeſimo quinto Pſalmo ſumptum eſt, quo verbo peccata, quæ contra Deum ſunt, exprimuntur. vt homines, & contra Deum peccaſſe conſtet. iuxta illud Luc. 18. Neque Deum timebat, neque hominem reuerebatur, quamuis dici etiam poſſit, cum omne peccatum ſit contra Deum, omnium peccatorum generale principium ſit, Deum non timere. nam timor Dei eſt velut frænum, appetitum hominum in peccata procliuem reprimens, & retrahens, quo ſoluto in peccatorum præcipitia velociſſime, nullo retinente, magno impetu fertur. Iſti ergo homines non habuerunt ante oculos, nec conſiderarunt ea, quibus timor

Pſal. 35.
Luc. 18.

mor Dei in anima infigitur. quem Pſal. 118. Dauid petebat. Confige timore, ſeu clauis, carnes meas; à iudicijs enim tuis timui. qui Dei iudicia ante oculos habet, Deum timet, & timore velut clauo carnes configuntur, ne homo in peccata ruat præceps. Attende, his omnibus teſtimonijs Paulum oſtendere, in natura, aut in lege non habuiſſe hominem, quo à peccatis efficaciter retraheretur, nec quo à peccatis contractis liberaretur, totum hoc ſupra naturam, & ſupra legem eſt à Deo per fidem Chriſti viuam communicatum. Pſal. 118.

In natura non habet homo quo retrahatur à peccato, quia totum eſt ſupra naturam, & ſupra legem.

Scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur, ijs, qui in lege ſunt loquitur.

PRoſequitur Paulus ex eiſdem teſtimonijs confirmare, Iudæos, & Græcos eſſe ſub peccato; quod facit, dum aperit cauſam, cur lex omnes peccatores pronuncians, ad Iudæos, qui in lege erāt, ſermonem direxerit. ea nimirum eſt, quia neminem lex ipſa à peccato liberare potuit; ſi enim lex omnes etiam ſuos accuſat, & tranſgreſſionis inſimulat, nemoq. etiam ſub ea iuſtus reperitur: argumento id eſt, eam iuſtificandi vires non habuiſſe. nec per eam vllum à peccato eſſe ereptum, ſed omnes, non ſolum peccatores, etiam ſub peccato fuiſſe, quia per legem nemo iuſtificatus eſt, niſi per fidem, quæ ad Euangelium pertinet. Hoc ergo eſt quod dicit: Scimus autem, ideſt, certa, & indubitata res eſt, omnes has ſententias à lege prolatas, & pronunciatas, ad eos eſſe pronunciatas, qui in lege, & ſub legis ſtatu ſunt, nempe Iudæos, vt ex hoc omne os obſtruatur, & cognoſcat mundus ſe ſub peccato eſſe, nec ex operibus legis iuſtificari potuiſſe. Connexa eſt ſententia hæc ſequenti: Scimus nempe, quæcumque lex loquitur, ijs loqui, qui ſunt in lege, vt per hoc omne os obſtruatur, quia ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro. Attende, legem appellare non libros Moyſis ſolos, ſed omnes partes Veteris Teſtamenti, quantum ad ea, quæ ad legis mandata pertinent, nempe præcepta, prohibitiones, reprehenſiones, comminationes. hæc enim etiam in Prophetis, & omnibus libris Veteris Teſtamenti ſparſa ſunt. Attende adhuc, non eſſe dictum, Quæcumque lex loquitur, de ijs loquitur, qui ſunt in lege. nam multa de Babylonijs, Aegyptijs, cæteriſq. Gentibus lex loquitur, in eorumq. vitia, ſcelera, & impietatem inuehitur. Sed dictum eſt, Ijs loquitur, qui in lege ſunt, ideſt, Iudæis,

Lex neminem poterat iuſtificare, vel à peccato liberare, ideo omnes ſub lege.

L

dæis, quia omnia hæc ad Iudæos prolata ſunt, quibus data eſt lex, quibus etiam Moyſes, & Prophetæ locuti ſunt. Sententiæ ergo ſuperiores de Iudæis, & Gentibus ſunt pronunciatæ, tamen Iudæis dictæ, vt ij, qui plus ſibi quàm Gentes, propter legem, de iuſtitia promittebant, agnoſcerent, ſe etiam, ſicut & Gentes ſub peccato eſſe, nec per legem adeptos eſſe iuſtitiam.

ANNOTATIO XI.

Lex quomodo loquitur ijs, qui in lege ſunt.

SVperiora verba varie Doctores exponunt. conueniunt quidem omnes, quos viderim, in connexione cum præcedentibus, quam talem eſſe exiſtimant, nimirum, præuenire Paulum, & præoccupare Iudæorum obiectionem; poſſent enim Iudæi dicere, hoc teſtimonium citatum nobiſcum non loquitur, nec ad nos pertinet. Hanc præueniens Paulus obiectionem, adiecit: Scimus quæcumque lex loquitur, ad eos pertinere, qui in lege ſunt; non ergo eſt, cur ſe ſubtrahat Iudæus. hæc eſt connexio communis, quam etiam comitatur communis interpretatio, nempe, ijs loquitur, ideſt, ad eos pertinent, qui in lege ſunt, quæcumque lex loquitur. non enim connectunt ſentẽtiam hanc ſequenti, vt verbum (ſcimus) referatur ad id, quod ſequitur; Scimus legem loqui ijs, qui ſub lege ſunt, vt omne os obſtruatur.

Sed connexio hæc mihi non videtur probabilis, nec ſatis accommodata; non enim obiectionibus ſatisfaciendum eſt tacitis, niſi ijs, qui probabiliter ſuboriri poſſe cognoſcuntur. at nemo Iudæorum dubitare poterat, verba hæc Prophetarum ad ipſos pertinere, Prophetasq. miſſos eis, in eoſdem fuiſſe inuectos. quod ipſemet Paulus confirmat, dicens: Scimus quæcumque lex loquitur, ijs, qui in lege ſunt, loqui. (Scimus) inquit, quia nemo id dubitabat. Non igitur ad excludendam obiectionem talem hæc verba appoſita ſunt. potius ego exiſtimo adiecta eſſe à Paulo, vt cauſam exponens, cur hæ generales ſententiæ Iudæis ſint dictæ, concludat omnes Iudæos, & Græcos eſſe ſub peccato; nec operibus legis, ſed fide, quæ ſupra legem eſt, dari iuſtitiam coram Deo. vt in commentario expoſuimus. & in ſequentibus magis manifeſtabitur. Hæc dicta ſint de connexione.

Quantum autem ad ſenſum pertinet, illis, qui exponunt (Ijs loquitur lex) ideſt, quæ in lege ſunt ad eos pertinent, qui in lege ſunt, magna difficultas ſe offert. aut enim teſtimonium citatum pertinet ad ſolos Iudæos: aut ſimul etiam ad Gentes. ſi ad Iudæos ſolos reſpondeant pertinere, non videbitur ſatis aptum; nam dictum eſt, Iudæos & Græcos omnes eſſe ſub peccato, ſicut ſcriptum eſt. Si ergo omnes Iudæos, & Græcos eſſe ſub peccato ſcriptum eſt, teſtimonium ad ſolos Iudæos non pertinet. Si autem reſpondeant, ad omnes generaliter pertinere, tunc verba iſta iuxta

ipſorum

ipſorum explicationem obſtant. Quæcumque lex loquitur, ijs, qui in lege ſunt, loquitur, ideſt, ad eos pertinent, qui in lege ſunt; Gentes enim in lege non eſſe, ipſemet Paulus cap. 2. firmauit, dicens. Qui ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt; qui in lege autem peccauerunt, per legem iudicabuntur. manifeſto ergo ſignificat, Gentes in lege non eſſe.

Origen.

Hæc præſentiens Origen. legem in hac præſenti ſententia exponit generaliter, vt complectatur, non Moſaicam ſolam, ſed etiam naturalem. ſic autem Gentes etiam in lege ſunt, quia lege naturali, & morali tenentur. Huic expoſitioni obſtare videntur & verba allegata, & quæ ſequuntur in hoc capite. in quibus lex ſemper ſumitur pro ſcripta lege Moſaica, in qua non erant Gentes, quamuis haberent opera legis naturalis, quia lex non eſt illis exterius data, nec vmquam Paulus Gentes aſſeruit eſſe in lege, aut ſub lege, ſed Iudæos ſolos. Præterea, quia lex, quæ loquitur, & omnes eſſe peccatores pronunciat, non eſt naturaliter inſita, ſed quæ per Moyſem eſt data; non ergo expoſitio Origenis ſatisfacere videtur.

Lex omnibus dicitur loqui, ſed quomodo.

Chryſoſt.

Chryſoſt. ſer. 7. teſtimonium Iudæos ſolos comprehendere affirmat; & ſic conſequenter verba iſta exponit. (Ijs, qui in lege ſunt, loquitur) ideſt, ad Iudæos pertinent. Sed huic expoſitioni prior pars obiectionis contradicit. ſi enim Iudæos teſtimonium citatum complectitur, non Græcos, quomodo dictum eſt ſuperius: Omnes Iudæos, & Græcos eſſe ſub peccato, ſicut ſcriptum eſt.

Theodor.

Theodoretus hanc præſentiens difficultatem annotat, prudenter dictum eſſe à Paulo (Ijs loquitur) & non (de ijs loquitur:) nam omnia, quæ Scripturæ, & lex loquuntur, Iudæis loquuntur, quia ipſis verbum factum eſt, ſed non ſemper de illis: nam de Babilonijs, Aegyptijs, & de alijs nationibus loquuntur. Hæc doctrina maiorem habet difficultatem, ſi hanc ſententiam exponamus, vt Paulus excludat obiectionem tacitam Iudæorum, ſubtrahere ſe volentium à teſtimonijs citatis; tunc enim Iudæus euadere poſſet, dicens: hoc legis teſtimonium nobis eſt factum, ſed non de nobis, ſed de ijs, qui extra legem ſunt: nam lex noſtra iuſtificat peccatores. In omni ergo expoſitione, ſiue prima, ſiue ſecunda, ſiue tertia ſenſus accommodatus inueniri non videtur, ſuppoſita communi illa expoſitione, vt Paulus his verbis probare velit, Iudæos prædictis teſtimonijs comprehendi: at in noſtra ſtra expoſitione ceſſat obiectio, omniſq. difficultas.

Auctor.

Exiſtimo ergo primo legem loqui ijs, qui in lege ſunt, vt diximus in commentario; & in hoc conſentio Theodoreto; comprehendunt enim omnes, Iudæos, & Græcos ſuperiores ſententiæ, & aliæ multæ Veteris Teſtamenti: in quo etiam conſentio Origeni, non autem Chryſoſtomo, nec Anſelmo de ſolis Iudæis interpretantibus. Exiſtimo ſecundo, Iudæos dictos eſſe in lege, legemq. Moſaicam complectentem moralem, ſeu naturalem, cæteraſq. partes, eſſe à Paulo ſignificatam, nec in hoc conſentio Origeni, propter rationes paulo ſuperius recitatas; perpetuo enim Pau-

Digitized by Google

lus Iudæos intelligit, quando eos, qui in lege ſunt, appellat. Exiſtimo tertio, Paulum nolle hiſce verbis probare Iudæos comprehenſos prædictis ſententijs: hoc enim nemo dubitabat, cum eſſent generaliſſimæ, omnium hominum genus complectentes; ſed hæc verba ad ſequentia pertinent, nempe omnia hęc eſſe pronunciata Iudęis, & in lege exiſtentibus. vt ex hoc appareat, neminem lege, nec operibus legis iuſtificari, ſed fide. Hic eſt legitimus ſenſus, in quo omnis difficultas propoſita ceſſat, & quæ ſequuntur optime accommodantur. Hinc facile intelligitur illud, quod ſuperius expoſuimus. Præcauſati, inquit, ſumus, omnes eſſe ſub peccato; quamuis enim omnes ſint in crimen vocati à Prophetis, Iudæi, & Græci, tamen quia ſermo hic Iudæis eſt habitus, propterea dixit, Iudæos præcauſatos eſſe, & accuſatos, quod omnes etiam Gentes ſub peccato ſint.

Vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo.

Cauſam, & finem, cur ijs, qui in lege ſunt, lex loquatur, & prædictæ ſententiæ, omnes peccati accuſantes, ſolis Iudæis in lege exiſtentibus datæ, & pronunciatæ ſint, exponit. Et, vti diximus, ſunt hæc ſuperioribus connexa: Scimus, nempe, hæc dicta eſſe Iudæis, qui in lege ſunt, quamuis omnes complectantur: Vt omne os obſtruatur, ideſt, nemo, tam Iudæus, quàm Græcus ſe immunem eſſe peccati agnoſcat, nec ſe vlla iuſtitia defendat; ſed fiat ſubditus Deo, ideſt, agnoſcat obnoxium, & reum eſſe, ac culpæ, & pœnæ ſuppoſitum coram Deo; hac enim de cauſa ijs, qui in lege ſunt, hæc pronunciantur, quibus omnes accuſantur à lege, vt ſignificetur, legem neminem ſuis operibus iuſtificaſſe; ſi enim aliquem iuſtificaret, aut vim haberet iuſtificandi, non pronunciaret, omnes, etiam ſuos, eſſe reos, & ſontes, & obnoxios ſub peccato; cum autem omnes tales proclamet, argumentum eſt, non poſſe vllum iuſtificare, nec iuſtitiam ex legis operibus prouenire, ſed aliunde, nempe, ex fide Chriſti. Hæc cauſa eſt, cur lex ijs, qui in lege ſunt, talia loquatur; ſi enim omnes hi cum Gentibus eſſent habiti, non obſtrueretur os Iudæorũ, quia dicerent Iudæi, Gentes declinarunt, & inter eas non eſt iuſtus, non eſt vſque ad vnum, quia legem à Deo non acceperunt, at nos

Iudæi

Iudæi accepimus, ideo apud nos eſt iuſtitia; dum autem Iudæis legem ipſam habentibus hæc dicta ſunt, os omnium etiam Gentium obſtruitur. propterea recte præmiſit Paulus, hæc Iudæis in lege exiſtentibus dicta eſſe, vt omne os obſtruatur. Verbis ſequentibus declarat, quare obſtrui dicatur os omnium, & omnis mundus obnoxius, & reus manifeſtetur, nempe quia nemo ex operibus legis iuſtificatur. illud (vt totus mundus fiat obnoxius) ſenſum hunc facit, vt totus mundus agnoſcat, & conuincatur, ſe eſſe reum peccati, nec iuſtificare ſe poſſe coram Deo ex aliquo ſuo opere legis.

Iuſtitia non prouenit ex operibus legis, ſed fide Chriſti

ANNOTATIO XII.

DVpliciter exponere poſſumus ſuperiora verba, vno modo, vt particula (vt) cauſam finalem ſignificet, nempe cauſam, cur Iudæis in lege exiſtentibus tales ſententiæ dictæ ſint, & lex omnes peccatores proclamauerit. & hunc ſenſum proſecuti ſumus in commentario. Altero modo exponi poteſt conſecutiue, vt ex eo, quod omnes in lege exiſtentes, tales pronunciantur à lege, conſequatur, omnes eſſe obnoxios peccato, nec vllum legis operibus iuſtificari. ac ſi diceret: Lex loquitur ijs, qui in lege ſunt, omneſq. tales peccatores proclamat: conſequitur ergo, omnes eſſe obnoxios, quia nemo legis operibus iuſtificatur, cum lex ſuos etiam, peccatores appellet. Vterque ſenſus eſt accommodatus; prior tamen accommodatior eſt. Attẽde, Chryſoſt. ſerm. 7. & Anſel. illud (os obſtruatur) ad Iudæos; illud autem, (Subditus fiat omnis mundus) ad omnes referre Iudæos, & Gentes. at cum vtraque ſententia generalis ſit, vtraq. omnes, tam Iudæos, quàm Gentes complectitur, & ita interpretatur Ambroſius.

Chryſoſt. *Anſel.* *Ambroſ.*

Quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo.

COmplet ſententiam, cauſam reddens, cur omnes obnoxij & rei teneantur. Quia, inquit, ex legis operibus non iuſtificabitur omnis caro; generales enim legis ſententiæ, etiam Iudæos peccatores pronunciantes, argumento ſunt, neminem legis operibus iuſtitiam conſequi, nec à reatu peccatorum ſolui. Attende autem ſingula verba; non dicit, Ex lege, ſed, (ex operibus legis) vt Iudæos, & Gentes comprehendat. nam apud Gentes erant legis opera, non tamen lex ipſa ſcripta. Iudæi vtrumque habebant. ſi ergo Iudæi vtrumque habentes non iuſtificati

Carnis nomine comprehenditur omnis homo exiſtens in peccato.

ſunt, profecto nec Gentes. Rurſus etiam, vt tam legem, quàm legis opera à iuſtitia hac excludat; neutrum enim à peccato liberat: Dicitur etiam omnis caro, vt hoc verbo iuſtificationem explicet; carnem enim appellat omnem hominem in peccato exiſtentem; caro enim in Scriptura homo dictus eſt, propter ea, quæ ex ſua natiuitate naturali habet; omnes enim peccatores naſcimur, & ſi aliquando iuſtificati iterum peccamus, ad noſtra prima reuertimur, iræ enim filij nati ſumus. caro ergo, ideſt, peccator omnis, per legem, & legis opera à peccato non liberatur, nec iuſtus fit. Dicitur etiam (coram Deo) quia coram hominibus multi iuſti ſunt æſtimati, qui peccatores vere ſunt; iuſtitia enim hominum eſt ſecundum opinionem. Rurſus, quia aliquam moralem iuſtitiam habere poteſt, & habet homo ex operibus legis: non tamen eam, quæ in remiſsione peccatorum, & in reconciliatione cum Deo conſiſtit, quæ eſt perfecta iuſtitia, & coram Deo; hanc enim nec lex, nec legis opera efficiunt, ſed fides viua, quæ per dilectionem operatur: ſi enim legis opera hanc efficerent, numquam lex ipſa omnes peccatores pronunciaret, vti pronunciatos eſſe ex citatis teſtimonijs conſtat, etiam eos, qui ſub ipſa lege degebant.

ANNOTATIO XIII.

Attende, legem dictam eſſe neminem iuſtificare poſſe, non ſolum quia nemo poterat legem totam implere, ſola legis ipſius ope adiutus; opus enim eſt, & erat, gratia, quæ non ex lege eſt, ſed ex fide Chriſti; ſed etiam, quia, quamuis legis opera efficeret, adhuc iuſtificari peccator non poſſet: niſi enim Chriſti fides adeſſet, quãuis tota lex quoad omnes partes ſuas morales, cæremoniales, & iudiciales impleretur, numquam homo peccator à peccato liberaretur, nec Deo reconciliaretur; hoc enim opus eſt Chriſti, qui fide viua in ipſum nobis iuſtitiam ſua virtute, iuſtitia, & merito communicat, & impartitur, propterea prudẽtiſſime Paulus dixit: Ex operibus legis nõ iuſtificari vllã carnẽ, quia lex etiam impleta id non poſſet facere.

August.

Attende ſecundo cum Aug. lib. de ſpirit. & lit. cap. 8. per opera legis, non cæremonialia illa ſola, & iudicialia, ſed etiam moralia, quæ ad Decalogum ſpectant, intelligi; omnia enim hæc ſimul opera non liberant à peccato, nec reconciliant: ſed fides in Chriſtum viua, & perfecta. quod Paulus etiam in hiſce verbis ſapienter inſinuauit, dum generaliter omnem carnem à iuſtitia excluſit cum operibus ſolis legis, niſi enim moralia opera includeret, ſoli eſſent excluſi Iudæi; at dum omnis caro iuſtificari negatur ex operibus legis, opera etiam negat moralia, quæ erãt apud Gentes, nec his poterant vnquã coram

Ex operibus legis non iuſtificari vllam carnem.

Deo

Deo iuſtificari.

Attende tertio, non eſſe hanc Pauli ſententiam aduerſariam illi ſuperius expoſitæ cap. ſecundo; Factores legis iuſtificabuntur apud Deum, quod eo in loco diffuſius expoſuimus. quantum autem ad præſens ſpectat, concordia hæc eſt; Paulus enim in præſenti de ea iuſtitia loquitur, qua homo ex peccatore fit iuſtus, remiſſo peccato, & reconciliatione facta cum Deo. hanc iuſtitiam nulla legis opera efficiunt, ſed viua fides. Sic autem iuſtificatus opera moralia, & mandata implere debet, quibus iuſtus fit iuſtior, &, ſi negligantur, etiã quam acquiſiuit prius per fidem, amittit iuſtitiam. & de hac dictum eſt: Factores legis iuſtificabuntur. Magnum ergo eſt diſcrimen inter opera legis fidem viuam præcedentia, & ſequentia: nam quæ præcedunt, vim non habent nec iuſtificandi, nec augendi; quia quæ nondum eſt iuſtitia, augeri non poteſt. at quæ ſequuntur non iuſtificant, faciendo ex iniuſto iuſtum: nam iam fides perfecta iuſtificauit; ſed augendo, & conſeruando iuſtitiam, & hoc non propria virtute faciunt, ſed propter radicem ipſam vnde procedunt, quæ eſt viua, & perfecta fides. De tota hac iuſtitia, nempe prima, & ſecunda, ſeu initio, & progreſſu, Paulus Gal. 5. illam protulit ſententiam. In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quę per dilectionem operatur. Quando ergo Paulus dixit, legis factores iuſtificari, fidem ſupponebat, quæ Gentibus, quarum aliquæ iuſtæ erant, & Iudæis communis erat; & ſine qua nec legis opera fiunt; & etiamſi fiant, à peccato non liberant, nec Deo reconciliant. ideo de his dicitur: Ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro. Hæc eſt legitima, & catholica doctrina, & cõcordantia harum ſententiarum.

Quomodo factores legis iuſtificabuntur, & non ex lege.

Gal. 5.

Per legem enim cognitio peccati.

Per legem cognoſcimus tantum peccatum, ſed non delemus.

CVr ex operibus legis nulla caro iuſtificetur, cauſam exponit, ſimul etiam explicat; quare, ſi legis opera non iuſtificabant peccatorem, fuerit data lex, dicit ergo: Per legem cognoſcimus peccatum quod perpetramus, & à Deo data fuit populo illi, vt peccatum manifeſtum fieret, non vt illud deleret: ſicut enim medicus ſanaturus infirmum, grauitatem morbi ipſi prius exponit, vt ſanationis gratiam pluris faciat, ad eamq. deſiderandam, & procurandam magis inducat, quam poſtea medicamentis efficit, ita Deus noſter hominem à peccato ſanaturus, legem dedit prius, qua peccatorum morbi manifeſtarentur, & omnes cognoſcerent, ſe indigere medicina, & ad inquirendam eam prouocarentur, ſuiſq. operibus non poſſe eos aſſequi intelligerent, non vt per legem ſanarentur; nam ſanitatem hanc Chriſtus ſua morte

 effecit.

effecit. hæc enim medicina fuit, qua fide viua in eum credentes ſanat, & iuſtificat liberando à peccatis, & Deo reconciliando, hoc eſt quod dicit Paulus: Per legem enim cognitio peccati, ideſt, tantum cognitio peccati, non remiſſio, ideo ex legis operibus iuſtitia non eſt. Reſpondet autem hoc verbum teſtimonijs citatis, quaſi diceret: Lex omnes pronunciat peccatores, quia ad hoc data eſt, vt peccatum cognoſceretur, non vt iuſtificaret; ſi enim ad iuſtitiam data eſſet, non pronunciaſſet omnes, qui ſub ea ſunt, peccatores, nec omnes etiam eius mandata, & opera facientes iniuſtos appellaſſet. Eſt autem ſententia vim habens etiam negandi, nempe per legem cognitio peccati, non iuſtitia fit, ideo ex operibus eius nemo iuſtificatur. Hanc ſententiam verbis inferioribus repetit Paulus, quando de lege loquitur. Similiter & in Epiſt. ad Galat. Satis ergo aperte conuincit Paulus Iudæos, non habere ex lege, nec ex circumciſione, in quo, quantum ad iuſtitiam coram Deo, gentes præcellat.

ANNOTATIO XIV.

Lex ſcripta quomodo dicatur manifeſtare peccatum

DVbitatio occurrit, quomodo per legem cognitio peccati ſit facta, cum ante legem peccatum cognitum fuerit. nam Caim nouit peccatum ſuum, & ante Moyſem, cui lex data fuit, peccata nota eſſe Scriptura meminerit. Gētes etiam, quæ in lege non erant, & male agere, & peccatorū habuiſſe notitiam nemo negare poteſt; non igitur per legem cognitio peccati eſt. Aliqui reſpondent, eſſe hoc de naturali lege intelligendum, quæ à principio humani generis inſita fuit homini; per hanc enim nouerunt homines peccatum. quod enim contra legem eſt, peccatum eſt. ita hunc locum Origen. exponit. Alij de lege ſcripta interpretantur, non de omni parte, ſed de ea, quæ moralis eſt, quæ naturalia præcepta continet, & hæc videtur cōmunis expoſitio. ita Aug. lib. de ſpirit. & lit. cap. 8. cæteriq., quorum mentio ſtatim fiet, exponunt.

Origen. *Aug.*

His propoſita dubitatio difficultatem ingerit, quomodo per legem cognitio peccati fuerit, cum, ante legis traditionem, per naturalem ipſam cognitionē fuerit notum peccatum; qui enim legem non habent, quæ legis ſunt naturaliter faciunt. Varia eſt Doctorum reſponſio. Primo quidem aliqui reſpondent, per legem ſcriptam, moralem, ſeu naturalem, cognitionem factam eſſe peccati, quantum ad pœnam à Deo infligendam; lex enim ſcripta docet, non impune fieri, quod cōtra legem cōmittitur; hoc enim Gentes prius ignorabant, manifeſtatum eſt autem per legem ſcriptam. ita Ambroſius, Oecumenius, & Theodulus reſpondent.

Oecum. *Theodul.*

Secundo loco alij aſſerunt, per hanc ſcriptam legem naturalem eſſe factam cognitionem peccati, quantum ad aliqua peccata, quæ prius ignorabantur: nam lex naturalis erat ex parte aliqua in homi-

nibus

nibus obliterata,& obſcurata,multaque ignorabantur peccata, quæ vere erant peccata, & contra rationem naturalem. Deus ergo renouans legem naturalem, perfectã peccati cognitionem fecit,non omnium, ſed multorum. ita Sedulius exponit, & Theodoretus videtur idem ſentire; inquit enim, legem, peccati perfectam cognitionem induxiſſe.

Sedul. Thedor.

Tertio loco alij affirmant, ante non eſſe cognitam naturam peccati, eſt enim Dei offenſa, & iniuria: hanc autem lex explicat, & hoc etiam Ambroſ. dicit. In huius difficultatis reſolutione, aliqua reſpõdenda exiſtimo. Primum eſt, non intelligi hunc locum de naturali lege,quæ cordibus hominum inſcripta eſt, Hoc eſt contra Origen.quod mihi perſuadeo ex ipſomet Paulo. Primo quidem,Paulus nunquam ſolet legem appellare, quam nos legem naturalem dicimus, ſed opus legis ſcriptum in cordibus, idcirco Gentes vocat ſine lege. Secundo, quia ſi de lege ſola naturali ſermõ fieret, non erat doctrina perfecta, nam non excludebatur Iudæus: diceret enim hic, per legem naturalem eſt cognitio peccati, at per noſtram legem eſt iuſtitia. Paulus ergo ex nulla lege iuſtitiam docens, ſed ex fide, generaliter omnem excluſit, etiam quæ Iudæorum erat. Tertio, quia hæc ſententia reddit cauſam præcedentis. in hac autem dictum eſt, ex verbis legis non iuſtificatur omnis caro. Vbi nemo dubitare poteſt, legem generaliter accipi, etiam pro lege Moſaica. cum ergo cauſam annectat; Quia per legem cognitio peccati, non poteſt lex hæc reſtringi ad naturalem.

Secundum eſt, nec etiam poteſt intelligi de ſola lege morali ſcripta locus hic. Hoc eſt contra eos, quos ſuperius citauimus, quod eiſdem fere rationibus cõprobatur. ſi enim per moralem legem tantum cognitio facta eſſe dicitur, non excluditur lex a iuſtitia,nec eſt exacta probatio ſuperioris ſententiæ. nam diceret Iudæus, per cæremonialem, & iudicialem legem ſibi datam eſſe iuſtitiam. cum ergo Paulus totam legem a iuſtitia excludat, & in fide Chriſti collocet, neceſſe eſt, non ſolum vnam partem legis, ſed totam intelligere.

Adde, opera legis non iuſtificãt, non legis ſolius moralis, ſed nec cęremonialis, quæ ad ritus, & ſacrificia pertinebat: nec iudicialis, quæ ad politiam ordinabatur. ergo lex tota excluditur, & per totam illam eſt cognitio peccati, non autem iuſtitia. Adiunge etiam verba ſequẽtia (Nunc ſine lege iuſtitia manifeſtata eſt) in Euangelio autem lex illa ceſſauit, maxime quantum ad cęremonialia, & iudicialia. Igitur Paulus generaliter loquitur.

Tertium eſt, quando per legem dicitur cognitio peccati fieri, totã legem Paulus ſignificat, moralẽ, cæremonialem, & iudicialem, quæ Moſaica dicitur. quam enim nos naturalem dicimus, Paulus non ſolet legem appellare, ſed opera legis inſcripta in corde. Hoc reſpõſum ex ſuperioribus deducitur efficaciter, declaratione tamen opus eſt. Attende, legem ſcriptam totam manifeſtaſſe peccatum, non tamen eodem modo: nam pars illa moralis, quæ Decalogi præcepta continet, manifeſtat peccatum, quod, antequam lex iſta per Moyſem promulgaretur, cognoſcebatur

per

Digitized by Google

Lumine naturali homines cognoſcebant, multa eſſe mala opera, & Peccata, ſed per legem nouerũt grauitatem peccatorum.

per lumen naturale. Sciebant enim homines lumine naturali ducti, multa opera eſſe mala, & peccata, vtpote rationi aduerſantia, tamen ſcripta, & euulgata lex per Moyſem, cognitionem attulit perfectã, tum quia multa ignorabantur eſſe peccata, lumine naturali ex parte aliqua propter peccata imminuto: tum quia, quæ agnoſcebantur, adhuc imperfecte, & debiliter nota erant. non enim tota grauitas eorum erat manifeſta. Gentes enim peccatum tanquam aliquid contra rationem deteſtabantur; eſſe tamẽ Dei offenſam, & iniuriam ignorarunt; & ſi aliquid in hoc ſenſerunt, non attigit menſuram integram, nec quanta ſit Dei offenſa aſſecuti ſunt, præter illos Patriarchas, & eos, quorum Scriptura facit mẽtionem, qui ex traditione ab Adamo, & Dei reuelatione ſciebant. tum demum, quia, quanta poena peccantibus infligenda erat præparata, neſcierunt, vt dictum eſt in Cap. primo. hæc omnia lex manifeſtauit Cæremonialis autem, & iudicialis lex non ſic manifeſtauit peccatum. nam antequam iſtæ leges promulgatæ eſſent, non erant peccata, quę, latis legibus, facta ſunt peccata, quia contra leges ſunt. hoc enim habent poſitiuæ leges, vt quæ præcipiunt, aut prohibent; peccata prius non eſſent, niſi poſtquam contra latas leges facta ſunt.

Lex ſcripta quomodo manifeſtat peccatum.

Lex ergo moralis ſcripta præcepit, & prohibuit, quæ primo erant bona, vel mala, ſiue peccata, aut virtutes, propter rationis lumen homini a natura inſitum; at lex cæremonialis, & iudicialis ea præcepit, aut prohibuit, quæ ante peccata non erant, aut recte facta, niſi poſtquã legibus ſtatuta ſunt. Lex ergo cæremonialis, & iudicialis peccatum manifeſtat alio modo, quam moralis; multipliciter tamen. Primo, quia per eas nota fuerunt etiam peccata contra mores facta. nam ſacrificia, & iudicia multa fiunt contra peccata, illa in expiationẽ, hæc in pœnam. Secundo, lex hæc manifeſtat hominem naſci in peccato, dum ſacrificium pro infante offerri pręcipit. Tertio, dum præcipit multa, quæ poſtea non fiunt, & ſic peccatores eſſe tranſgreſſores declarat. Vere ergo lex tota cognitionem facit peccati, & vna ex cauſis, propter quas a Deo eſt tradita, hæc fuit, vt peccatum cognoſceretur: multo autem magis cognoſcitur per partes legis plures, quam per vnam. nam multiplicata lege, multiplicatur tranſgreſſio, niſi adſit virtus Dei, & gratia præſeruans, quæ ad Euangelium pertinet, non ad ſtatum illum legis. Ex his, & difficultas ſoluta, & ſenſus legitimus Pauli manifeſtus eſt.

Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt.

Iuſtitia Dei, quę eſt ſine lege, quomodo manifeſtata eſt.

PRoſequitur eandem ſententiam, declarans, quid ſit illud, quo homo iuſtificatur. & eſt ſenſus. (Nunc autem) ideſt, poſtquam per legem cognitio peccati facta eſt, (ſine lege) ideſt, lege ceſſante (Iuſtitia Dei manifeſtata eſt) ideſt, manifeſtauit Deus iuſtitiam ſuam; nempe, id, quo homo coram Deo iuſtificatur; quod quidem tempus eſt Euangelici ſtatus. Similis eſt ſententia il-

Digitized by Google

Gal. 3. tia illa, Gala. 3. lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur. at vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo. Iuſtitia ergo Euangelij, ſine lege eſt per fidem Chriſti. Attende, ſententiam hanc eſſe latens quoddam argumentum, quo probat, per legem non eſſe iuſtitiam. ſi enim lex ad iuſtitiam faciendam fuiſset inſtituta, nunquam iuſtitia manifeſtata eſset, etiam remota lege: at dum iuſtitia ſtatuitur, & lex ceſsat, ciuſque obſeruantia antiqua remouetur, ea ad iuſtitiam non ſuffeciſse probatur, ac demonſtratur.

Attende rurſus, hanc eſse etiam latentem cauſam, cur Dominus legem illam ceſsaſse per Euangelium diſpoſuerit; nempe, vt, dum ſtatuitur iuſtitia per Euangelium, ablata lege, ſignificaret, legem ad iuſtitiam datam non fuiſse ſufficientem. Attende adhuc, *Auguſt.* iuſtitiam Dei, vt Aug. lib. de Spiritu & litera cap. 9. dicit, non eſse eam, qua Deus ipſe iuſtus eſt, ſed quæ nobis datur, vt per eam iuſti coram ipſo ſimus; ſicut paulo inferius dicitur, Fides Chriſti, non qua credit Chriſtus; non enim fidem habuit, qui Deum ſemper videbat; ſed qua nos in eum credimus. Attende tandem, dici manifeſtatam hanc iuſtitiam, quia occulta prius erat in vmbris legis, & prædictionibus Prophetarum.

ANNOTATIO XV.

Auguſt. AVguſt. lib. de Spiritu. & litera. cap. 9. illud (ſine lege) cenſet connectendum cum (Iuſtitia Dei) vt connexio talis ſit. Iuſtitia Dei, quę ſine lege eſt, nunc eſt manifeſtata. negat autem connecti debere cum verbo (manifeſtata eſt) quaſi fieri non poſſit, manifeſtatam eſſe ſine lege, cum per legem ſit facta manifeſtatio. nam ſequitur (teſtificata a lege). hæc de connexione. Quod autem ad ſenſum attinet, ſic exponit (Iuſtitiam Dei ſine lege) ideſt, quæ ſine adminiculo legis fit: non enim ex legis operibus iuſtificatur homo. At nec connexio, nec ſenſus mihi ſatis accommodata videntur. Paulus enim plus ſignificare voluit hiſce verbis, quam Auguſtini expoſitio explanat: docet enim legem illam ceſſaſſe, & iuſtitiam Dei reuelatam, & communicatam eſſe, lege ceſſante. Quod argumentum efficax eſt, legem ad cognitionem peccati, non ad iuſtitiā fuiſſe datam. Connectendum ergo eſt verbum (ſine lege) cum verbo (manifeſtandi) vt ſit ſenſus: Nunc Euangelium manifeſtat, lege illa ablata, & ceſſante, id, in quo hæc iuſtitia poſita eſt; nempe, fidem Chriſti. ita Theodor. & Ambroſ. *Theodor. Ambroſ.* connectunt, & exponunt, & eſt legitima expoſitio conſonans ſequentibus. nam hanc iuſtitiam communem facit omnibus, ſiue ex Iudæis, ſiue ex Gentibus. hoc autem fit, quia eſt iuſtitia ſine lege, ideſt, lege

veteri

veteri iam ceſſante. Quod ſi ſenſus eſſet, (iuſtitia ſine lege) ideſt, quæ non eſt ex operibus legis, non ſequebatur eſſe communem iuſtitiã. nam iuſtitia antiqua Iudæorũ erat ſine lege; ideſt, non ex operibus legis, etiam antequam ceſſaret lex: at iuſtitia Euangelica eſt iuſtitia ſine lege, ideſt, non ſolum quia ex legis operibus non eſt, ſed etiã quia, lege illa veteri ceſſante, eſt. hanc talem Euangelium manifeſtat, & prædicat, idcirco eam communem annunciat, tam his, qui in lege, quam ijs qui ſine lege erant.

Qua ratione dictum eſt, iuſtitiã eſſe manifeſtatam ſine lege.

In hoc ſenſu vero, & legitimo difficultas occurrit, qua ratione dictum eſt iuſtitiam eſſe manifeſtatã ſine lege, cum in Euangelio magna pars legis adhuc perſeueret: nimirum Decalogi præcepta, & mandata moralia, quę etiamſi, vti diximus, talia non ſint, vt ex operibus eorũ iuſtificari peccator poſſit, cum per fidem ſit iuſtitia, tamen obſeruantia eorum eſt neceſſaria, & iuſtificato iuſtitiam conſeruat, & auget. Reſpondeo, vt in ſuperiori annotatione dictum eſt; tria fuiſſe genera præceptorum, & mandatorum in lege; nempe moralium, cæremonialium, iudicialium. ex quibus moralia non erant propria Iudæorum, ſed cõmunia omnibus hominibus; quamuis ea Gentes lege ſcripta nõ acceperint a Deo, ſed lumine rationis naturalis indicante. Iudæis autem particulari ratione fuerunt adhuc exterius impoſita, tenebanturq. ea ſeruare, non ſolum tanquã lumine rationis demonſtrata, ſed etiam tanquam a Deo particulari ordinatione inſtituta. Cætera præcepta ſola diuina inſtitutione, & ordinatione nitebantur.

Dico ergo, totam obligationem illam, quæ ex ſcripta lege & ordinatione tunc erat, ceſſaſſe, & ideo abſolute lex illa iam completa eſt, nec in Euangelio obligat: tamen opera legis non omnia ceſſarunt: nam moralia in Euangelio manſerunt, & fideles obligant, non quia veteri lege erant præcepta, & ſtatuta; ſed quia naturali rationis lumine ſunt dictata, quod & Gentibus eſt commune. Rurſus, etiam quia a Chriſto Domino ſunt renouata, & in Euangelio ſtabilita; cætera vero, quia ſola illa exteriori inſtitutione nitebantur, iam non obligant, nec ratione operum. quod ſi aliqua horũ nunc in Eccleſia ſeruantur, ideſt, quia Eccleſia aliqua opera illorum tanquã vtilia Euangelio ſtatuit, & decreuit. ſic multa, quæ ad matrimonia pertinent, nunc in Euangelio ſeruãtur; ſimiliter quæ ad alios ritus; quę quidẽ obligãt, nõ ratione illius diuinæ inſtitutionis, ſed ratione Eccleſiaſticæ ordinationis, quia ad mores etiam pertinent. Lex ergo illa in totum ceſſauit, quantum ad obligationem ſuam legalem modo expoſito. Quæ ergo nunc opera ſeruamus, non ſunt legis illius, ſed opera virtutum, & morum, quæ rationales homines decent, & ſeruare oportet, & quas primo homini Deus indidit, vt ſecundum talium virtutum opera viueret. Hæc autẽ non nos a peccato iuſtificant, vti diximus, ſed fides viua in Chriſtum. ex hac autem fide viua procedentia talia opera conſeruant, & augent iuſtitiam, & impletur, non ſolum obligatio naturalis, ſed obedientia Chriſti, qui ea iniunxit in Euangelio ſuis fidelibus, nec ſolum iniunxit, ſed aliqua declarauit, vt patet Matth. 6. Sunt etiam alia opera, & præcepta Chriſti, & Eccleſiæ, de

Quomodo ceſſauit obligatio legis ſcriptę, adueniente noua.

quibus

quibus non eſt inſtituti noſtri præſentis tractare. illa ergo lex, quæ ad cognitionem peccati data fuit, ceſſauit, vt iuſtitia, non ex lege, ſed ex fide eſſe manifeſtaretur.

Origen. Aduertendum hoc in loco eſt, nõ eſſe expoſitionem Orig. ad mentem Pauli. exponit enim legem hanc naturalem, vt ſit ſenſus: ſine lege naturali, iuſtitia, ideſt, ſine operibus legis naturalis iuſtitia eſt. quamuis autem admitteremus ſenſum hunc, qui eſt conformis expoſitioni Auguſtini, tamen legis interpretationem non probamus: nam iuſtitia hæc etiam ſine operibus legis ſcripta eſt. Paulus etiam non ſolum ab operibus Gentium, ſed ab operibus Iudæorum quibuſcumq. excludit iuſtitiam, & in fide Chriſti eam conſtituit. Legem ergo appellat, quæ fidei opponitur. ideo lex tota intelligitur. Adde, Paulum talia non appellare legem, ſed opera legis ſcripta in corde, vt in ſuperiori annotatione dictum eſt. *Auguſt.*

Teſtificata a lege, & Prophetis.

NE Iudæi audientes iuſtitiam Dei eſſe, ablata lege, tanquam rem nouam, & legi aduerſariam repellerent, adiunxit: Nõ nouam rem annuncio, nec a lege ipſa alienam. nam lex ipſa, & Prophetæ hanc iuſtitiã Dei futuram per fidem Chriſti pronunciarunt, & teſtimonium de ea perhibuerunt. rem ego non contra legem, ſed ſecundum legem prædico, & doceo. legem appellat libros Moyſis, cuius teſtimonium ipſemet Paulus cap. 10. adfert. *Rom. 10.* fidei enim iuſtitiam futuram prædixit. nos eo in loco exponemus. Prophetarum teſtimonium etiam eodem capite exponit ex Iſaia, & ſuperius cap. 1. ex Abachuc. Sunt præter hæc multa teſtimonia, quæ facile eſt cuilibet perito in veteri annotare ſcriptura. *Abach.*

Iuſtitia Dei pronunciata a lege, & prophetis.

ANNOTATIO XVI.

Auguſt. Anſel. AVguſt. lib. de Spiritu, & litera, cap. 9. quem ſequitur Anſelmus, teſtimonium legis diſtinguit a teſtimonio Prophetarum. Prophetæ enim prædixerunt, verbo quod futurum erat prænunciantes; at legis teſtimonium facto ipſo cenſet eſſe perhibitum, ſic: lex, inquit, iubendo, & minando, & neminem iuſtificando ſatis indicat, dono Dei iuſtificari hominem per aduentum Spiritus, & hoc ipſo teſtimonium perhibet. Vera eſt doctrina hæc; tamen accõmodatius dicimus prædictionem in libris legis ſcriptam, appellari legis teſtimonium, vt cõſtat ex cap. 10. vtrumq. ergo teſtimonium legis, & Prophetarum prędictio, & prænunciatio iuſtitiæ huius eſt; tamen quæ in libris Moyſis ſcribitur, legis dicitur teſtimoniũ. *Rom. 10.* Libros enim illos legem appellare Iudæi ſolebant. ita hunc locum exponunt Chryſoſt. ſer. 7. & Irenæ. lib. 4. cap. 67. vbi vtrumq. teſtimonium eiuſdem rationis eſſe exponit; nempe, veteris teſtamenti prędictionem. Quod ſi placet interpretationem *Irene. Chryſoſt.*

tionem Auguſtini admittere, non eſt excludenda hæc, quæ communis eſt, ſed coniungenda, vt lex vtroque modo teſtimonium perhibeat.

Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti.

QVomodo fiat hæc iuſtitia, exponit, Iuſtitia, inquit, Dei, quæ non ex operibus, & quæ lege ceſſante, & completa manifeſtata, & quæ a lege, & Prophetis teſtificata eſt; hæc eſt; nempe per fidem Ieſu Chriſti, non qua Chriſtus credit; in eo enim fides non fuit, ſed qua in ipſum creditur: ſicut iuſtitia Dei dicitur, non qua ipſe iuſtus in ſe eſt, ſed qua nos in nobis ipſis iuſtos facit, vt exponit Aug. lib. de Spiritu. & litera cap. 9. hac fide iuſtificamur a peccatis, & Deo reconciliamur, coram ipſoq. iuſti efficimur; & quod nec lex tota, nec legis totius opera efficere potuerunt, id facit fides in Ieſum Chriſtum. optimo autem conſilio Paulus nomen Domini integrum expreſſit: Per fidem, inquit, Ieſu Chriſti, vt qualitatem fidei ſignificaret; debet enim eſſe fides perfecta, qua Chriſtus Deus, & homo, & omnium ſaluator, ac redemptor credatur, nec aliud nomen eſſe, in quo ſalutem, & iuſtitiam habeamus, præter ipſum.

Aug. Quod lex tota efficere non potuit, per fidem Chriſti factum eſt.

ANNOTATIO XVII.

DIcet aliquis, cur non dictum eſt. Iuſtitia Dei eſt fides Ieſu Chriſti; ſed, per fidem? ſæpe enim hac locutione vtitur Paulus, qua videtur diſtinguere iuſtitiam a fide, quaſi fides ſit diſpoſitio quædam, per quam nobis iuſtitia datur: non autem ipſa iuſtitia. Aduerte autẽ diligenter; duplicem eſſe iuſtitiam, Vnam primam, qua homo iuſtus efficitur ex peccatore, & iniuſto. Alteram, qua iuſtus exiſtens opera iuſtitiæ facit Deo grata, & accepta, quæ dicitur ſecunda iuſtitia; ſicut Philoſophi diſtinguere ſolent in ſuis conſiderationibus actum primum, & actum ſecundum. viuit enim homo anima informante corpus, & dicitur vita prima; viuit etiam, dum opera vitæ exercet, & dicitur vita ſecunda: ita in iuſtificatione, ſeu in iuſtitia euenit. iuſtitia prima conſiſtit in remiſſione peccatorum, & in reconciliatione cum Deo, quæ fiunt per gratiam inhærentem, & communicatam; cui ergo remiſſa ſunt peccata, & reconciliatus eſt cum Deo, eius amicus & filius adoptionis factus, iuſtus eſt: qui etiam talis exiſtens opera facit, aut actus interiores virtutum exercet, iuſtus etiam eſt, & iuſtificatur iuſtitia ſecunda. Paulus de iuſtitia loquitur prima, per quam, remiſſo peccato, homo reconciliatur cum Deo. Et ad hanc aſſequendam iuſtitiam, fides, & credere in Ieſum Chriſtum, diſpoſitio eſt neceſſaria, per quam Chriſtus in eo, qui credit, iuſtitiam talem communicat.

Iuſtitia dupplex, prima & ſecunda.

Iuſtitia prima dicit remiſſionẽ peccatorum.

Exem-

Digitized by Google

Exemplum eſt ſatis accommodatum illud Num. 21. in deſerto enim a ſerpentibus puncti, & veneno affecti reſpiciẽtes in æneum ſerpentem a Moyſe erectũ, ſanabantur, hi quidem per aſpectum, & viſionem ſerpentis ſanabantur; viſio autem non erat ſanitas, qua ſani fiebant, ſed veneni abſumptio, & temperies, humorumque debita facta proportio, quam a virtute ſerpentis, qui a ſerpentibus tacti erant, recipiebant per viſionem, & aſpectum, velut per diſpoſitionem, & inſtrumentum quoddam, ſine qua non recepiſſent. Ita nunc peccatores credentes in Chriſtum, virtute ipſius iuſtificantur, quæ virtute per fidem operatur iuſtitiam in ipſis. Iuſtitia autem hæc eſt remiſſio peccatorum, & reconciliatio per inhærentem, & infuſam gratiã. fides ergo gratiæ recipiendæ eſt diſpoſitio, & organum quoddam: gratia autem expellens peccata, & reconciliationis forma exiſtens, iuſtitia ipſa prima eſt. & hoc locutio Pauli præſens, & frequenter repetita indicat, per fidem iuſtificari hominem: non tamen fides eſt pura diſpoſitio. nam introducta gratia, quæ eſt iuſtitia prima, fides eſt iuſtitia, ſeu pars iuſtitiæ ſecundæ, ſicut & actus Charitatis, & cæterarum virtutum, quæ in iuſtificando homine conueniunt. credere ergo, diligere, ſperare, pœnitere, ſecunda iuſtitia ſunt, gratia introducta; ad eam autem introducendam diſpoſitio ſunt, & inſtrumentum. inter has autem fides prima diſpoſitio eſt introducendæ gratiæ, & primæ iuſtitiæ. Differt ergo a virtutibus moralibus, & ipſarum operibus fides. eſt quidem iuſtitia ſecunda ſicut & illæ; tamen hoc habet ſupra ſe, quod ad primam iuſtitiam neceſſaria eſt diſpoſitio, & inſtrumentum, ſine qua nemo iuſtificatur. at reliquæ neceſſaria diſpoſitio non ſunt, nec inſtrumentum, & ſine earum operibus prima iuſtitia accipi poteſt.

Num. 21.

Aduertẽdum adhuc eſt, pro exacta huius rei intelligentia, quæ difficilis, & obſcura eſt, & ab Hæreticis noſtri temporis parum intellecta; quod fuit eis errandi occaſio: fidem eſſe inſtrumentum, & neceſſariam diſpoſitionem iuſtificandi peccatorem, per quam iuſtitia prima ipſi communicatur; non tamen ſolam ſufficere, nec eſſe totam, & integram diſpoſitionem neceſſariã. adhuc enim eſt cum fide neceſſaria pœnitentia peccati commiſſi, quæ ſine ſpe, & dilectione Dei non fit.

fides dicitur inſtrumẽtum & neceſſaria diſpoſitio iuſtificationis.

Obijciet nobis Hæreticus: vnde vos habetis, præter fidem eſſe aliquid aliud, quod ad iuſtitiam accipiendam ſit neceſſarium? Reſpondemus, nos habere ab ea Scriptura Sacra, a qua habemus, per fidem hominem iuſtificari. eadẽ enim Scriptura declarauit hãc ſententiam, per fidem quidem iuſtificari peccatores non omnes; ſed quos peccatorum pœnitet: qui contriti ſunt corde, & pœnitentiam habent. ita docuit Act. 3. Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra. Ecce non ſolam fidem, ſed pœnitentiam poſtulat. Et iterum cap. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquiſq. veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum. Attende hunc locum; cum enim Dominus Mar. vltimo dixerit: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, cur Apoſtoli dicunt modo; pœnitentiam agite, & non dicunt; credite? nimirum quia

Per Scripturam habemus, homines iuſtificari per fidẽ ſimul, & per pœnitentiam.

Act. 3.

Act. 2.

Marc. vlt.

præter

Iuſtificatio non ſolum fidem ſed pœnitētiam requirit.

præter fidem neceſſaria eſt pœnitentia, non enim fides iuſtificat, nec primam iuſtitiam communicat niſi pœnitentibus. Matth. 3. etiam dictum eſt a Ioanne. Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnū cælorum. ſicut ergo fides diſpoſitio eſt intellectus, ita pœnitentia diſpoſitio eſt voluntatis, per quas homo recipit iuſtitiam; merito & virtute Chriſti a Deo. & ſicut non minuitur meritum Chriſti, quamuis per fidem applicetur, ita nec minuitur etiam applicatum per pœnitētiā: vtraq. neceſſaria eſt ad primā iuſtitiā. hoc tamē in ſequentibus annotationibus magis explanabitur.

Matt. 3.

Fides dicitur diſpoſitio intellectus & pœnitentia voluntatis

Hæ igitur diſpoſitiones ſunt, per quas voluit Dominus nobis iuſtitiā primam communicare, non aliter; non quidem, quia non potuit, ſed quia noluit; ſed ſuo diuino conſilio decreuit nō ſaluare nos ſine nobis. ſicut etiam in deſerto potuit ſanare infectos a ſerpentium veneno, etiā ſine aſpectu in ſerpentē, immo etiā ſine ſerpente; noluit tamen, niſi & per ſerpentem, & per aſpectum infectorum in eum.

Aliqui has diſpoſitiones ad iuſtitiā, ſolent appellare inſtrumēta interna iuſtificationis; Conciliū tamē Tridentinum non vſum eſt ea forma loquendi, quamuis vera ſit: ſed diſpoſitiones nominauit, ſine quibus iuſtitia ex Dei decreto adulto peccatori non datur, in pœnitentia etiam ſpes, & dilectio, & aliquando timor Dei comprehenditur, & propoſitum; ſed hæc omnia diſpoſitiones ſunt, & ad perfectionem pœnitentiæ conueniunt. Hinc eſt quod aliquando Scriptura ſpei, aliquando dilectioni, aliquando pœnitentiæ tribuat iuſtitiam, ſicut & fidei: quia hæc ad iuſtitiam diſpoſitiones neceſſariæ ſunt; ſaltem ſpes, dilectio, fides, & pœnitentia. pœnitentiam autem particularius narrauimus, quia in ea ſpes, & dilectio eſt.

Conc. Trid.

Spes, dilectio, fides & pœnitētia ſunt diſpoſitiones ad iuſtitiā.

Non immerito autem aliquis percontabitur: Quare fidei potius, & frequentius Scriptura, & maxime Paulus tribuit iuſtitiam? Reſpondeo, hanc frequentiam decepiſſe Hæreticos, inferentes quæ nec Paulus nec Scriptura docuit; nempè, ſola fide iuſtificari peccatorem, & ex ſuo iudicio falſo addentes, ſolam fidem: cum Paulus per fidem nos iuſtificari, non autem per ſolam dixerit, immo contrarium inſinuauit, ſeu potius ſignificauit; ex oppoſito enim & antitheto alterum antithetum explicari ſolet. Non ex operibus, inquit, legis, ſed ex fide. fidem ergo opponit ſolis operibus legis. Quæ ergo ad opera legis non pertinent, hæc ſub fide concludit. talis eſt pœnitentia, ſpes, & dilectio, quæ circa Deum ſunt; opera enim legis erant, quibus illa præcepta exteriora complebantur.

Hæretici quare decepti per ſolam fidem.

Quod ſi Paulus præcipue fecit fidei mentionem, propter cauſas aliquas ſapientiſſime id factum eſt. Concil. Trid. ſeſ. 6. fidei iuſtitiam a Paulo tribui declarat, non quia ſola ipſa peccatorem diſponat, ſed quia ipſa eſt initium, fundamentū, & radix cæterarum diſpoſitionum. Initium quidem dicitur, quia ipſa præcedit; niſi enim peccator peccaſſe ſe contra Deum, & per Chriſtum ſibi iuſtitiam oblatam credat, nec ſperat, nec diligit, nec peccaſſe dolet; fidei ergo initium eſt. Fūdamentum autem dicitur, quia ipſi cæteræ innituntur. ablata namque fide, cætera corruunt, nec ſubſiſtere poſſunt. cæteris vero ablatis, non continuo fides deſtruitur: ſicut ablato

Conc. Trid.

Quomodo fides iuſtificet.

lato fundamento ædificium ruit, nō autem è contrario, ædificio deſtructo, fundamentum eruitur. Radix tandem dicitur, quia ad cæteras producendas ipſa concurrit, non quod neceſſario conſequantur fidē, nec quod ſola fides ſine adiutorio ſupernaturali eas inducat: ſed quod ex parte ad actus tales producendos concurrat, vna cum auxilio diuinæ gratiæ. Charitati enim proponitur per fidem Deus amandus; ſpei per fidem offertur Dei miſericordia ſperanda: Timori iuſtitia timenda; Pœnitentia peccatum, & offenſa dolore, & contritione puniēda. propter hæc ergo fidei ſæpe tribuitur iuſtitia.

Eſt etiam particularis cauſa præter has, quod fidei iuſtitia tribuitur, quia nempe in ipſa magis manifeſtatur, hominem non propria virtute, ſed Chriſti merito iuſtificari. ſicut enim in aſpectu in ſerpētem Deus poſuit ſanitatem in deſerto, quia aſpectus magis indicabat ſanari homines virtute ſerpentis, non operis alicuius proprij, aut medicinæ alicuius; ita fides oſtendit iuſtificari peccatores virtute, & merito Chriſti, in quem credentes ſalui fiunt; non propria aliqua ipſorum virtute, & merito. Ea cauſa eſt, cur fidei tribuatur maximè a Paulo, qui a iuſtificatione legis opera, & humanum meritum, aut efficaciam excludere, & in ſola Chriſti virtute, & merito collocare nitebatur: idcirco meminit fidei in Chriſtum. Hoc nec pœnitentia, nec dilectio, nec ſpes, habent. fides enim immediatius, & diſtinctius in eum fertur, cuius virtute iuſtificamur. Non tamen propterea Paulus diſpoſitiones cæteras excluſit, quas Apoſtoli, & Euangeliſtæ docuerunt. Cur S. Paulus dixerit fidem iuſtificare

Huic etiam adde aliam non minus ptincipalem cauſam, conabatur enim Paulus Gentes, & Iudæos ad fidem Chriſti trahere, & tractos in eadem confirmare; ea de cauſa fidei tribuit iuſtificationem. facile enim credentibus, & fidem recipiētibus erat perſuadere pęnitentiam, de qua non intendebat Paulus nunc agere: idcirco Apoſtoli ad fidem primo inuitabant, & exhortabantur: ſicut & Chriſtus dominus: quia nondum credebant homines, & qui credebant, eorum multi confirmatione indigebant. ſicut etiam ſolēt prædicatores, & ſcriptores, immo Scripturæ ſacræ, quando ad virtutem aliquam exhortantur; puta eleemoſinam, humilitatem, iuſtitiam, aut aliquam aliam, vitæ æternæ fructum ei tribuere, nulla alterius mētione facta; non quod cæteras excludant, ſed quod hanc neceſſariam oſtendant. ita factum eſt a prædicatoribus primis fidei, & maxime a Paulo, vbi de fide agitur; quod tanto magis de fide dicitur, quanto etiam ſuper cæteras ipſa eſt radix, & fundamentum, & initium, & quæ magis oſtendit cuius virtute iuſtificemur.

In omnes, & ſuper omnes qui credunt in eum.

POſtqnam iuſtitiæ cauſam oſtendit, nempe non legem, non legis opera, ſed fidem Chriſti, amplitudinem, et altitudinē eius exponit. Non, inquit, eſt ſicut lex quæ Iudæis ſolis data eſt:

 at iu-

at iuſtitia hæc in omnes eſt Iudæos, & Gentiles; nemo excluditur ab hac iuſtitia, quæ per fidem eſt accipienda. Super omnes etiam eſt, quia nemo ſuis viribus, nec legis operibus aſſecutus eſt, nec aſſequi vnquam potuit; gratis de cælo datur, & ſicut omnibus offertur, ita ſuper omnes eſt. opus tamen eſt in eum credere. nemini enim datur niſi credenti. tamen credere, per quod iuſtitia communicatur, etiam ſuper omnes eſt, quia nemo ſuis viribus, nec legis operibus fidem aſſequi, aut mereri potuit. ad Epheſ. *Epheſ. 2.* 2. Gratia eſtis ſaluati per fidem (& hoc non ex vobis, donum enim Dei eſt) non ex operibus, ne quis glorietur. Merito autem dixit Paulus (ſuper omnes qui credunt) ne enim diceret Iudæus; nos ſaltem aliquam diſpoſitionem attulimus ad hanc iuſtitiam, non autem Gentes; nobis ergo danda eſt, non illis: vt hoc excluderet, adiecit (In omnes eſt, & ſuper omnes.) non glorietur Iudæus per legem, quaſi ſibi deberi iuſtitiam hanc exiſtimet: ſuper omnes enim eſt, & gratis tam eis, quam Gentibus, et ſuper vires, et merita omnium oblata, et data, ob id in fide poſita eſt, non in operibus legis, ne Iudæus glorietur, et ne Gentes excludantur.

ANNOTATIO XVIII.

Theodor. Oecum. THeodoretus, & Oecumenius, illud (In omnes) ad Iudæos referunt, illud vero (ſuper omnes) ad Gentes, cuius cauſam Oecume. adfert, nimirum, quia Iudæi apud ſe, & in ſeipſis habent ſalutis cauſam, nempe Chriſtum, ideo dicitur in omnes eos: at Gentes a Iudæis crediderunt, & per eos extenſa eſt ſuper illas, ideo ſuper omnes dicitur. Hæc explicatio non eſt ad mentem Pauli, quia in iuſtificationis negotio nequaquam Iudæos præcellere Gentes docuerat, nec eſt accommodata ſequentibus verbis, vt in ipſorum expoſitione conſtabit. legitima expoſitio eſt, illud (omnes) generaliter in vtroq. loco Gentes, & Iudæos complecti, & præpoſitiones illas. (in, ſuper) varia indicare. in omnes enim iuſtitia dicitur eſſe propter vniuerſalitatem, quia omnibus offertur, & in omnes diffunditur: ſuper omnes autem dicitur, propter ſublimitatem, quia nec virtute humana, nec merito, nec lege, nec legis operibus datur, ſed gratis per fidē, quæ donum Dei eſt deſuper datū, & ita hāc partem (ſuper omnes) exponit Anſel. *Anſel.*

Non enim eſt diſtinctio; omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.

CVr Dei iuſtitia in omnes, et ſuper omnes ſit, cauſam adiungit. Non enim eſt diſtinctio inter Gentes, et Iudæos, pari

ratione

ratione ſe habent, non eſt, quod hi potius, quam illi ſe aliquo merito, aut opere iactent, quo ex ſe iuſtificentur, non ſic eſt, nam non eſt diſtinctio inter eos. non eſſe autem diſtinctionem, iterum probat cauſa adducta, Omnes enim peccauerunt, et egent gloria Dei. Duo hæc ſunt duobus ſuperioribus reſpondentia. omnes quidem peccauerunt, tam Iudæi, quam Græci: et quamuis minora peccata Iudæi prætexere poſſint, quia Deum coluerunt, tamen adhuc et ipſi peccauerunt. In omnes ergo eſt iuſtitia, quia nemo illam habebat: omnes etiam egent gloria Dei, ideſt, eorum nemo habuit vnde iuſtitiam, per quam gloriam haberet apud Deum, aſſequi poſſet; ſed peccatores erant, quia peccauerunt: et infirmi, quia non potuerunt aſſurgere ad eam gloriam, quæ eſt apud Deum, vt iuſti eſſent coram ipſo. Idcirco ſuper omnes eſt iuſtitia hæc. Pares ergo omnes Iudæi, & Gentes erant, quia omnes peccatores, omnes infirmi, nec potentes aſſequi iuſtitiam apud Deum, qua coram eo gloriam, & approbationem haberent, idcirco non eſt diſtinctio inter eos, & in omnes, & ſuper omnes iuſtitia fidei eſt.

ANNOTATIO XIX.

NEmo expoſitorum, quos viderim, hæc verba connectit, ſicut in commentario connexa ſunt, cum ea vera, & legitima cõnexio videatur. Duobus enim illis (In omnes, &, ſuper omnes) reſpondent duo (omnes peccauerunt, & egent gloria Dei) illud autem verbum (egent) Græce eſt ὑστεροῦνται, quod eſt a verbo ὑστερέω, quod eſt quaſi poſterior ſum. eſt enim verbum eorum, qui in ſtadio currentes viribus deficiẽtibus a tergo relinquuntur, nec attingere metam poſſunt. tales ſunt omnes viatores, qui ſiue per naturæ opera, ſiue per legem currant ad iuſtitiam, per quam gloriam apud Deum habeant, peruenire nõ valent; ideo ſuper omnes eſt. quod enim nemo attingit, ſuper omnes eſt, & omnes eo inferiores, & poſteriores ſunt. Aliqui vertunt, deſtituuntur. Alij, carent. Alij, egent, in ſenſum tamen eundem verba hæc tendunt. Illud autẽ (Gloria Dei) δόξης τοῦ θεοῦ varie exponunt Doctores? Theodoretus pro gratia interpretatur. Anſelmus pro gloria Dei, qua in nobis glorificatur, dum beneficia ſua nobis confert. Alij pro æterna gloria. At mihi ex eodem Paulo ſenſus ſumi poſſe videtur; in principio enim ſequẽtis capitis dicit. Si ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deũ. Hinc ſequitur, qui ex fide iuſtificatus eſt, habet gloriam apud Deum, ideſt, approbationem, qua a Deo approbatus, & iuſtus cenſetur. Hoc idem nunc dicit. Omnes carent gloria, quæ apud Deum eſt, nec eam aſſequi lege, aut viribus proprijs potuerunt; quia non peruenerunt ad eam iuſtitiam, quæ eſt apud Deũ,

Theodor.
Anſel.

& quæ apud Deum gloriam facit ; hæc enim per fidem eſt. Nec obſtat eſſe verbum Græcum καύχημα, nã idem ſignificat, quod δόξα. quod Latine dicimus gloriam. Huic expoſitioni quæ ſequuntur conſonant, & Chryſoſt. viſus eſt hoc idem ſentire, nam ſic exponit, omnes ſunt de numero, quorum non eſt gloria, ſed confuſio.

Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.

Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci quoad iuſtificationẽ, quia non pendet ex lege, ſed ex fide.

NOua ratio hæc eſt, exponens modum iuſtificationis: qua etiã probat non eſſe diſtinctionem, ſed iuſtitiam eſſe in omnes, & ſuper omnes. Eſt ergo connexio iſta: Iuſtitia Dei eſt in omnes, & ſuper omnes; non enim eſt diſtinctio inter Iudæos, & Græcos, tum quia omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, tum quia iuſtificantur, non ex lege, aut ex opere, aut ex merito, aut virtute propria, ſed gratis per Dei gratiam. non ergo eſt diſtinctio ex parte ipſorũ vlla; non ſolum quia omnes peccatores ſunt, ſed quia ipſa iuſtificatio ex gratuita pendet Dei voluntate. Idcirco ſuper omnes, & in omnes eſt iuſtitia. Quantum autem ad ſenſum pertinet, his verbis exponit Paulus modum quo iuſtificamur, & qua ratione iuſtitia fiat in nobis. cum enim prius dixerit, per fidem iuſtificari, nũc, ne quis per fidem, quaſi ex credentis merito iuſtitiam dari exiſtimaret, quod non ſic eſt, ideo explicat iuſtificari hominem per fidem ex gratia, & dono eius in quem creditur, & per redemptionem Chriſti Ieſu. Gratiam appellat, Dei gratuitum donum nobis datum; quod nos, nullis noſtris meritis, nulla noſtra virtute iuſtos facit: ideo vtrumq. coniunxit, gratis, & gratiam: Gratis, quia non ex merito, aut virtute hoc donum quo iuſti efficimur datur; ſi enim gratis tantum diceret, donum datum non exprimebatur, ita autem gratis nos iuſtificat, vt donum nobis infundat, quo iuſti ſimus formaliter, quod gratiam appellat. Aliqui gratiam, voluntatem Dei gratuitam intelligunt: ſed non id ad mentem Pauli dicitur; loquitur enim de eo, quod nos iuſtos in nobis ipſis facit, quod quidem ex gratuita voluntate Dei procedit: propterea dicitur, Per gratiam iuſtificari, ſicut per albedinem corpus dealbatur. dum autem dicit, Gratiam ipſius, & formalem, et efficientem cauſam exprimit. Deus enim eſt, qui noſtram efficit iuſtificationem, noſq. dono ſuo gratis dato iuſtos facit. Iuſtificati Græce eſt participium paſſiuum præſentis temporis, vt ſit ſenſus, Omnes egent gloria Dei, et iuſtificantur gratis per gratiam; eſt enim Hebraiſmus; participium namq. pro verbo vſurpatur, ac ſi diceret, iuſtificantur.

Deus quomodo gratis dicitur iuſtificare.

Per

Per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.

Gratia dicitur cā efficiens iuſtificationis, merita Chriſti ſunt cauſa meritoria.

CAuſa efficiente iuſtificationis expoſita, nempe Deo gratiam ſuam gratis dante, meritoriam exprimit. Per redemptionem, inquit, quæ facta eſt per Chriſtum Ieſum, ipſe ſalutis noſtræ pretium per mortem, & paſſionem ſuam Patri exhibuit, & iuſtitiam hanc nobis meruit; & merito ſuo liberationem a peccatis, & morte, ac Patri reconciliationem obtinuit: idcirco per redemptionem eius iuſtificati dicimur. Eſt autem redemptio, quæ fit captiui, ſoluto pretio liberationis. Chryſo. autem aduertit, non dictum eſſe; Emptionem; ſed, Redemptionem, quia ſeruitus antiqua erat; eramus enim omnes ſerui Dei, per peccatum autem ſerui facti peccati; per Chriſtum iterum redimimur, & ad ſeruitutem Dei reuocamur.

ANNOTATIO XX.

Epiph. EPiphan. Hære. 42. refert Marcioniſtas hoc verbo redēptionis vſos eſſe, ad probādam hæreſim ſuam, nimirum, homines non eſſe creaturam Dei; nemo enim emit, quod ſuum eſt. Vana tamen eorum eſt argumentatio, vt recte oſtendit *Orig.* Origen. hom. 6. in Exod. Omnes, inquit, eramus Dei; tamen pretio peccatorum vendidimus nos, & tradidimus Dæmoni; ideo, cum pretio ſanguinis Chriſti liberati ſumus, dicimur redimi. Verum eſt, in Scriptura aliquando verbum redēptionis reperitur, vbi pretium non *Auguſt.* eſt, vt oſtendit Aug. lib. 7. qq. in lib. Iudi. cap. 7. Et ſimiliter etiam redimendi verbum ſine pretio, pro liberatione, & redemptione etiam *Innoc.* gratioſa, vt dicit Innocen. in Pſal. 2. pœni. in illud, Exultatio mea redime me. tamen hoc in loco pretium ſignificat ſanguinis Chriſti, *1. Cor. 6.* de quo dicitur, 1. Cor. 6. Empti eſtis pretio magno. Hoc ſuppoſito, duę ſe offerunt difficultates in his proximis ſententijs Pauli. Vna eſt: nam hæc verba ſuperiora proxime expoſita videntur pugnare immediate præcedentibus, Gratis, inquit, iuſtificamur per gratiam eius. Quomodo gratis iuſtificatio eſſe poteſt, in qua pretium redemptionis interuenit? vbi redemptio eſt, pretium eſt; vbi pretium eſt, non videtur dici poſſe gratis fieri. Reſpondeo, iuſtificationem gratis dici fieri ex parte hominum; quia nullum in ſe meritum, nullam ſatisfactionem, nullum pretium habuerunt, nec habent, quibus liberarentur à peccatis. at ex parte Chriſti, non gratis facta eſt, qui ſatisfactionem exactiſſimam, & pretium ſalutis noſtræ ſufficientiſſimū Patri dedit. quod Iſaias cap. 55. *Iſa. 55.* his verbis pulchre prædixit: Omnes ſitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum, emite, & comedite; venite, emite abſq. argēto, & abſq. vlla commutatione vinum, & lac. Dices, quomodo fiet

Gratis quomodo redempti ſumus.

Digitized by Google

emptio abſq. argento, & abſq. vlla commutatione? Reſpondeo, homines nullo argento, pretio, aut commutatione propria accepiſſe lac, & vinum iuſtificationis, at pretio, & commutatione alterius acceperūt, nempe Chriſti ipſius; idcirco emere dicuntur, & ſine pretio. hoc idē reſpondemus ad ſententias haſce Pauli, per redemptionem quidem Chriſti, & pretium eius iuſtificamur, nos tamen nihil meriti, aut pretij, aut ſatisfactionis ad iuſtificationem attulimus, ideo & gratis iuſtificamur; & ſimul per redemptionem, non noſtram, ſeu a nobis factam, ſed quæ eſt in Chriſto Ieſu. Adde his etiam aliud. Deus enim nobis hoc pretiū redemptionis dedit, & diuites fecit, vt vnde ſoluere poſſemus nobis eſſet. nam filium ſuum carnem ſumere, & noſtrum fieri pretium gratis, & nullo noſtro merito effecit. Sicut, ſi creditor pauperi non habenti vnde ſolueret, ei donaret vnde ſoluere poſſet, tūc ſimul pretium eſſet, & gratis debiti remiſſio facta diceretur. ita nunc factum eſt. Deus enim pro ſua gratuita voluntate nos pauperes debitores, nec habentes in nobis vnde ſolueremus, ditiſſimos in Chriſto fecit, vt eius diuitijs poſſemus ſoluere debita, & ſalutem comparare.

Altera eſt difficultas grauior, & ex cuius ſolutione multum veritas hæc contra Hæreticos illuſtratur, & Pauli obſcuræ ſententiæ explanātur: ea autem eſt. Quomodo gratis dicitur homo iuſtificari, ſi per fidem iuſtificatur? nam neceſſe eſt hominem aliquid adferre, ſine quo non iuſtificatur, nempe credere in Chriſtum. augetur etiam difficultas, Catholicis affirmantibus debere etiā eū pęnitere; non gratis ergo videtur dari, quod per pœnitentiā, & fidem iuſtificati accipiunt. Nec euademus difficultatem; ſi dicamus donum eſſe Dei ipſam fidem, & pœnitentiam: nam quamuis dona Dei ſunt, tamen ſimul opera arbitrij ſunt: volentes enim credimus, & peccata deteſtamur per pœnitentiam. Confirmo adhuc hoc idem: certum enim eſt opera legis etiam dona Dei eſſe; ſine auxilio enim gratuito Dei non fiunt, & tamen Paulus cap. 4. ſequenti affirmat, ſi ex operibus fieret iuſtificatio, gratis non eſſe futuram. Nec eſt quod ſe Hæretici ab hac ſubtrahant difficultate: nam communis etiam ipſis eſt, fidem neceſſariam ad iuſtificationem conſentientibus. quomodo ergo, ſi neceſſarium eſt credere, gratis fit iuſtificatio, cum ex fide ſit? reſponſio etiam communis eſſe debet: nam cum Hæretici reſpondeant, etiam ſi ex fide ſit, gratis fieri. Reſpondemus nos etiam, quāuis ex fide, & pęnitentia ſit, gratis fieri. at quomodo gratis fieri poſſit intercedente diſpoſitione noſtra, id nunc explicandum eſt.

Quomodo gratis, & per fidem redempti ſumus.

Eſt autem duplex difficultatis ſolutio. Vna eſt ex doctrina Aug. Epiſt. 105. in cuius declarationem aduerte. *Auguſt.* Iuſtificationem bifariam conſiderari poſſe, vno modo ratione termini, quo completur, & perficitur iuſtificatio, nempe ipſa remiſſione peccatorum, & reconciliatione per gratiam. Altero modo ratione totius motus, quo peccator incipit a Deo iuſtificari, vſque ad finem, & complementum, incipiens a fide. diuino enim ſuo auxilio Deus corda incipit diſponere, vt credant; & credentia, vt peccata deteſtentur, & ad Deum ſe mente, & af-

Digitized by Google

fectu conuertant, ſicque conuerſis gratiam dat, qua delentur peccata, & reconciliatio fit cum Deo. Eſt exemplum in ea actione, quaignis aquam in ignem conuertit. Hæc actio, ſeu, vt ita dicam, ignitio, poteſt conſiderari, aut ratione vltimæ mutationis, qua forma ignis inducitur, expulſa aquæ formà, aut pro tota actione, qua incipit diſponere aquam ad eam mutationem, calore prius paulatim inducto: ita etiam hæc duplex conſideratio fieri poteſt in iuſtificatione: nam Deus eſt, qui ad fidem, & pœnitentiam, cæteraſq. diſpoſitiones recipiendas corda peccatorum diſponit, vt ſic diſpoſitis gratiam remiſſionis, & reconciliationis infundat. Et ergo doctrina Auguſt. in prædicta epiſtola, & in ſequent. *106.* totam iuſtificationem nullum hominis præcedere meritum, ſed gratis fieri per redemptionem Chriſti. Et ſic Paulus intelligendus eſt. Illam vero partem quæ in remiſſione, & reconciliatione conſiſtit, non fieri gratis, ſed præcedere meritum fidei, & diſpoſitionis iam a Deo introductæ; nec propterea negare debemus per gratiam fieri. nam radix meriti gratia fuit; gratis enim nobis datum eſt, vt eam mereremur per fidem, quæ donum Dei eſt. ſicut etiam, qui eſt in gratia per opera meretur, & conſequitur augmentum gratiæ; nec deſinit eſſe gratia hæc poſterior: quia vt eam mereri, & conſequi poſſemus, gratis nobis gratia data eſt. Ita dicendum videtur de iuſtificatione hac, qua parte remiſſionem, & reconciliationem ſolam ſignificat; quam præcedit diſpoſitio nobis gratis data, & per eam meremur, & impetramus gratiam remiſſionis. Hæc dixi in explicationem ſententiæ Auguſtini, iuxta quam prior reſponſio procedit.

Auguſt.

Eſt tamen poſterior ſolutio, quæ mihi magis probatur, & Scripturæ ſententijs accommodatior videtur: nempe, ipſam etiam remiſſionem peccatorum, & reconciliationem gratis dari, nullo noſtro merito præcedente; nec per fidem, aut pœnitentiam hominem mereri donum gratiæ huius. propterea in explicationem aduerte, Fidem non habere ex ſe efficaciam vllam, vt actus quidam noſter eſt, remittendi, & reconciliandi; ſed virtutem totam procedere ex obiecto ipſo; nempe Chriſto; cuius virtutem, & meritum Deus diſpoſuit per fidem in ipſum applicare peccatori ad iuſtificandum. Quod autem dico de fide, dicendum cenſeo de pœnitentia, & cæteris diſpoſitionibus, ſicut in illo exemplo ſæpe repetito de aſpicientibus ſerpentem æneum in deſerto, per ſimilitudinem factum eſt; hi enim ſanabantur per aſpectum, non quod aſpectus, qua parte actus quidam erat oculorum, talem vim ſanandi haberet, ſed efficacia erat ex ſerpente, quem ad ſanitatem Deus per Moyſem propoſuerat. ita nunc dicimus de fide, quæ non ex natura ſua, & ratione ſuæ entitatis habet remiſſionem, & reconciliationem facere, ſed quatenus per eam virtus Chriſti in credentibus talia operatur. Hoc ſuppoſito reſpondeo. Si fides, qua ratione actus quidam eſt, & ex ſe iuſtitiam faceret, gratis iuſtitia non daratur; at id non habet, ſed eſt medium quoddam ex diuino beneplacito, per quod vir-

Author.

Fides per ſe non habet vim iuſtificandi, ſed ex obiecto Chriſto.

tus Chriſti in credentibus operatur iuſtitiam, idcirco fides non tollit quin gratis detur iuſtitia. idem dico de pœnitentia, quod etiam ex parte exemplo appoſito declaro. Ego pauperi ſcutum gratis porrigo, quod ille extenſa manu à me accipit. ſi quis mihi obijceret, tu gratis non dediſti: nam & pauper manum extendit, nec acciperet niſi id faceret; ridicula profectò eſſet obiectio. extenſio enim manus non habet ex ſe ſcutum adferre extendenti. ſi enim id eſſet, quoties manum extenderet, ſcutum haberet: a virtute potius, & liberalitate dantis eſt ſcutum, quamuis illi per manuum extenſionem applicetur. ita de fide, & diſpoſitionibus dicimus, per quas virtus Chriſti, & liberalis, ac miſericors voluntas Dei, credentibus, & diſpoſitis gratiam remiſſionis, ac reconciliationis impertitur. non ergo tollitur, nec minuitur meritum Chriſti, nec gratuita Dei volũtas per hoc, quod fidem, aut diſpoſitiones haſce conſtituamus.

Nota exẽplum de gratuita iuſtificatione per fidẽ cõn. Hæreticos

Vana ergo eſt obiectio Hæreticorum contra nos, quaſi meritum Chriſti, & virtutem gratiæ minuamus; quia ad gratiam hanc recipiẽdam neceſſarias diſpoſitiones docemus; cum argumentum idem contra eos fidem ſaltem confitentes procederet, ac nos veram ſolutionem pro nobis, & pro ipſis, qua parte fidem neceſſariam ſentiunt, adhibuimus. Hoc tamen vltimo eſt aduertendum, non fuiſſe, nec eſſe haſce diſpoſitiones neceſſarias abſolute, ſed ex diuina diſpoſitione, & voluntate: potuit enim iuſtificationẽ nobis dare etiam nihil operantibus, ſicut per baptiſmum iuſtificat infantes: immo etiam ſine vllo ſacramẽto id potuit Deus efficere: noluit autem; ſed nos non ſine nobis ſaluare decreuit. Aliud ergo eſt iuſtificare nos nõ ſine actibus noſtris, aliud iuſtificare nos ex merito, & virtute actuum noſtrorum. illud verum eſt, & Catholicum; hoc autem falſum, & impium.

Tandem obijciet aliquis, Nonne, ſicut per fidem voluit iuſtitiam in nobis operari, potuiſſet etiam per opus aliquod exterius, aut per opus legis vnum, aut plura? Reſpondeo, potuiſſe quidem, tamen non id feciſſe, ne, ſi opus aliquod tale eligeret homo, virtuti operis illius, & conſequenter ſibi ipſi iuſtitiam tribueret; quod non facile in fide fieri potuit, quæ magis explicat virtutem, à qua iuſtitia procedit. ſicut potuiſſet in deſerto vel ſolo ſerpente erecto, vel quouis opere ſanare; elegit tamen aſpectum in ſerpentẽ, vt omnes cognoſcerent duo hæc, nempe, non efficacia ſuorum operũ ſanari; ſed eius virtute, qui per ſerpentem ſanabat.

Hæc doctrina eſt Pauli Epheſ. 2. cuius verba ſunt valde conſideranda, Gratia, inquit, eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis; donum enim Dei eſt, non ex operibus, ne quis glorietur, per fidem, inquit. gratuita Dei voluntas vos ſaluauit: quam quidem fidem non virtute veſtra accepiſtis, ſed ex dono Dei, non autẽ eſtis ſaluati ex operibus, ne, ſi operibus Deus vſus eſſet ad cõmunicandam ſalutem vobis, ſicut vſus eſt fide, vos gloriaremini, tribuentes ſalutem veſtrorum operũ virtuti. Vbi attende, (non ex operibus) non ſignificare non ex merito, aut virtute operum; tunc enim adiungeret, quia id fieri nõ potuit. ſed dixit, non ex operibus iuſtificati eſtis,

Epheſ. 2.

ti eſtis, ſicut ex fide, ne quis glorietur, idest: non vſus eſt Deus operibus ad iuſtificandũ, ſicut vſus eſt fide, ne ſi operibus vſus eſſet, & ad iuſtificandum elegiſſet, vos gloriaremini tribuentes iuſtitiam operum virtuti, aut merito. Hæc omnia ſunt præ oculis habenda ad verum ſenſum multarum ſententiarum Pauli aſſequendum, in quibus facile errant, qui hæc non intelligunt.

Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius.

QVæ de iuſtitia Dei, de peccatis hominum, ac de redemptione dixerat, ſequentibus ſententijs exponit, ac primo incipit à redemptione, quæ in Chriſto eſt. Quem, inquit, Deus propoſuit propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, ideſt, quem Deus conſtituit, ac exhibuit, vt deleret atque expiaret peccata credentium in eum, eoſq. Deo ipſi reconciliaret. idq. non hircorum, aut vitulorum, alienove ſanguine, ſed ſuo proprio, vt ad Hebr. 9. dictum eſt. Attende, ſanguinem, ac paſſionem Chriſti medicamentum eſſe, cuius virtute ſanitas ſpiritualis nobis confertur, iuſtitiaq. peccatis remiſſis, & reconciliatione cum Deo facta, infunditur: fidem vero eſſe medium, per quod virtus medicamenti huius in hominibus operatur. Non enim paſſionis Chriſti fructum, nec eius iuſtitiam aſſequuntur, niſi ij, qui in ipſum credunt, vt oportet. Sicut enim olim in deſerto ſerpens æneus exaltatus in ligno punctis à ſerpentibus medebatur, non omnibus, ſed ijs, qui in illum aſpiciebant; non quod aſpectus medicamentum eſſet, ſed quod virtus ſerpentis per aſpectum in eis ſanitatem operaretur; ita Chriſtus in cruce exaltatus virtutem paſsionis ſuæ in ijs exercet, qui credunt in ipſum. Ioan. 3. ſicut exaltauit Moyſes ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis: vt omnis, qui credit in eum, non pereat; ſed habeat vitam æternam. *Ioan. 3.*

ANNOTATIO XXI.

IN ſuperiori ſententia vſque ad illam (Vbi gloriatio) magna eſt obſcuritas, & difficile ſenſus percipitur, quæ mihi ad mentem Pauli, & veram intelligentiam facere viſa ſunt, in cõmentarijs aperiam: quæ Doctores ſenſerunt, referam in annotationibus cũ alijs, quæ etiam ad legitimum pertinent ſenſum. Quantum igitur ad præſentem ſententiam ſpectat, quædam ſunt conſideranda. Orig. Chryſoſt. Anſel. Primo quod ad verba ſpectat, Chryſoſt. non legit illud (per fidem) quod quidem legi debet, & ad ſenſum eſſe neceſſarium verba ſequentia demonſtrant, habeturq. in Græcis codicibus, ac Latinis omnibus, *Chryſoſt.*

& veri-

& veriſimile eſſe etiam Chryſoſt. legiſſe, licet non ſit interpretatus; non enim ſemper omnia verba ſcripta interpretatur. Ambroſius legit (propitiatorem fidei) quæ lectio in ſenſu non diſcordat à noſtra: cōmunis autem lectio eſt; per fidem. atque Græco ſermoni conſonat. Diſtinxit autem Paulus particulas (in ſanguine) & (per fidem) vt ſignificaret, non eodem modo ad noſtram iuſtitiam operandam vtrumque conuenire; ſanguis enim eſt, qui efficit, & cuius virtus operatur. fides vero medium quoddam eſt, per quod operatur in credente. Eſt autem Hebraiſmus (in ſanguine.) ſolent enim Hebræi caſui inſtrumenti præponere particulam (in.) *Ambroſ.*

Secundo notandum eſt, verbum illud (propoſuit) Græce προέθετο Ambroſium vertiſſe (diſpoſuit) accommodatius autem Vulgatus vertit (propoſuit.) Hoc verbum Origen. Chryſoſt. & Anſel. Græcam præpoſitionem conſiderantes interpretantur, prius, & ab antiquo decreuit, & ordinauit. Hanc explicationem probat Anſelmus, alteramq. adiunxit, nempe propoſuit, ideſt, in propatulo poſuit. Prior quidem harum ſic intelligi debet, vt quamuis Deus ab antiquo præordinauerit, tñ ſermo ſit de Chriſto iam exhibito; loquitur enim Paulus de re iam facta, & propitiatione exhibita, quod ad Euãgelium pertinet; quamuis enim verum ſit Deum ab æterno id decreuiſſe, & antequam fieret, myſterium reuelaſſe, & Chriſtum ſecundum carnem propitiatorem futurum multo ante per fidem demonſtraſſe, eiuſq. virtutem ad priores diffuſam fuiſſe, tamen Paulus nunc loquitur de iam exhibita propitiatione, & de Chriſto iam præſente, quem Pater exhibuit, & poſuit redemptorem omnium per fidem in ſanguine ſuo. & verbum Latinum, quo interpres vſus eſt, idipſum ſignificat.

Tertio notandum eſt, (propitiatorem, Græce ἱλαστήριον ambiguum eſſe; nam eſt in accuſandi caſu, à nomine neutri generis ſimilem habente terminationem; aut à maſculina voce ἱλαστήριος. Si ſit nomen neutrum, tunc idem ſignificat, quod propitiatoriũ. & ita exponit Theodoretus, cenſens factam eſſe alluſionem ad propitiatorium arcæ, Exod. 25. quod erat lamina aurea ſuper arcam templi, in qua reſponſa diuina dabantur; eratq. figura Chriſti, vt conſtat ad Hebr. 9. Si autem legamus in maſculino genere, idem ſignificat quod propitiator; & ita legimus communiter. Quem conſtituit Deus propitiatorem. 1. Ioan. 2. dictus eſt Chriſtus ἱλασμός, ideſt, propitiatio, omnia ad eumdem ſenſum pertinent. Exiſtimo autem dictum eſſe propitiatorem, ſeu propitiationem, propter ſacrificia, quæ pro peccatis offerebantur, & dicebantur propitiatoria, quia erãt ad placandum Deum, propitiumq. faciendum. quam veram, & perfectam propitiationem Chriſtus ſuo ſanguine fecit. *Thedor.* *Exod. 25.* *Hebr. 9.* *1. Ioan. 2.*

Quarto notandum eſt, Anſelmum dupliciter connectere hæc verba. Vno modo, vt illud (In ſanguine ipſius) referatur ad propitiatorem; ſitque ſenſus: Quem propoſuit Deus propitiatorem ipſius ſanguine, nō alieno animalium. & ſic Chryſoſt. & omnes fere coniungunt, & nos in commentario ſumus interpretati, eaq. eſt legitima expoſitio, quã Chryſoſt. & Theodore. ſecuti ſunt, ſimiliter & Ambr. Altero modo, vt connecta-

Digitized by Google

connectatur cum verbo (Fidem) ſitq. ſenſus: Propitiator eſt per fidē ſui ſanguinis, & paſſionis, ideſt, ijs qui credunt in ipſum paſſum, & mortuum. Hæc connexio eſt valde impropria. non eſt enim vſitata, hæc phraſis in Scriptura, Fides in ſanguine. Adde, quando dictum eſt (Quem propoſuit propitiatorē) non eſſe declaratum, quomodo propitiatus fuerit: nam aliquando precibus, aliquādo factis alienis Deus placatur, & fit propitius; oportuit ergo apponere verbum (In ſanguine ipſius) vt propriam propitiationem Chriſti exponeret. Eſt enim hoc poſitum verbum, vti diximus in commentario, ad differentiam eorum, qui in alieno ſanguine Deū placabant, & hoſtiam in aliena carne offerebant; at Chriſtus in ſuamet carne, & ſanguine propitiatus eſt, ſe ipſum hoſtiam, & ſacrificium faciens.

Ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ.

FInem exponit, ob quem Deus Chriſtum propitiatorem in ſanguine ipſius per fidem propoſuerit. is autem eſt, vt ſuam iuſtitiam Deus notam, & omnibus manifeſtam faceret; iuſtitia hæc ea eſt, de qua paulo ſuperius dixerat: nunc manifeſtata eſt, teſtificata autem in lege, & prophetis. & iterum, iuſtitia Dei in omnes, & ſuper omnes. nimirum qua homo iuſtificatur, iuſtuſque efficitur coram Deo. Hanc Deus oſtendit, cum Chriſtum propitiatorem in ſanguine ipſius propoſuit; eo namq. facto multa de iuſtitia hac manifeſtata ſunt. primo quidem in quo ea conſiſtat, nempe in peccatorum remiſſione, & reconciliatione cum Deo per gratiam: hæc namque ſignificat propitiatio per ſanguinem, ſanguis enim pro peccato effundebatur: propitiatio autem non fit, niſi ſit reconciliatio. Secundo oſtenditur cauſa huius iuſtitiæ meritoria, ac ſatisfactoria, nempe ſanguis & mors Chriſti, ſalutis noſtræ hæc fuerunt medicamentum, ac pretium. Tertio oſtenditur modus, ac medium, quo virtus ſanguinis applicanda ſit, vt iuſtitiam aſſequamur, nempe fides perfecta in Chriſtum. Quarto oſtenditur à quo, & per quem eſt iuſtitia petenda, & impetranda, & ſperanda, nempe à Deo per Chriſtum mediatorem. Quinto aperte excluditur lex illa ab huius iuſtitiæ conſequendæ ratione, et efficacia, et conſequenter opus humanum: hæc enim non potuerunt iuſtificare hominem, ſed ſanguis Chriſti per fidem. Ecce igitur, qualiter oſtenſio huius iuſtitiæ facta ſit, cum Deus Chriſtum per fidem propitiatorem in ſuo ſanguine propoſuit.

Attende autem verbum (oſtenſionem) non ſolam declarationem ſignificare, ſed etiam exhibitionem ſimul. nam Deus ſic oſten

dit

dit iuſtitiam ſuam, quòd eam exhibuit, nempe propoſito iam et exhibito pretio ſalutis, ac ſatisfactione in ſanguine Chriſti, à quo ortum habet iuſtitia, et fide medio ſalutis ac iuſtitiæ aſſequendæ palam prædicato omnibus. in Scriptura namq. ſæpe tale verbum in ea accipitur ſignificatione. Ioan. 10. Ideo multa bona opera oſtendi vobis à Patre meo. 2. Tim. 4. Alexander multa mala oſtendit mihi. Cætera, quæ ad perfectiorem intelligentiam ſpectant, in annotationibus ſequentibus inuenies.

ANNOTATIO XXII.

ATtende, antequam Chriſtus propoſitus eſſet per fidem propitiator in ſuo ſanguine, latuiſſe valde iuſtitiam hanc Dei, apud Gẽtes quidem, quia Deum ignorabãt, vt in cap. 1. expoſitum eſt. Apud iudæos autem, quia etiamſi Deum nouerint, tamen magna pars eorũ errabat, exiſtimans, ſe per legem illam iuſtificari, nec agnoſcens à quo erat iuſtitia quęrẽda apud Deum. quem errorem explicuit Paulus
Rom. 10. Roman. 10. Iudæi, inquit, Dei iuſtitiam ignorantes, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. & iterum. Iſrael ad legem iuſtitiæ non peruenit, quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus. Cũ igitur Chriſtus in ſuo ſanguine per fidem propitiator apparuit, manifeſtauit ipſomet opere, iuſtitiam non eſſe ex lege, tum ſuo ſanguine, tum fide. Vtrumq. argumentũ Paulus explicuit. Primo quidem de
Gal. 2. ſanguine, Gala. 2. ſi per legem, inquit, iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. quaſi diceret; ſi lex aut opus hominum iuſtificare poterat, ad quid Chriſtus pro peccatis ſuum ſanguinem fudit? profecto fruſtra mortuus eſſet, tantaq. perpeſſus eſſet pro iuſtitia hac noſtra. de fide vero Gala. 3. quoniã, inquit, nemo ex lege iuſtificatur, manifeſtum eſt; quia iuſtus ex fide viuit. quaſi diceret, ſi per fidem vitam & iuſtitiam conſequimur, igitur non facit hoc lex, nec ad hoc inducta eſt: nam fruſtra eſſet, ſi ad hoc data eſſet. Si igitur lex à Deo non potuit iuſtificare; ergo nec opus aliquod humanum. Ecce quomodo oſtenſa eſt iuſtitia Dei in ſanguine Chriſti, & fide.

Attende rurſus vnum, in quo errant Hęretici recentes, & antiqui, Cum audis, per fidem hominem aſſequi iuſtitiam, quæ efficitur virtute ſanguinis Chriſti, ne exiſtimes nihil aliud requiri ex parte hominis, non quidem quaſi id, cuius virtute iuſtificetur, ſed quaſi cuiuſdã diſpoſitionis. nam ex alijs locis Scripturæ docemur, neceſſariam eſſe pęnitentiam, & deteſtationem peccati, vt iuſtitiam dei peccator aſſequatur: hanc enim Chriſtus, & Apoſtoli prædicarunt, pęnitentiã agite. ſed Paulus meminit fidei, tum quia ipſa eſt prima ordine ex parte noſtra. nemo enim diligit, ſperat, deteſtatur peccata, niſi credat; tum quia ipſa eſt velut inſtrumentum, ſeu medium quoddam, per quod homini diſpoſito per pęnitentiam virtus paſſionis Chriſti opera-

operatur in eo iuſtitiam. Hoc nãque medium eligit Deus, quia in ipſo apparet, non opus hominis, ſed id, quod credit, operari iuſtitiam, ſicut in deſerto voluit per aſpectum ſerpentis ſanare morſibus affectos, quia ideo manifeſtabatur, non ab actu hominis, ſed à ſerpente ſanitatem cõferri. idcirco noluit per legem hanc iuſtitiam efficere, ne legis virtuti iuſtitia tribueretur, maiorem adhuc propoſitæ ſententiæ declarationem ſequens annotatio exhibet.

ANNOTATIO XXIII.

VArie Doctores hanc iuſtitiæ oſtenſionẽ exponunt: cũ enim multiplicem habeant ſenſum hæc verba in ſe, inde variæ ſunt exortę expoſitiones; tamen non omnes ad mentem Pauli in hoc loco faciunt. Primo igitur Chryſoſt. ſerm. 7. eam iuſtitiam quæ in Deo eſt, & qua ipſe iuſtus eſt, & dicitur, interpretatur, quam manifeſtatam, & oſtenſam dicit ab effectu, quia homines peccatores iuſtificauit. vt enim, inquit, vera diuitiarum oſtenſio eſt, non in hoc tantum, ſi diues ſit, ſed quod & alios diuites faciat; & vitæ, non ſolum in eo quod per ſe viuat, ſed quod mortuos viuificet; & potentiæ, non vt ipſe tantum potens ſit, ſed vt & infirmos potentes faciat: ad eundem modum & iuſtitiæ declaratio, non in hoc eſt tantũ quod iuſtus ſit, ſed quod & alios, nimirum qui in peccata inciderũt, iuſtos reddat. hæc Chryſoſt. Non ſatis accommodata videtur hęc expoſitio verbis ſequentibus, vt in eorum expoſitione conſtabit: nec in ſe ipſa eſt exacta. nam peccatores iuſtificare potius eſt miſericordiæ, & benignitatis, quam iuſtitiæ; hæc enim puniendos potius decernit.

Theodor. Secundo loco Theodoretus hanc iuſtitiam Dei ipſius interpretatur: ſic autem oſtenſam dicit, quia peccata hominum diu ſuſtinuit. mundum enim multis, ac grauibus peccatis infectum ſua bonitate, ac patientia ſuſtinuit, quæ bonitas & iuſtitia apparuit, quando Chriſtus ſuo ſanguine propitiator eſt propoſitus, quaſi ea de cauſa ſuſtinuerit Deus mundi peccata. Hæc expoſitio eiſdem argumentis refellitur.

Tertio loco, Ambroſ. hanc iuſtitiam Dei eam etiam interpretatur, qua iuſtus in ſe Deus eſt, ſed non in eo, quod iuſtos facit peccatores, oſtenſam eſſe exiſtimat, ſed in eo, quod promiſſam a peccatis liberatienem impleuit. Propoſitus ergo eſt Chriſtus propitiator per fidem in ſuo ſanguine, vt promiſſa ſalus impleatur, & iuſtus Deus, qui ſua implet promiſſa, oſtendatur, promiſſionem hanc liberationis a peccatis per Chriſtum ſexcenta teſtimonia veteris teſtãmenti continẽt. Hæc ſententia, ſeu expoſitio vera doctrina eſt. hoc tamen eam parũ accommodatam eſſe probat, quia Paulus breuiſſimis verbis magna vſus eſſet æquiuocatione; nam pręmiſit iuſtitiam Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes. cuius ſententiæ explicandæ, & comprobandæ cauſa hanc præſentem annexuit orationem, non ergo de alia iuſtitia interpretanda eſt; ſed de ea, quæ eſt per fidem, nempe de iuſtitia qua coram Deo iuſtificamur, reconciliatione facta, & peccatis remiſſis. quod argumentum etiam *Ambroſ.*

pro-

procedit cõtra primam expoſitionem; Paulus enim in hoc, & ſequentibus capitibus de tali iuſtitia loquitur.

Origen. Quarta expoſitio eſt quorumdam modernorum, quam etiam Origen. ſentire videtur, qui iuſtitiam Dei etiam eam interpretantur, qua Deus in ſe iuſtus eſt, ſed non ſicut Chryſoſt. nec ſicut Ambroſ. exponunt hanc oſtenſionem, ſed ea ratione aſſerunt, Deum ſuam iuſtitiam oſtendiſſe, quia non aliter remiſit peccata hominum, quàm pretio iuſto redemptionis accepto, non ab ipſis hominibus, ſed à Chriſto pro nobis ſatisfaciente: iuſtum ergo ſe Deus exhibuit in noſtra iuſtificatione, & liberalem, ſeu gratioſum. Iuſtitia fuit, relatione ad Chriſtum; gratia vero relatione ad nos. Vera eſt hæc doctrina, & ſuperius à nobis expoſita; tamen non poteſt his verbis accommodari: nam iuſtitia hæc, quam iſti dicunt, oſtenſa eſt in ſanguine Chriſti, non tamen in eo, quod per fidem nobis eius virtus applicatur; gratia enim eſt, quod per fidem in Chriſti ſanguine nos iuſtificemur. Paulus autem hanc oſtenſionem iuſtitiæ factam eſſe dicit, non ſolum, quia propoſitus eſt Chriſtus propitiator in ſuo ſanguine, ſed etiam, quia per fidem propoſitus eſt propitiator; non ergo de illa iuſtitia hæc verba interpretari licet.

Deus quomodo iuſtum ſe exhibet in noſtra iuſtificatione.

Quinta expoſitio eſt Aug. lib. de Spirit. & lit. cap. 13. quam ſequitur, & declarat Anſelmus. hi de iuſtitia eadem, de qua dictum eſt: Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, exponunt; nempe, non de iuſtitia, qua Deus in ſe iuſtus eſt, ſed qua nos ab ipſo iuſti efficimur. Oſtenſionem autem ſic declarat Anſelmus. Ad oſtẽſionem, inquit, iuſtitiæ ſuæ, ideſt, vt oſtenderet ſe eſſe, qui iuſtificat, ſuamq. eſſe iuſtitiam, non hominum. Hæc ſententia mihi videtur legitima ad Pauli mentem, hoc adiuncto, quod non ſolum Deus oſtendit iuſtitiam eſſe ſuam, ſed alia multa, quæ in commentario, & in annotatione præcedenti explicui.

Auguſt. Anſel. Auctor.

Propter remiſſionem præcedentium delictorum.

CAuſam exponit præcedentis ſententiæ, nimirum quare Deus ſuam voluerit iuſtitiam oſtendere. Ea autem eſt, (Propter remiſſionem præcedentium delictorum.) delicta hæc ſunt illa, de quibus paulo ante dixit, Omnes peccauerunt, tam qui in lege, quàm qui ſine lege erant; & omnes egent gloria Dei. propter hanc multitudinem, & generalitatem peccatorum, quibus omnes tenebantur, Deus voluit manifeſtam facere iuſtitiam ſuam, nempe ſanguinem Chriſti propitiatoris per fidem, vt omnes à peccatis, & à tabe, & corruptione peccatorum liberentur: & quod nec lex, nec opera legis efficere potuerunt, faciat fides in Chriſtum propitiatorem per ſuum ſanguinem; oſtenſioq. fiat omnibus qui peccauerunt, & gloria Dei egent. Remiſsio Græce πάρεσις, non condonationem

Deus propter quid voluit oſtendere iuſtitiam ſuam.

pecca-

Digitized by Google

peccatorum, ſed potius tabem,& corruptionem peccatorum ſignificat. quia peccatores, cum non habuiſſent in lege, nec in operibus legis, quo ſoluerentur, & ſanarentur, velut tabeſcentes detinebantur; venit ergo medicus,& medicinam ſalutis infirmis notam fecit, & obtulit, vt ab infirmitatibus inſanabilibus, quibus diu tenebantur, liberarentur.

ANNOTATIO XXIV.

Remiſsio quomodo accipiatur à Patribus.

Origen. *Anſel.*

Chryſoſt. *Theoph.* *Thedor.*

CIrca ſuperiorem ſententiam, & in explicatione verborum, & in connexione eſt inter Doctores varietas. Quantum igitur ad verba attinet, remiſſio Græce πάρεσιν, varie exponitur. Origen. Anſelmus,& Latini, multi etiam moderni condonationem exponũt, quam etiam verbum (remiſſio) ſignificat, vt ſit ſenſus, propter remiſſionem, & condonationem. Chryſoſt. tamen, Theophilus, & Theod. non in ea ſignificatione interpretantur; ſed pro tabe, ſeu corruptione; nam Gręcum verbum, virium, ſeu animi, ſiue corporis extenuationem, languorem, demiſſionem, tabem, corruptionemve ſignificat, cui etiam verbum Latinum (remiſſio) non diſſonat. nam ſignificat etiam virium debilitatem, & roboris extenuationem,& negligentiam quamdam. Mihi vtraque ſignificatio in eumdem ſenſum trahi poſſe videtur. nam oſtenſio hæc iuſtitiæ facta eſt,& propter tabem, & corruptionem, & largam, ac longam peccatorum dimiſſionem, & licentiam. Sicut dicimus, veniſſe medicũ propter infirmi morbum periculoſum. etiam facta eſt oſtenſio iuſtitię propter condonationem, & liberationem à peccatis pręcedentibus. ſicut etiam dicimus. Medicum veniſſe propter ſanitatem infirmi. hæ duæ locutiones in eumdem tendunt ſenſum; tamen nos priorem ſignificationem ſecuti ſumus, tum propter Græcorum interpretum auctoritatem, quibus in verborum Græcorum ſignificationibus exponendis magna debetur fides: tum etiam, quia numquam Paulus condonationem peccatorum eo nomine explicuit; ſed ἄφεσιν appellauit; quaſi ablationem quamdam: tum demum, quia ſequentibus verbis hæc ſignificatio accommodatior eſt.

Illud tamen annotandum eſt, Ambroſium, & Auguſt. lib. de ſpirit.& lit. cap. 13. legiſſe, non remiſſionem, ſed propoſitum peccatorum, quod Ambr. exponit, dicens eſſe benignam Dei voluntatem, qua voluit peccatoribus ſubuenire, de quo propoſito dicitur Eph. 1. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ. At hi Doctores legerunt in hoc loco πρόθεσιν, non autem πάρεσιν; hoc enim nomen non ſignificat propoſitum. Vera autem lectio eſt, quam hactenus expoſuimus,& quam communis, & vetus interpres eſt ſecutus. Hæc de verborum ſignificatione dicta ſint.

Ambroſ. *Auguſt.*

Epheſ. 1.

Quod autem ad connexionem, & ſenſum pertinet, Chryſ. ſic connectit, & explicat. Oſtenſam eſſe Dei iuſtitiam per corruptionem, ſeu tabem peccatorum præcedentium;

Chryſoſt.

tium; tanto enim magis eluceſcit iuſtitia Dei, quanto maiores peccatores iuſtos facit. per tabem ergo peccatorum, iuſtitia oſtenditur Dei, dum peccatores facit iuſtos. ſuperius tamen hanc iuſtitiæ interpretationem excluſimus. Alij exponunt, oſtenſam eſſe iuſtitiam hanc, vt peccata præcedentia condonationem acciperent, & iuſtificarētur homines à peccatis,& probabilis eſt expoſitio. At nos priorem illam ſignificationem retinentes ſic connectimus, & exponimus. Oſtendit Deus iuſtitiam ſuam propter multa, & diuturna peccata, quibus homines in lege, & ante legem, ſeu extra legem tenebantur, à quibus ſanari non poterant, niſi hac iuſtitia Dei, & Chriſti ſanguine oſtenſis. quod enim ignoratur, inquiri non poteſt. propter hanc ergo tabem, quam omnes ante aduentum patiebantur, oſtenſa eſt,& manifeſtata iuſtitia,vt infirmi omnes,& medicum agnoſcant, & medicina non priuētur. illa ergo præpoſitio Græca διὰ, quàm Chryſ. interpretatur, per, accommodatius vertitur,propter,propter remiſſionem: nam quando accuſandi caſui iungitur,vt in hoc loco fit,frequentius eam exercet ſignificationem. conuenit autem hæc ſententia ſic expoſita cum illa,Omnes peccauerunt,& egent gloria Dei, omnibus ergo manifeſtata eſt iuſtitia, quia omnes ea indigebant.

Iuſtitiam ſuam quō Deus oſtendat.

ANNOTATIO XXV.

ADhuc explicandum ſupereſt in hac ſententia, quæ ſint iſta delicta pręcedentia. Aliqui moderni exiſtimant eſſe peccata iuſtorum, qui fuerunt in lege, & ante legem; quæ, quamuis aliqua ex parte per fidem futuri Chriſti remitterētur, nempe,quātum ad culpam, & pęnam exteriorem, per quam purgatio fit culpæ remiſſæ, tamen non erat plena condonatio, quia detinebantur in limbo,nec ad hæreditatis æternæ poſſeſſionem admittebantur, donec Chriſtus ſuo proprio ſanguine propitiator appareret. Et hoc eſt quod nunc dicitur: Propter remiſſionem præcedentium peccatorum,quæ Deus ſuſtinebat, donec iuſtitia oſtenderetur. Iſta expoſitio veram continet doctrinam, ſed Paulino contextui non accommodatam. nec enim Paulus de his præcedentibus peccatis loquebatur; ſed de his, de quibus paulo ante dixerat: Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. propter peccatores ergo oſtenſa eſt iuſtitia, vt agnito remedio, veniant ad ſanitatem, & ſalutem accipiendam,nempe fidem Chriſti. Adde, Paulum non appellaſſe vmquam remiſſionem illam, quæ adueniente Chriſto, & ſanguinē fundente facta eſt erga priores illos iuſtos;ſed redemptionem. ad Hebr. 9. Noui, inquit, teſtamenti mediator eſt,vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis. potius ergo nunc dicendum erat, propter repromiſſionem, aut propter redemptionem præcedentium delictorum. Adde, contextui huic ſenſum talem violenter aptari. Legitima ergo expoſitio eſt, quam in commentario,& in pręcedenti

Quæ ſint delicta præcedentia, propter quæ Deus voluit ſuam oſtendere iuſtitiam.

Ad quid opus fuit oſtenſione iuſtitiæ.

Digitized by Google

denti annotatione cum antiquis expoſitoribus ſecuti ſumus, ea eſſe delicta præcedentia, quibus homines ante aduentum Chriſti tenebantur, quibusq. totus mundus implicatus erat.

Poſſet quiſpiam opponere: nonne iam ante erat iuſtitia iſta? nam fide venturi poterant iuſtificari homines, & peccatorum veniam conſequi, ad quid igitur opus fuit hac oſtenſione? Reſpondeo primo quidem, ſi fide venturi iuſtificari poterant, neceſſe ergo fuit, vt aliquando veniret; niſi enim veniret vnquam, numquam venturi fides profuiſſet. Secundo, illa fides fuit paucis nota, nam tota fere Gentilitas obſcurata erat, Iudæis autem multis ignota; putabant enim lege, non fide ſe iuſtitiam habere. opus ergo fuit vt re ipſa aliquando proponeret, vt fides præcedentium veritatem haberet, & vt etiam manifeſtaretur, ne lateret per ignorantiam hominum: nam iuſtitiam non eſſe, & iuſtitiam, etiam ſi eſſet, latere, fere æquali nocumento erat. Tertio, ea tunc fides erat velut ex priuilegio, & ex quadam Dei largitate, non autem ex ratione ſtatus in legem, aut in lege: ſi enim hi ſtatus ex ſe ſolis conſiderantur, vt Paulus conſiderat, erant quidem peccata, ſed iuſtitia fidei expectabatur, hoc eſt illud Galat. 3. Priuſquam veniret fides, concluſi eramus ſub lege in eam fidem, quæ reuelanda erat. oſtenſio autem & exhibitio iuſtitiæ huius pertinet ad ſtatum Euangelicum. Quarto, etiam illa tunc iuſtitia non erat perfecta; nam non aperiebat ianuam cæleſtem, nec illi tũc iuſti in cælum admittebantur, donec fieret hic oſtenſio iuſtitiæ per fidem in Chriſti ſanguine. Gal. 3.

Poſſet iterum quiſpiam opponere, cur oſtenſa dicitur hæc iuſtitia propter præcedentia peccata? nonne per eam iuſtitiam remittuntur peccata commiſſa poſt ſanguinem effuſum? Reſpondeo, remitti quidem, & omnium eſſe Chriſtum propitiatorem, etiam eorum, qui eum ſecuti ſunt. tamen ſenſus Pauli hic eſt. Deum iam propoſuiſſe propitiatorem, & oſtendiſſe iuſtitiam, ne detineretur nimis diu medicina, peccatis præcedentibus nimium excreſcẽtibus, quaſi diceret, aliquis præcurrit medicus propter infirmi morbum extra modum ingraueſcentem. Adde, hoc factum eſſe, vt ſignificaret Paulus, etiam peccatorum commiſſorum ante aduentum Chriſti remiſſionem per fidem, & ſanguinem eius: nam de ijs quæ ſequuntur, ſatis apertum erat.

In ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ in hoc tempore.

CONnexa ſunt hæc verba ſuperioribus, & eſt ſenſus. Oſtendit Deus iuſtitiam ſuam propter tabem peccatorum, quam Deus ſuſtinuit, & tolerauit propter huius iuſtitiæ oſtenſionem, quæ facta eſt in hoc tempore, nempe Euangelij; mundum enim non iudicauit, nec damnauit, ſed peccata hominum diu ſuſtinuit, expectans iuſtitiam, quæ manifeſtanda erat in hoc tempore, iuſtitia nempe Euangelij, quæ eſt per Chriſti fidem, vt per eam homines

Digitized by Google

ſanaret, & liberaret à peccatis; niſi enim Deus tandem ſanatum iri mundum expectaſſet, non ſuſtinuiſſet tot, ac tanta hominum peccata; hanc ergo tabem, & corruptionem ſuſtinuit propter hanc futuram iuſtitiæ ſuæ oſtenſionem, vt oſtenſa, & manifeſtata iuſtitia, qui tabe peccatorum infecti erant, eam iuſtitiam quærerent, per eam iuſtificarentur, & tandem à peccatis liberarentur. propter tabem igitur peccatorum patienter latam ab ipſo Deo expectante hanc iuſtitiæ oſtenſionem, propoſuit Chriſtum propitiatorem, nec amplius diſtulit, cum iam tabes nimium excreuiſſet, & Dei patientia hunc terminum ſibi præfixiſſet oſtenſionis iuſtitiæ. Suſtentatio Græce dicitur ἀνοχῇ quæ ſuſtinentiam, ſeu tolerantiam ſignificat, per quam Deus diſtulit mundi iudicium, & tolerauit tantam peccatorum tabem, & corruptionem, expectans hanc iuſtitiæ manifeſtationem. Attende, quamuis interpres verterit in hoc loco (ad oſtenſionem) ſicut in præcedenti; tamen diſtincta eſt præpoſitio Græca. in priori habetur (εἰς) quod Latine dicitur, in, ſeu ad oſtenſionem; at in hoc loco habetur (πρὸς) quæ etiamſi verti poſsit (ad) tamen habet aliam ſignificationem; nempe, propter, ſeu, gratia cuius. & in hunc ſenſum accepta eſt à Paulo, qui non ſine cauſa mutauit locutionem; eritque ſenſus. In ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem, ideſt, quæ facta eſt gratia, ſeu cauſa oſtenſionis iuſtitiæ ſuæ, quæ erat futura in hoc tempore; per hoc enim ſignificauit coniungendam eſſe hanc oſtenſionem cum ſuſtentatione.

Deus quare diſtulerit Chriſti incarnationem poſt peccata commiſſa præcedentia.

Vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti.

QVare Deus ſuſtinuerit tabem tantam peccatorum, hanc iuſtitiæ oſtenſionem expectans, exponit hiſce verbis Paulus. Ea autem eſt, vt Deus agnoſcatur iuſtus, ac iuſtificans eos, qui ſunt ex fide Chriſti. iuſtus quidem, quia neminem voluit iuſtificare, & liberare à peccatis, etiamſi diuturna tabes præceſſerit, non accepto pretio ſanguinis Chriſti, & facta ſatisfactione. nam ſi ſimpliciter condonaſſet, miſericors tantum, non autem iuſtus appareret in hoc: iuſtificans vero ex fide Chriſti, ideſt, agnoſcatur ſe neminem iuſtificare, niſi per fidem Chriſti, nullamq. aliam ſalutis aperuiſſe viam, quàm per fidem hanc. Hæc duo manifeſta fecit Deus in ſuſtentatione & expectatione oſtenſionis huius iuſtitiæ.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIO XXVI.

Chryſoſt. CHryſoſt. ſerm. 7. propter hoc verbum, quod modo dicitur (vt ſit ipſe iuſtus) exponendum cenſuit verbum præcedens, de iuſtitia Dei, qua iuſtus in ſe eſt, nempe ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, vt ſit ipſe, ideſt, cognoſceretur iuſtus. in hoc quod diu tolerauit tot ac tanta peccata præcedentium; non enim ſine cauſa id fecit, ſcilicet propter iuſtititiæ huius expectationem. ita etiam exponunt illi, qui præcedentem ſententiam de iuſtitia Dei exponunt, qua ipſe iuſtus eſt. Anſelmus autem, qui de iuſtitia, qua iuſtificamur, expoſuit, aliter præſentem ſententiam interpretatur; nempe, vt iuſtus ſit in ſuſtentatione *Anſel.* peccatorum, quando iudicabit, & puniet propter peccata, quia ſuſtinuit ea, vt emendarentur, fecitq. quod in ſe erat, vt à peccatis iuſtificare ſe poſſent homines. Ambroſ. autem iuxta ſuam præcedentem expoſitionem interpretatur, vt ſit iuſtus, quia ſua promiſſa impleuit. *Ambroſ.* Sed non videntur iſtæ expoſitiones ſatis accommodatæ, mihi ea videtur legitima, quæ explanata eſt in commentario; oſtenſa enim hac iuſtitia, notificatus eſt, & declaratus Deus iuſtus, qui diu ſuſtinuit peccata mundi, nolens veniam dare, nec iuſtificare, donec propitiator eſſet in ſuo ſanguine per fidem.

Vbi eſt ergo gloriatio tua? excluſa eſt.

POſtquam Paulus præcedenti ſententia declarauit iuſtitiam hanc eſſe manifeſtatam per fidem, & hanc omnibus eſſe propoſitam etiam Gentibus, peccataq. præcedentia lege ſanari non potuiſſe, ſed hanc iuſtitiæ oſtenſionem expectatam eſſe, vt per eam ſanitas conferretur; concludit, legem illam ſcriptam, qua Iudæus gloriabatur, & ſe ſuper alios efferebat, neceſſariam non eſſe; iuſtitia enim per fidem eſt, non per legem. iuſtitia etiam omnibus eſt oſtenſa, & propoſita per fidem propitiatoris in ſuo ſanguine: lex autem vni populo, & inter nationes fere minimo data fuit, & ea non ad iuſtitiam, immo quæ illis fuit occaſio ignorandi veram iuſtitiam, & quæ demonſtrabat peccatum, ſed non ſanabat, expectans iuſtitiam huius temporis per Chriſtum. (Vbi, inquit, ergo gloriatio? Particula (ergo) ex prædictis illationem indicat; reſpondet Paulus (excluſa eſt) ideſt, iam non habet locum gloriatio tua, quia ablata eſt tibi cauſa; nempe, lex ipſa, per quam iuſtitia nō eſt, ſed per fidē. Græce non habetur ſic (vbi eſt ergo gloriatio tua?) ſed, vbi ergo gloriatio. ſenſus tamen idem eſt. nam ad Iudæos hic ſermo dirigebatur, ſiue in tertia, ſiue in ſecunda perſona locutio fiat. Excluſam appellat gloriationem, propter legis Moſaicæ ceſſationem, qua illi gloriabantur, vt ex ſequentibus conſtat.

Iuſtitia non fuit data per legem, ſed per fidem in Chriſtum.

Gloriatio Iudaica excluſa eſt propter legis Moſaicæ ceſſationem.

Excluſam autem legem ex dictis concludit; quia iam eſt oſtenſio iuſtitiæ facta, quam lex expectabat, quæ communis eſt omnibus credentibus, ſiue ex Iudæis, ſiue ex Gentibus.

Per quam legem? factorum? non, ſed per legem fidei.

VT diſtinctior, & apertior fiat ſermo, vtitur Paulus interrogationibus. ſenſus autem eſt. Excluſa eſt lex, in qua gloriabatur Iudæus; non per aliam legem factorum ſimilem, ſed per legem fidei, ideſt, Euangelium Chriſti; prædicans per fidem iuſtitiam omnibus credentibus, Iudæis, & Græcis; illi enim legi non ſucceſſit lex altera eiuſdem rationis, nempe quæ facta, & opera, vmbraſq. futurorum præciperet, quibus homo non poteſt iuſtificari, ſed quæ annunciat fidem, & ea, quæ iuſtitiã Dei faciunt, & exhibent, vt omnes iuſtificari valeant. Exactiorẽ declarationem in annotat. require.

ANNOTATIO XXVII.

OBijcere aliquis huic ſuperiori ſententiæ poſſet, Euangelium etiam facta continere; nam & ſacramenta habet, quæ in factis quibuſdam conſiſtunt; ſimiliter & ſacrificium; habet etiam præcepta decalogi moralia; habet leges humanas: cur ergo non eſt lex factorum? Aug. lib. de ſpirit. & lit. cap. 13. & 14. hanc difficultatem eamdem in his verbis Pauli excitans ſic dilucidauit: legem, inquit, factorum eam eſſe, quæ non aliud, quam facta ipſa, quæ prohibet, aut præcipit, habet; nec continet aliquid, quo detur ſpiritus, & gratia ad legem ipſam ſeruandam. Talis erat lex illa Moſaica, quæ multa continebat præcepta, & opera, nullum tamen eorum ſpiritum efficere poterat, aut dare quo ea ſeruarentur. Lex autem fidei eſt, quæ, etiamſi facta contineat, tamen habet in ſe ſpiritum, & gratiam, quibus fiant, quę præcipiuntur; quo eodem ſpiritu fit remiſſio peccatorum, & reconciliatio; quæ duo ad iuſtitiam coram Deo pertinent. tale eſt Euangelium, quod, etiamſi facta contineat, habet in ſe, quo remiſſionem peccatorum, & gratiam efficiat in nobis. Et quia per fidem hic Spiritus & gratia datur, tamquam per principium, & initium quoddam, ideo lex fidei appellatur. ita Aug. reſpondet, & eſt vera doctrina, & legitima reſponſio.

August.

Euangelium quo modo dicatur lex factorum, & gratiæ.

Dicet autem aliquis: nonne Iudæis etiam data fuit fides venturi Chriſti, & per eam Spiritus hic, & iuſtitia, qua lex impleretur? Reſpondeo, datã eſſe, tamen ad legem illam non pertinebat, ſed ex quadam diuina diſpenſatione, ne remedio ſalutis carerent. quod enim ad Euangelium, & legem fidei ſpectabat, fuit illis ex parte aliqua conceſſum; nec ſolum illis, ſed etiam multis ante legẽ, & Gentibus etiã aliquibus legis tẽpore, vt ſupra oſtendimus. at fides hæc propria eſt Euangelio. Attẽde autem, Euangelium dici legẽ fidei, quia quamuis non ſolam fidem docet, & prædicat, ſed & alia multa, vti diximus, omnium tñ fundamẽtum eſt fides.

Arbitra-

Arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.

EXcluſam eſſe gloriationem ex lege factorum per fidem probat. nam homo iuſtificatur per fidem ſine operibus legis. hæc eſt concluſio Euangelica; nempe, iuſtitiam Dei dari hominibus per fidem; non virtute legis operum; propterea lex illa operum ablata eſt. Et attende, verba generalia eſſe. Iuſtificari arbitramur hominem quemcumque, ſiue Iudæum, ſiue Gentilem; homo enim naturæ nomen eſt, vt annotat Theodoret. iuſtificari autem dicitur per fidem, & non per opera legis Moſaicæ. Arbitramur Græce λογιζόμεθα, & eſt particula (ergo) ac ſi diceret, colligimus ergo, ideſt, ex præcedentibus dictis inferimus, & certum ſtabilimus, hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis. Auguſt. de ſpirit. & lit. ſine operibus legis, exponit, ideſt, ſine merito & virtute operum legis, & hoc verum eſt. tamen adhuc plus indicat Paulus; nempe, illam ceſſaſſe legem, quod paulo ſuperius diſcuſſimus, & declarauimus in illis verbis (ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt.) *Auguſt.*

An Iudæorum Deus tantum? nonne & Gentium? immo & Gentium: quoniam quidem vnus Deus eſt.

PRobat iuſtitiam generalem, & communem eſſe debere; ideo per fidem, non autem per legem. nam Deus vnus eſt omnium, Iudæorum, & Gentium: non ergo eius iuſtitia intra Iudæos concludi debuit, nec priuandæ erant Gentes, in quibus multæ ſunt nationes copioſiores Iudæis; cum enim iuſtitia ſit gratis à Deo, nec Iudæis debita, nec Gentibus; omnes enim peccauerunt; non videtur tanta Gentium multitudo excludenda à iuſtitia, quarum etiam Deus eſt creator, gubernator, & dominus, ſicut & Iudæorum.

Qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.

COnnectuntur hæc verba ſuperioribus. Vnus, inquit, eſt omniũ Deus; Gentium, & Iudæorum, qui communem facit iuſtitiam fidei omnibus, quibus etiam communis eſt Deus, & vna fide omnes iuſtificat, nempe fide Ieſu Chriſti propitiatoris ſanguine ſuo ab ipſo Deo propoſiti. Quamuis autem vna ſit fides communis, qua Iudæum, & Gentilem Deus iuſtificat, tamen quædam eſt ex parte iuſtificatorum diſtinctio. nam Iudæus ex fide, Gentilis

vero per fidem iuſtificatur. Iudæus ex fide iuſtificari dicitur, quia iam ex priuilegio, & diſpenſatione in eo inceperat fides hæc; in venturum enim credebant Iudæi, & populus Iudaicus fidelis erat: iuſtificatur ergo ex fide, ideſt, fidei mutato ſtatu, vt qui in venturum credebat, crederet adueniſſe, & hac fide iuſtificatur. Gentium autem populus, quia fere totus erat infidelis, & nulla in eo præceſsit fides, de nouo eam recipit, diciturq. per fidem iuſtificari. Talis fuit ſtatus horum, quando Euangelium prædicatum eſt, & Chriſtus aduenit: populus Iudæorum in fide venturi, Gentium vero ſine fide Dei erat: vterque per fidem Euangelicam iuſtificatur, ſed ille ex fide, hic per fidem.

Iuſtus quō ex fide dicitur iuſtificari.

ANNOTATIO XXVIII.

Auguſt.

AVguſtinus lib. de ſpirit. & lit. cap. 29. idem dicit ſignificari in hoc loco. Ex fide, & per fidem, & confirmare poſſumus hanc Auguſtini doctrinam illo Galat. 3. Ex fide, inquit, iuſtificat Gentes. fateor Iudæos, & Gentes iuſtificari per fidem, & ex fide, & locutiones haſce communes eſſe Paulo; tamen quando vtramque ſimul coniunxit, & vnam vni, alteram alteri tribuit, non videtur veriſimile idem voluiſſe ſignificare; potuiſſet enim dicere: Iuſtificans circumciſionem, & præputium per fidem, aut etiam ex fide. voluit ergo diſtinctionem facere, ne Iudæum fidelem cum Gentili infideli confunderet. Dicit ergo Iudæum ex fide, & præputium per fidem; vt ſtatum vtriuſque diſtingueret, communem tamen præſentem Euangelij iuſtitiam faceret. Hanc ſignificationē ſuperius etiam retinuit cap. 1. dum de Iudæis loquens dixit: Reuelatur enim in eo iuſtitia Dei ex fide in fidem.

Legem ergo deſtruimus per fidem? abſit, ſed legem ſtatuimus.

OBiectionem incidentem ſoluit; ſi enim per fidem excluſa eſt lex, & ex operibus eius non iuſtificatur homo, ſed ex fide, & hæc communis eſt Iudæis, & Gentibus; Euangelium ergo, & lex fidei deſtruit legem factorum præcedentem à Deo datam. Reſpondet Paulus, negatq. hoc eſſe deſtruere legem, ſed potius confirmare. ſicut qui promiſit ſe aliquid facturum, aut daturum, quando implet, ceſſat quidem promiſsio, & excluditur, quia iam impletum eſt promiſſum. hoc tamen non eſt deſtruere promiſſionem, ſed confirmare. deſtruere eſſet, ſi tempore aduenienente implendi promiſſa non implerentur, aut qui fecit promiſsionem eam

Per Euangeliū lex non eſt deſtructa, ſed confirmata.

retra-

Digitized by Google

retractaret; ita lex illa vmbra erat futurorum, promiſsionesq. & venturorum myſteria continebat, fidei iuſtitiam communem pronunciabat, quæ à lege, & Prophetis teſtificata eſt. Euangelium autem omnium horum continet veritatem, & complementum. non ergo per ipſum lex deſtruitur, ſed confirmatur, & magis ſtatuitur; non quod maneant illæ vmbræ, & facta, ſed quod ſignificata eorum aduenerint, & completa ſint; ſic enim ipſa lex firmatur. Idem eſt ſenſus Domini verborum, Matth. 5. Non *Matt. 5.* veni ſoluere legem, ſed implere.

ANNOTATIO XXIX.

Auguſt. AVguſtinus lib. de ſpirit. & lit. cap. 30. exponit ſententiam Pauli, legem nempe per fidem ſtatui, quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur. Verum quidem hoc eſt, tamen non videtur menti Pauli accommodatum; loquebatur enim de lege Moſaica, quæ non manet in Euangelio, vimque ſuam, & obligationem per legem fidei amiſit. non erat ergo cur diceret, per fidem ſtatui legem, quaſi implere, & cuſtodire oporteret legem illam; tunc enim Iudæis tantum eſſet fides prædicanda, non Gentibus, qui erant ſine lege, ſi fides ſtatuit legem. Senſus ergo accommodatus, & legitimus is eſt: legem ſtatui, & confirmari, quia quæ lex illa ſignificabat, & promittebat, per Euangelium, quod fidem appellat, completa ſunt. Ex quo ſequitur, iam non eſſe neceſſariam illam legem; promiſſionis enim obligatio, & figura futuri ceſſant, nec amplius ſunt neceſſaria, quando quod promiſſum, & adumbratum, ac figuratum eſt, aduenit.

Digitized by Google

CAPVT QVARTVM.

QVid ergo dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem? Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo: & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, reputabitur fides eius ad iuſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei. Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iuſtitiam ſine operibus: Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Beatitudo ergo hæc in circumciſione tantum manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiam. Quomodo ergo reputata eſt, in circumciſione, an in præputio? Non in circumciſione, ſed in præputio. Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio: vt ſit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iuſtitiam: & ſit pater circumciſionis, non ijs tantum, qui ſunt ex circumciſione, ſed & ijs, qui ſectantur veſtigia fidei, quae eſt in praeputio patris noſtri Abrahae. Non enim per legem promiſſio Abrahae, aut ſemini eius, vt heres eſſet mundi, ſed per iuſtitiam fidei. Si enim qui ex lege, heredes ſunt, exinanita eſt fides, abolita eſt promiſsio. Lex enim iram operatur. Vbi enim non eſt lex: nec praeuaricatio. Ideo ex fide, vt ſecundum gratiam firma ſit promiſsio omni ſemini, non ei, qui ex lege eſt ſolum, ſed & ei, qui ex fide eſt Abrahae, qui pater eſt omnium noſtrum (ſicut ſcriptum eſt: Quia patrem multarum gentium poſui te) ante Deum, cui credidit, qui viuificat mortuos, & vocat ea, quae non ſunt, tamquam ea quae ſunt. qui contra ſpem in ſpem credidit, vt fieret pater multarum gentium, ſecundum quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen tuum. Et non infirmatus eſt fide, nec conſiderauit corpus ſuum emortuum, cum iam fere centum eſſet annorum, & emortuam vuluam Sarae. In repromiſsione etiam Dei non haeſitauit diffidentia: ſed conſortatus eſt fide, dans gloriam Deo: pleniſſime ſciens, quia quaecumque promiſit, potens eſt & facere. Ideo & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Non eſt autem ſcriptum tan-

tum

tum propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad iuſtitiam: ſed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum a mortuis, qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.

ANNOTATIO. I.

Chryſoſt.

Iuſtitia quomodo ex fide, nō ex operibus.

QVa ratione caput hoc ſuperioribus connectatur inquiſitione dignum eſt: nam ad legitimam intelligentiam eorum quæ dicuntur, eius rei elucidatio valde eſt neceſſaria. Chryſoſt. ſer. 8. ſic connectēdum exiſtimat. cum enim Paulus vltimis verbis præcedentis capitis docuerit, ex fide, non autem ex operibus legis hominem iuſtificari, contendit nunc oſtendere hāc ſalutem, & iuſtitiam non turpem, ſed illuſtrem eſſe, maiorisq. gloriæ cauſam, quam eam quæ ex operibus eſt; idq. exemplo Abraham Iudæorum Patriarchæ confirmat, qui non ex operibus, ſed ex fide iuſtificatus eſt. cuius quidem iuſtitia glorioſa fuit. Hæc connexio Chryſoſt. non videtur ſatis accommodata: nam Paulus adhuc perſeuerat in eodem argumento; ex fide eſſe iuſtitiam, non ex operibus legis. cū enim perſuadere Iudæis id difficile eſſet, multis vtitur rationibus, vt id efficiat. eſſet autem diuertere ab inſtituto, probare eſſe illuſtrem iuſtificationem ex fide, cum adhuc ſtabiliendum eſſet, ex fide iuſtitiam eſſe, non autem ex lege.

Anſel. Anſelmus aliter connectit; nempe vt Paulus quæſtionem de circūciſione reuocet, proberq. ex ea non eſſe iuſtitiam; & hoc in ipſo primo circumciſionis auctore Abrahamo, qui non ex circumciſione iuſtificatus eſt. Placet quibuſdam modernis hæc connexio; in principio enim, inquiunt, capitis tertij dictum erat: Quid amplius Iudæo, aut quæ vtilitas circumciſionis? priorem quæſtionem aſſerunt ſolutam de Iudæo; nunc poſteriorē de circumciſione ſolui affirmant. Sed hæc connexio improbabilis eſt: tū quia in eo capite vtraq. ſoluta fuit quæſtio, & de circumciſione, & præputio multa ſunt dicta, & inuicem collata, vt ſuſtineri hæc modernorum aſſertio de non ſoluta poſteriori dubitatione, ſeu quæſtione non valeat: tum etiam, quia in hoc capite generaliter loquitur de operibus Paulus. diminuta enim eſſet doctrina, niſi oſtenderet generaliter, ex operibus non eſſe iuſtitiam. non enim ſequebatur iuſtitiam non ex operibus, ſed ex fide eſſe, ſi tantum contenderet non eſſe ex circūciſione. Argumentum ergo Pauli generale eſt, Abraham non eſſe ex operibus vllis iuſtificatum, ſed ex fide.

Origenes aliter connectit, & ea eſt vera, & legitima connexio, quā Oecume. & Aug. in præfatione Pſal. 31. ſequuntur. ea autem eſt; cum enim vltimis præcedentis capitis verbis duas diſtinxerit leges, factorum, & fidei: ac ex operibus legis neminem iuſtificari, ſed ex fide docuerit; hanc doctrinam [illegible] confirmare exēplis ex Scriptura ſumptis proſequitur, vt omnino ſit omnibus perſuaſum, ex fide eſſe iuſtitiam. In hoc autem recte ponderauit *Origen.* *Oecum.* *Aug.*

Digitized by Google

rauit exemplum Chryſoſt. nam proponitur Abraham, qui habuit opera, & fidem, & tamen ex fide, non ex operibus dicitur iuſtificatus; quod maximo eſt argumento, ex operibus non eſſe iuſtitiam. ſi enim Abraham opera non habuiſſet, aut non tam illuſtria, reſponderi poſſet, ideo ex fide iuſtitiam illius fuiſſe, quia opera non habuit; aut ſi habuit, egregia non fuerunt. at cum vtrũque habuerit, & iuſtitia adhuc illi ex fide, non ex operibus tribuatur, videtur ſatis efficaciter colligi, non eſſe ex operibus iuſtitia. quod qualiter intelligendum ſit, & in capite tertio ſuperiori ſatis expreſſimus, & adhuc paulo inferius magis declarabimus. Hæc de connexione dicta ſint; ex qua argumentum, & materia huius quarti capitis manifeſta euadunt.

Quid ergo dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem?

Hominem non iuſtificari ex operibus, ſed ex fide.

ARgumentum eſt Pauli, probans, ex operibus non iuſtificari hominem, ſed ex fide. probat autem exemplo Abrahæ, qui Patriarcha Iudæorum erat, & quo patræ Iudæi multum gloriabantur, & cui plurimum tribuebant, a quo circumciſio habuit initium. Eſt autem ſenſus hic; Si ex operibus iuſtitia eſt, quam ergo iuſtitiam Abraham inueniſſe dicemus? profecto paruam, & nihil eximij habentem, & tamen certiſſimum eſt, ipſum eximiam habuiſſe iuſtitiam. Particula (ergo) illationem tacitam ſignificat ex oppoſita aſſertione; nimirum, ſi ex operibus iuſtitia eſt, ergo Abraham nihil conſecutus eſt eximium, nec iuſtitiam adeptus eſt perfectam. Appellat patrem noſtrum ſecundum carnem, quia Iudæus natione cum Iudæis loquebatur; ſimul etiam vt indicaret eſſe patrem etiam Gentium ſecundum ſpiritum. Verbum (inueniſſe) poſitum eſt pro eo, quod eſt adeptum, ſeu aſſecutum eſſe: ſicut illud Luc. 1. Inueniſti gratiam apud Deum. habet autem emphaſim quandam (Patrem noſtrum:) inducit enim Iudæos ad magnifice ſentiendum de Abraham, qui primus, & inſignis fuit parens; ac ſi diceret: Ille parens primus noſter, cuius iuſtitia ſine dubitatione noſtras omnes ſuperauit. Similem emphaſim habet verbum (inueniſſe) quaſi diceret. Qui patriam & domum, ac cognationem reliquit obediens Deo; qui tot ſubijt peregrinationes, & labores, quid poſt hæc obtinuit, ſi iuſtitiam operum ſolam habuit? profecto parum, aut nihil. Eandem habet verbum (dicemus) communem hanc cauſam faciens ipſis Iudæis, qui Abraham magnificabant, et eius excellentiam defendere tenebantur, quam ſuſtinere non poſſent, ſi iuſtificatum ex operibus eum affirmarent. Hic eſt ſenſus legitimus, cætera annotatio dabit.

Abraham cur pater dictus eſt.

Luc. 1.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIO II.

Theodor. SVperior ſententia varie exponitur. Primo loco Theodoret. in hunc ſenſum interpretatur. Quã iuſtitiam ex operibus habuiſſe Abraham, antequam crederet, audiuimus? nullam. Huic interpretationi obuiat particula illationis (ergo:) ex præcedentibus enim nõ recte deducitur. *Oecumen.* Secũdo loco Oecumenius interpretatur ſic: Quam iuſtitiam inueniſſe dicemus Abraham? ex operibus, an ex fide? Huic etiam interpretationi particula (ergo) obſiſtit. Tertio loco moderni aliqui hoc modo interpretantur: Si ex fide eſt iuſtitia, quid ergo dicemus inueniſſe Abraham ex circumciſione, & operibus legis? profecto nihil. putant enim eſſe obiectionem nomine Iudæorum. Sed ſequentia verba hãc expoſitionem non admittunt. cauſam enim continent: Si enim, inquit, ex operibus eſſent, non ergo iſta ſententia nomine Iudæorum impugnantium iuſtitiam ex fide, dicta ſunt, ſed nomine Pauli, & Iudæorum, probantium iuſtitiam ex fide, & impugnantium iuſtitiam ex operibus. & in hoc recte ſenſerunt duæ priores expoſitiones; Paulus enim Iudæos in ſui cõſortium ſermonis aduocat, tanquam cauſa hæc communis ſit, nempe Abrahæ defenſio.

Abraham an iuſtificatus ex fide vel ex operibus.

Author. Expoſitio igitur accommodatiſſima ſequentibus, & præcedentibus ea eſt, vt Paulus probet, Abraham ex operibus non eſſe iuſtificatum; illatio autem fiat ex aſſertione oppoſita: quaſi diceret; Si ita non eſt vt dixi, & iuſtificatur homo ex operibus; ergo nihil eximium Abrahã inueniſſe, aut adeptum eſſe, dicere compellemur, quod tamen dicere Iudæis nefas eſt. Hoc verbis ſequentibus probat. Vtitur autem interrogatione, quia efficacior eſt modus argumentandi, impellens aduerſarios ad reſponſionem veritatis. Hæc de interpretatione.

Supereſt autem illud (ſecundum carnem) quod varie connectitur, & exponitur. *Chryſoſt.* Chryſo. ſerm. 8. connectit cum illo (Patrem noſtrum ſecundum cãrnem) vt generationẽ carnalem Abrahæ diſtinguat a ſpirituali; & vt etiam cum Iudæis ſe loqui ſignificet. *Oecumen.* Idem Oecumenius ſentit, adnotans eſſe hiperbaton, ideſt, verborum tranſmutationem. nam Græce eſt poſt verbum illud inueniſſe, ſic; Quid ergo dicemus Abraham patrem noſtrum inueniſſe ſecundum carnem? Hanc eandẽ noſter interpres ſecutus videtur, qui Latinam reddens verſionẽ verbum tranſmutauit, dicens, Inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem: Latinus enim ſermo raro hoc hiperbaton admittit. *Theod.* Secundo loco Theodoret. connectit cũ verbo (inueniſſe) & exponit pro operibus legis; quæ ſecundum carnem dicuntur, quia corpore exercentur, vt ſit ſenſus: Quid ergo Abraham pater noſter inuenit ſecundum carnem, ideſt, ex operibus legis. *Ambroſ. Theodor.* Tertio loco Ambroſ. connectit quidem ſicut & Theodor. ſed (ſecundum carnem) interpretatur circumciſionem; vt ſit ſenſus: Quid ex circumciſione adeptus eſt? *Anſel.* Anſelmus omnes has tres complexus eſt expoſitiones. *Author.* Mihi autem legitima videtur prima: tum quia nõ de ſola circumciſione ſermo eſt, ſed

Digitized by Google

ſed de operibus vniuerſaliter; tum quia opera legis prius non carnem, ſed opera appellauerat; nec obſcuraſſet ſententiam in argumento ita difficili, & intra paucisſima verba: tum demum, quia paulo inferius aliam generationem Abrahæ, quæ ſpiritualis eſt, diſtinxit; ob id præmiſit hanc carnalem. Adde, ſenſui legitimo, quem ſecuti ſumus, hanc interpretationem eſſe accommodatam.

Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.

Abraham ex fide iuſtificatus, non ex operibus, quomodo intelligendum.

ILlationem probat; eſt autem ſenſus hic. Si Abraham non aliã habuit iuſtitiam, quam quæ ex operibus eſt, gloriam quidem habet, ſed non apud Deum. Cum autem gloria quæcumq., quæ apud Deum non eſt, parua ſit, profecto non fuit eximia iuſtitia Abrahæ, ex operibus iuſtificari, cum iuſtitia hæc non afferat gloriã apud Deum, ſed ſolum apud homines. Particula (enim) cauſam indicat præcedentis illationis factæ; nempe, ſi ex operibus iuſtificatur homo, Abraham non videtur aliquid eximium inueniſſe, cum non ſit aſſecutus id, vnde gloriam apud Deum habeat. opera enim non aliam iuſtitiam conferunt homini quam eam, vnde ab hominibus probari, & apud eos gloriam conſequi poſſit. Gloriam, quæ Græce dicitur καύχημα, appellat bonam, & illuſtrem approbationem, quæ habetur de aliquo. qui enim ab hominibus probatur, factaq. eius recta, & illuſtria cenſentur, & prædicantur, apud homines gloriam habet; qui vero Deo placet, & approbatus eſt, apud Deum gloriam habet. gloria hæc eſt illa, de qua dicitur. 1. Cor. 10. Non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt. approbatio ergo illuſtris, & præclara, gloria dicitur.

ANNOTATIO III.

Καύχημα cenſent aliqui vertendum, gloriationem; exponũtque: Habet gloriationem, ideſt, habet vnde ſe iactet, aut vnde glorietur. Mihi hæc expoſitio modernorum non placet. non enim vera eſſet aſſertio talis; habet ſcilicet vnde glorietur. non enim homo habet vnde glorietur in ſe, docente Paulo 1. Cor. 4. Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? non ergo haberet Abraham vnde gloriaretur, etiamſi ex operibus iuſtificatus eſſet. nam etiam opera, & omnia, a Deo accepta ſunt. Senſus ergo legitimus eſt; Habet gloriam, ideſt, vnde laudari, & probari, ac magnificari ab hominibus poſſit. Oecumen. exponit, Habet gloriam in ſe ipſo. Nec eſt hoc nomen idem cum illo, quo ſuperius eſt vſus:

1. Cor. 4.

Oecum.

Digitized by Google

vſus: vbi eſt gloria tua? ideſt, qua gloriabaris, & te iactabas; hoc enim eſt καύχησις: quod Paulus pro gloriatione frequẽter accipit; quod etiam vſurpatur pro iactantia, aut gloriatione propria. at καύχημα idem fere quod laus, aut approbatio ſignificat, ſeu idem quod gloria.

Iuſtitia quotuplex ſit. Quantum autem ad ſenſum pertinet, attende; triplicem eſſe probitatem, ſeu iuſtitiam; nempe, falſam; veram, ſed imperfectam; veram, & perfectam. Iuſtitia falſa eſt ea, quam alicui homines tribuunt, probantes, & laudantes tanquam iuſtum, cum re vera iuſtus non ſit; vel quam ipſe ſibi homo falſo tribuit, aut per iactantiam, aut per errorem. de qua Luc. 16. *Luc. 16.* Vos eſtis qui iuſtificatis vos ipſos coram hominibus; Deus autem nouit corda veſtra. & Iſa. 5. *Iſa. 5.* Iuſtificatis impium pro muneribus. Iuſtitia vera ſed imperfecta eſt, quæ eſt ex obſeruãtia legum, & præceptorum etiam naturalium, tamen citra fidem; nã ſine fide, & ſine gratia, opera aliqua moralia fieri poſſunt, quæ iuſtitiã aliquam habent; quia iuſtum eſt quod fit ſine in humanis legibus, ſiue in naturalibus implendis; quamuis omnia impleri nequeant ſine fide, & gratia. de qua iuſtitia dicitur Matth. 6. *Matt. 6.* Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam Scribarum, & Phariſæorum. nimirum iuſtitia quæ eſt ex legis obſeruantia pura, & ad Rom. 10. *Rom. 10.* Suam iuſtitiã ſtatuere quærentes. hæc iuſtitia, quæ ex legis, ſiue naturalis, ſiue cæremonialis, ſiue iudicialis obſeruantia eſt, eſt vera iuſtitia, & appellatur iuſtitia operum; ſed eſt imperfecta, quia hominem a peccato liberare non valet; nec Deo reconciliare poteſt. hæc iuſtitia quia vera eſt, gloriam habet; ſed quia peccata non remittit, nec Deo gratum hominẽ facit, apud Deum gloriam non habet. Illa ergo eſt iuſtitia vera, & perfecta, quæ peccata remittit, & Deo reconciliat. *Iuſtitia vera & perfecta quæ ſit.* & hæc eſt per fidem, quę per dilectionem operatur: de qua dicitur Gala. 5. *Gal. 5.* Apud Deũ neq. circumciſio, neq. præputium aliquid valet, ſed fides quæ per dilectionem operatur: ideſt, nulla iuſtitia operum legis moralis quæ in præputio eſſe poteſt, nec iuſtitia Iudaicæ legis, quæ eſt in circumciſione, & alijs legibus, poteſt hominem a peccato ſoluere, & Deo gratum efficere; ſed ſola fides quæ per dilectionem operatur, hæc eſt per quã homo habet gloriam apud Deum, Senſus ergo Pauli manifeſtus eſt: nimirum, ſi non aliam habuit Abraham iuſtitiam, niſi quæ ex operibus legis eſt, profecto parum eximij habuit; quia gloria eius apud homines eſſe potuit, quia aliqua iuſtitia eſt; ſed non apud Deum, quia imperfecta eſt, & a peccato non liberat, nec recõciliat Deo. hoc enim fides efficit, ſicut Scriptura dicit; Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.

Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.

PRobat Paulus, ſi ex operibus eſſet iuſtificatus, apud Deum non habuiſſet gloriam. id autem teſtimoniõ Scripturæ oſtendit. Scriptu-

Digitized by Google

Scriptura enim iuſtificatum ex fide coram Deo docet. non ergo iuſtitiam coram Deo, nec gloriam habuit ex operibus, ſed ex fide; & ſi non aliam habuiſſet iuſtitiam quam quæ ex operibus eſt, vtique coram Deo iuſtus non eſſet. per fidem enim apud Deum iuſtificatus dicitur, & fuit. Particula (enim) cauſam reddit præcedentis ſententiæ, nempe, cur apud Deum gloriam non habuiſſet, nec iuſtitiam, ſi non aliam quam quæ ex operibus eſt iuſtitiam adeptus eſset. cauſa autem ea eſt, quia apud Deum iuſtitiam fide non operibus conſecutum eſse Scriptura aperuit. Eſt autem teſti-
Geneſ. 15. monium Gen. 15. Cætera in annotationibus ſequentibus require.

ANNOTATIO IIII.

Orig. VAriant Doctores in connectēda, & exponenda hac ſententia. Origenes, cui moderni aliqui conſentiunt, hanc cum ſuperiori ſic exponit, & coniungit ſententiam: ſupplendum enim exiſtimat in ſuperiori ſententia totum hoc: vt ſit argumentatio talis. Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum; at Abraham habet gloriā apud Deū, ergo non ex operibus iuſtificatus eſt. priorem partem expreſſit Paulus; aſſumptionem vero, ſeu poſteriorem partem, cenſet Origenes eſſe ſupplendam. eſt enim argumentum ab oppoſito cōſequentis ad oppoſitum antecedentis; his autem verbis præſentibus ex teſtimonio Scripturæ probat Paulus quod non expreſſerat; nimirum, gloriam habuiſſe apud Deum; quod eſt oppoſitum antecedentis. probat ergo Paulus in hac ſententia ex Scripturæ teſtimonio, quod apud Deum gloriam habuerit.

Abraham non ex ſola fide iuſtificatus.

Sed mihi tota iſta argumentatio parum accommodata videtur, & ad ſenſum legitimum non facit. Paulus enim non probat his verbis, Abraham gloriam habuiſſe apud Deum, ſed fide eſſe iuſtificatum, & habuiſſe gloriam apud Deum, vt conſtet eum habuiſſe iuſtitiam aliā præter operum iuſtitiam, & hanc apud Deum eſſe, non ex operibus, ſed ex fide.

August. in præfatione. Pſal. 31. conſentit in tota illa argumētatione ſupplenda, tamen hæc verba connectit, non vt probent Abrahā habuiſſe iuſtitiam apud Deum, ſed vt, poſtquam concluſit Paulus, ex operibus non eſſe Abraham iuſtificatum, oſtendat nunc vnde ſit iuſtificatus apud Deum, Scripturam proferens, quæ fide iuſtitiam apud Deum aſſecutū eſſe declaret. Huic tamen connexioni obſtat particula cauſalis (enim) ſuperflua enim eſſet, ſi is eſſet ſenſus. *Auguſt.*

Mihi legitima connexio, & ſenſus videntur, ſi ita exponamus, vt cauſam reddat nunc Paulus antecedentis ſententiæ, quæ erat; Si non aliā iuſtitiam quam quæ ex operibus eſt Abraham habuiſſet, iuſtus, & glorioſus apud Deum non fuiſſet. ſubiungit cauſam, quia Scriptura iuſtitiam hanc ex fide aſſecutum fuiſſe *Author.*

Digitized by Google

fuiſſe docet: ſi ergo fides non eſſet, & opera habuiſſet, apud Deum iuſtus non fuiſſet, fides ergo eſt, non opera quæ iuſtificat apud Deum. Abraham autem iuſtum eſſe apud Deum, probatione apud Iudæos nõ indigebat; nec Paulus id probare voluit, quia omnibus notum erat, & ex teſtimonio etiam allegato idẽ conſtabat, a Paulo ergo propoſitum eſt ob cauſam propoſitam. & hic eſt legitimus ſententiæ, & contextus huius ſenſus.

ANNOTATIO V.

Tria adhuc in hoc teſtimonio citato aduertenda occurrunt. Primum eſt, in Hebræo legi huiuſmodi teſtimonium ſic. Credidit Abraham Deo, & reputauit illam, nẽpe fidem, ei iuſtitiam. eſt enim verbum (reputauit, ſeu imputauit) in voce actiua, cum affixo fœminino, referens fidem Abrahę, vnde aliqui Hebræi referunt ad Abraham, vt ſit ſenſus, Credidit Abraham Deo, & ipſe Abraham reputauit ſibi fidem eam in iuſtitiam. iuſtum enim reputauit ſe feciſſe, dum Deo credidit. Tamen non ad Abraham, ſed ad Deum referri debere Paulus, & Iacobus Apoſtoli docuerunt, ideo verterunt in voce paſſiua; ſequentes verſionem Septuagin. Reputatum eſt ei ad iuſtitiam, nempe a Deo, & veritas ſenſus ipſius id confirmat. non enim ipſius Abrahæ erat fidem reputare, & acceptare ſibi in iuſtitiam, ſed Dei. Tertul. lib. de patientia refert ad Abraham verbum in paſſiua ſignificatione, nempe, Credidit Abraham Deo, & iuſtitiæ deputatus ab illo eſt, at Paulus non Abraham, ſed fidem eius in iuſtitiam reputatam illi eſſe dicit. ita etiam legit Irenaeus; addens ad maiorẽ expreſſionem a quo ſit reputata lib. 4. cap. 13. Deputatum, inquit, eſt illi ad iuſtitiam a Domino. Non improbabiliter autem dici poſſet, Septuagin. & Apoſtolos hos habuiſſe textum Hebræum ſine punctis. tunc enim verbum in actiua, & in paſſiua voce legi poteſt, eædem enim ſunt literę, nec legerunt cum affixo illo. ה. ſed ſine affixo, & tunc verſio eſt, reputatum eſt illi iuſtitia, ſeu in iuſtitiam. ſi enim affixũ legiſſent, vtiq. vertiſſent illud. quod ſi legamus affixum, tunc in ſola actiua ſignificatione legi debet. nã paſſiua non habet affixum, tunc autem dicendum eſt, ſenſum, non verba ſeruaſſe Septuagin. & Apoſtolos. hæc de primo.

[Margin: Abrahæ quomodo credulitas ad iuſtitiã reputata eſt. — Tertul. — Iren.]

Secundum autem difficilius eſt. nam vel loquitur Paulus de prima iuſtitia, qua homo ex peccatore fit iuſtus, aut de ſecunda, qua iuſtus fit iuſtior per augumẽtum iuſtitię; ſi de prima loquatur, teſtimonium citatum non videtur fauere ipſi, nec ad rem facere: nam quando hæc verba dicta ſunt de Abraham Gen. 15. iam ipſe iuſtus erat, & Deo gratus, quod ipſemet Paulus ad Hebr. 11. teſtatus eſt, dicens: Fide, inquit, qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem. iam ergo crediderat Abraham, & obediuerat Gen. 12. quando iuſſus egredi de patria credens Deo exiuit; & conſequenter per fidem iuſtificatus erat. Adde etiam iam dictum fuiſſe ei, in ipſo omnes gentes benedicendas, idipſumq. crediderat: iam ſacrificia

[Margin: Abraham credendo num primam vel ſecundam iuſtitiam conſecutus ſit. — Gen. 15. — Hebr. 11. — Geneſ. 12.]

Deo

Deo obtulerat. non ergo de prima iuſtitia videtur intelligẽdum quod poſtea dictum eſt Gen. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei in iuſtitiam. Quod ſi de ſecunda Paulus loquitur, tunc falſa eſt eius aſſertio; nã opera nõ excluduntur a iuſtificatione ſecunda; immo etiam ex operibus Abraham iuſtificatus eſt, idq. docet Iacobus cap. 2. oſtẽdens, Abraham non ex ſola fide, ſed etiam ex operibus iuſtificatum. Hæc difficultas non in ſolo Paulo eſt, ſed etiam in ipſa Scriptura Geneſis. nam ſi ante crediderat Abraham, & fide iuſtificatus erat, cur in hoc loco dicitur credidiſſe, & reputatum eſſe illi in iuſtitiam, quaſi ante non credidiſſet, nec iuſtificatus a peccato eſſet? Ab hac difficultate nec Hæretici liberantur, dicentes hoc in loco credidiſſe promiſſionibus in Chriſtum implendis; & ideo fidem in iuſtitiam reputatam eſſe: nam negare non poſſunt iam prius Abraham iuſtificatum, & credidiſſe quando egreſſus eſt ad vocẽ Dei; & quando meruit audire, in eo omnes gentes terræ eſſe benedicendas. Aliqui moderni Catholici reſpondẽt, hoc teſtimonium Geneſis de iuſtitia ſecunda procedere; tunc enim non fuit Abraham primo iuſtificatus, ſed iuſtitia eius aucta eſt actu fidei huius; tamen quia opera, quæ ad ſecundam iuſtitiam pertinent, ex fide procedunt tamquam ex radice, aliterq. ad iuſtitiam non faciunt, propterea Paulus hoc vtitur teſtimonio, ad probandum primã iuſtitiam ex fide eſſe. Iſta reſponſio difficultatem non euacuat. Si enim teſtimonium allegatum de ſecunda iuſtitia intelligitur, efficacia argumenti Pauli minuitur; nam Iudæus diceret, poſtquam operibus iuſtificatus eſt Abraham, fide etiam auxiſſe iuſtitiam, non tamen fidem ipſam præcipuam, & primam iuſtitiam eſſe. Adde, verba ſequentia non accommodantur huic expoſitioni: nam Paulus teſtimonium allegatum de prima explicat iuſtitia. Præterea etiam, quia potius eſſet confirmare errorem aſſerentium, fide ſola etiam ſecundam haberi iuſtitiam, non operibus: nam Abraham etiam ſecundam iuſtitiam ex fide habuiſſe dictus eſt. Præterea, mens Pauli eſt oſtendere, Abraham non ex operibus eſſe iuſtificatum, ſed ex fide, vt nos etiam eodem modo iuſtificari doceat. ita enim prędixerat, ſi ex operibus, inquit, iuſtificatus eſt, non habet gloriã apud Deum; ſtatim teſtimonium adfert, probans, non operibus, ſed fide iuſtificatum apud Deum. Adde, Iacobum cap. 2. ita declaraſſe; nam dicit: Et reputatum eſt in iuſtitiã, & amicus Dei factus eſt. hoc vltimum verbum (amicus Dei factus eſt) eſt ipſius Iacobi; non enim habetur in Geneſi. quo declarat quid ſit, reputatum illi fuiſſe in iuſtitiã, id autem eſt, amicum Dei eſſe factum, & appellatum; ſecunda iuſtitia non amicum, ſed gratiorem amicum fecit. ergo de prima iuſtitia neceſſe eſt intelligere hoc teſtimonium, ſicut & Paulus intellexit, & antiqui Patres etiam intellexerunt. Vera ergo difficultatis ſolutio aliunde petenda eſt, per quam & quod difficultatis eſt nõn ſolũ in Paulo, ſed etiã in Scriptura Geneſis, vt ante diximus, aperte explanatur.

Geneſ. 15 *Iacob. 2.* *Iacob. 2.*

Aduerte igitur, ſententiam hanc a Moyſe prolatam (Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei in iuſtitiam) non eſſe referendam tantum ad promiſſionem tunc a Deo

illi

illi factam; ſed ad omnia præcedentia ſimul. cum enim iam multa de Abraham, & de promiſſionibus a Deo factis, & de operibus ipſius Abrahæ narraſſet, ne quis Deo gratum eſſe, aut iuſtitiam apud Deum habuiſſe ex operibus arbitratus eſſet; declarauit Moyſes vnde fuerit apud Deum iuſtificatus, & ex peccatore & impio, Deo reconciliatus: ex fide, inquit, quia credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi in iuſtitiam. merito autem non ſtatim Moyſes id dixit, quando primo credidit Abraham, ſed narrauit prius præter fidem opera multa inſignia; & tunc protulit fide iuſtificatum. ſic enim manifeſtū faciebat, non operum virtute, ſed fide iuſtificatum eſſe coram Deo, quia credidit, & id reputatum eſt ei in iuſtitiam. Verba ergo de prima iuſtificatione intelligenda ſunt; ſed non ſunt referenda ad ſolam promiſſionem immediate præcedentem, ſed ad omnia præcedentia, per quæ expreſſit Moyſes, narratis operibus Abrahæ, & fide, non ex operibus, ſed ex fide iuſtificatum, nec præceſſiſſe opera, ſed fidem, per quam ſunt poſtea opera facta.

Theodor. Theodoret. videtur hanc expoſitionem inſinuaſſe; & re vera iſta eſt legitima reſponſio, & vera doctrina.

Obijciet aliquis; cur non expectauit Moyſes perfectam narrationem omnium operum Abrahæ; nempe, quando iuſſus eſt filium ſacrificare, idq. exequi prompte voluit, niſi ab Angelo impeditus eſſet? Reſpondeo: conſulto factum id eſſe, vt in hoc loco Geneſ. 15. fidem eius manifeſtaret, quia tunc habuit promiſſionem de Chriſto venturo ex eius ſemine, quod antea non fuerat expreſſum, ſed tantum tacite inſinuatum. vt ergo Moyſes ſignificaret fidem non quamcunque, ſed venturi Chriſti redemptoris iuſtitiam præſtare, quamuis prius cōfuſam, & indiſtinctam habuerit Abraham, propterea, quando eius notitia aperta facta eſt, meminit fide eſſe iuſtificatum: ſimul etiam, vt per hoc oſtenderet, futurum Abraham patrem Iudæorum, & Gentium ſecundum ſpiritum; nempe imitantium eius fidem, quam habuit de Chriſto. Illis autem verbis Geneſ. 15. Abraham promiſſionem de Chriſto futuro ex ſemine ſuo cognouiſſe, idq. credidiſſe, Doctores omnes conſentientes docent, ea igitur de cauſa Moyſes tunc fidei eius meminit, tamen iam antea Abraham id, quamuis confuſe, & indiſtincte, quia expreſsā nondum habuerat promiſſionem, crediderat, eaque fide iuſtificatus erat. Ex hac doctrina propoſita difficultas explanata eſt.

Tertium circa idem teſtimoniū aduertendum eſt, qua ratione hæc Pauli doctrina cōſentiat illi Iacobi. 2. Abrahā, inquit, Pater noſter nonne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens filium ſuum ſuper altare? vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ſuppleta eſt Scriptura dicens; Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam, & amicus Dei factus eſt. hæc Iacobus. Quomodo igitur Paulus hoc teſtimonio probat, fide, non operibus iuſtificatum eſſe Abraham? Hanc difficultatem præcedenti capite explanauimus: nunc autem iterum dicimus cum Aug. in præfatione Pſal. 31. Iacobum loqui de operibus ſequentibus fidem, & iuſtificationem primam;

Abraham non tantū ex fide ſed ex operibus iuſtificatus.

Pſal. 31.

Digitized by Google

ex quibus homo iuſtificatur, quia iuſtior efficitur, & prima conſeruatur iuſtitia, at Paulus de præcedentibus fidem, & de prima iuſtitia, quæ non operum virtute, ſed fidei fit. Verba autem ipſa Iacobi id ipſum indicant; inquit enim, vides quantum fides cooperatur operibus illius. Rurſus exemplum ponit de immolatione filij, quæ narrata eſt, poſtquam iam dictum fuerat credidiſſe Abraham, fidemq. eius reputatam eſſe in iuſtitiam. Longe ergo aliud eſt quod Paulus docet, ac id, quod Iacobus ſcripſit, diuerſaq. ſunt, non contraria dogmata.

Notandum autem eſt verbum Iacobi (ſuppleta eſt Scriptura dicens, credidit Abraham Deo &c.) ſuppletam dicit Scripturam, ideſt, Scriptura illis verbis (Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt in iuſtitiam) ſolam iuſtitiam Abrahæ qua ex peccatore iuſtus factus eſt narrauit. at ne totam iuſtitiam in ſola fide ſine operibus conſtitui arbitraremur, propterea proſecuta eſt narrare opera, vt ſignificaret Abraham, & fidem, & opera ex fide habuiſſe, & ex vtriſq. iuſtitiam habuiſſe: ſupplere ergo Scripturã, eſt complere narrationem totam, quæ non comprehenſa eſt illis verbis Scripturæ, verba ergo hæc (Credidit Abraham Deo &c.) iuſtitiã primam exponunt, quæ non ex operibus fuit, ſed ex fide, & hoc eſt quod Paulus docet. Vnum adhuc exponendum ſupereſt, nempe, quid ſit (ad iuſtitiam reputari) tamen id verbis ſequentibus explicabitur, in quibus idem Paulus repetit.

Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum; ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui iuſtificat impium, fides eius reputatur ad iuſtitiam.

TOta hæc ſententia eſt confirmatio ex teſtimonio citato, ſumpta, ad probandum Abraham non ex operibus, ſed ex fide iuſtificatum: ſimul etiam declaratur idem teſtimonium. rari autem hunc locum intellexerunt. Pro cuius expoſitione attende, Paulum alludere ad verba Geneſis. 15. vbi hoc teſtimonium habetur; ibi enim dixiſſe fertur Dominus ad Abraham; Ego merces tua magna nimis. Abrahæ autem dicenti, quid dabis mihi qui liberos non habeo, reſpondit Dominus promittens ſemen de vtero eius; ſtatim dicitur: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Quibus quidem verbis oſtendit Moyſes, Abraham fide hac obtinuiſſe iuſtitiam, ad promiſſam mercedem recipiendam. Inquit ergo modo Paulus, ponderans, mercedem iſtam datam non eſſe ob iuſtitiam operum, ſed propter fidem, & eſt ſenſus: Operanti, ideſt, quando ex operibus iuſtitia eſt, tunc mer-

Geneſ. 15

Abraham quomodo ex fide iuſtificatus intelliga-tur.

ces non reputatur ſecundum gratiam, ideſt, gratioſa, ſeu ex gratia facta, ſed ſecundum debitum; debetur enim operanti merces. quando autem non ex operum iuſtitia merces eſt, tunc gratia præcedit, per quam prius datur iuſtitia, vt per eam merces poſtea detur. nam fides deputatur ad iuſtitiam; non autem deputata eſset fides in iuſtitiam, ſi operibus ineſset iuſtitia. cum ergo Abraham, & fidem, & opera habuerit, & ad mercedem recipiendam dictum ſit, fidem in iuſtitiam reputatam, argumentum eſt, ex operibus non habuiſse iuſtitiam ad talem mercedem, ſed ex fide. ideo enim fides eius reputata fuit illi in iuſtitiam, vt mercedem mereretur. iuſtitia enim, quæ ex fide eſt, non datur niſi non operanti, ideſt ei, cuius opora non potuerunt ei iuſtitiam præſtare ad mercedem. Hic eſt ſenſus legitimus. Appellat ergo Paulus operantem eum, qui ex operibus habet iuſtitiam, & meritum; non operantem autem, eum qui non habet ex operibus iuſtitiam. hic ſi credat in eum, qui iuſtificat impium, fides eius reputatur in iuſtitiam, ideſt, per fidem accipit iuſtitiam, vt mercedem recipiat. ſi autem ex operibus iuſtitiam habuiſset coram Deo, vtiq. non erat cur fides in iuſtitiam reputaretur: quia in ſe ſuis operibus iuſtitiam haberet. cum igitur Abrahæ merces ſit promiſsa, & fides in iuſtitiam reputata fuerit, ad hanc accipiendam mercedem, argumentum eſt, ex operibus non habuiſſe iuſtitiam, ſed ex fide: iuſtitia enim quæ ex fide eſt, gratis datur a Deo: propterea merces dicitur ſecundum gratiam dari. at iuſtitia operum ab ipſo homine operante eſt: propterea merces quæ datur ex operibus, ſecundum debitum dari dicitur. in annotatione autem hoc ipſum magis explanabitur.

Operans quis proprie dicatur.

ANNOTATIO VI.

Quę fuerit merces credulitatis Abrahę.

PRo exactiori intelligentia præcedentis ſententiæ aduertendum eſt, mercedem illam promiſſam Abrahæ fuiſſe beatitudinem æternam, in qua Deus ipſe datur videndus, & fruendus. Sunt autem notandæ eo in loco duæ promiſſiones. Vna eſt hæc modo expoſita de mercede, quæ ipſe Deus eſt, altera de mediatore Chriſto, per quē merces hæc erat aſſequenda, ac ſi diceret Dominus Abrahæ, Ego ſum merces tua, & ego dabo tibi de ſemine tuo eum, per quem mercedem hanc aſſequeris. credidit vtrumq. Abraham, & ſtatim addidit Moyſes, fidem hanc, qua credidit in Deum miſſurum Chriſtum, & per eum homines iuſtificaturum vt mercedem reciperent, iuſtifica-

tum eſſe; nec operibus ſuis meruiſſe, habuiſſeue iuſtitiam ad mercedem, ſed fide hac, quam prius etiam habuerat, ſed implicitam, modo autem explicitam; quæ quidem promiſſio mercedis, & ſalutis per Chriſtum omnibus credentibus facta eſt in ipſo Abraham. Paulus ergo ex his, quæ in eo loco ſignificantur, argumentum ſumit efficax tale; ſi ex operibus ſuis Abraham iuſtitiam habuiſſet, vtiq. merces illa ex debito ei imputata eſſet, & annumerata, non ex gratia; at cum non ſit ex debito, ſed ex fide reputata, & accepta in iuſtitiam, qua quidem fide credidit Deo iuſtificanti impiũ per mediatorem Chriſtum, argumentum eſt, non ex operibus iuſtificatum eſſe. nam ijs, qui non ex operibus habent iuſtitiam, fides reputatur in iuſtitiam; ſi enim ex operibus iuſtitiam habuiſſet Abraham, iam illi debebatur merces; non erat ergo cur fide in iuſtitiam reputata indigeret.

Aduertendum adhuc eſt, mercedem dari quidem ex iuſtitia; dicitur enim corona iuſtitiæ 2. Thim. 4. tamen dicitur dari ſecundum gratiam, & non ex debito, quia iuſtitia, quæ præcedit in homine ad mercedem, gratis datur homini; iuſtificatur enim peccator, & iuſtitiam accipit, & meritum ad mercedem gratis; quando autem ex operibus iuſtitia eſt, tunc merces non poteſt dici gratis, ſeu ſecundũ gratiã dari; quia iuſtitia operum, quæ præcedit, gratis non eſt data, ſed ipſe homo ſuis operibus acquiſiuit.

2. Tim. 2.

Aduertendum etiam eſt vnum, in quo Hæretici noſtri temporis nimis cæcutiunt, non excludi opera quæ ex fide, & dilectione procedunt a merito; nec Paulus quicquam de his tradit: nam ſermo eſt de prima iuſtitia, qua homo fit iuſtus, & ex iuſtitia hac merces ei deputãda eſt: hanc ex operibus nemo habet, ſed ex fide, quæ gratis datur, & per quã iuſtitia fit ad mercedem recipiendam. opera quæ ex fide hac ſequũtur, non faciunt iuſtum, nec dant nouam iuſtitiam ad mercedem, ſed iuſtitiam augent ſimul, & meritum maioris mercedis habent, quod ex fide ipſa viua, a qua procedunt, procedit; de qua re nihil Paulus tractat nunc; qui de prima iuſtitia, qua ex impio fit pius homo, differit; quam non ex operibus habet, ſed ex fide, & gratis; ideo merces dicitur ſecundum gratiam, quia fides eius reputatur in iuſtitiam, quam ex operibus non poterat habere. Dicitur autem fides in eum, qui iuſtificat impiũ; quia fides mediatoris Chriſti, per quem iuſtificatio eſt, ad iuſtitiam eſt neceſſaria. hoc enim eſt credere in eum, qui iuſtificat impiũ, quamuis non fuerit ante aduentum Chriſti ſemper neceſſaria fides explicita Chriſti. Dicitur autem Deus iuſtificare impium, quia iuſtitiam ei dat, per quam iuſtus fiat, impietate remiſſa: non autem quod impium in iudicio ſuo tanquam pium probet, & abſoluat, vt faciunt iniqui iudices; quod alienum a Deo eſt. ſicut medicus dicitur quidem ſanum facere infirmum, non quidem aſſerendo infirmum eſſe ſanum, ſed ei ſanitatem conferendo, per quam, infirmitate depulſa, ſanus euadat.

Nota quomodo Abrahã primam gratiam conſecutus ſit.

ANNO-

ANNOTATIO VII.

Cur Paulus dixerit fidem reputari ad iuſtitiam.

ADhuc tamen pro completa,& exacta expoſitione præcedentis ſententiæ examinandum eſt: cur Paulus dixerit fidem reputari in iuſtitiam, ſicut & Moyſes ipſe dixerat; & non dictum eſt, fidem eſſe iuſtitiam,aut in iuſtitiam. Pro cuius declaratione attende maxime, verbum Græcum λογίζω, quod apud Hebræos eſt חשב multa ſignificare; nempe cogito,exiſtimo,æſtimo, reputo, imputo, numero: ex quibus ſignificatis duo ad rem præſentem facere videntur, nempe imputandi, & reputandi. his enim verbis duobus interpres noſter eſt vſus, ſunt autem longe diuerſa hæc duo reputare,& imputare. reputatur id quod tale non eſt,ac ſi tale eſſet: vt conſtat ex nume. 18. vbi ſermo eſt de oblatione primitiuorum,& dicitur, Reputabitur vobis in oblationem primitiuorum. clarum eſt, illam oblationem non fuiſſe primitiuorum; reputanda tamen dicitur in talem,quia a Deo acceptanda erat ac ſi talis eſſet. Imputare autem eſt commodi, vel incommodi alicuius cauſam in aliquem reijcere, ac ſi ille talis rei auctor eſſet.ſic ad Philemonem dicit Paulus, ſi aliquid tibi nocuit, aut debet, mihi imputa. in hac ſignificatione accipitur in illo Pſalmi paulo inferius citati: Beatus vir cui nõ imputabit Dominus peccatum. hoc autem in loco Geneſis potius verbum illud reputare, quam imputare ſignificat: fides enim eſt quæ reputatur in iuſtitiam. Non quod fides ipſa fiat iuſtitia, quæ ex ſe non erat; ſed fides, quæ ex natura ſua, quatenus actus hominis eſt, non eſt iuſtitia, nec vim habet ad communicandum iuſtitiam: accipitur tamẽ & acceptatur a Deo ad iuſtitiam, nempe vt per eam communicetur iuſtitia, qua iuſtus fiat homo coram Deo. verbum vero imputandi non facile accommodatur: tunc enim potius dicendum eſſet; (credidit Abraham Deo, & imputauit illi iuſtitiam, aut imputata eſt illi iuſtitia, at non ſic dicitur,ſed, Credidit, & reputatum eſt illi in iuſtitiam. Longe ergo aliud eſt, aliquem actũ eſſe in iuſtitiam, & eſſe a Deo reputatum in iuſtitiam; actus tunc eſt iuſtitia,aut in iuſtitiam, quando ex ſe ipſo, & ex natura ſua actus eſt iuſtitiæ, & iuſtum facit eum qui talẽ habet actum; ſicut alienum reſtituere in iuſtitiam eſt, quia reſtitutio eſt ex ſe actus iuſtitiæ, & eum qui reſtituit iuſtum facit; nempe, quando ſimiles actus frequentantur. vnus enim ſolus actus non facit ſimpliciter iuſtum hominem. Actus autem reputari dicitur in iuſtitiam,quando ex ſe talis non eſt, nec inducit iuſtitiam ex natura ſua, ſed quia à Deo acceptatur ac ſi eſſet actus iuſtitiæ, aut à Deo aſſumitur, vt iuſtitiam per eum faciat, & communicet. ſicut Pſal. 105. quando Phinees occidit illos duos fornicarios, dicitur occiſio reputata in iuſtitiam, quia actus ille ex ſe iuſtitia non erat; non enim homini priuato licebat occidere. at quia ex zelo, inſtinctuq. diuino magno id fecit, dicitur in iuſtitiam reputatus. Non ſic fides reputata dicitur in iuſtitiam, quaſi ipſa ſit iuſtitia effecta, ſed quòd inducat iuſtitiam in hominem coram Deo, non qua

Num. 18.

Nota differentiam inter imputare, & reputare.

Digitized by Google

parte actus hominis eſt; tunc enim ex operibus eſſet gratia. nam credere opus quoddam eſt; ſed ex diuina voluntate, quia ita voluit, vt per fidem iuſtitia homini daretur, & virtus Chriſti in quem creditur per ipſam communicaretur credenti, hoc eſt fidem reputari in iuſtitiam coram Deo. ſicut in deſerto aſpectus in ſerpentem in medicinam reputabatur, quia per eum ſanitas dabatur aſpicientibus ſerpentem æneum, non quod aſpectus ſanitas eſſet, aut ex ſe, qua parte actus potentiæ ſenſitiuæ eſt, id faceret, ſed ex diuino beneplacito. Hinc ſenſus Pauli comprehenditur; fidem enim reputari in iuſtitiam, eſt, fidem, quæ ex ſe iuſtitia non eſt, nec iuſtitiam facit, a Deo ad iuſtitiam cõmunicandã quatenus gratia ac charitate per Spiritum ſanctum diffuſſa formaliter conſiſtit, acceptari: quod quidem eſt per fidem gratis, ſeu ſecundum Dei gratiam iuſtificari, non ex virtute operis humani. Oportet ergo attente legamus, & conſideremus verba Pauli. aliud enim eſt reputari (ſecundum) aliud vero reputari (in, vel ad). reputatur fides in iuſtitiam, ſed ſecundum gratiam, præpoſitio (in) indicat terminum in quem fides acceptatur. præpoſitio (ſecundum) ſignificat cauſam, & principium, nempe, quia id ex gratia, & dono fit. Hinc facile deprehenditur modernorum Hæreticorum error ex verbo iſto colligentium, & deducentium, in nobis non eſſe vllam iuſtitiam datam, qua iuſti ſimus, ſed a iuſtitia Chriſti iuſtos denominari. in quo falluntur aperte: nam reputare fidem ad iuſtitiam, eſt facere, vt per fidem iuſtitia communicetur, quam fides ex ſe, & vt actus hominis eſt, non potuiſſet dare; ſicut aſpectum ſerpentis reputare in medicinam ad ſanitatem, non eſt, quod ſanitas non detur accipienti, ſed quod aſpectus ex ſua natura non habet vnde eam det, niſi ex diuino beneplacito. *Quid ſit reputari fidem ad iuſtitiam cõn. Hæreticos.*

Secundum propoſitum gratiæ Dei.

NE quis dubitaret fidem reputari in iuſtitiam, non ex debito, ſed ex gratia, & liberalitate: propterea adiecit Paulus, ſecundum propoſitum gratiæ Dei. ideſt, fides hæc in iuſtitiam reputata eſt, non ex vllo debito, ſed ex propoſito, & voluntate Dei gratioſa, & liberali: quia ita fuit Deo beneplacitum, vt per fidem hanc, ſuam homini communicaret iuſtitiam. Hinc factum eſt, vt quamuis per fidem ſit iuſtitia gratis, tamen iuſtificetur homo credens. Et attende, non dici ſecundum gratiam, ſed ſecundum propoſitum gratiæ, ideſt, decretum quo decreuit Deus gratis homines iuſtificare per fidem Chriſti: ne autem humana gratia putaretur additum eſt, Dei.

ANNO-

ANNOTATIO VIII.

GRæci textus non habent hæc verba proxime expoſita, nec Orig. Chryſoſt. Theodoret. legerunt; tamen re vera ſunt verba Pauli, & ad textus veritatem pertinent, quæ habentur in duobus textibus antiquiſſimis manu ſcriptis, quæ ego vidi, & exponuntur ab Ambroſio, Primaſio, & Anſelmo, noſtra etiam Latina verſio antiquiſſima, ſine dubitatione vlla, ſortita eſt exẽplar, in quo ita legebatur. Adde etiam, ſenſum imperfectum & mutilum eſſe, ſi hæc verba demas. nam fides reputata dicitur in iuſtitiam; inexplicatum autem manebat hactenus, an id ex debito, an ex gratia foret: nam aliud eſt reputari aliquid tale, aliud ex debito, vel ex gratia reputari: nam paulo ſuperius dixerat; Merces reputatur, non ſecundum gratiam, ſed ſecundum iuſtitiam: commune ergo eſt reputari aliquid gratiæ, aut debito; propterea neceſſe erat exponere, fidem reputari in iuſtitiam, non ex debito vllo, ſed ex gratia; ideoq. adiecit (ſecundum propoſitum gratiæ) vt reſponderet *illis* verbis ſuperioribus; operanti mercedem imputari, ſeu reputari ſecundum debitum, non ſecundum gratiam; at fides in iuſtitiam reputatur credenti, non ex debito, ſed ex propoſito gratiæ, iuſtificatur enim homo a Deo quidem, & hoc gratis, non ex debito. poſſet enim Iudæus proteruus dicere, fidem fuiſſe reputatam in iuſtitiam Abrahæ propter opera eius, quibus hoc meruit. vt fide iuſtitiam conſequi mereretur a Deo. neceſſe ergo fuit exponere, fide fuiſſe iuſtificatum, & id gratis, non ex debito vllo, ſed ſecundum propoſitum gratiæ Dei. Legenda igitur ſunt huiuſmodi verba. Quod ſi Græci citati prætermiſerunt, id exiſtimo factum, aut quia ſenſum apertum eorum videntes non expoſuerunt, ideo aliquibus viſum eſt, eos non legiſſe in textu ea verba; aut forſan factum eſt, quia ſententiæ præcedentis ſenſum breuiter attigerunt, nec admodum proſecuti ſunt perfectam intelligentiam.

Origen. Chryſoſt. Theodor.

Ambroſ. Primaſ. Anſel.

nota differentiã inter reputari ad iuſtitiam ex debito, vel ex gratia.

Abraham quare ex fide, non ex operibus iuſtificatus.

Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iuſtitiam ſine operibus.

QVod Moyſis teſtimonio de Abraham, qui fuit ante legem, probauerat, hoc idem teſtimonio Dauid, ex his quæ in lege ſunt, confirmat; nimirum iuſtitiam non ex operibus dari a Deo, ſed per reputationem ex gratia factam, vti iam dictum eſt. Connectuntur autem verba hæc præcedentibus ſic. Moyſes iuſtitiam Abrahæ non ex operibus, ſed ex gratiæ reputatione, per quam Deus iuſtitiam reputauit illi, eſſe docuit; ſicut etiam Dauid, qui iuſtitiam hominis confitetur,

Digitized by Google

ideſt, docet eum hominem iuſtum & beatum, cui Deus iuſtitiam reputat, non autem qui ex operibus proprijs iuſtus eſt, ideſt, qui gratis a Deo iuſtificatur, non autem qui ex operibus proprijs iuſtitiam ſolam habet. Beatitudinem appellat iuſtitiam: illud autem (Accepto fert) idem eſt verbum Græce cum eo quod ſuperius dictum eſt, Reputatur fides in iuſtitiam, ac ſi diceret; beatitudinem hominis dicit, cui Deus reputat iuſtitiam, non virtute operum, ſed ex propria gratia. Hæc ſententia in teſtimonij ipſius expoſitione magis declarabitur.

ANNOTATIO. XI.

EX hoc loco Hæretici noſtri temporis colligunt, non eſſe iuſtitiam vllam homini inhærentẽ, qua iuſtus in ſe formaliter ſit, ſed a iuſtitia Chriſti dici, & appellari iuſtum, quam dicunt, per fidem, velut per manum, ſeu inſtrumentum quoddam apprehendi. non ergo iuſtum, aut iuſtificatum cenſent hominem eo, quod vlla in eo ſit facta iuſtitia propria, & inhærens, ſed eo quod a Chriſti iuſtitia denominetur, & appelletur iuſtus, quæ ei per fidem applicatur. Ab eadem ergo iuſtitia, quæ Chriſti eſt, omnes formaliter iuſtos appellari cenſent. hanc dicunt iuſtitiam imputatam. hoc etiam accepto ferre, ſeu imputare iuſtitiam exponunt. At veritas Catholica longe alia eſt, quæ definitur Concil. Trident. ſeſ. 6. can. 10. & 11. & cap. 7. quam nos breuiter proponemus. Aduerte ergo, ſicut beatitudo venturi ſeculi ſe habet, ita proportione quadam beatitudo ſeculi huius, quæ iuſtitia eſt, procedit: beati illi non appellantur beati a beatitudine, quæ eſt in ipſo Deo formaliter, ſed ab ea, quæ ab ipſo Deo ſingulis beatis communicatur: vident enim Deum, & fruũtur Deo proprijs viſionibus, & fruitionibus a Deo datis, & ab his beatitudinibus formaliter beati dicuntur, vt Ioan. 1. cano. 3. dixit: Erimus ei ſimiles; videbimus enim eum ſicut eſt, ecce propria beatitudo, ſimilitudo nempe cum Deo; quamuis non ſit æqualitas. ipſe Deus ſe videt, ſe ipſo fruitur, ideo beatus, & nos etiam videbimus, & fruemur eo; idcirco beati. ſed ipſe ex natura ſua beatus, nos ex dono, & participatione. Nec hoc eſt minuere Dei omnipotentiã, ſed magnificare; quæ tanta eſt, vt alijs a ſe beatitudinem impartiatur, ita proportione quadam de beatitudine huius ſeculi, & iuſtitia dicimus; Chriſtus enim ipſe iuſtus in ſe, & noſtræ cauſa iuſtitiæ eſt, quia ſua virtute, & merito nos iuſtos facit, tamen inſtitia, qua efficitur vnuſquiſque iuſtus formaliter, non eſt illa Chriſti, ſed quæ ex eius virtute vnicuique datur. nec hoc eſt minuere iuſtitiam Chriſti ſed magnificare, quæ tanta eſt, vt in nobis efficiat iuſtitiam, in quibus nulla erat iuſtitia; immo inerat iniuſtitia multiplex. Ex gratia autem, & efficacia eius, iuſtitia in no-

Nota cõn. iuſtitiam imputatã hæreticorum.

Conc. Trid.

1. Ioan. 3.

Iuſtus quo modo dicatur à iuſtitia Chriſti.

in nobis facta, & nobis eſt donata. ſi enim in nobis non eſſet iuſtitia propria accepta, nec eſſet etiam beatitudo propria in beatis, immo nec eſſemus vere iuſti: vt enim corpus album non eſt niſi albedine inhærente, ita neque iuſtus, niſi iuſtitia inhærente; longe enim aliud eſt denominari, & eſſe. homo autem iuſtificatus non tantum denominatur iuſtus, ſed iuſtum eſſe Scripturæ teſtantur.

Nota differentiã inter denominari, & eſſe iuſtũ.

Obijciet aliquis ad rei huius exactiorem declarationem, cur non dicimus beatitudinẽ in beatis per reputationem, ſeu imputationem, ſicuti dicimus in iuſtis iuſtitiam reputatam, ſeu imputatam? Dico eſſe quidem quamdam ſimilitudinem; vt enim viſio Dei eſt formalis ac vera beatitudo, ita gratia, & charitas per Spiritum ſanctum diffuſæ, ſunt iuſtitia vera, & formalis, quæ eſt beatitudo viæ, & ſeculi huius. Eſt tamen diſcrimẽ notandum, nam beatitudinem Patriæ præcedit in nobis verum meritum, & ius. nam per gratiam Spiritus ſancti, & charitatem, ac opera ex ijs procedentia digni efficimur beatitudine illa; idcirco non dicitur ex imputatione. At vero iuſtititiam, & beatitudinem viæ nihil in nobis præcedit, quod eam inducat ex ſe, ceu ex merito vllo: nam fides, etiam accedente pœnitentia, etiã adiuncta dilectione, vt actus eſt arbitrij, non habent vim, nec meritum ex ſe vt introducant gratiam, ac charitatem Spiritus ſancti; ſed id habent, quia Deus ſecundum voluntatem ſuam, ac beneplacitum decreuit per ea ſuam iuſtitiam communicare, illaq; effecit inſtrumenta Chriſti ad iuſtitiam impartiendam, ideo dicitur dari ex imputatione, non quod ſit vera iuſtitia, ſed quod detur, ac communicetur per actus, qui non habent eam efficere, niſi quia Deus ſic diſpoſuit. Decipiuntur igitur Hæretici, quia id, per quod datur iuſtitia, dicitur reputatum in iuſtitiam, exiſtimant in nobis non eſſe veram iuſtitiam. non enim dicit Paulus iuſtitiam Chriſti nobis imputatam; ſed fidem ipſam, qua credimus in eum, qui iuſtificat impium, eſſe reputatam in iuſtitiam, quaſi aliud ſit iuſtitia, aliud, quod reputatur ad illam communicandam.

Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.

HAec ſunt verba Dauid, quorum hic eſt ſenſus. Eum beatum cenſeo, & prædico, cuius iniquitates à Deo remiſſæ ſunt, & cuius peccata Deus texit, & cui Dominus non imputauit peccatum. Non eum beatum prædicauit, qui ſuis operibus iuſtitiam adeptus eſt; nec peccatorum remiſſionem, & iniquitatum tegumentum operibus tribuit, ſed ad gratiam Dei remittentis, tegentis, non imputantis retulit. Igitur iuſtitia non ex operibus, ſed deforis eſt ex Dei gratia. ſi enim ex operibus eſſet, non ſic Dauid

locutus

locutus fuiſſet. Hic eſt ſenſus, & accommodatio teſtimonij contextui Paulino.

Quantum autem ad perfectam expoſitionem verborum Dauid ſpectat, non eſt hoc in loco immorandum; maxime quia in tractatu quindecim ſermonum, quos in hunc Pſalmum confecimus, exactiſſime explanauimus. in præſenti tamen breuiſſimam expoſitionem proponemus. Iuſtum enim hominem artificioſe deſcribit Dauid. primo quidem, quia omnes naſcimur peccatores, & nati, ac adulti peccata addimus peccatis. idcirco iuſtum prædicat, cui remiſſæ ſunt iniquitates; quia nemo iuſtus eſt, qui prius peccator non fuerit; nemoq. iuſtitiam adeptus eſt, cui non fuerit peccatum remiſſum, & ablatum. Optime autem remiſſa dicitur iniquitas, quia ex gratia remittentis Dei eſt: nemo enim ſibi peccatum propria virtute deleuit; remiſſione, & indulgentia diuina opus ei fuit. At quia, cui iam remiſſæ ſunt iniquitates, & iuſtitia data eſt, ac reconciliatus cum Deo, adhuc peccat; non enim eſt iuſtus, qui non peccet peccata, ſine quibus nemo in hoc ſeculo viuit, & propter quæ quotidie iuſtus clamat: Dimitte nobis debita noſtra, propterea additur ſecundo loco: Quorum tecta ſunt peccata; ideſt, iuſtus is eſt, qui etiamſi peccat, tamen peccata tecta ſunt; ideſt, non expellunt iuſtitiam, & charitatem, qua iuſtus tectus eſt, & indutus, ſed peccata eius teguntur, quia ipſe tectus eſt, & veſtitus; nec veſtem, ac tegumentum peccata talia diripiunt, ſed potius propter ipſum veſtimentum facile à Deo purgationem horum peccatorum conſequitur. iuſtus enim facillime venialium obtinet indulgentiam, quam peccator nudus, & ſine cooperimento iuſtitiæ, & charitatis exiſtens, non obtinet. Eſt autem iniquitas maius crimen, quàm peccatum: illud enim iuſtitiam non admittit ſecum, hoc vero etiam iuſto ineſt. Ne autem iuſtus ſibi tribuat ſoli, quod, iuſtitia accepta, grauia crimina poſtea vitet, cum id ſit diuinæ opera virtutis, adiunxit tertio loco: Cui non imputauit Dominus peccatum, ideſt, qui deinceps non grauiter peccat, Deo eum protegente, & defendente, nec imputante peccatum. Non imputare, eſt, non quidem quod homo peccet, & Deus non adſcribat ei peccatum; ſed quod Deus illi faueat, ne habeat Deus, quod illi adſcribat peccatum. Eſt autem in Hebræo diſtinctum nomen peccati à duobus præcedentibus, quod iniuſtitiam maxime ſignificat, quæ in proximum committitur; hæc enim ſunt crimina frequentiora, in quæ homines labuntur. Vides ergo totam iuſtitiam hominis à

Iuſti hominis deſcriptio.

Non imputare peccatum quid eſt.

nis à

Digitized by Google

nis à Dauid deſcriptam, & non in operum hominis virtutem, ſed diuinam gratiam relatam.

ANNOTATIO X.

EX errore illo, quo noſtri temporis Hæretici iuſtitiam inhærentem negant, nec aliam, quàm quæ Chriſti ipſius eſt, & nobis imputatur, agnoſcunt, factum eſt vt in alios duos errores deteſtabiles prolapſi etiam ſint, quos hiſce verbis Dauidis confirmant; exiſtimant enim iuſtificato non tolli peccata, nec auferri, immo manere in ipſo iuſtificato, ſed non reputari à Deo tamquam peccata. adhuc iuſtum in ſuis operibus omnibus peccare, & omnia opera eius peccata eſſe; tamen Deum non imputare ea ad culpam, nec in peccatum, propter Chriſti iuſtitiam illi per fidem apprehenſam. Et hæc duo ſignificari arbitrantur hiſce verbis. (Quorum tecta ſunt peccata:) ſi enim teguntur, igitur manent. ſimiliter (Cui non imputauit Dominus peccatum) igitur peccat iuſtus, ſed Deus non imputat illi peccatum. His profecto nihil abſurdius, nec repugnantius dici potuit. Quæ enim iuſtitia eſt, peccatum non imputare? potius iniuſtitia eſt peccatum non adſcribere peccanti; qui enim peccatum facit, peccator eſt. Rurſus, iuſtus appellari is nõ poteſt, in quo peccatum eſt; aduerſatur enim iuſtitia iniuſtitiæ, & ſanctitas peccato, & iniquitati. Aut quod Chriſti meritum, & quanta eius virtus eſſet, ſi non deleuit, nec abſtulit peccata noſtra?

Iuſtus dicitur à quo ablata sũt peccata, contra Hæreticos.

At vt Scripturis ſacris has aſſertiones aduerſarias eſſe oſtẽdamus, ex ipſius Scripturæ teſtimonijs, quę multa ſunt, nonnulla producamus. Ioan. 1. Agnus dicitur Chriſtus tollens peccatum mundi, ſi peccatum manet, non igitur fuit agnus tollens peccatum; hæc enim ſimul non conſiſtunt, peccatum eſt ablatum, & peccatum manet. Eamdem veritatem docuit Ioannes 1. Can. 3. Scitis, inquit, quia apparuit vt peccata noſtra tolleret. quod etiam prædictum fuit per Michæam cap. 7. Deponet, inquit, iniquitates noſtras, & proijciet in profundũ maris. Qũo depoſitæ, & in profundum proiectæ maris ſunt, ſi adhuc in iuſtis manent? Adde, Paulum 1. Cor. 6. multis enumeratis peccatis, adieciſſe hæc verba: Hæc omnia fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quam etiam abſolutionem prædixerant Prophetæ. Pſal. 50. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Ezech. 36. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. & Iſa. 1. Si fuerint peccata veſtra ſicut coccinum, ſicut nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra ſicut vermiculus, velut lana alba erunt. Quomodo abluitur, mundatur, dealbatur homo iuſtificatus, ſi in eo peccata manent? profecto pugnant hæc inter ſe. Prxterea, pugnat cum hoc errore hoc idem verbum Dauid. Quorum, inquit, remiſſæ ſunt iniquitates, ſi iniquitates manent, remiſſæ dici non poſſunt;

Ioan. 1. *1. Ioan. 3.* *Mich. 7.* *1. Cor. 6.* *Pſ. 50.* *Ezec. 36.* *Iſai. 1.*

Homo quomodo iuſtificetur, contra hæret.

ſunt; remiſſio enim culpæ, ipſius eſt ablatio. Præterea, iſti cæci homines potentius faciunt peccatum Adæ, quam meritum, & virtutem Chriſti; ſi enim Adæ peccatum iuſtitiam illi datam, & inhærentem, quæ toti poſteritati danda erat, abſtulit, & peccatum ingeſſit, quomodo Chriſtus non efficiet vt peccatum auferatur omnino, & iuſtitia indita inhæreat? profectò Paulus aliter, quàm iſti, docuit Rom. 5. Sicut, inquit, per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi. Sicut ergo peccatum Adæ iuſtitiam expulit, ita & iuſtitia Chriſti peccatum expellit, vt non maneat omnino, ſicut nec cum peccato Adæ iuſtitia, quæ data erat, manſit. Sunt ſexcenta huiuſmodi teſtimonia Scripturarum clamantia, peccata deleri, tolli, auferri, hominem mundari, purificari, dealbari, ablui, renouari, quæ confirmant peccata in iuſtificato non manere. Accedat auctoritas ſacrorum Doctorum. Hieron. in epiſt. ad Oceanum ex profeſſo impugnat quoſdam negantes peccata auferri. Auguſt. etiam lib. 1. contra duas epiſt. Pelagian. cap. 13. diſputat contra eos, qui peccata radi, non autem euelli dicebant, probatq. peccata omnino tolli, eſtq. doctrina hæc Patribus communiſſima, quam Concil. Triden. ſeſſ. 6. probauit, Hæreſimq. oppoſitam anathematizauit.

Rom. 5. — *Auguſt.* — *Conc. Trid.*

Eſt autem vaniſſimum fundamentum eorum ex hiſce verbis ſumptum; peccata enim mortalia non dicuntur tegi eo, quod maneant, & non imputentur, cum re vera tollantur: ſed venialia tecta dicuntur propter charitatem, qua iuſtus tegitur, etiamſi venialia committat. Quod ſi de mortalibus interpretari velis, tecta dicũtur, quia non ſolum Deus remittit, ſed etiam remiſſis culpis veſtimenta donorũ ſuorum infundit, quibus nuditas à peccato effecta contegatur.

Multiplex eſt ſacrorũ Doctorum expoſitio huius tegumenti, ſicuti in noſtris illis ſermonibus retulimus, nemo tamẽ eorum huic Hæreticorum ſomnio, & impietati conſentit: immo Auguſt. expreſſe refutat, dicens: Non ſic intelligatis, quod dixit, peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint, & viuant. & paulo ante: Cooperta ſunt peccata, & tecta ſunt, & abolita ſunt. ſi texit peccata Deus, noluit aduertere; ſi noluit aduertere, noluit animaduertere; ſi noluit animaduertere, noluit punire, noluit agnoſcere, maluit ignoſcere. hæc Auguſt. Similiter etiam, peccatum non imputari, non eſt peccatum non adſcribere peccanti, ſed impedire ne homo peccet, ne ei peccanti adnumeretur peccatum. Alijs etiam modis Doctores ſacri hoc idem exponunt: qui omnes longe abſunt ab hac impia hæreticorum expoſitione.

Peccata quomodo tecta dicuntur.

Beatitudo ergo hæc in circumciſione tantum manet. an etiam in præputio?

INfert Paulus ex teſtimonio Dauid producto, iuſtitiam Dei, non ex Iudæis ſolis, ſed etiam ex Gentibus conuerſis eſſe communem,

munem, & interrogatio hæc ſenſum facit negatiuum; ac ſi diceret. Ergo beatitudo, & iuſtitia hæc à Dauid deſcripta, non tantum pro conuerſis ex circumciſione, ſed etiam pro conuerſis ex præputio eſt, omnibus eſt communis. Græce non habetur verbum (manet) ſed, Beatitudo ergo in circumciſione, an etiam in præputium eſt? interpres autem ſenſum animaduertens appoſuit verbum hoc. Merito autem Paulus hanc appoſuit ſententiam: occurrit enim Iudæorum euaſioni; dicerent enim, hanc beatitudinem Iudæis eſſe propriam, non Gentibus; nec Chriſtum iuſtitiam attuliſſe Gentibus, ſed Iudæis ſolis. Hoc remouens Paulus dixit, non circumciſis ſolis, ſed præputiatis hanc eſſe propoſitam beatitudinem, & iuſtitiam à Dauid deſcriptam. Petet aliquis, vnde infertur hæc ſententia? particula enim illa (ergo) ex antecedenti illationem indicat. Reſpondeo inferri ex eodem teſtimonio; ſi enim Dauid non ex operibus legis iuſtitiam conſtituit, ſed in gratia, & liberalitate Dei, non eſt cur Iudæus ſibi eam vſurpet tamquam propriam, cum non ſit legis opus, ſed gratiæ; quæ communis eſt omnibus. bene ergo infert Paulus ex ipſis Dauidicis verbis, dicens: Ergo beatitudo hæc non pro circumciſione tantum, ſed etiam pro præputio eſt.

Dicimus enim, quia reputata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiam.

NOn ſatis duxit Paulus concluſionem, ſeu aſſertionem proximam, nempe, non in circumciſione tantum, ſed etiam in præputio manere iuſtitiam, & beatitudinem, ex ipſo teſtimonio Dauidico deducere, ſed adhuc etiam Abrahæ exemplo ex teſtimonio ſuperiori confirmat; eſt enim magni momenti aſſertio iſta, ac diſputationis fundamentum. Eſt autem ſenſus talis. in præputio etiam, & non in ſola circumciſione manet beatitudo, & iuſtitia Dauidica. Nam dicimus, & confitemur Abrahæ fidem eſſe reputatam in iuſtitiam, ideſt, fide adeptum, & conſecutum eſſe iuſtitiam quæ eadem eſt cum beatitudine à Dauid deſcripta. Eſt autem tota probatio hæc, quam in ſequentibus exponit. Abraham iuſtitiam hanc habuit, & non in circumciſione, ſed ante eam; quia quando fides eius ad iuſtitiam reputata fuit, nondum erat circumciſus; immo poſtea accepit circumciſionem in ſignum acceptæ huius iuſtitiæ per fidem. ergo iuſtitia hæc non eſt ex circumciſione, nec pro circumciſione ſola. Hoc eſt totum argumentum, quod in ſequentibus explicatur. præſentia autem verba initium ſunt probationis; nimirum,

Fides quō reputata eſt Abrahæ ad iuſtitiam.

nimirum, non in circumciſionem ſolam, nec pro Iudæis ſolis eſſe iuſtitiam, & beatitudinem; quia Abraham iuſtitiam eam habuit ex fide, & non ex circumciſione.

Quomodo ergo reputata eſt in circumciſione, an in præputio? non in circumciſione, ſed in præputio.

PRoſequitur eandem probationem, & ſenſus eſt. Fides Abrahæ in iuſtitiam reputata eſt; conſideremus ergo quomodo ſit reputata ei in iuſtitiam; in circumciſione ne, ideſt, quando erat circumciſus, an quando erat adhuc in præputio? profecto in præputio adhuc manens iuſtitiam hanc fidei accepit, priuſquam circumciſionem reciperet à Deo. vtitur Paulus hiſce interrogationibus, quia efficacior, & expreſſior efficitur ſententia, dum auditores cogit, & inducit, ad reſponſionem excogitandam, tamquam ab ipſiſmet petitam. Particula (ergo) tacitam quandam habet illationem, indicatq. ſenſum hunc: ſi iuſtitia hæc pro circumciſione ſola eſt, ergo Abraham in circumciſione accepit iuſtitiam fidei: at non ſic legimus, ſed in præputio fidem eius in iuſtitiam reputatam, vt iuſtitia hæc communis etiam præputiatis ſignificaretur.

Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio.

ADhuc proſequitur Paulus idem argumentum; & eſt ſenſus præcedentibus ſic connexus. Abraham iuſtitiam fidei accepit in præputio, non in circumciſione: circumciſionem autem accepit, tamquam ſignaculum iuſtitiæ fidei, quam prius in præputio acceperat. non ad iuſtitiam accepit circumciſionem, ſed tamquam ſignaculum acceptæ iuſtitiæ per fidem, ideſt, in teſtimonium, eum iuſtificatum eſſe per fidem, per eamq. cum in præputio exiſteret iuſtitiam eſſe adeptum. Exactiorem declarationem in annotatione require.

ANNOTATIO XI.

Circumciſio quō dicitur ſignaculum iuſtitiæ fidei.

ADuertenda ſunt verba Pauli; nam circumciſio dicitur ſignum, Græce σημεῖον, & ſignaculum Græce σφραγίς. ac ſi dictum eſſet. Accepit Abraham circumciſionem, quæ ſignum eſt tamquam ſignaculum iuſtitiæ fidei. duo ergo habet circumciſio; Vnum eſt, ſignum eſſe

à Deo

à Deo impoſitum, & inſtitutum ad ſignificandum fœdus, quod pepigit Deus cum Abraham, & poſteritate eius, nempe de illius ſemine venturum eum, in quo omnes gentes, & populi erant benedicendi. Vt enim arcus in nubibus cæli poſitus eſt à Deo, Gen. 9. in ſignum fœderis, & pacti initi cum homine, non amplius omnem carnem aquis diluuij deletum iri: ita alterius pacti, & fœderis initi cum Abraham, & eius ſemine, nempe Chriſtum, in quo ſalus hominum poſita erat, de illius carne venturum, circumciſio in ſignum eſt poſita. ita habetur Gen. 17. Circumcidetur, inquit, omne maſculinum veſtrum, & circumcidetis carnem preputij veſtri, & erit ſignum teſtamenti inter me, & vos. hac ratione circumciſio ſignum erat, nempe pacti diuini cum Abraham, & poſteritate eius. Hinc emanauit alterum officium, quod circumciſio exercebat, nimirum diſtinguebat populum illum à cæteris populis, & nationibus. hoc tamen non fuit munus præcipuum, in quod inſtituta eſt, ſed in ſignum fœderis diuini.

Gen. 9.

Gen. 17.

Hæc eadem circumciſio dicitur à Paulo ſignaculum iuſtitiæ fidei, quam habuit Abraham, cum in præputio eſſet. Quid autem ſit eſſe ſignaculum iuſtitiæ fidei, dupliciter Doctores exponunt. Origenes enim exponit ſignaculum dici quaſi ſigillum, quouſque ad certum tempus claudebatur, & occultabatur fidei iuſtitia vſque ad Euangelij tempus, quando reuelanda, & manifeſtanda erat; ſigillo enim clauduntur, & occultantur quæ ad certum tempus ſecreta eſſe volumus. Chryſoſtomus vero, & Theodoretus ſignaculum, ſeu ſigillum exponunt, quaſi teſtimonium quoddam iuſtitiæ acceptæ per fidem; nam & ſigillum etiam apponimus, quando teſtari aliquid volumus. ita Deus circumciſionem Abrahæ, & poſteritati impoſuit in teſtamento, & teſtificationem iuſtitiæ per fidem. hanc expoſitionem ſequitur, & explanat Auguſt. lib. 2. de nuptijs, & concupiſ. ad Valerium cap. 12. Iuſtificabantur, inquit, homines ante circumciſionem per fidem mediatoris Chriſti; ſed quia latebat iuſtitia hæc, idcirco data eſt circumciſio ſignaculum iuſtitiæ fidei, vt agnoſcerent homines illi ex ſigno hoc ſe iuſtificari fide venturi Chriſti, non operibus. ita explicat Aug. quamuis nos mentem eius nõ verba retulerimus. eandem ſecutus eſt Cyril. lib. 4. in Ioan. cap. 51. cuius verba paulo inferius referemus. vtraque expoſitio eſt accommodata, & veram continet doctrinam.

Signaculum iuſtitiæ fidei quid ſit.
Orig.

Chryſoſt.
Theodor.

Auguſt.

Cyril.

Vt ſit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iuſtitiam.

Abraham in præputio exiſtẽs accepit iuſtitiam per fidem

CVr in præputio exiſtens acceperit Abrahã iuſtitiam per fidem exponit, idem adhuc proſequens argumentum. Cauſa ergo cur in præputio exiſtens iuſtitiam per fidem acceperit, hæc eſt: vt ſit pater omnium credentium in præputio. nempe vt etiam his fides reputetur in iuſtitiam, quamuis præputiati ſint, ideſt, vt quotquot

Digitized by Google

quot reputetur in iuſtitiã, quãuis præputiati ſint; id eſt, vt quotquot eius imitati fuerint fidem, etiam iuſtificentur, ſicut & ipſe, quamuis incircumciſi ſint. Illud (per præputium) refertur ad (credentium) vt idem ſit ſenſus ac credentium præputiatorum: & ita Anſelmus exponit; quamuis etiam dicat poſſe referri ad (Abraham) nempe qui per præputium factus eſt pater credentium omnium. ſed non eſt accommodata expoſitio hæc. nam Paulus hanc ſententiam profert de Gentibus credentibus, quorum Abraham pater eſt; ſequens vero ſententia eſt de Iudæis; eſſet autem generalis ſententia ad omnes credentes, ſi illud (per præputium) referatur ad Abraham; tunc enim ſine limitatione manet verbum (omnium credentium). Attende, pro intelligentia perfecta huius, & ſequentis ſententiæ aſſequenda, promiſſionem ſalutis, & benedictionis per Chriſtum efficiendæ, Abrahæ eſſe factam pro ſe, ac ſemine, poſteritateq. ſua. Vt autem Deus hanc poſteritatem, cui benedictio promiſſa erat, non carnalem illam, quæ per carnis generationem multiplicatur, ſignificaret, iuſtitiam per fidem donauit, eamq. ante circumciſionem dedit, vt per hoc oſtenderet, eos ad poſteritatem hanc pertinere, qui ipſius fidem imitati fuerint, eſſeq. poſteritatem hanc ſpiritualem, non carnalem. carnalis enim poſteritas fuit per circumciſionem, at ſpiritualis latior multo, & copioſior eſt: nam complectitur etiam gentes, quæ ſecundum carnem, non ab Abraham deſcendunt; tamen imitantur fidem eius, & his etiam in ipſo promiſſa eſt benedictio, quamuis præputium carnale habeant. dictus ergo eſt Abraham pater credentium, quia quamuis ante ipſum multi patres crediderint, & fidei iuſtitiam aſſecuti fuerint, tamen nemini ante ipſum promiſſa eſt benedictio, & ſalus pro poſteritate ſua, ſicut promiſſa fuit Abrahæ. Hoc eſt quod dicit Paulus; nempe in præputio exiſtentem Abraham, accepiſſe iuſtitiam fidei, vt ſit pater omnium credentium in præputio, fidesq. etiam his reputetur in iuſtitiam, ſicut & illli, conſequanturq. benedictionem, & ſalutem per Chriſtum illius poſteritati promiſſam. Si autem in circumciſione accepiſſet iuſtitiam, non ita oſtenderetur pater omnium credentium etiam in præputio.

Circumciſio ſpiritualis extenditur etiam ad Gentes, ſiue promiſſio facta Abrahæ

Et ſit

Et ſit Pater circumciſionis, non ijs tantum, qui ſunt ex circumciſione, ſed & ijs, qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ.

PRoſequitur eandem cauſam, & ne Iudæi circumciſi excluſi videantur, addit, vt etiam ſit pater circumciſionis, ideſt, Iudæorum circumciſorum. In præputio ergo iuſtificatus eſt, & iuſtitiæ fidei circumciſionem in ſignaculum accepit, vt ſit pater præputiatorum credentium, ſimul etiam circumciſorum; non omnium, ſed eorum, qui cum circumciſione etiam fidem imitantur, quam habuit Abraham in præputio; non enim propter circumciſionem inferioris facti ſunt conditionis Iudæi, ſed ſi fidem eandem imitentur, ad eandem etiam poſteritatem pertinent, cui eſt promiſſa benedictio, ſi fidem eandem habeant. quod ſi fidem non imitentur, quamuis circumciſi ſint carne, non cenſentur Abraham habere patrem. Similis eſt ſenſus, ad Roman. 9. *Rom. 9.* Non enim, inquit, omnes, qui ex Iſrael ſunt, ij ſunt Iſraelitæ, neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij. pater ergo eſt circumciſionis, non ijs qui tantum exteriorem habent circumciſionem, ſed qui etiam cum circumciſione eius imitantur fidem.

ANNOTATIO XII.

Chryſoſt. SIcut in commentario expoſitum eſt, ita Chryſoſt. & Græci Doctores exponunt; quamuis ſi Latina verba conſideremus, ſenſus videatur eſſe talis: Vt ſit pater circumciſionis, nempe Iudæorum, & non tantum horum, ſed etiam omnium credentium, quamuis circumciſi non ſint; vt ſit repetitio prioris ſententiæ, & duo ordines poſteritatis comprehendantur. & *Anſel.* ſic Anſelmus exponit. Tamen ſenſus, & expoſitio prior eſt menti Paulinæ accommodatior. nam qui circumciſionem ſolam habent, non autem fidem imitantur, ad poſteritatem non pertinent, quæ benedicenda promittitur. & talem ſenſum verba Græca aperte indicant: quæ ſi ad verbum transferantur ſic habent. Et patrem circumciſionis, ijs non ex circumciſione ſolum, ſed & incedentibus veſtigijs eius, quæ in præputio fides Patris noſtri Abraham. Habes ergo totum argumentum Pauli expoſitum. iuſtitiam nempe, & beatitudinem non Iudæis ſolis, ſed Gentibus etiam communem eſſe. probatio eſt ex Abraham qui iuſtificatus eſt fide ante circumciſionem, vt non ex circumciſione iuſtitiam habuiſſe putaretur; & ſic conſtitueretur pater omnium credentium, & fidem imitan-

Ratio quare iuſtitia communis eſt Iudæis, & Gentibus per fidem

Digitized by Google

imitantium, ſiue circumciſi, ſiue præputiati ſint; nam circumciſio non in iuſtitiam, ſed in ſignaculum iuſtitiæ data fuit. Ita hunc locum expoſuit Cyril. lib. 4. in Ioan. cap. 51. vbi de circumciſione tractans, inquit, Diuinus Paulus in ſignum fidei, quam in præputio habuit Abraham, ei circumciſionem datam aſſeruit; voluit enim, vt mihi videtur, & res ipſa clamat, vocationem & iuſtitiam fidei omni legali mandato priorem, & ſuperiorem oſtendere, vt faci[illegible]ret H[illegible]ris, ne [illegible]iam fidei præuaric[illegible]n legis putarent, ſed reditum quemdam, atque recurſum in priorem hominis ſtatum. hæc Cyril. Irenæus etiam lib. 4. cap. 30. hoc idem docuit dicens. Quia non per hæc iuſtificabatur homo, ſed in ſigna data ſunt populo. oſtendit, quod Abraham ſine circumciſione, & ſine obſeruatione ſabbatorum credidit Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.

Cyril. *Iren.*

Non enim per legem promiſsio Abrahæ, aut ſemini eius, vt hæres eſſet mundi, ſed per iuſtitiam fidei.

Confirmat præcedentem ſententiam. nimirum Abraham patrem eſſe credentium omnium, & præputiatorum, & circumciſorum imitantium fidem eius. eſt autem probatio talis. Promiſſio Abrahæ, & ſemini eius facta de mundi hereditate, nempe de benedictione omnium Gentium in ipſo, & eius ſemine facienda, non fuit facta per legem, quaſi per legis obſeruantiam acceperit, & obtinuerit promiſſionem, ſed per fidei iuſtitiam. quia Deo credidit. ſupplendum eſt conſequens, ergo non eſt pater eorum, qui ex lege ſunt, quaſi ij qui ex lege ſunt per legem accipiant hanc benedictionem; ſed omnium credentium, ſiue ex lege ſint, ſiue non, qui eius fidem imitantur, hi futuri ſunt heredes; ideſt, promiſſam benedictionem accepturi. Attende, hanc mundi hereditatem eſſe benedictionem illam, quam omnes Gentes in ipſo, & eius ſemine conſecuturas promiſit Deus; per hanc enim Abraham eſt pater effectus omnium nationum mundi credentium in Chriſtum. ſemen aũt hoc ipſe Paulus Gal. 3. expoſuit, dicens: Semini tuo, non dicit; & ſeminibus; quaſi in multis, ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Huic eſt promiſſa omnium Gentium hæreditas, quia per ipſum, & in ipſo ſalutem, & benedictionem aſſecuturæ erant. Pſal. 2. Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. De qua promiſſione dicitur Gal. 3. Donec veniret ſemen cui facta eſt pro-

Promiſsio facta Abrahæ quare per fidei iuſtitiam.

Gal. 3. *Pſal. 2.* *Gal. 3.*

eſt promiſsio. Dicitur autem facta promiſsio Chriſto, quia promiſsio data Abrahæ, in Chriſto, & per Chriſtum implenda erat.

ANNOTATIO XIII.

ALiqui moderni hanc ſententiam ſic interpretantur, vt non ad promiſſionem, quæ facta eſt Abrahæ, ſed ad complementum futurum referatur, ſitq. ſenſus. Promiſſio Abrahæ, & ſemini facta, non implenda, nec conſequenda eſt per legem, ſed per fidei iuſtitiam. iuxta quam expoſitionem hæc ſententia non facit argumentum integrũ, ſed coniuncta ſequenti; nimirum: Promiſſio non implenda eſt per legem, quia ſi ex lege eſſet hereditas, exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio. Chryſ. tamen Theodoret. & antiqui interpretantur aliter; nempe de præterita promiſſione, quæ facta eſt Abrahæ, vt ſit ſenſus. Abrahæ facta eſt promiſſio, non per legem, ſed per fidem. Igitur hereditas, & effectus promiſſionis non per legem, ſed per fidem eſt accipienda. Quãuis enim Paulus non expreſſerit hoc conſequens, ſuppleri debet. nam à Paulo ea ratione eſt prætermiſſum, quia in ſequenti ſententia argumentatur ab oppoſito huius conſequentis; idcirco prõpter ſermonis breuitatem inſinuare tantum voluit. Ita nos in commentario expoſuimus, & ea videtur legitima interpretatio. primo quidem, quia ipſemet Paulus Galat. 3. hoc idem argumentum aſſumens, apertioribus verbis in noſtrum ſenſum expoſuit. Abrahæ, inquit, dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius. & paulo inferius: Si ex lege hereditas eſſet, iam non ex promiſſione. Abrahæ autem per repromiſſionem donauit Deus. quaſi diceret, promiſſio facta eſt Abrahæ ex dono, & per fidem; non autem per legem; ergo non per legem hereditas eſt. Secundo, quia locutio Pauli imperfecta eſſet ſine verbo; ſupplendum enim eſſet; promiſſio Abrahæ, nempe, facta, implenda eſt per fidem, non per legem; hoc autem ſine vrgenti ratione affirmare vanum eſt. Tertio, quia tunc non eſſet dicendum (vt heres eſſet mundi) ſed (vt heres foret mundi.) dum autem dicitur (vt heres eſſet mundi) ſenſus talis indicatur, nempe, promiſſio Abrahæ, vt heres eſſet mundi, facta eſt non per legem, ſed per fidei iuſtitiam.

Chryſoſt. *Theodor.* *Gal. 3.*

Si enim qui ex lege heredes ſunt, exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio.

EX oppoſito conſequentis ſuperioris argumenti nouam texit probationem, ac ſi dicat; Abrahæ promiſsio facta eſt non per legem, ſed per fidem; ergo non per legem hereditas promiſſa accipienda eſt; ſi enim, qui ex lege ſunt, hi ſunt here-

des, ideſt, ſi per legem accipienda eſt hereditas, & benedictio promiſſa, fides exinanita, & promiſsio euacuata eſt; quod nulla ratione dici poteſt. Eſt argumentum deducens ad inconueniens, quod Galat.3. dixit. Lex ergo aduerſus promiſſa Dei? abſit. Fidem dicit fore exinanitam, quia inutilis facta eſſet, ſi non per fidem iuſtitia, & benedictio, ſed per legem futura eſſet. Promiſsionem abolitam, ideſt, factam quaſi infectam, & deſtructam, & irritam; quia quod promiſſum eſt ex gratia, non ex gratia, ſed ex lege datur; pugnat enim quod ex lege eſt, & quod ex promiſsione, & fide eſt; hoc enim eſt gratia, illud iuſtitia. Paulus non explicuit hanc abolitionem promiſsionis, nec hanc conſecutionem, & ſequelam, nempe, ſi ex lege hereditas eſt, ergo fides exinanita, & promiſsio abolita eſt. tamen Galat. 3. declarauit: Teſtamentum, inquit, confirmatum à Deo, quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt lex, non irritum facit ad euacuandam promiſsionem. ac ſi diceret; cum Abraham promiſit Deus hereditatem ex fide, & gratia, & hoc eſt teſtamentum à Deo confirmatum, multo poſt tempore Deus legem dedit, nemo profecto dicet legem eſſe per Moyſem datam ad deſtruendum, & irritum faciendum teſtamentum datum à Deo, ac promiſsionem abolendam; nemo enim teſtamentum hominis ſpernit, aut ſuperordinat; quanto minus teſtamentum Dei; ſtatim Paulus exponens quomodo aboleatur promiſsio, & irritum fiat teſtamentum, adiunxit: Si enim ex lege hereditas eſt, iam non eſt ex promiſsione. quod adhuc magis exponens adiecit: Lex aduerſus promiſſa Dei? abſit; ſi enim data eſſet lex, quæ viuificare poſſet, vere ex lege eſſet iuſtitia. ac ſi diceret: iuſtitia ex promiſsione, & fide eſt per gratiam: Si autem ex lege eſſet, ex iuſtitia eſſet; lex ergo promiſſionem Dei aboleret, quod fieri non poteſt; non ergo ex lege vita eſt, & benedictio, ſeu hereditas; ſed ex fide, quæ ex promiſsione, & gratia emanat. Ex his præſentis ſententiæ intelligentia manifeſta eſt.

Iuſtitia ex promiſsione, & fide eſt per gratiam.

ANNOTATIO XIV.

Aliqui moderni fidem in hoc loco exponunt veracitatem, & fidelitatem, qua quod promiſſum eſt, impletur. vt ſit ſenſus: Fidelitatem Dei, & promiſſionem exinanitam & abolitam; quia quod promiſſum eſt, non implebitur, ſi ex lege hereditas eſt. Solet aliquando Pau-

do Paulus fidem in hac ſignificatione vſurpare. nam ſuperius cap. 3. dixit: Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit? Exiſtimo tamen in hoc loco præſenti accipi in ea ſignificatione, in qua accipitur in toto hoc capite, vbi dicitur: Fidem reputatam in iuſtitiam: & rurſus: Ideo ex fide, vt firma ſit promiſſio. & ſæpe id repetit, nempe pro fide qua credimus. eſſet enim locutio vitioſa, vbi ſæpiſſime idem in argumento accipitur vocabulum, equiuocatione vti. maxime, quia in antecedenti, & conſequenti accipitur pro fide qua credimus. Non, inquit, per legem, ſed per iuſtitiam fidei. Si enim ex lege eſt iuſtitia, exinanita eſt fides; ideo ex fide, vt firma ſit promiſſio. hic eſt diſcurſus Pauli. Vna ergo ſignificatio fidei in omnibus. Et ſic antiqui Patres expoſuerunt. Senſus etiam eſt accommodatiſſimus; fides enim hæc inutilis efficitur, ſi ex lege eſt hæreditas. quod enim ex lege eſt, ex fide non eſt. nam quod ex fide eſt, gratis accipitur: quod vero ex lege, ex iuſtitia. hæc autem pugnant, exinanita ergo, & infructuoſa fides eſſet ad iuſtitiam, ſi ex lege iuſtitia, & hæreditas eſſet. Legem autem Paulus vſurpat, vt à fide diſtinguitur: hæc enim lex etiãſi obſeruaretur, totam hæreditatem non tribuit, quæ eſt benedictio, & iuſtitia coram Deo, fides autem donat, quæ ex gratia, & dono eſt. Iſta ſententia adhuc in ſequenti annotatione explanabitur.

Lex enim iram operatur, vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio.

Lex iram non hereditatem affert, quia non affert gratiam.

CONfirmat, non eſſe per legem hereditatem, nouo argumento. non ſolum quia exinanita eſſet fides, & abolita promiſsio; ſed quia lex iram potius quam hereditatem adfert, & maledictionem potius quàm benedictionem; quia occaſio eſt præuaricationis. ſi enim lex non eſſet, præuaricatio non eſſet. at quia lex eſt, præuaricatio eſt. præuaricatio autem maledictionem infert, & Deum ad vindictam prouocat; non ergo ex lege hereditas eſt, & benedictio. Attende, vti ſuperius annotauimus, legem appellare à fide ſeparatam: hæc iram inducit, & præuaricationem, quia non adfert gratiam, qua impleri poſſit; gratia enim per fidem datur, & accipitur. Lex ergo non inducit hereditatem, ſed iram, & vindictam Dei. quando autem fide accipitur iuſtitia, & gratia, lex non operatur iram, ſed augmentum iuſtitiæ, quia ex fide impletur. Paulus autem nunc vtramque confert per ſe ratione primæ iuſtitiæ, & dicit, non per legem, ſed per fidem iuſtitiam, & hereditatem accipi. Lex enim operatur potius iram, quia præuaricationis occaſio eſt, niſi fidei iuſtitiæ annectatur. Legem autem appellat totam legem Moſaicam, quantum ad omnia præcepta naturalia, ſeu moralia, cæremonialia, & iudicialia, quorum illa prima antiquiora fuerunt Moyſe, nam lex naturalis cum hominis natura incepit.

Digitized by Google

ANNOTATIO XV.

ALiqui moderni hanc ſententiam proximam, cauſam ſuperioris cõtinere, exiſtimant, nempe cur abolita ſit promiſſio; quia nempe lex iram operatur. ſi ergo propter legem, quod promiſſum eſt à Deo dandum eſſet, aboleretur promiſſio, quia lex impleri nõ poſſet, & iram operaretur propter præuaricationem. Sed hæc expoſitio non eſt ad mentem Pauli; non enim aboleri dicitur promiſſio, quando, quod promittitur ſub conditione, non datur ea de cauſa, quia conditio non impletur: nam ſi propter legem promiſſio hæreditatis facta eſſet, eaq. de cauſa promiſſio complementum non haberet, quia lex impleretur; tunc nõ diceretur abolita promiſſio. aboletur enim promiſſio, quando tollitur, ita vt quod ex promiſſione eſt, iam non ſit, nec detur ex promiſſione, ſed ex lege; adeo vt ſi lex impleretur, & ex lege eſſet hęreditas, promiſſio diceretur abolita. vt docuit Paulus Galat. 3. Lex, inquit, aduerſus promiſſa Dei? abſit; ſi enim lex data eſſet, quæ viuificare poſſet, ex lege iuſtitia eſſet. quaſi diceret; iam promiſſio deſtructa, & abolita eſſet; promiſſio enim Dei gratis, & ex dono Dei fuit, & tanquam ex dono facta implenda eſt, ac accipienda. ſiue ergo lex impleatur, ſiue non; ſiue iram operetur, ſiue benedictionem, promiſſio aboleretur, ſi ex lege eſt hæreditas: non ergo Paulus hoc argumentum adfert ad probandum abolitam eſſe promiſſionem, nempe, ſi ex lege eſſet hæreditas, abolita eſſet promiſſio; quaſi propterea eſſet abolita, quia lex iram operatur: ſed probare intendit illud idem, nempe ex lege non eſſe hæreditatem, tum quia abolita eſſet promiſſio, & exinanita fides, tum quia lex iram potius operatur ſi per ſe ipſam ſumatur; ac ſi diceret: Lex potius poſita eſt propter tranſgreſſionem, & peccatum, vt cognoſceretur morbus ſanandus per Chriſtum, in quo, & per quem benedictio eſt implenda. quod Galat. 3. manifeſtius expreſſit dicens: Lex propter tranſgreſſionem poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſerat. Ambroſ. epiſt. 71. ad Irenæum diſcutit cauſas, cur lex ſit data, cum iram operetur, & præuaricatio propter eam ſit inducta: hæc tamen nunc prætermitto, quia cap. 7. locus eſt accommodatior.

Hæreditas non ex lege, ſed ex promiſſione.

Gal. 3.

Gal. 3.

Ideo ex fide, vt ſecundum gratiam firma ſit promiſſio.

POſtquam oſtendit, & probauit, per legem non eſſe hæreditatem, tum quia promiſſio aboleretur; tum quia lex iram operaretur, alteram partem probat, nempe per fidem eſſe hæreditatem. & probatio eſt; quia quod ex fide accipitur, ſecundum gratiam, & donum accipitur: dum autem hæreditatem, & bene-

Non ex lege, ſed ex fide hereditas.

& benedictionem fide accipimus, firma conſiſtit, & ſtabilis promiſſio Dei; ideſt, ex promiſſione hereditas datur; quod enim ex promiſſione eſt, ex gratia eſt. quod autem ex fide accipitur, ex gratia, & dono accipitur. per fidem ergo promiſſio non aboletur, ſed confirmatur; accipitur enim hæreditas per fidem gratis, ſicut & promiſſa eſt. cum igitur hæreditate accepta per fidem promiſſio Dei firmetur, per legem vero aboleatur, ſtatuendum eſt, per fidem accipi hæreditatē; nam promiſſio Dei non poteſt aboleri.

Aduerte Græca verba ſic habere. Ideo ex fide, vt ſecundum gratiam ad eſſe firmam promiſsionem, ideſt, ideo ex fide, vt ſecundum gratiam, ſicq. firma ſit promiſsio. Erit ergo ſenſus: ex fide eſt hæreditas, & benedictio, ac iuſtitia, vt ſit gratis, & ex dono Dei accepta; vt ex hoc conſequatur, firmam eſſe promiſsionem, id eſt, vt hæreditas hæc ex promiſsione ſit; ſi enim ex lege eſſet, ex iuſtitia hominis eſſet, non ex dono, & promiſsione Dei, ſicut vere eſt; fides ergo confirmat promiſsionem Dei.

Omni ſemini, non ei, qui ex lege eſt ſolum, ſed & ei, qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrum.

Connexa ſunt hæc verba ſuperioribus, nouum tamen continent argumentum ad confirmandum, ex fide eſſe hæreditatem, & benedictionem, non ſolum vt promiſsio Dei firma ſit, ſed etiam vt ſit communis; non Iudæo ſoli, ſed etiam Gentili, & omni qui ex fide eſt Abrahæ, ideſt, fidem Abrahæ imitatur. ſi enim ex lege eſſet hæreditas, tunc Gentilis excluſus eſſet; at dum ex fide, promiſsione, & dono eſt, communis etiam fit omni credenti, ſiue Iudæo, ſiue Græco. communem autem eſſe debere probat, quia Abraham pater eſt communis omnium noſtrum, nempe credentium, & ad fidem Chriſti, ſiue ex Iudaiſmo, ſiue ex præputio conuerſorum.

Si ex lege eſſet hereditas, iã gentilis eſſet excluſus.

ANNOTATIO XVI.

Attende, illud (ei) referri ad ſemen. non ei ſemini ſoli, quod eſt ex lege. Latinus interpres non genus nominis, quod eſt neutrum, ſed rem ipſam conſiderans, vertit relatiuum maſculinum. Græce etiam non habetur (non ei ex lege ſolum). Præterea aliqui adiungunt, cum Abraham, vt ſit ſenſus, non ei Abraham ſoli, qui eſt ex le-

 ge, ſed

ge,ſed ei, qui eſt ex fide, vt diſtinguantur duo Abraham, ſicut & duplex Adam, & poſteritas. ſed violenta eſt expoſitio.

Sicut ſcriptum eſt, Quia patrem multarum gentium poſui te.

NE Iudæus hanc communem paternitatem ſecundum fidem negaret, idcirco Paulus Abraham patrem eſſe communem omnium credentium, ſiue ex Iudæis,ſiue ex Gentibus, teſtimonio Scripturæ confirmat. Eſt autem ſumptum teſtimonium ex Geneſ. 17. Patrem, inquit, multarum Gentium poſui te. non ergo Iudæi ſoli, ſed etiam qui ex Gentibus conuerſi ſunt, patrem habent Abraham, & ipſius filij ſunt, ad eoſq. benedictio, & hereditas pertinet; neceſſe eſt ergo per fidem accipi hereditatem, & Abraham per fidem habere poſteritatem; nam lex Iudæis eſt propria, fides vero omnibus communis.

Ante Deum, cui credidit.

VErba hæc, & ſequentia Pauli ſunt, exponentis teſtimonium citatum, & vnde, & qua de cauſa ſit pater multarum Gentium effectus, explicantis; & eſt ſenſus, Abraham poſitus eſt pater multarum Gentium ad exemplum, & ſimilitudinem Dei, cui ipſe credidit: ſicut enim Deus pater eſt Iudæorum, & Gentium, vt cap. 3. dictum eſt: Numquid Iudæorum tantum Deus? nonne & Gentium? ita Abraham e regione etiam eſt pater effectus Iudæorum,& Gentium, & hoc per fidem; propterea enim dicit; (Ante Deum cui credidit) ideſt, dum credidit Deo per fidem, obtinuit vt ad eius ſimilitudinem, & exemplum pater efficeretur multarum Gentium.

ANNOTATIO XVII.

DVo ſunt in ſuperioribus verbis aduertenda. Vnum eſt; exemplaria Græca habere in tertia perſona (credidit) vt ad Abraham referatur. & ita Origenes, Chryſoſtomus, Theophilactus, Theodoretus, Oecumenius exponunt. *Origen. Chryſoſt. Theoph. Theodor. Oecumen.* & videtur vera lectio ea eſſe, quamuis Ambroſ. legat (credidiſti) dicens Paulum inuitare Gentes ad credendum, ſimilemq. fidem habẽdum cum Abraham. dura tamen videtur expoſitio, nec ſatis accommodata, legendum potius in tertia perſona eſt, & ſic antiqua latina exemplaria aliqua legunt.

Alte-

Alterum eſt illud (ante Deum) varie exponi, primo loco Oecumenius interpretatur eſſe hyperbatō, & connecti debere illi (Sicut ſcriptū eſt) vt ſit ſenſus, ſicut ſcriptum eſt ante Deum, ideſt, coram Deo, & ex perſona Dei, quaſi diceret, Fide digna eſt Scriptura, immobilis, & firma; Deus enim eſt, qui ea quæ ſcripta ſunt loquitur. non videtur hæc ſatis accommodata expoſitio: notum enim erat omnibus eſſe teſtimonium ex Scriptura, & illa eſſe verba Dei. Secundo loco Origen. videtur exponere (ante Deum) ideſt, ab ipſo Deo eſt poſitus pater; ab illo enim accepit paternitatē hanc. Nec etiam hæc expoſitio accommodata videtur: nam certum erat verba citata eſſe Dei loquentis, & dicentis: Ego poſui te patrem multarum Gentium. Tertio loco Anſelmus dictum putat (ante Deum) quia per fidē poſitus eſt pater, quæ oculis hominum non patet, ſed oculis Dei; vt diſtinguat a circumciſione quæ viſibilis eſt. per fidem autem pater eſt multarum Gentiū, non per carnalem generationem. At nec hæc videtur ſatis accommodata expoſitio. nam ita hæc paternitas promiſſa eſt per fidem, vt ſimul complectatur carnalem generationem, per quam Chriſtus ſecūdum carnem deſcendit de Abrahæ ſemine, per quem erant Gentes benedicendæ, & futurus erat Abrahā pater Gentium multarum. Quarto loco Chryſoſt. Theodoret. Theophi. exponunt ad exemplum, & ſimilitudinem Dei, vti nos in commentario expoſuimus. dictio enim κατέναντι, idem eſt ac e regione, è contrario; quod exemplo conuenit; quod enim ad exemplum, & ſimilitudinem fit alicuius, e regione, & e contrario ponitur, vt in pictoribus videre licet. Vana ergo eſt modernorum quorundam obiectio, dictionem illā non ſignificare apud Græcos exemplum, & ſimilitudinem, quaſi Chryſoſt. Theodoret. & Theophilactus propriam linguam ignorauerint, & non ſint potius maioris autoritatis in ijs, quæ ad proprij idiomatis vocum ſignificationes pertinent.

Oecumen. *Origen.* Abraham quomodo pater multarum gētium. *Anſel.* *Chryſoſt. Theodor. Theophil.*

Qui viuificat mortuos.

HOc addit Paulus ad exponendum quid Abraham crediderit, & magnitudinem fidei eius explicandam. Credidit, inquit, Deum viuificare poſſe mortuos. & Græca verba hunc ſenſum magis indicant; ſic enim habent; ante, cui credidit Deum viuificantem mortuos: ac ſi diceret, ante Deum viuificantem mortuos cui credidit. credere autem Deo viuificanti mortuos, eſt credere Deo, & credere ſimul ipſum viuificare poſſe mortuos. quibus verbis ſignificat Paulus fidem Abrahæ, quam habuit, quando iuſſus fuit ſacrificare Iſaac filium, in quo promiſſa erat poſteritas iſta, de qua fide dicitur ad Hebr. 11. Fide obtulit Abraham Iſaac, cum tentaretur, & vnigenitum offerebat, in quo ſuſceperat promiſſiones, arbitrans quia a mortuis ſuſcitare potens eſt Deus. hoc eſt quod *Hebr. 11*

nunc

Digitized by Google

nunc dicitur, Credidit Deo viuificanti mortuos, propter quam fidem Gen. 22. Deus confirmauit promiſſionem factam de ſeminis multiplicatione, & omnium Gentium benedictione.

ANNOTATIO. XVIII.

Orig. SVperior ſententia varie exponitur, Primo loco Origen. hanc mortuorum viuificationem exponit peccatorum iuſtificationem, per quam a morte animæ reuocantur ad vitam. Conſentit huic Anſelmus; addens, dictum eſſe propter Iudæos: nam vt exponat Paulus patrem eſſe Abrahã generationis ſpiritualis, adiecit, Deum Iudæos peccatores iuſtificare poſſe, Gentes vero infideles, & quæ quaſi non ſunt, vocare vt ſint, vt in ſequenti verbo dicitur, quæ expoſitio potius ſpiritualis quam literalis eſt. Secundo loco Oecumenius, & Ambroſ. hanc viuificationem ad id referunt, quod factum eſt cum Abraham; cuius corpus per ſenectutem emortuum, & generare non valens, viuidum effectum eſt, & generare potens. Huic expoſitioni aliqua obſtant. Primo quidem, quia verbis ſequentibus hoc Paulus enarrat, eſſet autem repetitio eiuſdem ſine neceſſitate. Secundo, quia in fine capitis exponens, nos debere fidẽ Abrahæ imitari, dicit, credendum eſſe ſuſcitatum Chriſtum a mortuis; nempe ſicut Abraham credidit Deum poſſe filium mortuum ſuſcitare. Tertio, quia impropria locutio eſt. viuificare mortuum, ideſt, ſenem deſtitutum viribus facere potentem ad generandum: nec eſt argumentum efficax ad probandum hunc ſenſum; qui id facit, poſſe mortuos ſuſcitare. Paulus ergo loquitur de vera mortuorum reſurrectione. Quarto loco Chryſoſt. exponit de mortuorum reſurrectione, ſed in hunc ſenſum verbum a Paulo prolatum cenſet, vt explicet poſſe Deum facere vt ij, qui ex Abrahæ ſemine nati non ſunt, nempe Gentes, ſint filij eius, ſicut & poteſt facere, vt quod mortuum eſt viuat. Hæc tamen expoſitio dura videtur, & magis aptatur verbo ſequenti.

Mortuorũ viuificatio quomodo intelligatur.

Accommodatiſſima omnium ea videtur, quæ poſita eſt in commentario, & confirmata eſt ipſius Pauli teſtimonio ex Epiſt. ad Hebr. & conuenit cum ſententia ſequenti, quæ in fine capitis habetur. Eſt autem adhuc aduertendum, hos expoſitores allegatos hoc verbum ita exponere, vt non referant ad fidem Abrahæ, ſed ſit ſenſus talis. Credidit Deo, qui quidem Deus viuificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt. Oecumenius tamen refert ad ipſam fidem Abrahæ, vt ſit ſenſus, non ſolum credidiſſe Deo viuificanti mortuos, ſed id ipſum etiã credidiſſe, nempe poſſe Deum viuificare mortuos, & vocare ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, & ita nos expoſuimus. Paulus enim non ſolum Abraham credidiſſe, per fidemq. effectum Patrẽ multorum docere intẽdit, ſed ſimul fidei qualitatem, & magnitudinẽ exponere, vt poſtea ad ſimilẽ nos inuitet fidẽ. non enim quacunq. fide iuſtificatur homo, ſed qua Chriſtus mortuus, & reſurgens creditur: ſiue implicite, vt olim; ſiue explicite, vt nunc fit in Euangelio. Oecum.

Et ve-

Et vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt.

ADhuc fidem Abrahæ exponit Paulus; Credidit enim Abraham Deo mortuos viuificanti, & vocanti quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt, ſeu vocanti non entia quaſi entia; vt habet ſermo Græcus. vtrumq. enim Deum poſſe facere credidit. hoc verbum ad poſteritatem venturam poſt Abraham refertur. nondum enim erant Gentes, nec ſemen multiplicandum ſicut ſtellæ cæli, & arena maris. tamen Abraham credidit Deum facile poſſe facere, vt quæ non erant, eſſent. vt enim Deus his quæ ſunt vtitur, & imperat vt opus faciant aliquod, quod Deus vult fieri, ita quæ non ſunt vocat vt ſint. tam facile enim eſt quæ non ſunt facere vt ſint, ac eſt quæ ſunt facere vt aliqua operentur. omnia enim eius imperio ſubiacent. Pſal. 30. Dixit & facta ſunt, mandauit & creata ſunt. *Pſal. 30.* Eſt ergo ſenſus totus hic exponens fidem Abrahæ: credidit enim quando iuſſus eſt Iſaac ſacrificare, Deum poſſe mortuos viuificare, & occiſum filium, in quo poſteritas promiſſa erat, ſuſcitare. credidit etiam ſimul tam multiplicem poſteritatem illi poſſe Deum implere; quia credidit Deum ea quæ non ſunt tam facile facere vt ſint, ac ea quæ iam ſunt vt operentur. vtitur enim ijs quæ ſunt, & quæ non ſunt. Eleganter autem dicitur, (vocare), quia verbo omnia facit. tali fide Abraham multarum Gentium pater eſt effectus a Deo, cui credidit.

Commendatio credulitatis Abrahæ.

ANNOTATIO XIX.

VArie etiam exponunt Doctores ſuperiorem ſententiam. Primo loco Origenes dictum putat propter Gentes benedicēdas in ſemine Abrahæ, quæ dicuntur non eſſe propter infidelitatem, ratione cuius a Deo erant elongatæ, qui eſt ſummū ens; quia autem ad fidē, & gratiam trahendæ erant, ideo dicūtur vocandæ, quaſi ea quæ ſunt. Conſentit huic expoſitioni Anſelmus. Secundo loco Ambroſ. in Pſal. 36. Quæ non ſunt exponit Gentes, quæ de Abrahæ ſemine non ſunt, & tamen vocandæ ſunt vt in ſemen cō putentur. Vocat, inquit, Gentes quæ non erant, tanquam populum ſuum qui erat. Tertio loco Chryſoſt. de creatione exponit: vocat enim quæ non ſunt, quia quæ non ſunt facit vt ſint. Tamen dictum exiſtimat, vt inducat animos audientium, vt facile credant poſſe Deum, eos qui de Abraham non ſunt, efficere vt filij ſint ipſius ratione fidei; qui enim poteſt facere quę non ſunt vt ſint, efficiet etiam vt qui nati non ſunt de Abraham ſecundum carnem, filij eius ſint. Mihi expoſitio hæc placet, qua parte de crea-

Orig. Deus vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſūt quomodo intelligitur. *Anſel.* *Ambroſ.* *Chryſoſt.* *Author.*

de creatione exponitur. dicitur enim Deus vocare quæ non ſunt, quia creat, & eſſe facit quæ nō erāt, & ſic etiam Athana. ſerm. de cruce, & paſ. hoc verbum interpretatur. quod autem additur: (tanquā ea quæ ſunt) facilitatem indicat, qua Deus facit quæ non ſunt: ſimulque vim, & virtutem imperij eius; tam enim obediunt ei quæ non ſunt imperanti vt ſint, quam quæ ſunt imperanti vt aliquid per ea fiat. In hoc tamen ab alijs diſſentio, quod non propter Gentes ſolas dictum exiſtimo, ſed propter totam poſteritatem promiſſam, quæ tunc nondum erat, quādo a Deo Abrahę fuit promiſſa: ipſe tamen credidit Deo promittenti, quia nouit tam facile eſſe Deo quæ nō ſunt facere, ac quæ ſunt diſponere facile eſt. idcirco tātam, ac tam multiplicem poſteritatem, qua pater multarum gentium futurus prædicitur, credidit. Viuificatio ergo mortuorū propter Iſaac poſita eſt, quam credidit Abraham Deum poſſe facere, quando eum occidere iuſſus eſt, in quo poſteritas promittebantur. vocatio autem eorum quæ non ſunt, poſita eſt propter poſteritatem copioſam, quæ tunc non erat, futura tamen promittebatur. tali fide inſignitus eſt Abraham, & per talem fidem obtinuit patrem effici multarum Gentium.

Athanaſ.

Qui contra ſpem in ſpem credidit, vt fieret pater multarum gentium, ſecundum quod dictum eſt ei, ſic erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cæli, & arena maris.

PRoſequitur fidem Abrahæ magnificare. & cum præcedentibus verbis expoſuiſſet fidem quam habuit nato Iſaac, quando iuſſus eſt eum ſacrficare; exponit nunc fidem magnam quam habuit ante natum Iſaac, quando promiſſa eſt ei poſteritas copioſiſſima Gen. 15. Suſpice, inquit, cælum, numeraq. ſtellas ſi potes, ſic erit ſemen tuum. Quando hæc a Deo dicta, & promiſſa ſunt, nondum Abraham liberos habebat, vt conſtat ex citatis locis. credidit tamen Deo promittenti. hanc nunc fidem magnificat Paulus dicens, credidiſſe in ſpem, ideſt, credidiſse Deo, & per fidem ſperauit ita futurum eſse, vt fieret pater multarum Gentium, ita tamen credidit ſperans, vt contra ſpem crediderit, quia nullam habebat prius ſpem poſteritatis, nec naturaliter eſse poterat. concluſa enim erat a Deo Saræ vulua, vt concipere non poſset. Magna profecto fides eſt ea credere, quorum non ſolum nulla erat ſpes, ſed potius deſperatio omnimoda.

Geneſ. 15

Attende credidiſse, contra ſpem dici, quia credidit futurum id, quod naturali via ſperari non poterat, & quæ iam ipſe deſperauerat. ſperare enim deſperata, ſeu deſperanda, & ſperare contra ſpem, & credere futura, quorum nulla erat ſpes, eſt credere contra

Abraham crediciſse cōnt. Spē quomodo intelligitur.

tra ſpem. ſpe ergo humana deſtitutus, per fidem ſpem concepit diuinam, & Deo innixam. is ergo qui omni ſpe priuatus erat, & omnino deſperauerat, audiens Dei promiſſionem credidit ipſi. & per fidem ſperauit futurum quod prius deſperauerat & naturali ratione deſperandum erat. Particula (vt) vt fieret pater) non cauſalem, ſed declaratiuam habet ſignificationem: Credidit in ſpem vt fieret pater, ideſt, credidit ſperans ſe futurum patrem, ſicut promiſſum erat ei.

ANNOTATIO .XX.

GRæca exemplaria non habent illa verba (ſicut ſtellas cæli & arena maris) nec Origen. nec Chryſoſt. cæteriq. Græci, nec Ambroſius legunt, & videtur ab aliquo ad marginem poſita ex Scriptura adducta, tranſlata autem in textum ab impreſſoribus, & ratio confirmare videtur: nam illud verbum (ſic erit ſemen tuum) ſumptum eſt a Paulo ex Gen. 15. quando Abraham liberos non habebat; ibi autem non dicitur niſi Suſpice cælum, & numera ſtellas ſi potes. ſic erit ſemen tuum, de arena maris nihil dicitur, ſed habetur Gen. 22. quando iam Iſaac erat genitus. Cum autem Paulus nunc loquatur de tempore ante genitum Iſaac, vt conſtat ex ſequentibus verbis, non poteſt illud verbum (arena maris) conuenire, quod promiſſum eſt poſt Iſaac genitum, nec etiam habetur in loco Gen. 15. allegato a Paulo. licet ergo retinere velimus illud (ſicut ſtellas cæli) quia Gen. 15. legitur. tamen verbum illud (arena maris) non videtur hoc in loco legendum & quamuis Anſelmus vtrumque legat, & exponat, tamen legitima lectio eſt, quam antiqui ſecuti ſunt, & hæc conuenit cum ſequentibus, & cum ipſo teſtimonio ex Geneſis 15. citato. Attende rurſus, Anſelmum particulam (vt) exponere in ſenſu cauſali, nempe, credidit in ſpem vt eſſet pater, ideſt, per fidem hanc meruit eſſe pater. tamen accommodatior eſt expoſitio, ſi declaratiue teneatur, vt ſit ſenſus, credidit ſperans futurum patrem, ſicut dictum erat ei, vnde non ad fidem, ſed ad ſpem refertur, quaſi id ſit quod ſperauerit. negari tamen non poteſt probabilem eſſe expoſitionem Anſelmi, credidit nempe in ſpem vt fieret pater, nempe quia fide, & ſpe obtinuit patrem eſſe, ſicut prædictum erat ei. probabilior tamen eſt, vti diximus, expoſitio prior, quam ſecuti ſumus.

Orig. *Chryſoſt.* *Gen. 15.* *Gen. 22.* *Anſel.*

Et non infirmatus eſt in fide, nec conſiderauit corpus ſuum emortuum, cum iam fere centum eſſet annorum: & emortuam vuluam Saræ.

PRoſequitur fidei magnitudinem exponere; non ſolum enim in ſpem contra ſpem credidit, quando Gen. 15. Deo promittenti ſemen

Magnitudo fidei Abrahæ commendatur.

ſemen proprium cuius ſpem non habebat credidit, ſed etiam cum longo poſt tempore facta fuit noua promiſsio ſeminis, nempe de Sara, corpore iam emortuo effecto, in fide ſuſcepta adhuc infirmatus non eſt. eſt ergo ſenſus: cum ſenex eſſet & præ ſenectute corpus haberet emortuum & iam impotens ad generandum effectum, cum etiam vxor Sara vuluam emortuam iam haberet & ad concipiendum ineptã; nouaque tunc fieret promiſſio ſeminis de Sara Gen. 17. nihil horum conſiderauit, vt in fide infirmaretur, aut a fide recedendo, aut dubitando; ſed fortis & conſtans permanſit, nullo naturali impedimento quominus Deo promittenti crederet remoratus. Dicitur non conſideraſſe corpus proprium emortuum,& vuluam Saræ emortuam, quia nihil horum difficultatem credendi ei ingeſsit, conſiderauit quidem ea ad magnitudinem promiſsionis & diuinæ virtutis agnoſcendam; tamen quia cum dubitare de promiſsis non fecerunt, propterea dictus eſt non conſideraſſe hæc. Dicitur etiam in fide non infirmatus; quia iam Deo crediderat, & fidem conceperat: in eaque fide fortis & conſtans permanſit contra ſpem omnem naturalem credens & ſperans in Deo. Dicitur autem centum fere annorum, quia, vt habetur Gen. 17. quando genuit Iſaac, nonaginta nouem erat annorum; Sara vero nonaginta, & deſierant ei muliebria, vt habetur Geneſ. 18.

Gen. 17.

ANNOTATIO XXI.

Abraham quomodo dicitur habuiſſe corpus emortuum.

DVbitatio eſt, quomodo Abraham corpus habuiſſe emortuum dictus ſit, cum poſt conceptũ & natum Iſaac, mortua Sara vxore, iterum filios de Cetura ſuſceperit, vt habetur Gen. 25. quod fuit multis poſt annis nato Iſaac, non igitur emortuum corpus habebat, quando genuit Iſaac. Origenes ſic ſoluit hanc difficultatem. dicit enim corpus Abrahæ non fuiſſe emortuum ętatis infirmitate, ſed mortificatione illa, de qua ſcriptum eſt: mortificate membra veſtra. Hæc autem ſolutio non euacuat difficultatem, ſed auget: fatendum enim eſſet, quando poſtea ex Cetura ſex genuit filios, non vacaſſe mortificationi, vt ante ſolebat. Auguſt. lib. 16. ciui. cap. 28. duas adfert ſolutiones. prior eſt, corpus Abrahæ dici emortuum non ſimpliciter, vt de nulla poſſet gignere femina; nam de adoleſcentula poterat gignere, non autem de vetula, qualis erat Sara, ſed dictum eſt emortuum quantum ad aliquid, non quantum ad omnia: femina enim, ſi ita ſit prouectioris ætatis, vt ei ſolita mulierum adhuc fluant, de iuuene parere poteſt. de ſene non poteſt. quamuis

Orig.

uis hic ſenior de adoleſcentula poſſit gignere. Talem exiſtimat fuiſſe Abraham, qui de Sara ſeniori non poterat gignere, potuit tamen de Cetura adoleſcentula. Hæc eſt prior ſolutio, quæ non mihi multum probatur: nam vtrumq. emortuum Paulus affirmat, tam Abraham quàm Saram; vt nec Abraham de adoleſcentula, nec Sara de iuuene poſſent generare, & hæc fuit miraculi magnitudo, & fidei Abrahæ excellentia, aliter ſatis fuiſſet dicere, Saram emortuam, & deſijſſe ei muliebria; hæc enim de nemine generare poterat.

Auguſt. Poſterior ſolutio Auguſtin. eſt verior, quam non vt propriam ſed tanquam communem cæterorum homine adfert, nempe donum gignendi, quod à Deo per fidem accepit, etiam poſt obitum Saræ manſiſſe; viuida enim caro effecta eius eſt, & ideo gignere etiam potuit de Cetura. Hanc ſolutionem Auguſt. poſtponit priori, quam ipſe ſequitur, hoc argumento motus; quia centenarius ſenex temporibus noſtris non poteſt de vlla femina gignere; at non tunc, quando adhuc tamdiu viuebant, vt centum anni nondum fecerint hominem decrepitum. hæc ratio non videtur efficax. nam Paulus ætati centum annorum tribuit corpus habere emortuum: & Geneſis 17. *Geneſ. 17* hæc ætas tollebat ſpem gignendi abſolute, non habita conſideratione ad Saram. nec mirum eſt illo etiam tempore id eueniſſe: nam etiam nunc aliqui citius alijs ſeneſcunt, & ad decrepitam ætatem perueniunt multo prius, quam alij. ita potuit Abraham ſic ſenuiſſe, vt gignere amplius non poſſet, quod ſi ratio Auguſt. valeret, potuiſſet Sara de ſeniore concipere; nam etiam feminæ non ita cito ſeneſcebant, ſicut noſtris temporibus. poſterior ergo ſolutio videtur probabilior.

In repromiſsione etiam Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide.

PRoſequitur hanc fidei magnitudinem exponere, & cum dixiſſet non eſſe in fide infirmatum propter corpus proprium emortuum, & propter vuluam Saræ emortuam; addit in ipſa etiam promiſsione Dei non hæſitaſſe diffidentia aliqua. *Geneſ. 15* Aduerte Deum, Gen. 15. promiſiſſe Abrahæ proprium ſemen ſicut ſtellas cæli; cui promiſsioni credidit Abraham, & de hac fide dictum eſt paulo ſuperius; contra ſpem in ſpem credidiſſe. Poſt hanc promiſſionem genuit de Agar ancilla Iſmaelem, arbitrans hoc eſſe ſemen promiſſum, & in hoc multiplicandũ, à quo tempore defluxerunt aliquot anni, & factus eſt Abraham annorũ nonaginta nouem, & Sara nonaginta, ceſſaruntq. illi muliebria, corpuſq. Abrahæ, & vulua Saræ emortua ſunt effecta, ac viribus gignendi (*Commendatur Abrahę fidei magnitudo.*) deſtitu-

deſtituta. Quo iterum tempore Deus promiſit ſemen Abrahæ de Sara ipſa promiſſionem prius factam declarans. ſemen enim promiſſum futurum erat de vxore, non de ancilla; quamuis Abraham non plane intellexerat. Sic enim Deus fidem Abrahæ paulatim probauit. de hac ergo promiſſione, quæ habetur Gen. 17. loquitur nunc Paulus dicens: Non infirmatum in fide, etiamſi videret corpus emortuum, & vuluam Saræ emortuam. rurſus in ea promiſſione non hæſitauit ex aliqua infidelitate, aut diffidentia. non ſolum enim incredulus non fuit non credendo, aut dubitando; ſed potius roboratus eſt in fide, eam intendens. difficile enim erat valde, quod promittebatur: tamen difficultate omni ſuperata, robore, & virtute fidei credidit, non hæſitans ex aliqua incredulitate. Diffidentia hoc in loco poſita videtur pro incredulitate, quæ opponitur fidei, qua credimus, vt dicemus in annotatione. fuit autem hæc poſterior promiſſio difficilior creditu: nam ſenuerat iam Abraham, & Saræ ceſſauerant præ ſenectute muliebria. propterea dicitur non infirmatus in fide, nec de ipſa promiſſione Dei, quamuis ſola verba audiret, hæſitauit, nec diffidit, ſed roboratus eſt, & fortis permanſit in fide.

ANNOTATIO XXII.

Attente conſideranda eſt hiſtoria Abrahæ, vt Pauli ſenſum aſſequi poſſimus. nam primo loco fidem eius, quando iuſſus eſt occidere Iſaac, magnificauit, & ita intelligitur illud: Credidit Deo, qui viuificat mortuos, poſtea reuerſus eſt ad ſignificandam fidem promiſſionis primo loco ipſi Abrahæ factæ Gen. 15. quando nullum habebat ſemen, omnemque naturalem amiſerat ſpem, tunc contra ſpem in ſpem credidit. Tertio loco fidẽ explicat, quando diſtincte, & aperte ſemen de Sara promiſſum eſt, & multiplicatio in Iſaac. Et de hac fide eſt iſta præſens ſententia intelligenda. tunc quidem non infirmatus in fide, nec cõſideraſſe corpus emortuum dicitur, in ipſaque promiſſione Dei non hæſitaſſe, quod Latinus interpres forſan conſiderans vſus eſt verbo (repromiſſione) quaſi repetita promiſſione, quando Deus diſtincte, & aperte promiſit ſemen de Sara. quamuis Græce verbum ſit ἐπαγγελία, quod promiſſionem, aut pollicitationem ſignificat.

Abrahæ hiſtoria ponitur.

Attendendum etiam eſt aliquos legere, & exponere loco (non hæſitauit diffidentia) non diſceptauit incredulitate, quia non obiectiones fecit Deo promittenti, nec modos implendi promiſſa inquiſiuit, ſed ſimpliciter credidit. non eſt tamen vera verſio deſerenda, nam verbũ, διακρίνομαι vtrumque ſignificat, & diſcepto, & hæſito. & Chryſoſt. ac Theodoret. in ea ſignificatione exponunt, qua dubitationem, aut hæſitationem ſignificat. Illud etiã ἀπιστία, & incredulitatem, & diffidentiam

Chryſoſt. Theodor.

tiam

Digitized by Google

tiam ſignificat, vna cōtra ſpem, altera contra fidem eſt. poſſemus interpretem ſequentes ad voluntatē referre; etiam pro diffidentia exponere, vt vere Abraham in fide, & ſpe conſtans appareat, qui nec hæſitauit, nec diffidit. Si tamen pro incredulitate accipiatur, & ad intellectū referatur, ſenſus erit accommodatior; nempe, nō dubitauit ex aliqua incredulitate: maxime, quia ſequitur; ſed confortatus eſt fide, niſi etiam velis fidem hoc loco exponere pro fiducia, quæ cōtraria eſt diffidentiæ. Senſus idem fere eſt in omnibus his; quamuis accōmodatior videatur, ſi ad intellectum totū referamus; fidem, & incredulitatem. non enim incredulitate dubitauit, ſed fide roboratus eſt, non fidem minuens, ſed augens.

Grauior tamen in hac ſententia occurrit difficultas; quomodo dictus ſit à Paulo Abraham non hæſitaſſe, cum Gen. 17. promittēti Deo filium reſponderit, Putaſne centenario naſcetur filius? Ad hanc reſpondet Aug. lib. 16. Ciu. cap. 26. Riſus, inquit, Abrahę exultatio eſt gratulantis, non irriſio diffidentis. Verba quoq. eius illa in animo ſunt; ſi mihi centum annos habenti naſcetur filius; & ſi Sara nonaginta annorum pariet: non ſunt dubitantis, ſed admirantis. Ib. eodem cap. 31. riſum Abrahæ admirationi tribuit; Saræ vero nō plenæ fidei. Ambr. lib. 2. de Abraham cap. 2. fidem cōmendat Abrahæ. & verba hæc dicit eſſe ſecum in animo diſceptantis; ſuæ enim rationi, & intellectui perſuadebat, Deum omnia poſſe; & quāuis vires naturæ imbecilles illi eſſent; Deum tamen poſſe refundere, & ſenibus reuocare iuuentutis annos, & ſterilibus dare fęcunditatem. & ita tenendum eſt. quamuis Baſil. hom. de pœnitentia aſſerat Abrahā heſitaſſe, Abrahā, inquit, fidelis inuentus eſt. & tamen inuenire eſt vbi hæſitauerit. Verior tamen eſt doctrina Aug. & Ambr. & Paulo conformior, qui Abraham negat hæſitaſſe, & ita Chryſo. exponit.

Gene. 17.

Auguſt.

Abraham num hæſitauerit promiſſioni ſibi a Deo factæ

Ambroſ.

Dans gloriam Deo, pleniſſime ſciens, quia quæcumque promiſit Deus, potens eſt & facere.

CONnexa hæc ſunt ſuperioribus. Dedit, inquit, gloriam Deo, id eſt, nihil, quod indignum eſſet Dei potentia, ſenſit: glorificat enim ille Deū, qui, vt par eſt de eo ſentit, credit, ac prædicat. Abraham ergo audiens promiſſionem ſupra omnem naturæ poteſtatem, Deum glorificauit, dum nihil ſenſit, nec credidit, quod Deo eſſet omnipotenti indignū, hæc enim glorificatio Dei eſt. ideo roboratus fide dicitur. Hanc glorificationē rurſus exponit. Sciens, inquit, perfectiſſime, Deū poſſe omnia implere, quę promittit: cum enim nihil Deo indignū mēte cōceperit, ſed vt par eſt de eo ſenſerit, ſibi pleniſſime perſuaſit Deū implere poſſe quæcūq. promittit. qui enim om-

Digitized by Google

nia poteſt, poteſt & quæ promittit implere. Illud autem (potens eſt implere, quæ promittit) non ſolam potentiam ſignificat, ſed etiam effectum, vt ſit ſenſus, potens eſt implere, & implebit, vt tam verax ſit, quam potens; vtrumq. enim ſibi perſuaſit, qui gloriam Deo dedit, vt par eſt de Deo ſentiens. Hic eſt legitimus ſenſus.

ANNOTATIO XXIII.

Oecum.

Dare gloriam Deo quid ſit.

OEcumenius, dare gloriã Deo, exponit ſic. nõ curioſe ſcrutatus eſt, quomodo poſsibile eſſet hoc fieri, ſed ſtatim credidit, Deumque collaudauit tamquam beneficij auctorem, ac ſi iam dediſſet quod erat pollicitus. Priorẽ huius expoſitionis partem; nempe non ſcrutatum eſſe curioſe, ſed ſtatim credidiſſe, idq. eſſe dare Deo gloriam, probat Chryſ. & re vera id eſt neceſſarium danti gloriã Deo; hoc tamen nõ eſt proprie dare gloriã Deo, ſed mẽtis actus quo exiſtimat homo, & iudicat quod de Deo ſentire par eſt. præclare enim de Deo cogitare, & ſentire, id eſt, gloriam dare Deo, vt idem Chryſ. ſer. 8. in fine expoſitionis dicit: Dei enim potentiã credidit, nihil illi impoſſibile iudicans: & hoc eſt præclare de Deo ſentire, & illi gloriam dare. De hac locutione, Dare gloriam Deo, plura diximus Ioan. 9.

Chryſoſ.

Ideo & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.

COncludit Paulus, quod præcipue docere intendebat, Ideo, inquit, talis fides reputata eſt illi ad iuſtitiam, ac ſi diceret; quia credidit, ſicuti dictum eſt, fides eius in iuſtitiam à Deo reputata illi eſt. Attende, non quamcumq. fidem Abrahæ in iuſtitiam à Deo reputatam eſſe; ſed quæ perfecta, & integra fuit, & qua credidit in Deum viuificantem mortuos, & vocantem, quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt, promiſſaq. omnia ſeruare potentem. quæ fides complectebatur Chriſti mortem, & paſſionem, ac reſurrectionẽ pro noſtra ſalute. quæ quidem omnia in Iſaac ſacrificio ſignificata erant. talis fides eſt, quæ iuſtificat. taliq. fide iuſtificatus eſt Abraham. Quãuis nõ omnia myſteria explicite à principio nouerit ſicut poſtea: tamen ſiue implicite, ſiue explicite credidit; & tali fide iuſtificatus eſt. Hoc autem eſt, quod dicit Paulus: fidei enim qualitate, & magnitudine Abrahæ expoſita, concludit. Ideo, inquit, reputatum eſt illi in iuſtitiam, quia fides eius talis fuit, qualis eſt expoſita: verbum enim ad fidem, ſeu ad verbum credendi referri poteſt in Græco ſermone, & Theodoret. ad fidem refert. ac ſi dicamus, ideo fides reputata eſt in iuſtitiam; melius tamen, & verius dicitur, reputatum eſt illi in iuſtitiam.

Fidei Abrahæ qualitates, qua iuſtificatus eſt.

tiam. nempe id ipſum, quod ſic credidit, reputatum eſt. nam verbũ hoc Pauli eſt teſtimonium Geneſis citatum, quod ſic habet. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi in iuſtitiam. Paulus autem prætermiſſo priori verbo retulit (& reputatum eſt illi in iuſtitiam) ac ſi diceret, ideo nempe propter talem fidem dictum eſt (& reputatum eſt illi in iuſtitiã) vnde particula illa (&) eſt ex teſtimonio ipſo citato, non ex Pauli contextu. Attende autem, quando audis, ideo, quia ſic credidit, ſeu quia talis fides eius fuit, reputata eſt in iuſtitiã; non exiſtimes Paulum merito fidei adſcribere iuſtitiam, quaſi, quia credidit, propterea dignum fuiſſe iuſtitia Dei; nõ enim ſic eſt; ſed ſignificare voluit, Deum quidem ex gratia, & dono acceptare fidem noſtram in iuſtitiam, ſed non qualemcunque; ſed quę perfecta ſine hæſitatione vlla eſt, & qua Deus viuificator, & auctor ſalutis per Chriſtum creditur.

ANNOTATIO XXIIII.

DVpliciter exponi poteſt ſentẽtia ſuperior (Ideo & reputatũ eſt illi in iuſtitiam) vno modo, vt ad fidem ſimpliciter referamus, vt ſit ſenſus. Ideo, id eſt, non opera legis, ſed fides reputata eſt illi in iuſtitiã; ſeu, ideo quia credidit, in iuſtitiã illi reputatum eſt. Altero modo, vt nõ ad ſolam fidem, ſed ſimul ad qualitatem fidei referamus; vt ſit ſenſus, ideo quia ſic credidit, & talẽ fidem habuit, reputatũ eſt illi credere in iuſtitiã. hic modus, & expoſitio poſterior accommodatior videtur. nã Paulus ſequentibus verbis explicãs hanc doctrinã nobis, concludit, nos etiã fide iuſtificari, nõ quacumque, ſed qua credimus in Deum Saluatorem per Chriſti mortem, & reſurrectionem, cuius fidei exemplar in Abrahã præceſſit. atq. hæc fuit cauſa Paulo, cur fidei Abrahæ qualitatẽ, & magnitudinẽ expreſſerit, vt doceret nos fide ſimili iuſtificari debere.

Iuſtitia Abrahę an fuerit ex fidei ſubſtantia, an ex qualitatibus.

Attendendũ eſt etiã, aliquos particulam (&) quaſi ad cõtextũ Pauli pertinẽtem exponere, vt ſit ſenſus, ideo etiam fides reputata eſt in iuſtitiã; ſeu ideo etiam hoc, quod tam firmiter credidit, reputatum eſt in iuſtitiã; non ſolum, quod credidit, ſed etiam quod tam firmiter credidit; aut, non ſolum quod credidit, ſed etiã quod virtutes cæteras habuit, vt Orig. interpretatur. Sed hęc interpretatio ſolido non nititur fundamento. nam particula (&) poſita eſt à Paulo, vt ſignificaret ſe referre verbum Geneſis citatum. Credidit Abrahã, & reputatum eſt illi in iuſtitiã; non repetijt autem verbum, credidit, quia inſinuatum erat per particulam (ideo) ac ſi diceret, ſic credidit Abraham, & ideo reputatum eſt illi hoc in iuſtitiam.

Obijciet aliquis, verbũ hoc (credidit, & reputatum eſt illi in iuſtitiam) dictum eſſe Gen. 15. quando nondum iuſſus fuerat Iſaac ſacrificare. tunc enim videtur crediddiſſe, viuificare poſſe Deum mortuos. ſimiliter quando adhuc ſemen de Sara diſtincte non erat promiſſum, tunc etiam non conſiderans corpus

Digitized by Google

emortuum, & vuluam Saræ emortuam, non hæſitauit. Quomodo ergo Paulus poſt hæc omnia narrata dicit: Credidit Abraham, & reputatum eſt illi in iuſtitiam? iam enim fides reputata erat illi in iuſtitiam, antequam hæc fierent. Reſpondeo, fidem Abrahæ ſemper fuiſſe perfectã, & ſemper de Deo præclare ſenſiſſe, quamuis non in omnes ſuos actus proceſſerit niſi occaſione data. quando ergo iuſſus eſt ſacrificare filium, credidit Deum mortuos viuificare: non tamen ſic id dicitur, quaſi ante non crediderit, ſed quia tunc fidem conceptam exercuit. ſimiliter dicitur nõ hæſitaſſe in promiſſione; nõ quod ante hæſitauerit, ſed quod tunc occaſione data firmus perſtiterit; fides ergo quæ à principio fuit, &, quæ reputata eſt illi in iuſtitiam, perfecta fuit, quamuis non omnia explicite nouerit, & propterea Deus fidem eius exercuit, Scripturaq. narrauit, vt qualis fides eius fuerit, nobis innoteſceret, qui fide ſimili iuſtificandi eramus, quod ſequentibus verbis Paulus exponit.

Non eſt autem ſcriptum tantum propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad iuſtitiam; ſed & propter nos; quibus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum à mortuis.

ARgumentum ſuũ accommodat Paulus ſuo propoſito, nempe nos iuſtificari fide, non lege, ſicut & Abrahã, qui pater noſter eſt. hoc, inquit, verbum, nempe fidem eſſe Abrahæ reputatã in iuſtitiã, nõ eſt tantũ propter ipſum ſcriptum, vt ſciamus eũ fide iuſtificatum; ſed etiã eſt propter nos ſcriptum, vt ſciamus etiam nos fide ſimili iuſtificandos, ſi credamus in eum, qui Chriſtũ ſuſcitauit à mortuis, ſicut ille credidit Deum viuificaturum Iſaac, quem ſacrificare iuſſus erat; fuit enim illud figura myſterij futuri.

Fides in Deum ſuſcitantem Ieſum, eſt totius Euãgelicæ fidei ſumma.

Attende, fidem in Deum ſuſcitantem Ieſum à mortuis multa cõcludere; immo eſſe totius euangelicæ fidei ſummam. nam qui hæc credit, credit Ieſum eſſe Chriſtum; id eſt, illum, qui Ieſus dictus eſt, verum eſſe Meſſiam promiſſum. credit ſimiliter Ieſum eſſe Chriſtũ, id eſt, filium Dei, & hominem. rurſus hunc eundem mortuum, & reſurrexiſſe pro noſtra ſalute. Dicitur autem Dominus, quia Deus eſt noſter, & quia redemit nos. Attende autem, credere in eum, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum à mortuis, non eſt ſimpliciter credere in Deum tantum, ſed ſimul credere in Chriſtũ mortuũ, & reſurgentẽ pro nobis. nempe diuinitatis, & humanitatis articulos: hac fide nos iuſtificandi ſumus à peccatis, nõ lege, aut legis operibus. & propterea multo ante præmiſſus eſt Abraham, qui fide noſtram futuram ſignificante iuſtificatus eſt. hoc eſt argumentum Pauli efficax ſumptum ex Abrahæ iuſtificatione.

Qui

Digitized by Google

Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.

EXponit Paulus mortis huius, & reſurrectionis Chriſti cauſam, vt eo manifeſtet, vnde fides virtutem accipiat iuſtificãdi. mortuus .n. eſt Chriſtus propter noſtra delicta, ſurrexit autem, vt quod morte obtinuerat, & effecerat nobis ad vitã, & iuſtitiã applicaret, & cõmunicaret. ab his habet fides vim, & efficaciã; niſi.n. mortuus ille eſſet, ac ſurrexiſſet, iuſtitiam non eſſemus adepti. Traditus eſt ergo Chriſtus morti à Deo propter delicta, & peccata noſtra ſoluenda; ſuſcitatus autem ab eodem propter noſtrã iuſtificationem, qui enim eum ſuſcitauit à mortuis, is etiã tradidit morti: hoc propter delicta noſtra: illud propter iuſtifica tionem factũ eſt. Inde eſt, quod qui credit in eum, qui tradidit Chriſtum morti, & ſuſcitauit eũ à mortuis, fides illi in iuſtitiam reputetur. Deus tradere morti Chriſtum dicitur, quia mors ex diuinitatis permiſſione, & ordinatione fuit: nemo enim manũ mittere potuiſſet in eum, niſi Deus permiſiſſet. permiſſa autem mors à Deo in noſtrã ſalutem, & in peccatorũ ſolutionem ordinata eſt. Deum vero dici tradidiſſe Chriſtum vt hominem Paulus docuit Rom. 8. Proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Ipſe etiam Chriſtus vt homo ſemetipſum tradidit, quia mortem acceptauit voluntarie, iuxta illud Iſaiæ 53. Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Epheſ. 5. Tradidit ſemetipſum oblationem, & hoſtiam. Gal. 2. Tradidit ſemetipſum pro me. Traditus etiam fuit à Iuda Matth. 26. Vnus ex vobis me traditurus eſt. Traditus etiã eſt à Iudæis. Ioan. 18. Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi. Traditus etiam à Pilato Ioan. 19. Tradidit eum vt crucifigeretur. Cum tot ſint, ac tantæ traditiones, de ea loquitur Paulus, qua morti traditus eſt à Patre, à quo ſuſcitatus dicitur, vt idem oſtendatur principium tradendi morti, & ſuſcitandi à mortuis.

[Margin: Rom. 8. — Iſa. 53. — Matt. 26 — Ioan. 18. — Ioan. 19.]

[Margin: Chriſtus quomodo dicitur mortuus propter noſtra delicta.]

Dicitur autem mortuus propter delicta noſtra, quia morte ſua pretium peccatorum noſtrorũ Deo ſoluit, nec ſolum pretium peccatorum, ſed etiã pretium iuſtitię, & ſalutis. redemptio enim vtrumq. claudit, nempe & à peccato liberationem, & iuſtitię deperditæ reparationem, ac ſalutis operationem, omniũ horum pretiũ ſoluit. Hoc totum tamen non ſatis erat, vt nos huius redemptionis effectum cõſequeremur: oportebat enim hæc annunciari mundo, vt credentes, & ea exhibentes, quæ ordinata a Deo erãt tamquam media quibus virtus redemptionis applicaretur, iuſtitiam, & ſalutem conſequeremur. ſi enim nihil aliud eſſet quam Chriſtum mori, & pretiũ re-

demptionis exhibere, omnes periremus, ſicut multi nunc pereunt, qui notitiam huius redemptionis non habent. Oportebat ergo mittere per mundũ Apoſtolos, & annunciatores ſalutis, & redemptionis, vt hi, qui redempti erant iuſtificarentur, & ſalutẽ conſequerentur fide, & remedijs inſtitutis à Deo. Propter ergo hoc reſurrexit Chriſtus. nam ante reſurrectionem nõ erant Apoſtoli mittendi, nec ſalus facta annuncianda, Deo ſic ordinante. Poſt reſurrectionem vero mittendi erant annunciatores ſalutis, communicandus Spiritus ſanctus, & inſtituenda, quę ad ſalutem ſingulis obtinendam neceſſaria erant. Ideo dicitur reſurrexiſſe propter iuſtificationem noſtrã, nempe vt redemptio facta per mortem nobis applicaretur, & fructũ eius participaremus. hic eſt legitimus ſenſus. adhuc tamen in ſequenti annotatione dilucidabitur, & confirmabitur.

ANNOTATIO XXV.

Chriſti mors an fuerit ſufficiens, & ſatisfactoria abſque eius reſurrectione.

INſudant moderni Doctores in huius ſententię ſenſu aſſequẽdo, cum enim Chriſtus morte ſua meruerit redemptionem noſtram, non ſolũ ſatisfaciendo pro peccatis omnium noſtrum; ſed etiam merendo iuſtitiam, ſatisfactionem, glorificationem, & reſurrectionem noſtrã, quid eſt, quod dicitur mortuus propter delicta, & ſurrexiſſe propter iuſtificationẽ: quaſi mors ſolum fuerit pro peccatis ſatisfactoria; reſurrectio vero iuſtitiæ meritoria, cum certiſſimum ſit mortem vtrumque habuiſſe, & ſatisfactionem pro peccatis, & meritum iuſtitiæ, vitæ, ſalutiſq. noſtræ? quod aperte docuit Petrus 1. epiſt. cap. 2. Qui peccata, inquit, noſtra ipſe pertulit ſuper ligno, vt iuſtitiæ viuamus, cuius liuore ſanati ſumus. Varia eſt reſpõſio eorum ad hanc difficultatem euacuandã. Primo loco aliqui reſpondent, ſurrexiſſe Chriſtum propter iuſtificationem, id eſt, vt eſſet exemplar noſtræ iuſtificationis, vt ſicut ille ſurrexit à mortuis in vitam nouam, ita & nos in vitę nouitate ambulemus: iuxta illud Pauli Rom. 6. Vt quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Hæc expoſitio veram continet doctrinã, nempe Chriſti reſurrectionem eſſe exemplar noſtræ ſpiritualis reſurrectionis. tamen ad ſenſum præſentem Pauli non facit. nam traditus dicitur propter delicta, ſurrexiſſe propter iuſtificationem. at prior pars non ad exemplar pertinet; non enim traditus eſt propter delicta tanquam exemplar, ſed tanquã vera ſatisfactio: Igitur nec ſurrexiſſe propter iuſtificationem dicitur tanquam exemplar: ſed propter ipſam iuſtificationem, quam non eſſemus conſequuti, niſi ſurrexiſſet. Si expoſitio iſtorum legitima eſſet, dicendum erat: Qui traditus eſt, vt nos moriamur delictis noſtris, & reſurrexit, vt iuſtificemur: ſic.n. accommodata eſſet expoſitio.

Secundo loco alij ad realem iuſtificationem, non ad exemplarem referunt, nempe, reſurrexiſſe, vt nos iuſtificemur, & veram aſſequamur iuſti-

iuſtitiam, tamen ſic intelligendum, quia nos non poſſumus iuſtificari niſi per fidem: ad quam conſequendam argumẽtum valde efficax fuit reſurrectio Chriſti. Reſurrexit ergo propter iuſtificationẽ, id eſt, vt eius reſurrectio nobis eſſet argumentũ magnum ad fidem concipiendam, per quam iuſtificaremur; ſed violẽta eſt expoſitio, & inaccommodata. nõ enim ſic traditus eſt propter delicta noſtra, vt mors eius argumentum nobis eſſet: ſed quia vere non aliud pretium erat peccatorum noſtrorum ex diuina ordinatione. ſic etiam ſurrexiſſe dicitur propter iuſtificationem; quia niſi reſurgeret, nos nõ eſſemus iuſtificati. Adde, miracula Chriſti omnia ante reſurrectionem propter fidem fuiſſe facta, immo & Apoſtolorum miracula; & tamen non dicitur à Paulo miracula edidiſſe, ſed reſurrexiſſe propter iuſtificationem.

Tertio loco, alij reſpõdent reſurrexiſſe propter iuſtificationem noſtram, id eſt, vt nos à pœnis peccatorum liberaremur, vna enim pœna mors fuit, à qua non eſſemus erepti. ſi enim Chriſtus non ſurrexiſſet, nec nos reſurgeremus, reſurrectione ergo ſua mortem vicit, & nos ab ea liberauit. Iſta expoſitio videtur antiqua, inſinuata à Theodoret. Surrexit, inquit, propter iuſtificationem noſtram, id eſt, vt communẽ omniũ reſurrectionem procuraret. tamen non videtur accommodata, nec admodum vera. Primo quidem reſurrectio corporum nõ dicitur vnquã in Scriptura iuſtificatio, cum iuſtificatio ſit viuificatio animarũ per Spiritum, quo ex iniuſtis, & peccatoribus iuſti efficimur, ſic enim Paulus expoſuit ad Rom. 8. Spiritus, inquit, viuit propter iuſtificationem.

Theodor.

Rom 8.

Secundo, quia morte ſua Chriſtus meruit etiam omnium reſurrectionem. Illa autem propoſitio, Si non ſurrexiſſet, nec nos ſurgeremus; diſtinguenda eſt: Si non ſurrexiſſet, quando ſurrexit, nec nos ſurgeremus, falſa eſt; poterat enim ſurgere in fine ſæculi, & nos cum ipſo. ſi autem numquam ſurrexiſſet, nec nos ſurgeremus, vera eſt; tamen eſt extra rem. nã Paulus loquitur de reſurrectione, quę facta eſt. reſurrexit enim propter iuſtificationẽ noſtrã; ſi enim detinuiſſet reſurrectionem vſque ad vltimum diem, non eſſemus iuſtificati.

Senſus ergo legitimus, omiſſis his expoſitionibus modernorũ, eſt, quẽ in cõmentario proſecuti ſumus. In cuius declarationem aduertendũ eſt: potuiſſe quidem Deũ poſt Chriſti mortem ante reſurrectionẽ mittere Spiritum ſanctũ, & Apoſtolos ad Euangelium prædicandum per orbem mandare, & ſalutem cõferre per fidem; tamen non ita voluit, ſed ſua æterna diſpoſitione decreuit, & ordinauit, vt Spiritus ſanctus non deſcenderet, nec Apoſtoli ſalutem mundo annunciarẽt, Euangeliumq. prædicarent, niſi poſt Chriſti reſurrectionem, vt quamuis morte fuerit facta ſatisfactio, & redemptio completa ex parte Chriſti, non tamen cõmunicaretur hominibus generaliter, & in vniuerſum, niſi poſt reſurrectionem. tunc tradita eſt poteſtas remittendi peccata, miracula faciendi, annunciandi ſalutem, & Euangelium, ac Baptiſmum omnibus indifferenter prædicandi, & omnes ad ſalutem inuitandi, vt fructũ perciperent redemptionis completæ, & peractæ à Chriſto. Ita docent Scripturæ Luc. 24. Oportebat Chriſtũ pati, & reſurgere à mortuis die tertia,

Luc. 24.

Digitized by Google

tertia, & prædicari in nomine eius pœnitentiã, in remiſſionẽ peccato-
Act. 1. rum. Act. 1. Accipietis virtutẽ Spiritus ſancti ſuperuenientis in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalẽ, & in omni Iudæa, & Samaria vſq. ad vlti-
Ioan. 7. mum terræ. Ioan. 7. Nondũ erat Spiritus datus, quia nódum erat Ieſus glorificatus. prædicatio ergo ſalutis futura erat poſt reſurrectionem per vniuerſum orbem ex diuina ordinatione, ſicut & mors eius fuit ex diuina ordinatione propter redemptionẽ noſtram; ſurrexit ergo propter noſtrã iuſtificationem, quia ſalutis prædicatio, & mundi iuſtificatio, & redemptionis applicatio generalis futura erat poſt reſurrectionem. Idcirco tam cito ſurrexit, ne remedij ſalutaris applicatio dilata, multorum hominum damnationis eſſet occaſio. Hæc eſt legitima expoſitio.

Attendendum autẽ eſt, reſurrectionem Chriſti, præter id quod dictum eſt, multum conduxiſſe ad ſpẽ noſtrã erigendam. ſpes enim noſtræ redẽptionis roboratur, quando iam Chriſtũ ſurrexiſſe confitemur. quod 1. Petri 1. dicitur. Regenerauit nos in ſpem viuam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis. Cõfirmatur etiam fides, vt in eodem loco dicitur. Suſcitauit, inquit, eum à mortuis, vt fides veſtra, & ſpes eſſet in Deo. Exemplar etiam nobis datur, vt in ſpiritu reſurgamus, vt dicitur ad Rom. 6. ſuperius allegato. tamen Rom. 8.
hæc omnia non faciunt ad hunc locum Pauli, cuius ſenſus legitimus is eſt, quem expoſuimus.

CAPVT QVINTVM.

IVſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus: ſcientes quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Vt quid enim Chriſtus, cum adhuc infirmi eſſemus ſecundum tempus pro impijs mortuus eſt. Vix enim pro iuſto quis moritur: nam pro bono forſitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt: multo igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius: multo magis reconciliati, ſalui erimus in vita ipſius. Non ſolum autem: ſed & gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,

Digitized by Google

ſtum; per quem nunc reconciliationem accepimus. Propterea ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt: vſque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet. Sed regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen etiam in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, qui eſt forma futuri. Sed non ſicut delictum, ita & donum. ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit. Et non ſicut per vnum peccatum, ita & donum. nam iudicium quidem ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per vnius obeditionem, iuſti conſtituentur multi. Lex autem ſubintrauit vt abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit gratia. Vt ſicut regnauit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam. per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Iuſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Magnitudo, & excellentia, quæ per fidem in Chriſtum acquiritur.

POſtquam Paulus concluſit nos iuſtificari coram Deo, non lege, nec legis operibus, ſed fide, nõ autẽ quacunque, ſed quæ eſt in Deum ſuſcitantem Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum à mortuis, & iuſtificantem impium; exponit in Capite quinto magnitudinẽ, & excellentiam huius iuſtitiæ, quæ per talem fidem accipitur. eſt autem ſententia hæc oppoſita illi, quæ erat in principio capitis præcedentis. Si Abraham, inquit, ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. At iuſtificati ex fide pacem habent apud Deum: & ſi pacem habent, gloriam habent. Pacem autem habere apud Deum idem eſt, ac reconciliatos eſſe cum Deo, & ad amicitiam Dei reuocatos eſse per Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtũ; quia ipſe eſt mediator huius reconciliationis: ipſe eſt, qui ſoluto pretio redemptionis, ereptos à peccato in Dei gratiã reuocauit. quã ſententiã alijs verbis paulo inferius repetijt in hoc eodem capite, dicens: per Dominũ noſtrũ Ieſum Criſtum, per quem nunc recõciliationem

Digitized by Google

tionem accepimus. Magna profectò eſt excellentia iuſtitiæ fidei ſupra omnem legis iuſtitiam. illa enim pacem facit, cum Deo homines reconciliat, gratosq. reddit ipſi Deo virtute, & efficacia meriti, & ſatisfactionis, ac mediationis Chriſti.

Sunt autem tria attendenda. Vnũ eſt, verba hæc illata eſſe ex ſuperioribus; particula enim (ergo) illationem indicat, & ita eſt; nam ex ſuperiori ſententia in fine capitis præcedẽtis poſita, nempe reputabitur etiam in iuſtitiam nobis credentibus in eum, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrum à mortuis; qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtrã; conſequitur, qui ex fide iuſtificati ſunt, Deo eſſe reconciliatos: reputat enim Deus fidem in iuſtitiam, & hoc per Chriſtum, qui traditus eſt propter delicta, & reſurrexit propter iuſtificationem non propriam, ſed noſtrã. Alterum eſt, verbum (habeamus) quo Latinus interpres vſus eſt, in Græcis exemplaribus, quæ nunc habentur, eſſe de præſenti (habemus) ſi tamen legamus (habeamus) ad eundem tendit ſenſum. Tertium eſt, verbum (apud Deum) plus ſignificare, quam habere pacem cum Deo: nam præter hoc etiam ſignificat hanc pacem eſſe illi gratam, & acceptam; ex quo conſequitur, eam eſſe valde honorificam, & glorioſam. cætera in annotatione quære.

ANNOTATIO I.

IN connexione huius capitis, & in ſententiæ expoſitione variant Doctores. Quantum autem ad cõnexionẽ ſpectat, Chryſ. & Theodor. exiſtimãt, poſtquam Paulus, quæ ad dogmata pertinebant, docuit, nunc conuerti ad mores, exhortariq. iuſtificatos ad pacem conſeruandam; cui connexioni etiam Occume. Anſel. & ante omnes Orige. conſentit. Ambr. vero nõ ad exhortationem, ſed ad cõtinuationem doctrinæ de iuſtitia fidei hęc pertinere inſinuat. Eſt autem huius doctrinæ cauſa, lectionis varietas: nam Orig. Chryſ. Theodoret. Occume. & Anſel. legũt (habeamus) at Ambr. legit (habemus) & huic lectioni exemplaria Græca, quæ nunc habentur, concordant. eſt enim verbum Græcũ præſentis modi indicandi. eſt autem facillimus error. nam vnum & idem verbum, ſi ſcribatur cum omicron, pertinet ad modũ indicandi, nempe habemus: at cũ omega, ad modũ ſubiunctiuũ (habeamus.) cõtextus tñ ſequentiũ verborũ probat ad modum indicandi pertinere, quamuis etiã ſi legamus, habeamus, ad eundem poſſet trahi ſenſum. In lectione er go & cum Græcis exemplaribus conſentio: in connexione vero Ambroſio accedo, quamuis ipſe expreſſe de connexione non meminerit, cenſeoq. Paulum non inuitare, nec exhortari nunc ad mores, ſed exprimere magnitudinẽ, & excellentiã huius iuſtitiæ, quę ex fide eſt.

Chryſoſt. Theodor. *Occum. Anſelm. Orig. Ambroſ.* *Origen. Chryſoſ. Theodor. Occum. Anſel.*

Eſt autem prima excellentia ab effectu pacis apud Deum per Chriſtum, qualis autem ſit iſta pax, hiſce verbis exponit Paulus, quæ varios habent

Prima excellentia iuſtitiæ fidei dicitur pax.

habent ſenſus, pro multiplici Do-
ctorum explicatione. Eſt ergo va-
ria huius ſententiæ, ſeu horum ver-
borum expoſitio apud interpretes,
nō ſolum in exponendis verbis illis
(pacem habeamus) ſed etiā in illis
(per Dominū noſtrum,) Diſcordāt
ergo ante omnia Doctores in expli-
canda pace hac. eſt enim pax con-
cordia quædam, quæ aut cum Deo,
aut cum proximis, aut ſecū, nempe
cū ipſomet homine eſſe poteſt. Pri-
mo igitur loco Oecumenius hāc pa
cem exponit cū proximis, quæ con-
traria eſt contentioni, qua Iudæi le-
gem defendebant, rationeq. legis ſe
iuſtificari, & Gentibus præferri cō-
tendebant. iuxta hanc expoſitionē
ſenſus eſt. Cum iuſtificati ſitis ex fi-
de, pacem habete inter vos, ceſſetq.
contentio, qua legē obtrudere vul-
tis. Quia autem hæc pax grata eſt
Deo, propterea dicitur, Apud Deū.
Chryſo. hanc expoſitionem refert Chryſoſ.
Anſelm. ſer. 9. & refellit. Secundo loco An-
ſelmus pacem eodē modo exponit,
ſed extendit ad Iudæos, & Gentes;
illi enim legem ſuam, hi naturalem
legem præferentes, inuicem de præ-
latione contendebant, quorum con
tentio remouetur, & ad pacem re-
uocatur, quia nec ex lege ſcripta,
nec ex lege naturali iuſtitia eſt; ſed
ex fide. propterea dicitur: Pacē ha-
bete apud Deum, quia per hanc pa-
cem habetur etiam pax cum Deo.
Neutra expoſitio accommodata vi
detur. verba enim, quæ ſequuntur
(apud Deum per Dominum noſtrū
Ieſum Chriſtum) non aptantur huic
ſenſui, niſi violente expoſita. Præte-
rea, quia non dictum eſt, habete, ſed
habemus, aut habeamus. non autē
Chriſo. ſe ipſum Paulus miſceret, ſi de hac
Theodo. pace loqueretur, cum ipſe non con-
Origen. tēderit. Tertio loco Chryſ. & Theo-
doret. pacē hanc exponunt cū Deo,
& in hunc ſenſum interpretantur,
Pacem habeamus apud Deū, id eſt,
quam pacem per fidei iuſtitiam ha
buimus, conſeruemus; ſumus enim
Deo pacificati per iuſtitiam fidei.
Hanc pacem ſeruemus non peccan-
do deinceps. per peccatum namq.
ſoluitur pax hæc. eadem eſt expoſi-
tio Origenis. Quarto loco Ambro. *Ambroſ.*
pacem exponit reconciliationē ho-
minis cum Deo; ſumus enim fide
pacificati, & reconciliati cum Deo,
& in hoc à Chryſ. Theodor. & Orig.
non videtur diſcordare: ſed in eo,
quod verbū non exponit in eū ſen-
ſum, pacē cōſeruemus, ſed in ſua ſi-
gnificatione propria, & in modo in-
dicandi. Habemus pacē apud Deū,
id eſt, hāc pacem facit fidei iuſtitia:
atq. hæc eſt iuſtificatorum ex fide
excellentia, qui pacem habent apud
Deum. Quem ſenſum legitimū exi-
ſtimamus; reſpōdent enim hæc ver-
ba illis in initio capitis præcedētis
poſitis (ſi ex operibus iuſtificatus
eſt, habet gloriam, non tamen apud
Deū) at qui ex fide iuſtificatus eſt,
habet gloriam, & pacē apud Deū. *Quæ ſit*

Hinc deprehenditur vana expo- *pax iuſti-*
ſitio noua modernorū hæreticorū: *tiæ, contra*
dicunt enim pacem ſignificare tran *hæreticos.*
quillitatem conſcientiæ, quæ non
agitatur terroribus, & timoribus
peccatorum: quam tranquillitatē
facit fides, qua homo credit ſibi eſſe
remiſſa peccata per Chriſtū. At hi,
præterquā quod contra omnes an-
tiquos Patres verbum exponūt, er-
rant: nam tranquillitatē hanc con-
ſcientiæ etiam facit error, & ignora
tio; multi enim nō cognoſcētes pec
cata, tranquilla ſunt conſciētia, pu-
tantq. ſe bene habere apud Deum:
contra vero, qui iuſti ſunt, ſæpe ti-
ment. altior autem eſt, & nobilior

pax

pax, quam iuſtitia fidei facit, nempe nos Deo recōciliat, nobiſq. Deū pacatum, & gratum facit. hæc vera pax eſt apud Deum.

Origen. Notat autē Orig. recte additum (apud Deum:) nam iuſtificati pacē apud ſe non habent, paſſionibus aduerſus rationē militātibus, & carne concupiſcente contra ſpiritū, & dęmone impugnante, ſæpe etiā hominibus perſequentibus. his omnibus nō obſtantibus pacem habent apud Deum, quia ipſi chari, grati, & obedientes ſunt. Hæc de verbo pacis dicta ſint.

Chryſoſ. Illud autē (per Dominum noſtrū) Chryſ. ſic connectit, vt Paulus modū exponat, quo ſeruari pax poſſit: dixerat enim (pacē ſeruemus apud Deū) at quia poterat aliquis inquirere, & dicere, qua ratione eā ſeruare poterimus? addidit. Per Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum, ipſius virtute, eoq. authore poterimus hanc cum Deo pacē ſeruare. Orig. Theodoret. Ambr. cæteriq. aliter cōnectunt, & exponunt, nempe hanc pacē eſſe per Chriſtū Dominum effectam: ipſe enim eſt pacis huius mediator, & auctor. erit ergo ſenſus: Qui ex fide iuſtificati ſunt, pacē habent apud Deum, mediatore, & auctore pacis exiſtente Chriſto Domino. 1. Thim. 2. Vnus mediator Dei, & hominum homo Chriſtus ad Ephe. 2. Faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo. Hanc ſecuti ſumus in commentario, & ea videtur legitima expoſitio.

Per quem habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam.

Connexa ſunt hæc verba proxime præcedentibus: exponunt.n. cur dictum ſit. Pacem nos habere apud Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. quod ita intelligendum eſt. per eū enim habemus acceſſum per fidem in hanc gratiam, & donum, nempe vt pacem habeamus apud Deū. Chriſtus enim eſt, qui ſua ſatisfactione, & merito obtinuit, vt nos per fidem aditum, & acceſſum habeamus, & admittamur ad pacem, & reconciliationem cū Deo. In exēplari Græco habetur particula (&) ac ſi diceret, per quem etiā habemus acceſſum. non enim Deus ſolus in ſe, & per ſeipſum nos ad pacem reuocauit, ſed ſimul etiam cum mediatore, & per mediatorem Chriſtum. propterea dicitur: per quem etiā, nempe per Chriſtum Deum hominem, & nō per ſolum Deum habemus hoc, vt fide aſſequamur gratiam iſtam, nempe pacem cum ipſo Deo. fide ergo pacificamur cum Deo, & fide acceſſum habemus in gratiam huius pacis, operante Deo per Ieſum Chriſtum mediatorem Deum, & hominem; nō enim Deus ad pacem acceſſum fecit per fidem, niſi mediatore interueniēte: ideo fides Dei, & mediatoris neceſſaria eſt, vt ſic iuſtificati pacem habeamus apud Deum. Gratiam iſtam appellat gratiā iuſtificationis, qua à peccatis liberati Deo recōciliati ſumus.

Pacē apud Deum per Chriſtum acquirim' quomodo.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIO II.

CHryſoſt. particulam illam (&) quã diximus deeſſe in verſione Latina, exponit cauſaliter. legit enim ſic. (Per ipſum enim) & exponit cauſam eſſe pręcedentis ſententię in hunc ſenſum; conſeruabimur in pace per Chriſtum. nam ſi per hunc, quando longe eramus, nondũ iuſtificati, habuimus acceſſum in hanc pacẽ, & gratiã, poterimus etiã per ipſum cõſeruari in ea ſuſcepta. Sed hanc expoſitionẽ ſuperius excluſimus: non enim illa verba (Per Dominum noſtrum) talem habent ſenſum, qualem Chriſ. adhibet. adde etiã particulã (&) copulandi, & augendi eſſe, maxime poſtpoſitam dictioni. non ergo cauſaliter eſt exponenda. quamuis, quando eſt in principio, aliquãdo cauſam indicet more Hebræorum, vti ſuperius annotauimus in cap. 5. illud etiam (habemus) Græce eſt in præterito (habuimus) ſed ſenſus idẽ eſt. Græcis etiam præteritum ſæpe pro præſenti ponitur more Hebræorum.

In qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.

Secunda excellẽtia iuſtitiæ fidei, quæ eſt ſpes gloriæ.

ALteram excellentiã huius iuſtitiæ fidei manifeſtat; nõ ſolum enim apud Deũ pacem efficit, noſq. Deo reconciliat; ſed etiã ſpem facit gloriæ Dei, ſeu gloriæ filiorum Dei; iuſtificati enim peruenire ad gloriam dignam filijs Dei ſperamus. Cõtinuantur autem verba hæc præcedentibus. Habemus, inquit, acceſſum per fidem in gratiam iſtam iuſtificationis, per quam ſumus Deo pacificati, & recõciliati; in qua quidem gratia ſtamus, adhuc progreſſuri amplius, ad maioraq. promouendi. non.n. ea finis eſt, & terminus, ſed adhuc ad maiora properamus. in ea etiã gloriamur, id eſt, nos magnos, ac beatos reputamus, ac prædicamus. Hac autem ſpe, id eſt, quia ſperamus gloriam Dei, ſeu gloriam filiorum Dei, quæ quanta ſit oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. de ea dicitur Rom. 8. Ipſi intra nos geminus adoptionem filiorũ Dei, expectantes redemptionem corporis noſtri, ſpe.n. ſalui facti ſumus. *Rom. 8.*

Gloriari quid ſit, & quotupliciter ſumitur.

Attende, gloriari, eſſe magnifice, ac præclare de ſe ſentire, ac prædicare: in bonam, & in malã partem ſumitur; quando.n. aliquis magnifice de ſe ſentit, ac prædicat propter aliquid, cuius ſe cauſam facit, vitioſum eſt, & ad iactantiã pertinet: quando vero id fit propter aliquid acceptum à Deo, quod nõ ſibi, ſed Deo auctori tribuit, hoc laudabile eſt, & pertinet ad laudem Dei: qui.n. dona Dei accepta magnificat, ac ſe beatũ prædicat propter ea, non ſibi tribuendo, ſed Deo, Deũ laudat in hac gloriatione. ita gloriata eſt beatiſsima Virgo Dei mater Luc. 1. Beatam me dicent oẽs generationes, quia fecit *Luc. 1.*

mihi

Digitized by Google

mihi magna, qui potens eſt. ſic etiam gloriandum monet Paulus 2. Cor. 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur. ſic gloriamur Chriſtiani, quod tot, ac tãta bona à Deo accepimus, nos beatos propterea iudicantes; hoc enim eſt Deum, & dona ipſius commendare. ita nunc dicit Paulus. Gloriamur in gratia iſta; nos vere beatos, & excellentes, ac illuſtres reputantes, propter hanc gratiam acceptã; non nobis, ſed Deo auctori tribuentes, qui tales nos fecit. Stamus autẽ, & gloriamur in iſta gratia ſub ſpe gloriæ; beatitudo enim, & felicitas noſtra in hoc ſæculo in ſpe, non in re eſt. Magna ergo eſt excellentia iuſtitiæ huius, quæ præter bona præſentia, quę adfert, nempe à peccatis liberationem, Deo reconciliationem, & multa alia, quæ his communicantur; confert etiam ſpem certam gloriæ filiorum Dei in æterna beatitudine. Gloriam Dei appellat, qua Deus ſuos in æterna beatitudine glorificat.

ANNOTATIO III.

Chryſo. VErbum (ſtamus) Chryſo. dictum putat ad exprimendã ſtabilitatem gratiæ, & donorũ ſpiritualium, à qua nemo nos poteſt depellere: non.n. eſt ſicut temporales dignitates, & principatus, à quibus homines tandẽ remouentur: à gratia vero nemo id facere poteſt. Alij ad perſeuerantiam referunt, nempe in qua perſeueramus. At mihi accõmodatior videtur expoſitio, verbo hoc indicaſſe Paulũ progreſſum ad vlteriora bona, quę ſperamus. ſic.n. hanc accepimus iuſtificationis gratiam, vt in ea ſtantes adhuc ſimus. nondum enim peruentũ eſt ad ſtatũ vbi ſedendum eſt, quem ſperamus. Alij ad ſignificandam gratiæ excellentiã dictum putant; ſtamus enim in hac gratia, non iacentes, aut depreſſi, ſicut in lege olim Iudæi erãt, ſed erecti, & ad magnam promoti dignitatem. Sed quod prius diximus accommodatius eſt.

Stare quomodo dicimur in gratia.

Aduertendum etiã eſt, omnes fere expoſitores connectere illud (gloriamur) cũ verbo (in ſpe) quaſi ſpe ipſa gloriemur. & re vera non eſt recta connexio, ſed connectendum eſt cum eodẽ verbo præcedenti: in hac gratia ſtamus, & gloriamur, ſub ſpe, id eſt, ſperantes gloriam Dei. & in Græco exẽplari manifeſtior eſt hic ſenſus: quod.n. Latinus interpres vnica præpoſitione vertit (in qua, in ſpe) Græce ſunt duæ diſtincta, ἐν, & ἐπὶ, quaſi in gratia gloriamur ſub ſpe. eſſe autem ſic connectendũ, verbum ſequens oſtendit. nam dicitur: Nõ ſolum, ſed & in tribulationibus gloriamur. non repetitur ἐπὶ, ſed ἐν, quaſi in gratia ſit gloriatio prior. & hic eſt ſenſus legitimus: gloriamur enim in gratia hac, propter ſpem futuræ gloriæ.

Aduertendum eſt etiã, Græce nõ haberi (filiorum) ſed gloriæ Dei: & ſic ab antiquis exponitur. Cypria. etiam lib. de exhorta. ad Marti. cap. 9. legit. Gloriamur in ſpe claritatis Dei. ſenſus tñ idẽ eſt. ſiue.n. legas illo, aut hoc modo, beatitudo æterna ſignificatur. quã ſperam' à Deo, hanc gratiã iuſtificationis habẽtes.

Non

Digitized by Google

Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus.

Tertia excellentia gratiæ, ſiue iuſtitiæ fidei eſt gloriari in tribulationibus.

TErtia excellentia gratiæ huius eſt hæc. connectuntur autem verba ſuperioribus ſic. Non ſolum in gratia iſta ſtamus, & gloriamur propter ſpem, ſed adhuc etiã gloriamur in tribulationibus: tanta enim eſt gratia hæc, & iuſtitia, vt ex tribulationibus, quas patimur, fructum magnum, ac tantum eliciat, vt nos in eis gloriemur, felices, ac beatos reputantes, quando tribulamur, ipſasq. tribulationes tanquam bona, & dona inſignia acceptantes. non de quibuſcũque tribulationibus loquitur: nam & mali tribulationes patiũtur; ſed de tribulatione bonorum, quas propter Chriſtum, aut propter iuſtitiam ipſam, ſiue à perſecutoribus, ſiue à dæmonibus, ſiue à carne, ſiue quouis modo, honeſti exequendi cauſa, patiũtur. de quibus dictum eſt Act. 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Magna eſt vis gratiæ huius, quæ gloriari in his facit, quæ mundus quaſi abiecta, aſpera, & nociua abhorret. gloriamur ergo in gratia hac propter ſpem bonorum futurorum, & gloriamur etiam in tribulationibus.

Scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem.

Quare gloriamur in tribulationibus.

CAuſam cur in tribulationibus etiam gloriemur exponit: ea autem eſt, quia ſcimus tribulationibus iſtis ſpem noſtram confirmari, quam habemus futuræ gloriæ Dei. gratia quidem & iuſtitia, quæ ex fide eſt, ſpẽ efficit; & ideo in ea gloriamur. at dum accedunt tribulationes, perſecutiones, & anguſtiæ, ſpes roboratur; ideo etiã in his gloriamur. ſpem autẽ roborant, & augent ſic; tribulatio enim occaſionem, & materiã patientiæ ſubminiſtrat; patientia autem nos probatos facit: vt enim ignis aurum probat purum, ac legitimum; ſic tribulatio probat, & explorat veram iuſtitiam, ac conſtantem; idcirco probatio, & exploratio ſpem facit, id eſt, eam confirmat, & roborat. qui enim tribulationes nondum ſunt paſſi, minus ſperare poſſunt, neſcientes an in tribulatione ſubſiſtent. dictum enim eſt Matth. 13. eſſe aliquos, qui verbum audiunt, & cum gaudio accipiunt, non tamen habent in ſe radicem, ſed, facta perſecutione, & tribulatione propter verbum, continuo ſcandalizantur. probatio ergo ſpem roborat, &, vt dicit Chryſo. vigere facit. In tribulationibus igitur hac de cauſa gloriamur. *Matt. 13*

Attende, probationem per tribulationes operari ſpem, nõ ſolum eſſe confirmare, & roborare ſpem conceptam, ſed etiã augere. nam augetur

augetur præmium tribulationibus: ideo etiam ſpes augetur. & ita Ambr. annotat, quod 2. Cor. 4. docuit Paulus. Quod leue, & momentaneum eſt tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Tribulatio ergo operatur præmium. igitur, quod ex gratia iuſtificationis præmiũ ſperatur, ipſa tribulatione augetur. ideo ſpes præcedens confirmatur, & augetur. Apertius hoc docuit Petrus 1. Canon. 1. Probatio, inquit, veſtræ fidei multo pretioſior auro inueniatur in laudem, gloriam, & honorem. Ecce ipſa probatio facit gloriam, laudem, & honorem in die reuelationis Domini, quando præmium accipient iuſti, & ſancti.

Tribulatio, & patiētia operatur ſpē contra hæreticos.

Conuincit hæc ſententia noſtri temporis hæreticos; non enim ſola fides operatur ſpem, ſed etiam patientia; nec ſolum fides præmiũ habet, ſed patientia etiã, & conſequenter cæteræ virtutes, quæ ex fidei iuſtitia ſunt. non ergo propter difficilia, & ardua, nec propter tribulationes, ac perſecutiones retrocedendum eſt à iuſtitia, cum hæc ſpem maiorem futurorum bonorum faciant. Sententia hæc gradatio quædam eſt, quæ Græce climax appellatur, de qua Auguſt. lib. 4. de doctri. Chriſtia. cap. 7. tract. quæ ad iocunditatem rationis facit.

ANNOTATIO IIII.

DVbitatio occurrit: videtur enim Paulus contrarius Iacobo; hic enim in ſuæ epiſtolæ capite 1. dicit ſic. Scientes, quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur. Paulus autem contrarium aſſerere videtur. Patientia, inquit, operatur probationem: eſt autem ſermo de eadem patientia, quę in vtroq. loco Græce dicitur ὑπομονή, id eſt, tolerantia, qua homo voluntarie tolerat immiſſas tribulationes, vt iuſtitiam, & fidem conſeruet. Attende, probationem dupliciter accipi: vno modo pro ipſa operatione, ſiue ſit paſſio, qua homo exploratur, ſiue ſit actio, qua Deus explorat, & examinat, & hæc patientiam operatur. nam homo operationem hanc, & examen non ſuſtinet, niſi per patiētiam, vnde probatio hæc occaſio, materia, incitamentumq. eſt tolerantiæ, ac patientiæ, & hoc docuit Iacobus. Altero modo ſumitur pro termino ipſo operationis, nempe experimento, quod ex probatione reſultat, ratione cuius dicimus aurum eſſe probatum, & legitimum: & hoc experimentum, ſeu probatio effectus eſt patientiæ; qui enim ſuſtinet tribulationes, & explorationes, ille eſt probatus, & experimento perfectus inuentus, & hoc docet Paulus. propterea vſi ſunt diuerſis vocibus Græcis. nam à Paulo dicitur Δοκιμή: à Iacobo autẽ Δοκίμιον. probatio autem hęc, qua Deus ſuos probat, frequentiſſime legitur in veteribus, ac nouis ſcripturis.

Probatio in fide quotuplex

Spes

Spes autem non confundit.

NE quis diceret, parum eſt quod non re, ſed ſpe datur, hoc reijcit Paulus: Non eſt, inquit, ſpes noſtra qualis humana, quæ hominibus nititur, hæc ſæpe fallax eſt, & confundit ſæpe, dum homines ijs, quæ ſperabant, defraudantur, & ſe vane ſperaſſe, ſeroq. veritatem cognouiſſe erubeſcunt. at noſtra ſpes non talis eſt. numquam enim confundit, nec, qui ſperarunt, vnquam ſperatis bonis defraudatos ſe ſentient; nec vnquam decepti erubeſcent. certiſſima & infallibilis eſt. maximi ergo eſt facienda talis ſpes, quæ tanti boni, & præmij eſt, nec confundit eam habentes, ſed ad promiſſa, & ſperata infallibiliter perducit. quam certitudinem confeſſus eſt Dauid Pſal. 30. In te Domine ſperaui non confundar in æternum. & Salomon Eccleſ. 2. Nullus, inquit, ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Confundi eſt excidere a ſpe, quando quod ſperabatur non aſſequitur qui ſperabat. tunc confuſus dicitur, quaſi erubeſcens in vanitate, & deceptione quam paſſus eſt. Attende, hanc ſententiam eſſe de ſpe iuſtificatorum. ſpes enim peccatorum vana eſt, & confundet illos, immo ipſimet ſe confundent; non enim promiſit Deus peccatoribus beatitudinem, ſed iuſtis. horum ergo ſpes non confundit, quod ſtatim exponit Paulus dicens.

Spes quare non cõfundit. — *Pſal. 30. Eccl. 2.*

Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.

PRobat Paulus efficaci argumento ſpem non confundere, ſed certiſſima eſſe quæ ſperamus, nec Deum defuturum promiſſis ſuis. probatio autem, & argumentum tale eſt: quia qui ex fide iuſtificati ſumus, habemus iam charitatem Dei effuſam in noſtris cordibus, qua non inimici Dei vt ante, ſed amici, & chari, dilectiq. ſumus à Deo. Effuſa eſt autem, non a quocumq., nec quouis modo, ſed per Spiritum Sanctum, qui etiam nobis datus eſt. Charitatem Dei appellat, qua diligit nos Deus, & ab ipſo dilecti ſumus: hæc effuſa, ſeu diffuſa dicitur in cordibus noſtris, quia in cordibus noſtris efficit dona Spiritus Sancti, quæ nos illi charos, & amicos, ac gratos facit. Ideo effuſam dicit per Spiritum Sanctum qui datur nobis; non ſolum enim nobis dona ſua communicat, ſed per ea in nobis ipſe Spiritus Sanctus inhabitat. Senſus ergo eſt, Spes non confundit iuſtificatos, quia ſunt facti amici, & dilecti a Deo, non quouis modo, ſed abundantiſſime. nam ex amo-

Quare ſpes non confundit.

Digitized by Google

re, & charitate acceperunt Spiritum Sanctum in cordibus ſuis. Adhuc ratio, & probatio non eſt completa: nam ſequentibus verbis perficitur; quorum breuis ſenſus eſt. ſi ergo quando inimici eramus Deus ita nos dilexit, vt filium ſuum mori voluerit pro nobis, profecto cum iā amici ſumus, & Spiritum acceperimus, multo magis dabit quæ promiſit, & quæ ſperamus. Hæc eſt tota probatio, & eſt quarta excellentia huius iuſtitiæ, qua efficimur Deo amici, & dilecti, accepto Spiritu Sancto.

ANNOTATIO V.

CVm Charitas Dei dupliciter accipi poſſit, & qua Deus nos diligit, & qua nos Deum diligimus, dubitatio eſt vtro modo ſit accipiē da. Aug. lib. de Spir. & litera. cap. 32. reſpondet, non illam, qua nos Deus diligit, ſed qua nos Deum diligimus eſſe hoc in loco accipiēdā. idem Anſel. ſentit, & Oecum. inter Græcos auctores: Chryſoſt. tamen de charitate, qua nos diligit Deus, interpretatur, & in hunc ſenſum exponit probationem hanc: nempe, ſi ita nos dilexit Deus, vt tātum donum dederit, nempe Spiritū Sanctum, nō fruſtrabitur nos bonis ſperatis. eodem modo exponit Ambr. Origenes autem dubitatione propoſita vtroq. exponit modo. omnes tamen hanc ſententiam connectunt ſic, vt cauſa reddatur quod ſpes nō confundat, præter Oecumenium qui aliter connectit, nempe vt ratio ſit, & cauſa cur gloriemur in tribulationibus, nimirum quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, ideſt, quia Deū amamus; qui autem amat, delectatur in ijs quæ propter amatum perpetitur malis. Hæc connexio probanda non eſt, nam Paulus cauſam gloriationis dederat, quia nēpe tribulatio operatur patientiam, hæc autem probationem, probatio autem ſpem, quæ non confundit, ſed certa, & infallibilis eſt. huic connectit hanc ſententiam tanquam probantem non confundi ſperantes, & ſumit argumentum ex charitate Dei diffuſa. cui ſenſui quæ ſequuntur accommodantur. vnde illa expoſitio nec præcedentibus, nec ſequentibus cohæret. Communis ergo connexio probāda eſt tamquam legitima, vt cauſa reddatur certitudinis ſpei. hæc autem eſt amor & Charitas Dei abundantiſſime communicata, & demonſtrata nobis, non verbis tantum, ſed opere, non quouis, ſed dato ipſo bonorum operum, & omnium donorum fonte ac principio Spiritu Sancto. qua charitate diligimur a Deo, & amici ſumus ipſius effecti per donum ab ipſa charitate promanans,

Charitatis duplex acceptio.

Anſel. Oecumen.

Ambroſ. Orig.

Ratio quare ſpes nō confundit.

Quamuis autem vtroque modo accipiatur ſimul, nempe charitas Dei qua diligimur, & diligimus, tamen ad mentem Pauli, & ad efficaciam argumenti magis accipitur pro charitate Dei qua diligit nos, & dilecti ſumus ab eo. nam ſi charitas accipiatur pro ea qua diligimus Deum, non complectitur omnia dona Spiritus Sancti, quia charitas vna eſt virtus. at ſi accipiamus charitatem pro ea qua diligit Deus nos, omnia complectitur. nam effuſa dicitur hæc charitas in nobis propter effectum, quia

quia in nobis efficit gratiam, charitatem, & omnia dona, & virtutes quæ ſunt Spiritus Sancti. Et hoc eſt argumentum & ſenſus Pauli: Spes non confundit, quia iam per fidei iuſtitiam accepimus ex Dei charitate Spiritum Sanctum, quo ſumus effecti diuinæ cõſortes naturæ, Deo amici, chari, dilecti. Si autem antequam tales eſſemus Deus dedit pro nobis filium, multo magis poſtquam ſumus tales effecti dabit quę ſperamus.

Attende autem, non eſſe ſenſum Pauli quem intendit Chryſoſt. nempe quia ita dilexit nos Deus, vt daret Spiritum Sanctum; ergo multo magis dabit quæ ſperamus. non hic eſt ſenſus Pauli, nec nititur argumẽtum in hoc quod diligit nos Deus: nam cum inimici eſſemus etiam, nos dilexit, mittendo, & dando filiũ pro nobis: ſed argumenti efficacia in hoc eſt poſita, amorem & charitatem, qua a Deo dilecti ſumus, & qua nos dilexit, iam eſſe effuſam, & in nobis oſtenſam, dato Spiritu Sancto, quo reconciliati ſumus, & effecti amici Dei. Si ergo tales ſumus, iam ſpes noſtra nõ confũdet nos. quam conſecutionem ſequentibus verbis probat Paulus; his enim perficitur tota probatio, vt diximus in commentario, & hunc ſenſum Ambroſ. intendere viſus eſt.

Vt quid enim Chriſtus, cum adhuc infirmi eſſemus ſecundum tempus pro impijs mortuus eſt? vix enim pro iuſto quis moritur.

SVperioribus verbis ſpem non confundere probauerat hoc argumento, quia iam Dei charitas diffuſa eſt in noſtris cordibus, dato nobis Spiritu Sancto. Obijceret aliquis. Vnde valet iſta conſecutio, Charitas, & amor Dei iam ſe effudit in noſtris cordibus, dato nobis Spiritu Sancto, quo amici facti ſumus, & repleti donis cæleſtibus; ergo ſpes non confundit. Hanc conſecutionem modo probat: & ad probationem vnam proponit dubitatiouem, cuius ſolutione hæc conſecutio firmatur & probatur. Et quia dubitatio ad probationem pertinet, propterea cauſali particula vtitur, vt quid enim, ideſt, quæ enim eſt cauſa, quare cum adhuc eſsemus infirmi morbo peccati, nondum ſancti effecti, nondum liberati deſtinato tẽpore Chriſtus mortuus eſt pro nobis impijs, & peccatoribus: quę quidem mors inſolita eſt, & inconſueta; nam vix pro homine iuſto liberando moritur aliquis; ideſt, rariſſimi ſunt, qui pro iuſto moriantur; pro iniuſto autem nemo; ipſe autem non pro iuſto, ſed pro iniuſto, & impio; non vno, aut altero, ſed, pro omnibus mortuus eſt, quare hoc tam inſolitum, & inconſuetum mundo factum eſt? Illud (ſecundum tempus) connectitur cum illo (mortuus eſt) vt ſignificet Chriſtum tempore ſtatuto, & deſtinato, quod a Patre diſpoſitum erat, mortem obijſse: iuxta illud Gala. 4. Cum venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum. Græcum enim no- *Chriſtus quomodo dicitur mortuus ſecundum tempus.*

men opportunum ſignificat. conuenienti enim, & opportuno tempore mortuus eſt.

ANNOTATIO VI.

Illud (ſecundum tempus) poteſt connecti antecedẽtibus, nempe, cum eſſemus ſecundum tempus infirmi: aut ſequentibus, ſcilicet mortuus eſt ſecundum tempus. Priori modo exponunt Chryſoſtomus & Theodoretus, nimirum pro temporis ratione, quando lex erat, quando gratia nondũ apparuerat, infirmi eramus. Poſteriori modo communiter doctores interpretantur. quãuis varia ſit eorum interpretatio. Primo enim loco Origenes ſic exponit, ſecundum tempus, ideſt, quo tempore Chriſtus mortuus eſt, pro impijs mortuus eſt. Secundo loco Ambroſius ſecundum tempus Chriſtum mortuum dici intelligit, ideſt, ad tempus, quia tertia die reſurrexit. huic adhæret Anſelmus. Tertio loco Hieronymus. Epiſt. ad Algaſiam. q. ij. vel 7. ſic exponit, Chriſtum ſecundum tempus mortuum, ideſt, opportuno tempore, quando omnes inutiles facti erant. maximeq. indigebant redemptione eius, iuxta illud, tẽpore opportuno exaudiui te. Eodem modo interpretatur Theodulus, nempe conuenienti, & opportuno tempore. Quarto loco Sedulius, recitata expoſitione Ambroſij, alteram adhibet, nempe quia in vltimo mũdi tempore mortuus eſt. Quinto loco Theodoret. ſequentem ſentẽtiam interpretans, vbi hanc particulam coniungit in Chriſti morte, dicit Chriſtum mortuum ſecundum tempus, ideſt, opportune; ſumpta opportunitate à Patris decreto, & conſilio, quando eum mori ſtatuit, iuxta illud Gala. 4. cum venit plenitudo temporis. Si Græcum vocabulum conſideramus κτ̃ καιρόν. non tempus ſimpliciter, ſed circunſtantiam ſignificat, quod dicimus, opportune. in qua expoſitione maxima pars doctorum conuenit. & quamuis probabilis ſit connexio Chryſoſt. & Theodoreti, tamen cõmuniori ſententiæ accedo, & vltimam expoſitionem Theodoreti amplector vt in commentario dictum eſt.

ANNOTATIO. VII.

Græcum exemplar habet ἔτι γὰρ, quod aliqui vertunt (etiam enim) noſter interpres legiſſe videtur εἰς τί γὰρ, (ad quid enim) & videtur lectio & ſenſus accommodatus, vt in commentario expoſitum eſt. quam lectionem Ambro. & Anſel. ſequuntur. *Ambroſ. Anſel.* idem ſenſus eſt ſiue hoc, ſiue illo legas modo: ſupioris enim ſententiæ cauſam exponit, nimirum cur ſpes non confundat, eo quod iã ſit effuſa Dei charitas Spiritu Sancto nobis dato. Ad hanc rem, & cõſecutionẽ declarandam adfert Paulus quæ ſequuntur, non autem vt cauſam oſtendat, cur Spiritus Sanctus ſit datus, vt Anſelmus interpretatur. Aduertendum præterea eſt, eundem Anſel. ſecundum tẽpus *Anſel.* mortuum, exponere, quia cito ſurrexit: tamen data expoſitio eſt accõmodatior Græco nomini. & ſic Hierony. Chryſ. & Theodor. exponunt *Hier. Chryſoſt. Theod.* Illud autẽ (pro iuſto) Hiero. ibidem interpretatur pro iuſtitia. Chryſ. tñ ꝓ homine iuſto eripiẽdo, & hoc eſt

accom-

accommodatius, nam opponitur impijs, & iniuſtis pro quibus Chriſtus eſt mortuus, vt eos ſanaret, & eriperet, ac ſaluaret.

Nam pro bono forſitan quis audea tmori?

ADhuc proſequitur dubitationem, & cur non abſolute dixerit: pro iuſto nemo moritur, ſed, vix aliquis moritur; cauſam dicti annectit, quaſi diceret. Dixi, vix aliquis moritur pro iuſto, quia aliquis forſitan audebit mori pro homine bono, & iuſto ſaluando, & eripiendo, ideo non negaui abſolute pro iuſto aliquando mori. Attende raritatem etiam eorum, qui pro iuſto moriuntur, forſitan quis audebit mori, non dicit, morietur, ſed, audebit mori, quia id non fit ſine difficultate, vt neceſſaria ſit audacia, & motus iraſcibilis, & adhuc eſt particula dubitantis, forſitan, quia raro euenit: ſi autem rarum eſt pro iuſto mori, pro iniuſto rariſſimum eſt, at Chriſtus per iniuſtis mortuus eſt. Quem prius dixerat iuſtum, dicit nunc bonum; pro eodem enim accipit hominem iuſtum, & bonum, vt opponitur impio, & peccatori, quales ſunt pro quibus mortuus eſt Chriſtus.

Quid ſit mori pro iuſto.

ANNOTATIO VIII.

EVcherius in quęſtion. noui teſtamenti hunc locum ſic interpretatur. pro bono, inquit, quis audeat mori, ideſt pro Chriſto: hic de ſe verecunde indicans, quòd pro Chriſto mori poſſit. Vel pro iuſto, ideſt, in lege, in qua eſt pro mandatorum ſeueritate iuſtitia, pauci Martyres extiterunt; at in nouo teſtamento, in quo eſt pro pietate præceptorum bonitas, innumerabiles Martyres extiterunt. Hæc Eucheri. iuſtum igitur interpretatur legem, bonum autē Euangeliū, aut Chriſtum ipſum. neutra expoſitio videtur contextui accommodata.

Commendat autem Deus charitatem ſuam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.

SOluit dubitationem, & interrogationem propoſitam, ſcilicet in eo Deum amorem ſuum erga nos maxime admirabilem, & laudabilem feciſſe, quia cum eſſemus adhuc in peccato, ideſt, nondum reconciliati, ſed adhuc peccato ſubiecti, Chriſtus pro nobis mortuus eſt deſtinato tempore. Commendare Deum charitatem ſuam in nobis, eſt oſtendere ac manifeſtare nobis, charitatem ſuam erga nos eſſe valde admirabilem, & commendabilem. id autem eſt,

quia non ſolum pro ijs qui peccauerant, ſed pro ijs étiam qui adhuc peccatores erant, & peccatis detinebantur, mortuus eſt ſecundum tempus, quod miræ charitatis eſt. Hoc idem docuit Ioannes. 1. Ioan. 4. his verbis: In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Illud (in hoc eſt charitas) idem ſignificat, quod his verbis ſignificat Paulus, commendat Deus charitatem ſuam in nobis. ac ſi diceret, in hoc apparet ſingularis, & omni laude, & gratiarum actione celebranda Dei charitas erga nos. Idem etiam Ioannes in Euangelio cap. 3. alijs etiam verbis expoſuit, ſic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. ac ſi diceret, in hoc mirabilis oſtenditur charitas Dei erga nos, quia filium ſuum miſit in mortem pro ijs, qui morti adiudicati erant æternæ, ne perirent, ſed vitam haberent æternam. Illud (adhuc peccatores) exaggeratio quædam eſt, non ſolum peccauimus, ſed peccatis peccata addidimus, & in peccatis detinebamur, & in ſtatu peccati eramus. ab hoc enim Chriſtus nos liberauit, ante cuius liberationem peccatores eramus. cum autem tales eſſemus, Deus filium ſuum pro nobis mori voluit, in quo dilectio Dei maxime commendabilis, & admirabilis oſtenſa eſt.

Ioan. 3.

Chriſtus quomodo oſtendit charitatē ſuam in nobis.

ANNOTATIO IX.

GRæca exemplaria noſtra non habent in hoc loco illud (ſecundum tempus) nec à Chryſoſt. legitur nec in commentario, neq. in ſerm. 6. de Myſterijs cœnæ Domini, nec ab Ambr. nec ab Irenæo lib. 3. cap. 18. legitur tamen & exponitur à Theodoreto, qui cum in ſententia præcedenti eam vocem coniunxiſſet cum illis verbis (eſſemus infirmi ſecundum tempus) in hac vero ſententia connectit cum illo (mortuus eſt ſecundum tempus) interpretaturq. definito tempore mortuum, iuxta illud Gala. 4. cum venit plenitudo temporis. vt in annotatione præcedenti notauimus, quod argumento eſt, in Græcis antiquis exemplaribus illud legi; aliter enim à Theodoreto non exponeretur: idcirco nos eius lectionē ſecuti ſumus, quæ in fere omnibus exemplaribus Latinis habetur. Nec mirum eſt doctores allegatos non legiſſe, nam non ſemper recitant, aut interpretantur omnia verba, preſertim cum in præcedenti ſententia ea verba expoſuerint quidam illorum. Nam Cyprianus Epiſt. 52. ad Antonianum, recitat præcedentem ſententiam, nec legit illud (ſecundum tempus) cum tamen omnes eam ibi legant. vti enim dixi, qui allegat, non citat omnia verba, ſed quæ ad rem illius faciunt.

Cyprian.

ANNO-

ANNOTATIO X.

Attendenda ſunt aliqua in hac ſententia. Primum eſt in eo, quod Paulus Chriſti mortem immenſæ Dei erga nos dilectioni tribuit, inſinuare non ex neceſſitate mortuum eſſe, ſed ex voluntate Patris, vt ſic ſuam charitatem erga hominem aperiret. potuiſſet enim Deus mundum redimere, & liberare, etiam non intercedente morte, immo nec aduentu in carnem filij ſui. placuit tamen ex dilectione ſic facere, ita docet Aug. lib. 13. cap. 10. & ſequentibus, in quibus hunc locum Pauli exponit. Nos de hac re multa diximus Ioan. 3. in illam ſimilem ſententiam (ſic Deus dilexit mundum).

Chriſtus non ex neceſſitate, ſed ex charitate mortuus eſt pro nobis.

Auguſt.

Ioan. 3.

Alterum eſt, non in morte ſola filij Deum ſuam commendaſſe charitatem, ſed etiam in aduentu ipſo, & in multis alijs quæ Chriſtus fecit, & paſſus eſt pro nobis, ſed mortis meminit Paulus, quia ea eſt in qua propter nos maxime Chriſtus ſe humiliauit. Philip. 3. Humiliauit ſe vſq. ad mortem. Ideo in ea maximum dilectionis Dei argumentum apparet. Adde, in morte etiam cætera ſignificari. qui enim mortuus eſt, incarnatus etiam, & multa paſſus eſt.

Tertium eſt, Paulum nos triplici nomine appellaſſe, nempe infirmos, & peccatores, vt magis in hoc dilectio Dei innoteſcat, & firmior ſit iuſtificatorum ſpes, qui quando tales erant tanta a Deo acceperunt. Infirmi dicti ſunt, quia viribus deſtituti, vt ſe poſſent a peccato liberare. Impij, quia contra eum, a quo liberandi erant, peccauerunt, ad Idola ſe conuertentes, & falſos Deos venerantes. Peccatores, quia cõtra eius legem egerũt, tales erãt pro quibus Chriſtus mortuus eſt.

Origenes aliter interpretatur, dicit enim omne genus peccati concludi. Impij dicuntur, qui verum Deum ignorantes falſos colunt: infirmi, qui carnis fragilitate peccãt; peccatores vero, qui malitia. ſic Orige. interpretatur. quòd ſi opponas, quid de his, qui ignorãtia peccant? Reſpondeo comprehendi ſub ijs, qui infirmitate peccant. *Orig.*

Multo igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſum.

Concludit Paulus ex hac ſolutione, ſeu reſponſione, ſumpto argumento a minori, ſi fecit quod minus videbatur faciendum, faciet ergo Deus quod magis videtur. minus videbatur faciendum, & ſperandum, Chriſtum mori pro nobis, quãdo peccatores eramus; hoc autem fecit Deus, faciet ergo vt iam iuſtificati, & tanto pretio redempti, nempe ſanguine, non agnorum, aut vitulorum, ſed ipſius Chriſti, ſalui ſimus ab ira per ipſummet Chriſtum; hoc enim magis videbatur faciendum. qui ergo per mortem Chriſti peccatores iuſtificauit, multo magis per eundem Chriſtum viuum iuſtificatos, & reconciliatos liberabit ab ijs malis, quæ ex Dei ira prouenerunt, & ſalutem præbebit promiſſam, nec ſpem noſtram faciet inanem, & vacuam, nec nos

Digitized by Google

confundet, nec fruſtrabitur. Iram Dei appellat iuſtam vindictam qua Deus punit peccatores, vt exponit Aug. lib. 3. Trini. cap. 16. *Auguſt.*

Si enim cum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius.

ARgumentationem hanc fecerat Paulus; cum eſſemus adhuc peccatores, & nondum reconciliati, Chriſtus pro nobis mortuus eſt; ergo multo magis iuſtificati iam in eius ſanguine ſalui erimus, ab ira, ideſt, a pœnis quæ pro peccatis inflictæ ſunt nobis. Probat Paulus conſecutionem hanc verbis clarioribus. nam ſi pro inimicis fecit Deus tanta, pro amicis faciet quæ minora ſunt. maius fuit per mortem vnigeniti ſui reconciliare inimicos, quam reconciliatos, & amicos factos per vitam, & reſurectionem iam factam filij ſaluare. illud factum eſt; & hoc igitur fiet; ſpes igitur noſtra non confundet nos.

Reconciliatio inimicorum per mortẽ Chriſti fuit ex pura miſericordia.

Attende, reconciliare inimicos per mortem filij, opus fuit puræ miſericordiæ, omnino indebitum. non enim ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, propterea minus videbatur faciendum, quanto nos non ſolum non digni, ſed indigni videbamur, & eramus. at amicos, & reconciliatos ſaluare per Chriſtum iam non morientem, ſed viuentem, opus eſt ad iuſtitiam pertinens. nam merita data ſunt hominibus a Deo per Chriſtum, quibus hanc promereamur ſalutem. idcirco magis videtur faciendum. Et hoc eſt quod dicit Paulus, multo magis reconciliatos ſaluabit, æternam ſalutem conferendo, quam nobis Chriſtus, non iam moriens, ſed viuens, ſeu Deus per ipſum tamquam mediatorem conferet. Idcirco argumentum efficax hoc eſt certitudinis, & infallibilitatis ſpei noſtræ. Tota hæc argumentatio eſt explicatio, & confirmatio illius ſententiæ a principio poſitæ; ſpes non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis. ac ſi diceret, quia iam ſumus reconciliati, iamq. nobis eſt datus Spiritus Sanctus, iam etiam Dei charitas, & dilectio effuſa eſt in cordibus noſtris per opera ipſa in noſtris cordibus effecta. Vt ergo hanc conſecutionem Paulus explicaret, tota iſta argumentatione de Chriſto vſus eſt.

ANNOTATIO XI.

ADuertenda eſt locutio Pauli; per mortem enim nos reconciliatos, & in vita Chriſti ſaluandos dicit, non autem dixit (per vitam) ſicut dixerat (per mortem) quia non ſic vita Chriſti reſurgentis ſalutem æternam conſequimur, ſicut morte ipſius reconciliati ſumus. nam mors fuit pretium redemptionis noſtræ, qua ſatisfactum eſt Patri pro omnium peccatis, & qua Chriſtus meruit nobis vitam ſpiritualem gratiæ, & ſalutem æternam. ideo per mortem nos reconciliauit. At vita, quam nunc viuit non eſt pretium ſaluationis, nec meritum ſalutis noſtræ, quam ſperamus: ſed quia ipſe viuens, & à morte reſurgens, eſt qui nos ſaluat. & quia ipſe vita ſua, & reſurrectione ſua efficiet nos reſurgere, & ad æternam vitam perducet; idcirco dicitur, in vita nos ſaluaturus; ſi enim non reſurgeret, nec nos reſurgeremus; ſi ipſe non viueret, nec nos viueremus, quantumcumque ſua morte nos redemiſſet. huius rei maior explicatio habetur ex ſuperiori ſententia capitis præcedentis: Surrexit propter iuſtificationem noſtram.

Chriſtus per mortem nos reconciliauit, reſurgens nos glorificauit.

Attendendũ etiam eſt in his proximis ſententijs, quot, ac quantis argumentis Paulus ſpem noſtram roboret, & certam eſſe oſtendere conetur. Primo quidem ex reconciliatione facta; ſecundo ex Spiritu ſancto dato: tertio ex dilectione tanta Dei, quando eramus inimici, & adeo auerſi, vt impij, & peccatores eſſemus: quarto ex Chriſto pro nobis dato; quinto ex ipſius ſanguine redemptione facta. à Deo ergo, qui tanta, ac tot fecit pro nobis, quid non ſperare certiſſime debemus? vtitur autem Paulus tam efficaci probatione ad confirmandam ſpem futurorum, quia tunc Chriſtiani maximas tribulationes, & perſecutiones propter Euangelium patiebantur; idcirco opus erat eos futuris bonis conſolari, & in ſuſcepta fide confirmare, vt non præſentia, & quæ videntur contemplarentur, ſed quæ nõ videntur: hæc enim æterna ſunt; illa vero temporalia, vt ipſemet docuit 2. Corin. 4.

Paulus quot argumentis ſpem noſtram confirmat.

Non ſolum autem, ſed & gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

COnnexa ſunt verba ſuperioribus illis (non ſolum hoc, ſed & gloriamur in tribulationibus.) Paulus enim gratiæ iuſtificationis excellentiam exprimens, dixerat in ea nos iuſtificatos gloriari ſub ſpe gloriæ Dei futuræ; gloriari etiam non ſolum in hoc, ſed etiam in tribulationibus, cauſa eiuſdem ſpei non confundentis. Vt autem ſpei huius certitudinem exponeret, & confirmaret, aliquot interpoſuit ſententias; poſt quas reuertitur ad continuandam

Digitized by Google

dam gloriationem hanc. Et eſt ſenſus: Non hoc ſolum, ideſt, non tantum in gratia hac, & iuſtitia gloriamur propter ſpem; nec etiam tantum gloriamur in tribulationibus ratione eiuſdem ſpei, quæ non eſt fallax; ſed etiam gloriamur in Deo ipſo, quæ gloriatio maior eſt præcedentibus. Gloriari autem in Deo eſt poſtquam reconciliati ſumus ſentire, ac prædicare Deum habere patrem, amicum, familiarem, gratum, tutorem, defenſorem, protectorem, ac ſupra modum dilectorem. Magna hæc eſt gloriatio, qua redempti, & reconciliati, ac iuſtificati de ſeipſis ſentiunt, ac prædicant tam magnifica, & honorifica diuina beneficia. At ne exiſtimet aliquis ſe ſuis meritis aut operibus id aſſecutum eſſe, addidit Paulus; Gloriamur in Deo, non noſtra virtute, nec merito, nec opere, ſed per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliati ſumus, ideſt, nos tam magnifica de nobis prædicamus, vt Deum talem habeamus per Dominum noſtrum, ideſt, ſimul ſentientes, ac prædicantes per mediatorem Dominum noſtrum ea aſſecutos eſſe. ipſe eſt qui nos reconciliauit, ipſi debetur totum, quod per reconciliationem eius habemus, & accepimus, in quibus gloriamur. Dicitur (nunc) quia Euangelium, reconciliationem iam eſſe factam annunciat. nunc ergo, id eſt, tempore hoc, quo gratia aduentus prædicatur. Attende autem quod ſuperius dicebamus, qui ex operibus proprijs iuſtificatur, non habere apud Deum gloriam; at qui ex fide iuſtificatus eſt, habere pacem apud Deum, habere etiam gloriam, & in iuſtitia ipſa propter ſpem gloriæ Dei etiam in tribulationibus, & ipſomet Deo. & hæc eſt alia huius iuſtitiæ excellentia ſupra omnem legis, & operum iuſtitiam.

Quare nos in Deo gloriemur.

ANNOTATIO XII.

SVperiorem ſententiam non eodem modo connectunt, & exponunt Doctores. Chryſoſt. enim ſic connectit, vt ad immediata verba ſuperiora referatur, vt ſit ſenſus. non ſolum ſaluati ſumus in vita ipſius, ſed & gloriamur in Deo. Theodoret. non ad ſalutem, ſed ad ſpem refert. vt ſit ſenſus: Non ſolum in futuro ſperamus ſalutem, ſed etiam in præſenti in Deo gloriamur. cui etiam conſentit Anſelmus. Mihi accommodatior eſt viſa connexio, vt ad præcedentem gloriationem referatur, ac ſi dictum eſſet. gloriamur in gratia iſta ſub ſpe gloriæ filiorum Dei; non ſolum hoc, ſed etiam gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur; non ſolum hoc, ſed etiam gloriamur in Deo. nam quæ interpoſita ſunt, ea de cauſa ſunt

Chryſoſt. *Theodor.* *Anſel.*

Digitized by Google

ſunt dicta, vt ſpem non confundere probaret. quo probato proſequitur Paulus gloriationes enarrare, vt in hoc noſtræ iuſtitiæ, quæ ex fide eſt, excellentiam oſtendat ſupra iuſtitiam legis, & operum, quæ gloriam apud Deum non habere dicta eſt. at hæc quæ ex fide eſt gloria abundat.

Quantum autem ad ipſam pertinet expoſitionem, varij etiam ſunt Doctores in ſenſu explicando illius verbi (ideo gloriamur) Chryſoſt. enim ſic exponit, non ſolum ſaluati ſumus, ſed & in hoc gloriamur, vnde aliquis non confundi debere putauit; quod enim in tanta viuentes malitia ſaluati ſimus, maximum ſignum eſt, quod ab eo qui ſaluauit valde diligimur. gloriamur ergo in Deo, tamquam nos maxime diligente. Theodoretus, quamuis vti diximus aliter connectat, eodem tamen modo fere exponit. Gloriamur, inquit, in Deo tamquam familiares eius effecti. Anſelmus autem aliter exponit. Gloriamur, inquit, in Deo, in eo quod conſideramus nos cum illo futuros in gloria. Mihi accommodatior videtur expoſitio Chryſoſt. & Theodor. ſic intellecta, vt in commentario expoſuimus; eſt enim gloriatio reconciliatorum, & iuſtificatorum per Chriſtum. hi enim gloriantur in Deo, ideſt, Deo ipſo gloriantur, dum tamquam magnum, & excellens bonum exiſtimant, & prædicant ſe habere Deum patrem, amicum, dilectorem, & ſaluatorem; hoc tamen per Chriſtum, qui reconciliationis mediator, & auctor fuit. hæc enim gloriatio non aliud eſt, quam maximi facere hæc omnia, quæ à Deo, & in Deo habent, vti vere magnificienda ſunt. Illud autem (nunc) Anſelmus ad præſentem vitam refert, quia in hac vita reconciliati ſumus, & reconciliationis gratiam habemus, perfectam autem ſalutem in futuro ſeculo ſperamus. Nos ad ſtatum Euangelicum retulimus, in quo gratia reconciliationis iam eſt per Chriſtum effecta, & annunciatur omnibus.

Chryſoſt. *Theod.* *Anſel.* *Chryſoſt* *Theodor.*

Propterea ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.

Chriſti aduentus, ac neceſsitas iuſtitiæ vnde.

MYſterium incarnationis, & Chriſti aduentus, ac neceſſitatem iuſtitiæ ipſius exponit. eſt autem connexio valde aduertenda; cum enim docuerit in fine capitis præcedentis, ex fide iuſtitiam eſſe, non autem ex quacumque fide, ſed ex ea, qua credimus in Deum, ſimul etiam credentes in Chriſtum mortuum pro noſtris delictis, & reſurgentem; in hoc vero capite, per eum nos habere acceſſum ad iuſtitiam, & gratiam, multaq. de morte ipſius docuerit, tandemq. concluſerit, nos in Deo gloriari per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem reconciliationem accepimus: recte nunc ex ijs deducit Paulus, dicens: (Propterea ſicut per vnum hominem) ac ſi diceret, hinc factum eſt, vt ſicut per vnum

hominem

hominem peccatum,& mors in mundum intrauit; per vnum etiam hominem peccatum, & mors expellantur; vnus enim nos à Deo auertit, vnus etiam nos Deo reconciliauit; per vnumq. in Deo offenſo,& irato confundimur; per alterum ergo in Deo placato, & reconciliato gloriamur. Hæc eſt connexio ex antecedentibus illata, vnius nempe Chriſti meditatione nos omnes acceſſum,redemptionem, & reconciliationem habere. Similitudo igitur eſt in modo reparationis, & euerſionis humanæ in eo, quod ſicut vnus reparauit, ita vnus euertit humanum genus. Paulus autem hanc poſteriorem partem ſimilitudinis non expreſſit; non enim addidit, ita per vnum hominem iuſtitia intrauit, tamen alijs verbis eam indicauit; poſt expoſitam enim partem Adæ, adiunxit, qui eſt forma futuri. ac ſi diceret, ita per vnum futurum hominem, qui Chriſtus eſt, intrauit iuſtitia, & vita in omnes. Vnde non eſt neceſſe ſupplere quod aliqui ſupplendum exiſtimant, nempe ſicut per vnum hominem peccatum, & mors in omnes homines, ita per vnum iuſtitia, & vita. Hoc non videtur ſupplendum, cum Paulus id ſignificauerit verbis proprijs, hæc eſt vera,& legitima connexio.

Quantum autem ad ſenſum verborum propoſitorum pertinet, expoſitio legitima eſt, per vnum hominem, nempe Adam, peccatũ intrauit in hunc mundum, & propter peccatum mors, ideſt, ab initio peccatum non erat in mundo; homo enim creatus erat iuſtus, & rectus. nec etiam mors erat; quia immortalis à Deo factus eſt, vt poſſet numquam mori. At ipſe peccans, & tranſgrediens Dei præceptum, & ſe peccato infecit, & mortis propter peccatum pœnam contraxit; & ſic peccatum, & propter peccatum mors intrauit in mundum, vbi prius non erat; factus eſt enim peccator, & mortalis, vt non poſſet non mori. Mundum homines appellat, & Græce non habetur illud (hunc.)

ANNOTATIO XIII.

QVantum ad connexionem attinet, aliqui moderni non inuenientes, qua ratione hæc verba ex ſuperioribus inferantur, particulam (præterea) cum antecedentibus coniungunt; nempe per quem reconciliationẽ accepimus. propterea, ſeu propter hoc, nempe, quia iuſtificati ſumus in ſanguine ipſius; at nimis eſt violenta expoſitio, nec enim ad illud referri poteſt, quia noua eſt interpoſita ſententia. nec etiam talis particula in fine ſolet apponi. Quam in commentario diximus. ea eſt legitima expoſitio.

Quantum autem ad rem pertinet, Aug. lib. 1. de pec. merit. cap. 9. *Auguſt.* & mul-

Peccatum & mors quomodo per vnum hominem intrauit in mundū Aug.

& multis alijs in locis hanc ſententiā ſic exponit, vt peccatū intraſſe per vnum hominem dicatur, quia peccatum Adæ omnes fecit peccatores, qui ex eo nati ſunt. Quia ergo in omnes homines peccatum eius propagatum eſt. dicitur peccatum intraſſe.

Refellendus eſt autem error alter Pelagianorum, cuius meminit Aug. lib. 1. de pec. merit. cap. 9. hi enim mortem interpretabantur, de animæ; non de corporis morte; exiſtimabant enim Adam ratione naturæ mortem contraxiſſe, quia mortalis erat, non propter peccatum. tamen catholica veritas contrariū docet, & contextus Pauli id ipſum indicat; per peccatum enim mors corporis contracta eſt: & de hac loquitur, vt cauſam oſtendat, quare Chriſtus mortuus ſit, vt ſua nempe morte corporali noſtram mortem per peccatum contractam deſtrueret.

Et ita in omnes homines mors pertranſijt.

EXponit progreſſum, & dilatationem peccati, & mortis, quæ per vnum hominem intrarunt in mundum, & per eundem progreſſa ſunt. Incipit autem à mortis progreſſu, quia hæc notior eſt, & ſenſibus patet, per eamq. peccati progreſſus inuiſibilis demonſtratur. Proſequitur igitur ſententiam ſuam Paulus. Per vnum, inquit, hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors. (Et ita) ideſt, ad hunc etiam modum, nempe per huius vnius hominis peccatum mors pertranſijt in omnes. quo enim modo intrauit, nempe per vnius peccatum, ita & ad eundem modum per eiuſdem vnius peccatum. ita & ad eundem modum per eiuſdem vnius peccatum mors peruaſit omnes. Attende, particulam illam (ita) non reſpondere illi præcedenti (ſicut:) tunc enim non erat dicendum (& ita) ſed tantum (ita in omnes pertranſijt) particula ergo illa (&) indicat hanc ſententiam eſſe continuam, & inabſolutam, & ſub illa particula (ſicut) contineri, nempe: Sicut per vnum hominem peccatum intrauit, & per peccatum mors, & hoc etiam modo pertranſijt in omnes; ita per vnum hominem, Chriſtum, iuſtitia, per iuſtitiam vita intrauit, & vita in omnes tranſijt, vti diximus paulo ſuperius.

ANNOTATIO XIV.

Mors primi hominis quō dicitur tranſire.

ATtende, mortem hanc, quæ tranſire dicitur, eſſe mortem primi hominis. hæc autem dicitur tranſire, non quod eadem illa mors ſit omnium poſterorum, ſed quod illa mors cauſa fuit mortis omniū noſtrum: nam per illam natura humana tota morti ſubiecta eſt, vt neceſſe

eſſe ſit mori: mors ergo illius in omnes trãſijt, quia dũ ipſe ſe morti ſubiecit, nos omnes totamq. poſteritatem morti obnoxiam effecit. Dicitur autem mors tranſire per peccatum in omnes, nempe per peccatũ illud Adæ, quod fuit cauſa, vt nos omnes peccatores, & ideo mortales efficeremur, vt in ſequentibus verbis Paulus exponit, in quorum explicatione hæc ſententia diſcutietur.

In quo omnes peccauerunt.

PRogreſſum peccati primi exponit, & connectuntur verba hæc ſuperioribus, ſic; dixerat enim ita mortem in omnes pertranſiſſe, nempe per peccatum vnius. Ne quis autem exiſtimaret, peccatum Adæ mortem in omnes inuexiſſe, ipſum autem intra Adam manſiſſe, nec alium præter ipſum infeciſſe, ſubdit: Omnes in eo peccauerunt, ac ſi diceret, per peccatum Adæ mors tranſijt in omnes, quia illud peccatum tranſijt in omnes: in eo enim omnes peccauerunt, mors eius nos omnes mortales fecit, quia ipſius peccatum nos omnes peccatores conſtituit, ipſo moriente mortui ſumus, quia ipſo peccante peccauimus, ideo per illum mors in omnes tranſijt, quia etiam in omnes tranſijt eius peccatum, ab eo naſcimur mortales, quia ab eo etiam naſcimur peccatores. cætera in annotatione quære.

ANNOTATIO XV.

Auguſt.

Peccatum primi hominis quõ dicitur pertranſire in poſteros.

AVguſt. lib. de pec. meri. cap. 10 illud (in quo) refert aut ad peccatum, nempe in quo peccato homines primi omnes peccauerunt. at ipſemet Auguſt. lib. 4. con. duas epiſt. Pelagian. cap. 4. diligentius rem conſiderans, nouit, non poſſe referri ad peccatum, ſed ad hominem, per quem peccatum intrauit, quia in Græco exemplari peccatum eſt generis feminini, relatiuum autem eſt maſculini, non ergo ad peccatum, ſed ad hominem referri debet. & ita retulit Chryſoſt. ſer. 10. Theodoretus autem ad neutrum refert, ſed tamquam particulam cauſalem exponit in hunc

Chryſoſt.
Theodor.

ſenſum. Mors in omnes pertranſijt, quatenus omnes fuerunt peccatores, annotatq., non propter peccatum Adæ, vnumquemque mortem contrahere, ſed propter ſingula propria peccata; eſt enim in Græco ἐφ᾽ ᾧ. quæ eſt præpoſitio, & relatiuum, & totum ſimul aliquando pro particula cauſæ accipitur. Tamen verior eſt interpretatio Chryſoſt. & Auguſt. in quo, nempe primo homine, peccauerunt omnes, vt ſignificetur peccatum Adæ cauſam fuiſſe etiam noſtrorum, quibus naſcimur peccatores. illa enim præpoſitio Græca ἐπὶ aliquando accipitur loco ἐν. vt patet ad Hebr. 9.

Chryſoſt.
Aug.

Hebr. 9.

illis

illis verbis, teſtamentum in mortuis confirmatum eſt: immo apud probatos auctores particula ἐπὶ, cum dandi caſu cauſam ſignificat: eritq. ſenſus; cuius hominis cauſa omnes peccauerunt. hunc autem eſſe ſenſum ſequentia verba Pauli apertiſſime demonſtrant: nam concludit, vnius delicto multos conſtitutos peccatores, & multos mortuos: commune ergo facit peccatum Adæ poſteris. Et hæc eſt vera doctrina, & legitima expoſitio. Doctrina autem Theodoreti vera eſt in hoc, quod affirmat, non propter Adę peccatum homines mori, quaſi ipſi non ſint peccatores: non enim ſic eſt, ſed ſinguli contrahunt peccatum, & cum peccato mortem. Tamen primum Adæ peccatum cauſa eſt mortis omnium, quia omnes infecit peccato, & per peccatum morte. hæc quantum ad Catholicos ſpectat, dicta ſint.

Theodor.

Sunt autem duo errores Pelagianorum ab horum verborum Pauli expoſitione repellendi. Vnus eſt, cuius meminit Aug. lib. 1. de pec. meri. cap. 9. & locis ſuperius citatis. Hi enim, negantes peccatum originale in paruulis, interpretabantur peccatum per vnum hominem tranſiſſe in omnes per imitationem, quia imitati ſunt poſteri peccatũ Adæ, tranſgredientes mandatum Dei; non autem propagatione, quaſi ipſius peccatum in nos origine ſit deriuatum, contra quam interpretationem multis agit Aug. probans tranſire dici per propagationem. & præter ea, quæ Auguſt. adfert, mihi contextus Pauli aperte probare id videtur. nam mors in omnes tranſire dicitur, quia omnes peccauerunt. Si de peccato per imitationem exponamus, eſſet falſa ſententia Pauli. nam non omnes peccauerunt ex imitatione Adæ; infantes enim, & paruuli non peccauerunt imitatione, & tamen omnes moriuntur; quomodo ergo omnes peccaſſe in eo, & mors in omnes per peccatum tranſiſſe dicitur? ſi enim peccatum non habent infantes, vt Pelagiani tradunt, iam mors tranſit in eos ſine peccato. ſi habent peccatum, cum non ex imitatione ſit, per propagationem neceſſe eſt eos habere.

Auguſt.

Errores Pelagianorum de peccato originali.

Alter error Pelagianorum fuit, cuius meminit Aug. lib. 4. con. duas epiſt. Pelagian. cap. 4. Hi prædicabant mortem tranſiſſe in omnes, non autem peccatum: nam per peccatum Adæ nos omnes morimur, morsq. tranſit, tamen peccatum non tranſiuit. Sed hi etiam facile his verbis conuincuntur: nam dicitur (ita in omnes mors pertranſijt) quid eſt ita tranſijt mors? nempe ſicut per peccatũ intrauit mors, ſic per peccatum tranſiuit, & ſicut Adam per peccatum mortuus eſt, ita & nos: tranſit ergo illius peccatum ſicut & mors. Præterea quia dicitur, mors in omnes trãſijt, quia omnes in illo peccauerũt. & quamuis auferas illud (in quo) adhuc teſtimonium conuincit illos, quia dicitur, omnes peccauerunt. peccauerunt ergo omnes qui moriuntur. cum autem infantium copioſa multitudo moriatur, neceſſe eſt omnes eos peccaſſe, quorum aliud peccatum non fuit, niſi quod origine ab illo Adæ peccato traxerunt. non ergo de imitatione, ſed de propagatione peccati, & mortis verba hæc Pauli intelligi poſſunt, nec debent.

Auguſt.

Aduerte autem, peccatum Adæ dici in omnes nos tranſiſſe, ſicut

Peccatum Adæ pertranſijt in nos ſicut & mors.

& mors,

& mors,non quod illius peccatũ ſit in vnoquoq.noſtrum,ſicut nec mors illius in vnoquoq. noſtrum eſt, ſed quod illius peccatum cauſa fuit vt in peccato naſceremur, quod originale appellamus. ſicut & mors eius cauſa fuit noſtræ, tamen quiſque in ſe ſuum habet peccatum ab Adæ peccato propagatum, ſicut & mortem propriam,qua moritur,vt in ſequenti annotatioue magis explanabitur.

ANNOTATIO XVI.

Peccare in Adam & contrahere peccatum originalę in quo differant.

ATtende, longe aliud eſſe,peccaſſe in Adam, & peccatum originale contrahere. Eſſe etiam valde diſtinctum peccatum, quod in Adam peccarunt, ab originali peccato. omnes enim peccauerunt in Adam, quando ipſe peccauit, & quando legem, ac mandatum illud Dñi trãſgreſſus eſt. tunc omnes,qui in illius lũbis eramus ipſo tranſgrediente tranſgreſſi ſumus; n n quidẽ modo eodem; nam ipſe in ſuamet perſona peccauit, quia actu erat, nos in ipſo, quia in eo tunc eramus virtute, & poteſtate generationis. vnum ergo idem peccatum peccauimus,& trãſgreſſionem illam perpetrauimus, ipſe quidem actualiter; nos in illo originaliter; hoc peccatum tunc commiſſum in ipſo, cauſa eſt,vt,quando naſcimur,auerſi à Deo, & peccatores naſcamur. quæ quidem auerſio, & virtualis tranſgreſſio ex illius peccato in nobis effecta,& actu participata,originale peccatum eſt, quod in vnoquoque multiplicatur;ſinguli enim naſcimur ſua propria tranſgreſſione, & auerſione tranſgreſſores, & auerſi, ac maculati. peccauimus ergo in Adam,ipſo peccante; ſed quando naſcimur, in nobis ipſis peccatum, nempe virtualem illam tranſgreſſionem,quę eſt ex actu per Adam perpetrato,contrahimus: & id peccatum eſt originale, de quo multa diſcuſſimus in tractatu quodam particulari, de peccato originali.

Originale peccatum quomodo contrahitur.

Vſque ad legem enim erat peccatum in mundo.

SEntentia hæc vſque ad illa verba (Qui eſt forma futuri) ab omnibus obſcuriſſima, & difficillima reputata eſt, ac ipſamet per ſe ipſam id ſatis aperte demonſtrat, cuius legitimus ſenſus hic mihi videtur: intendit enim Paulus proximam ſententiam ſuperiorem confirmare, idq. particula cauſalis (enim) indicat:quod etiam poſtea concludit,idipſum demonſtrat. Probat ergo Paulus,omnes mori propter peccatum quod in Adam peccauerunt, nec pœnam hanc mortis inflictam eſſe hominibus propter actualia, & particularia ſua peccata contra legem commiſſa, ſed propter peccatum quod in Adam commiſerunt; ab eo enim peccatores, & morti obnoxij omnes naſcũtur.Probatio autem hæc eſt.peccatum in mundo

fuit

fuit vſque ad legem ſcriptam, & à Deo datam; ſemper enim peccatores inuenti ſunt toto tempore, antequã lex à Deo per Moyſem data eſſet. horum peccatorum mors pœna eſſe non potuit, quia peccata non imputantur ad pœnam temporalem, niſi ex legis præſcripto, tunc autem non fuit lex data pœnam talem præſcribens, ergo nen potuit propter talia peccata mors infligi omnibus; regnauit ergo mors ab Adam vſque ad Moyſem in omnes, etiam in eos, qui non peccauerunt vllum proprium peccatum actu commiſſum: regnauit autem propter ſimilitudinem, quam omnes habent cum Adam; quia ſicut ipſe peccauit, ita & nos in eo omnes, & naſcimur tranſgreſſores, ſicut ipſe fuit. hæc ergo eſt origo, & cauſa, quæ nos peccato infecit, & per peccatum morti obnoxios reddidit, & conſtituit. qualis enim ipſe fuit, tales filios generauit. Hoc eſt totum argumentũ Pauli, qui ſubtiliter vſus tempore illo, quando lex nondum fuit data: non quod etiam poſt legem non naſcantur homines peccatores, & morti obnoxij; nati enim ſunt ea lege, & nunc in hoc tempore, antequam renaſcamur in Chriſto; ſed quod illo tempore, quãdo nondum lex data fuit, manifeſtius probabatur, mortem non propter peccata particularia hominum inflictam eſſe; nam vbi non eſt lex ſcripta, non eſt pœna temporalis contra tranſgreſſores, quam poſtea lex Moyſis propter multa peccata infligendã ſtatuit; lex .n. naturalis non infligit pœnas temporales determinatas contra tranſgreſſorem. nam hoc eſt particulare legis poſitiuæ. Cum ergo illo tempore fuerit pœna hæc, & adeo vniuerſalis, vt etiam in eos peruaſerit, qui adhuc nec legem naturalem tranſgreſſi fuerant, profecto referenda eſt ad peccatum Adæ, in quo peccauimus, & mortem contraximus ex diuina illa lege, & præcepto, quo ſub mortis pœna omnes in Adam vetiti ſumus de ligno comedere.

Peccatum quomodo regnauit in homines vſque ad legem ſcriptam.

Nec obſtat, Deum aliquando propter aliqua particularia contra legem naturæ peccata aliquos olim puniuiſſe; id enim potius fuit propter illorum peccata, pœnam mortis contractam ex Adami peccato ante tempus exegiſſe; nã qui puniti ſunt, ex antiquo illo capite mortis erant rei. Adde etiam, illud non ſemper fuiſſe, at hoc ſemper; omnes enim mortui ſunt. non ergo ex peccato aliquo proprio perpetrato id eſſe poteſt, ſed ex origine, & cauſa dicta.

Huius totius probationis primam partem propoſita verba continent: Vſque ad legem enim peccatum fuit in mundo. cuius ſententiæ ſenſus eſt: ab Adamo vſque ad tempus Moyſis, quando lex data eſt, & quo toto tempore non fuit lex Dei vlla præſcripta, pecca-

tores fuerunt in mundo; nec defuit vnquam peccatum. Sermo eſt de peccato actuali, & quod proprio opere perpetratur. ſatis autem aperta hæc veritas erat, nec vlla probatione indigebat. Hæc autem aſſumitur, vt cōcludat, non eſſe inflictam mortem propter hæc peccata, ſed propter aliud, quod non proprio opere homines commiſerunt, ſed quod in Adam contraxerunt, in quo Adamo omnes peccauerunt, vt in ſequenti ſententia explicabitur.

ANNOTATIO XVII.

VArie exponunt Doctores hanc ſententiam. Aliqui .n. legem interpretantur ſcriptam, quæ data eſt per Moyſem, & eſt communis interpretatio; quamuis nō ſit vniformis expoſitio. nam aliqui, vſque ad legem, exponūt incluſiue, vt ſit ſenſus: Peccatum erat in mundo etiam toto tēpore legis: nec enim lex potuit peccatum auferre; ideo peccatum erat vſque ad legē etiā ipſam. ita interpretantur Theodoret. Aug. lib. 1. de pec. meri. cap. 10. & Anſel. Hoc tn̄ diſcrimine inter eos exiſtente, quod Theod. & Aug. non ad peccatum originale ſolū, ſed ad actualia etiam referunt; hoc enim peccatum erat in mundo vſque ad legem; quia lege ipſa tolli non potuit. neque enim lex data eſt, quæ viuificare poſſet. Anſelmus autē de ſolo originali hæc verba interpretatur.

Theodor. *Auguſt.* *Anſel.*

Alij aliter exponunt, ſcilicet de tempore vſque ad legem Moyſis excluſiue, quo tempore peccatum fuiſſe dicitur. ita explicant Chryſ. & Ambroſ. & Photius apud Oecumen. & Iren. lib. 3. cap. 20. Hi omnes legem hanc Moyſis interpretantur. At Origen. quamuis conueniat cum poſteriori ſententia, nimirum, vſque ad legem excluſiue, peccatum dici in mundo, tamen legem interpretatur naturalē, quæ non ab exordio natiuitatis hominibus aduenit, ſed aliquanto poſt tempore, eluceſcente rationis vſu, quo quidem tempore peccatum eſt in homine, ſed emortuum; quia nō habet rationem peccati in pueris, donec rationis lumen, & lex naturalis accedat. Loquitur autem Origenes de actuali. pueri enim ante rationis vſum, concupiſcunt, dicunt, & faciunt aliqua, quæ ſi rationis participes eſſent, vere peccata eſſent; tamen non ſunt, donec ratio accedat. peccatum igitur in illis eſt, ſed emortuum, quamdiu lex non eſt. & ita exponit illud, quod cap. 7. ſequitur. Sine lege peccatum mortuum erat: ego autem ſine lege viuebam aliquando, ſed cum venit lex, peccatum reuixit; in eumdem ſenſum exiſtimat hanc præſentem ſententiam eſſe interpretandam, vt ſuppleatur verbum (emortuum) ſic. Peccatum vſque ad legem erat in mundo emortuum. Auguſt. lib. 1. de pec. merit. cap. 10. meminit huius ſentētiæ, nec eam impugnat, quia id ad ſuum intentum non faciebat.

Chryſoſt. *Ambroſ.* *Oecumen* *Iren.* *Origen.*

Hæc ſunt placita Doctorū in hac exponenda ſententia, circa quæ aliqua opponenda occurrunt. Primo quidem non videtur probandum, quod Origen. interpretatur; nempe, legem naturalem hoc loco intelligi debere. nā ipſemet Paulus ſe exponens ſtatim, dixit: Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſem; idē ſignificans

Digitized by Google

gnificans per Moyſem, quod ante ſignificauerat per legem. præterea, quia Paulus fere ſemper legem appellat eã, quæ eſt data per Moyſem. præterea quia nimis durum eſt ſupplere verbum, quod Paulus non appoſuit, cum ex appoſitione ſẽtẽtia multum mutetur. hoc .n. non eſt interpretari, ſed verba cõponere, & textũ interpretãdũ cõficere. prӕterea illud verbũ (erat) indicat de tẽpore iã tranſacto loqui, nimirũ de eo, ꝙ erat ante Moyſem. nam ſi de tempore ante aduentũ rationis ſermo eſſet, non tãtum (erat) ſed etiã nunc eſt peccatum in mundo. tandẽ iſte ſenſus nõ poteſt cohærere ſuperioribus. Cum cõi ergo ſententia exponenda eſt lex hæc ſcripta, quæ data eſt per Moyſem. Secundo, non videtur exponenda particula (vſq;) vt tempus etiam legis includat, ſed excluſiue, nimirũ de tempore toto ante legem datam. in quo non probo ſententiam Aug. & Theod. & Anſel. nam ipſe Paulus ſtatim ſubiungit: Peccatũ non imputabatur, cum lex non eſſet. oportet igitur id tempus interpretari, quod fuit ante datam legem. Accedat etiam, ſententiã ſic expoſitam, nimirum peccatum erat in mundo vſq. ad legẽ, quia nec lege auferri potuit, non poſſe cohærere præcedenti ſẽtẽtiæ, maxime quia eſt particula cauſalis (vſque ad legẽ .n.) nec etiam ſequẽtibus connectitur, vt intuẽti facile erit intelligere ſi connexionẽ ſententiarũ aduertat. Probabilius ergo eſt quod cæteri allegati Doctores ſentiunt, excluſiue eſſe verbum interpretandum de tẽpore ante legem ſcriptam. Tertio, non videtur etiam ſatis accommodatum, ſi exponamus hoc verbum de peccato originali, vt expoſuit Anſel. nam aut quod ſequitur (peccatum non imputabatur, cum lex non eſſet) intelligitur de eodem peccato originali, aut non: ſed de actuali. ſi de actuali intelligatur, videtur ambigua ſatis locutio, & inconnexa; ſi de originali autem etiam exponantur, vt exponit Anſel. cauſa non eſt accommodata, nimirum non imputari peccatum originale, quia lex non erat. nam etiam lege poſita, originale non imputabatur, quouis modo exponamus imputationem; peccatum .n. originale non eſt contra legem Moyſis, non ergo vere dicitur, peccatum originale non imputabatur, cum lex non eſſet.

Quod peccatum nõ imputabatur ante legem vſque ad Moyſem.

Exiſtimo ergo de actuali exponendum eſſe, vt ſit ſermo de peccato, quod proprio actu cõmittitur, hoc etiam erat in mundo ante legis ſcriptæ aduentum. nam vigebat in hominibus naturalis rationis lumẽ, probans, aut damnans facta ipſa hominum. ideo etiam ante ſcriptam legem datam erat peccatum; tamen, vt ſtatim adiungit, non imputabatur tamquam legis pœna puniendum, vt in ſequenti ſententia exponemus. hoc autẽ aſſumit Paulus, quantum ego exiſtimo, ad oſtendendum, mortem non eſſe pœnam peccatorum propriorum, ſed peccati, quod omnes in Adam commiſerant, vti in commentario expoſitum eſt; & in ſequentium expoſitione manifeſtius fiet. In tota ergo hac ſẽtẽtia peccatum ſumitur pro actuali; hoc .n. intrauit per vnum in mundum: per hoc omnes facti ſunt peccatores; nam cauſa fuit vt naſcerentur auerſi à Deo, per hoc intrauit mors in omnes, & per hoc omnes peccauerũt. hoc etiam idem actuale peccatum fuiſſe dicitur in mundo vſque ad legem.

Digitized by Google

Peccatum autem non imputabatur cum lex non eſſet.

PRoſequitur Paulus ſuam probationem ſuperius expoſitam; & eſt ſenſus, ac connexio talis: erat quidem peccatum proprio actu commiſſum in mundo ante legem datam; hoc autem peccca-tum non imputabatur ad pœnam temporalem; nam nondum lex erat, quæ ſolet pro peccatis pœnas infligendas determinare, & præ-figere, ideo nõ poteſt adſcribi mors, qua omnes moriuntur peccatis actualibus proprijs ſingulorum; quamuis enim peccata eſſent, quia contra rationem naturalem erant, tamen ratio hæc, & naturalis lex inſita, non ſtatuit pœnam temporalem peccantibus; hoc enim eſt munus legis poſitiuæ diuinæ, aut humanæ, quæ illo tempore non-dum erat ſtatuens mortem generaliter peccãtibus. immo nulla fuit diuina lex poſitiua mortis pœnam ſtatuens peccanti. non ergo propter actualia peccata homines mortem ſubierunt temporalem, quæ pœna quædam eſt. Appellat Paulus peccatum imputari, quando qui perpetrauit tamquam reus pœnæ temporali condigne adiudi-catur. Hoc autem non fuit per legem vllam Dei ante aduentum le-gis ſcriptæ: non enim loquitur Paulus de humanis legibus, quæ fuerunt ante Moyſem, & aliqua peccata morte puniebant; ſed de diuina lege: nam mors communis non eſt ab homine vllo, nec à le-ge humana, ſed diuina, quam tulit Deus in paradiſo contra Adam, & poſteritatem eius dicens: In qua hora comederis, morte morie-ris. Nulla alia exſtitit Dei lex vſque ad Moyſem, quæ pœnam tem-poralem peccantibus infligeret: ideo Paulus ex hoc concludit, mortem communem non eſſe propter peccata actualia, quæ nulla poſitiua lege diuina prohibita fuerant ante Moyſem, & tamen mo-riebantur homines etiam ante Moyſem. Imputari autem peccatum ſignificare quod diximus, nempe perpetrantem tãquam reum pœ-næ cõdigne adiudicari, manifeſtum eſt ex Paulo 2. Thim. 4. Omnes, inquit, me dereliquerunt; ne eis imputetur: quid eſt, ne illis impute tur? hoc nempe, ne eos puniat Deus, ſeu non ſumat de peccato tali vindictã; non. n. precabatur Paulus, ne illis eſſet hoc peccatũ. ſi enim male fecerãt, neceſſariũ erat eos peccaſſe; ſed rogat ne Deus puniat, neque vindictã ſumat de eo peccato, ſed ignoſcat. Similis eſt locus ille epiſt. ad Philem. vbi idem eſt verbũ Græcũ. Si quid, inquit, tibi nocuit, aut debet, mihi imputa. quid aliud eſt, mihi imputa, quã à me pœnam exige, à me ſatisfactionem require, ego pro eo me reum conſtituo, ac debitorem. Viri etiam illuſtres hoc eodem modo exponunt illud verbum Pſal. 31. cui non imputauit Dominus pecca-

tum,

Marginalia: Ratio quare peccatum non imputabatur ad pœnam temporalem ante legẽ. — Peccatum imputari quid ſit. — *2. Tim. 4*

Digitized by Google

tum, nempe puniendo, & caſtigando.

Scio habere alias ſignificationes hoc verbum imputandi, tamen hæc eſt ad mentem Pauli, nam probare intendit vt ex ſequentibus, & antecedentibus patet, mortem temporalem non eſſe pœnam peccatorum, quæ proprio actu quiſque committit, cum temporalem pœnam ſtatuere ſit legis ſcriptæ, aut poſitiuæ diuinæ, quæ non fuit ante Moyſem. Quando ergo dicit: peccatum non imputabatur, intelligendum ad mortem hanc, de qua ſermo eſt; ſi enim propter peccata actualia data eſſet, certe lege diuina aliqua præſcripta eſſet contra tranſgreſſores; humana enim eſſe non potuit, quæ quidem lex non fuit; ideo enim Paulus de tempore locutus eſt ante legẽ datã, quia lex data pœnas aliquas mortis peccantibus & tranſgredientibus ſtatuebat. Hic videtur ſenſus & mens Pauli.

ANNOTATIO XVII.

IN Græcis aliquibus exemplaribus habetur verbum præſentis; Peccatum non imputatur lege non exiſtente, tamen antiqua lectio eſt de præterito, imputabatur, quam noſter interpres ſecutus eſt. & ita *Aug. Ambroſ.* Aug. Ambroſ. & cæteri antiqui legunt. quantum autem ad ſenſum attinet, multiplex eſt horum verborum expoſitio apud Doctores. *Chryſoſt.* Primo loco Chryſoſt. refert quorundam ſententiam, verba hæc à Paulo non nomine ſuo eſſe pronunciata, ſed Iudæorum opponentium contra Paulum, non fuiſſe peccatũ in mundo ante legem. eſt autem obiectio talis; vbi lex non eſt, nec eſt tranſgreſſio; cum igitur ante legem non fuerit lex, non potuit eſſe tranſgreſſio, nec peccatum imputari. Chryſoſt. hanc non recipit ſententiam, & merito quidem; quando enim Paulus id facit, ſolet aliquid addere, ex quo intelligatur ſe alterius inducere perſonam, vt ex ipſamet ſententia conſtat, & fit manifeſtum, vt ex tertio capite ſuperiori notum eſt. præterea, quia obiectio, quæ nomine aliorum inducitur debet eſſe probabilis, quam nempe aliquis probabiliter obijcere poſſet, at nemo Iudæorum dubitare poterat, peccatum eſſe in mundo etiam ante Moyſem, cũ ex Scriptura ipſa homines multo ante peccaſſe compertum ſit. præterea quia iam capite primo oſtenderat, multos ſine lege peccaſſe, & damnatos, ſeu damnandos eſſe; lex enim naturaliter inſita eſt hominum cordibus, prohibens mala, & indicans bona facienda. præterea quia non videtur qua ratione accommodari poſſit iſta expoſitio contextui, vt facile patere poteſt conſideranti. Tenendum eſt ergo, ſententiam hanc in propria pſona à Paulo prolatam.

Peccatum non imputabatur ante legẽ qũo intelligatur.

Secundo loco Chryſoſt. exponit *Chryſoſt.* Paulum velle probare, mortem non eſſe propter inobedientias particulares, quas homines cõmittunt, ſed propter inobediẽtiã illius hominis primi. eſtq. ſenſus: Peccatũ non imputabatur tunc, quãdo lex nondum erat: ergo mors nõ poteſt eſſe propter legis inobedientias; cum illi morerentur, quibus lex non erat data. Hæc ſententia Chryſoſt. valde

Digitized by Google

probanda eſt in eo, quod affirmat, velle Paulum oſtendere, mortem eſſe non propter actualia hominum peccata, ſed propter inobedientiam illius hominis primi, quod nos in commentario ſecuti ſumus. & id eſt accommodatum contextui vt paulo inferius aperte conſtabit. Tamen non probatur eius expoſitio in eo, quod ſic argumentum Pauli exponit vt propoſitum eſt: nam videtur eſſe diminuta, & ineſficax probatio; diceret enim aliquis; Fateor non eſſe mortem illatam hominibus propter tranſgreſſiones legis illius Moſaicæ, quia vbi lex non eſt, peccatum non imputatur, nec eſt tranſgreſſio legis, tamen ante illã erat naturalis lex, cuius tranſgreſſio imputabatur in peccatum etiam ante Moyſem, & ꝑpter huiuſmodi peccata illi mortui ſunt. propterea in commentario nos aliter interpretati ſumus hanc ſententiam, vt peccatum dicatur imputari, non quando adſcribitur culpæ; ante legem enim Moyſis peccata multa cognita erant, & culpæ adſcribebantur, ſed quando pœnæ debitæ, & condignæ temporali deputabantur, hoc non fuit ante legem Moyſis, quia nulla lex diuina poſitiua pœnã pręſcripſit peccantibus, nec ipſa lex naturalis. idcirco impune homines multi peccare putabant. non autem loquimur de humanis legibus, nam mors communis non eſt ex humana lege, aut poteſtate, ſed à Deo inflicta. ideo ſi ex lege eſſet prohibente peccatum, oportebat legẽ talem eſſe diuinam. fuit ergo peccatum ante legem Moyſis, quæ Dei erat; tamen non imputabatur ad pœnam, quia hoc ex lege eſt. cum ergo mors fuerit ante legem, non potuit eſſe pœna peccatorum, quæ contra legem naturalem committebantur, nam lex hæc pœnam non præſcribit.

Tertio loco Origenes in ſua perſeuerans expoſitione interpretatur peccatũ non imputari ante legem, quia opera, quæ ante vſum rationis fiunt, etiamſi ex ſe mala videantur, & in habente vſum rationis peccata eſſent, tamen ante legem talem rationis non imputantur, nec cenſentur peccata. Sed iam ſuperius oſtendimus, legem hoc in loco ſcriptam ſignificari, quam paulo poſt Paulus appellauit Moyſem. Regnauit, inquit, mors ab Adam vſque ad Moyſem, quibus verbis accommodari non poteſt Origenis expoſitio. *Origen.*

Quarto loco Aug. lib. 1. de pec. meri. cap. 10. interpretabatur de lege ſcripta, & non imputari peccatum exponit non cognoſci; vt ſit ſenſus: Ante legem erat peccatum; ſed non cognoſcebatur; per legem enim cognitio peccati eſt. Quod ſi opponatur Auguſtino, ante legem ſcriptam peccata multa cognita eſſe, & homines lumine naturali aſſecutos eſſe ſcelera, & peccata contra rationem multa, non explicat Aug. quid huic oppoſitioni reſpondendum ſit. tamen Ambr. qui eodem modo exponit verbum imputandi, reſpondet, naturali lumine non fuiſſe aſſecutos homines peccata eſſe contra Deum, ac Dei offenſam; ab eoq. eſſe vindicanda. ſi qui autem aſſecuti ſunt, vt ex Scriptura conſtat, id ex diuina reuelatione, & doctrina habuerunt. *Auguſt.*

Quinto loco Photius apud Oecumenium imputari peccatum exponit adſcribi culpæ; dicit tamen ante legem ſcriptam peccata quidem adſcripta, & imputata perpetrantibus, in peccatum; ſed non ita *Phot.*

ac ſa-

ac factum eſt poſt legem, quia magnitudo peccati non erat cognita tunc, ſicut eſt cognita poſt legem ſtabilientem diuerſas pęnas, & prohibentem varia peccata. tunc agnita eſt magnitudo, & grauitas peccati, quæ ante legem non ita erat nota. Vera ſunt hæc, quæ & Anſel. & Photius dicunt, & ad Auguſtinũ explicandum accommodata ſunt, ſed ad mentem Pauli non video quo modo faciant, qui prætendit oſtendere, & probare, non ob proprias tranſgreſſiones, nec legis ſcriptæ, nec naturalis, ſed propter inobedientiã vnius hominis omnes mori. idq. probat in his, qui ante legem fuerunt; in quibus magis apparebat mortem non inferri propter peccata propria, vbi nulla lex diuina erat, quæ pœnam talem generaliter præſcriberet peccanti, idcirco quæ in commentario dicta ſunt, viſa ſunt probabiliora.

Anſelm. Phot.

Sexto tandem loco Anſelmus adhuc de peccato originali hoc exponens, dicit, peccatum originale non imputatum eſſe ante legem Moyſis, quia non putabatur intus eſſe in anima, donec lex intimauit caſum primi hominis. Sed nec hæc expoſitio accommodata videtur. non enim, vti ſuperius diximus, ratio Pauli eſſet efficax, non imputabatur peccatum, quia lex non erat, id eſt, quia Moyſes non indicauerat hominem primum peccaſſe. nam potuit etiam id cognoſci aliunde, ſicut multi ex Patribus prioribus cognouerunt ante legem. præterea quia loquitur Paulus de lege prohibente, & præcipiente, ac pœnas peccatorum, tranſgreſſionumq. actualium præſcribente, ex qua lege originale non cognoſcitur. vbi autem talis lex non eſt, actuale peccatum non imputatur, vti expoſitum eſt.

Anſel.

Sed regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſem, etiam in eos, qui non peccauerunt, in ſimilitudinem præuaricationis Adæ.

CVm oſtendiſſet mortem non eſſe pœnam peccatorum actualium, quæ homines commiſerunt ante legis aduentum, cum non eſſet lex tunc vlla Dei, talem pœnam ſtatuens peccantibus; declarat nunc vnde mors procedebat, & qua de cauſa omnes moriebantur. Non, inquit, ex imputatione peccati, quæ per legem fit, ſed regnabat mors in omnes vſque ad Moyſem, etiam in eos, qui actualiter nón peccarunt, nempe infantes. regnabat autem cauſa ſimilitudinis Adæ præuaricationis, ideſt, quia omnes naſcebantur ſimiles Adæ præuaricatori. qualis enim ipſe erat, tales fecit filios: ipſe præuaricator, & reus mortis factus eſt culpa ſua, tales fecit filios; naſcuntur enim peccatores & filij iræ; non ergo propter peccata propria homines moriuntur, quæ proprio committunt opere, ſed propter Adæ peccatũ, & propter corruptionem, quã ipſe contraxit; omnes.n. poſteros infecit, & omnes eodem morbo infecti naſcũtur.

Mors quo modo regnaret ab Adam vſque ad Moyſem.

Aduerte mortem dici regnaſſe, quia nemo ab ea ſe, aut alium li-

berare potuit, ſed neceſſario moriendum fuit. Dicitur etiam, ab Adam vſque ad Moyſem regnaſſe, non quod etiam non regnauerit poſt Moyſem, & poſt Chriſtum regnet in eos, qui renati non ſunt, qui ſimiles ſunt Adæ præuaricanti, ſed quia Paulus loquebatur de ijs, qui ante legem peccauerunt, vt in eis apertius oſtenderet mortem non ſubire propter propria peccata, cum non eſſet lex vlla pœnam præſcribens talem; poſt legem autem multa peccata diuina lege plectebantur morte, vnde clarius hæc veritas in illis hominibus oſtendebatur. Dicitur etiam regnaſſe, in eos etiam, qui non peccauerunt; intellige ſuo opere, & in ſe non peccauerunt; nam in Adam omnes peccauerunt, in ſe autem non omnes. tamen tam in hos, quàm in illos, qui propria peccata perpetrarunt, peruaſit mors. Illud autem (in ſimilitudinem præuaricationis Adæ) exprimit cauſam mortis eorum, qui poſt Adam fuerunt, quia ſimiles illi naſcuntur. At ne intelligeret aliquis ſimiles naſci Adæ ſicut creatus eſt à Deo, propterea dixit: In ſimilitudinem præuaricationis Adæ. Hebraiſmus eſt, ideſt, in ſimilitudinem præuaricatoris Adæ, ſeu Adæ præuaricatoris facti. præpoſitio Græca potius ſignificat propter ſimilitudinem, ſeu cauſa ſimilitudinis Adæ.

ANNOTATIO XIX.

Magna eſt Doctorum varietas in huius ſententiæ expoſitione. In primis aliqui coniungunt verba illa (In ſimilitudinem præuaricationis Adæ.) cum illis (non peccauerunt) nempe, mors regnauit in eos etiam qui non peccauerunt, in ſimilitudinem præuaricationis Adæ. ita connectunt verba multi, inter quos ſunt Origen. Iren. lib. 3. cap. 20. Aug. lib. 1. de pec. meri. 11. Hieron. lib. 3. con. Pelagianos. Theodoret. Ambroſ. cum alijs. Non tamen hi Doctores omnes conueniunt, nec in lectione, nec in expoſitione; aliqui enim legunt affirmatiue. nempe: regnauit mors in eos, qui peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ. quam lectionem ſequitur Orig. quamuis etiam negatiuam referat, & exponat. Auguſt. etiam lib. proxime citato hanc recitat lectionem; quamuis affirmet, Græcos codices, aut omnes, aut fere omnes legere cum negatione, & ita ipſe legit. Ambroſ. autem vtramque refert lectionem, & amplectitur affirmatiuam. Tamen legitima lectio eſt, quæ communiter ab omnibus probatur, quam & Græci codices, & Latinus interpres habent, nempe (non peccauerunt.) hi omnes citati connectunt ſimul; non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, ſiue affirmatiue, ſiue negatiue legas. Chryſoſt. tamen diuidit: & illud (in ſimilitudinem præuaricationis Adæ) refert ad verbum (regnauit) vt ſit ſenſus: regnauit in eos etiam, qui non peccauerunt; regnauit autem in ſimilitudinem præuaricationis

Orig. Iren. Auguſt. Hieron. Theodor. Ambr. — *Auguſt.* — *Chryſoſt.*

Adæ,

Digitized by Google

Adæ. quam lectionem, ſeu connexionem probat etiam Photius apud Oecumenium, & ſequitur Auguſtinus lib. 1. contra Iulian. cap. 2. & nobis legitima viſa eſt, eamque paulo inferius confirmabimus. hæc de connexione verborum.

Auguſt.

Quantum autem ad ſenſum attinet, multum varie loquuntur tam qui affirmatiue, quam qui negatiue legunt. varietas autem eſt in exponendo verbo; peccauerunt in ſimilitudinem. Primo ergo loco Orige. qui affirmatiue ſententiam legit, ſic interpræatur: eos dici peccaſse in ſimilitudinem Adæ, qui prçuaricati ſunt ſicut Adam; nimirum crimina, ſeu mortalia peccata cōmittentes. in hos dicitur mors regnaſſe. Diſtinguit enim Orige. verba regnare, & tranſire; mortem in omnes dicit tranſiſſe etiam iuſtos; at in iniuſtis, & tranſgreſſoribus regnat, igitur iuxta ſententiam Origenis ij peccauerunt in ſimilitudinem Adę, qui crimina, ſeu mortalia commiſerunt peccata.

Peccare in ſimilitudinem præuaricationis Adæ quomodo intelligitur.

Orig.

Secundo loco Ambroſius, qui etiam affirmatiuam ſententiam legit, eos dicit peccaſſe in ſimilitudinem Adæ, qui neglecto Deo peccauerunt, quales idololatræ, qui vero neglecto Deo, ad falſos ſe conuerterunt: peccatum enim Adæ fuit, inquit, non longe ab idololatria, in hos ergo regnaſſe dicitur mors, non in omnes, quia non omnes ab Adam vſq. ad legem ſic peccauerunt, quamuis peccata habuerint. Videtur Ambroſ. eandē annotare differentiam verbi (regnauit) a verbo, tranſijt, at quia hæc vtraq. expoſitio lectionem ſequitur parum receptam, & quæ nō videtur legitima, non eſt cur in ea diſcutienda immoremur.

Ambroſ.

Tertio loco inter eos, qui negatiue verba hæc legunt, eſt Hierony. lib. 3. contra Pelagia. qui peccare in ſimilitudinem præuaricationis Adæ exponit, ſimile peccatum Adæ committere, nempe de prohibito ligno edere, quale nemo cōmiſit. idcirco dicit Paulus, mortem regnaſſe in eos, qui non peccauerunt ſicut Adam, comedentes de ligno vetito, ſiue alia peccata actualia habuerint, quales adulti; ſiue ſolum peccatum propagationis, quales ſunt paruuli. in hos ergo, qui non peccauerunt, nec tranſgreſſi fuerunt illud mandatum Domini in Paradyſo comedētes, mors regnauit. Tales ſumus omnes poſteri eius. Eandem expoſitionem ſequitur Theodoretus, & Chryſo. quamuis diuidat verba, & ſeparet verbū (non peccauerunt) a verbo (in ſimilitudinem) Exponit etiam (non peccauerunt) nempe non ſunt trāſgreſſi mandatum illud de ligno vetito proprio opere, ſicut fecit Adam.

Hieron.

Quarto loco, Photius apud Oecumenium eos dicit in ſimilitudinem Adæ peccaſſe, qui peccata commiſerunt contra legem Dei, & mandatum datum; quales non fuerunt illi qui ante legem fuerunt. peccauerunt quidem contra naturalem legem rationis, non tamen contra legem a Deo datam, & pactū eius; hoc enim fecit Adam; idem etiam fecerunt Iudæi, qui acceptæ legis a Deo fuerunt præuaricatores. Erit ergo ſenſus; mors regnauit ab Adā vſq. ad Moyſem incluſiue, etiam in eos qui non peccauerunt in ſimilitudinem Adæ: ideſt, legem, & mandatum à Deo datum non ſunt trāſgreſſii. Particula, (etiam) indicat etiam illos regnaſſe, qui peccaue

Poth.

runt

runt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ; immo in hos præcipue, tamen non ſolos. ſed in eos etiam qui non ſic peccauerunt; nempe eos qui peccauerunt quidem, tamē non in legem a Deo datam, quales fuerunt ij, qui in legem naturæ ſolam peccauerunt. ij enim non in ſimilitudinem Adæ peccauerunt. Poſſumus autem hanc expoſitionē comprobare teſtimonio Scripturæ; Oſeæ. 6. Sicut Adam, inquit, tranſgreſſi ſunt pactũ, præuaricati ſunt in me. Qui ergo in leges a Deo datas peccauerunt, & peccant, ſimiles ſunt Adam: qui vero ante legē datam peccauerunt, peccauerunt quidem, tamen non in ſimilitudinem Adæ. in omnes tamen, tam hos, quam illos mors regnaſſe dicitur.

Athan. Quinto loco Athanaſius ſerm. 4. contra Arianos aliter exponit, eos nempe dici peccaſſe ſicut Adam, qui crimina commiſerunt, nempe propria peccata mortalia, ſicut ille mortale commiſit peccatum; exponitq; mortē regnaſſe etiam in eos, qui non peccauerunt mortaliter; quales, inquit, fuerunt Ieremias, & Ioan. Baptiſta in vtero matris ſanctificati, in quos etiam mors regnauit, quamuis non peccauerint in ſimilitudinem præuaricationis Adæ.

Auguſt. Sexto loco Auguſt. lib. 1. de pec. meri. cap. 11. illos peccaſſe in ſimilitudinem Adæ exponit, qui non habuerunt actualia peccata, ſed ſolum originale, quales infantes in quos etiã mors peruaſit. non enim in ſolos adultos qui propria peccata perpetrarunt, ſed etiam in eos qui non peccauerunt huiuſmodi peccata, ſed ſolam originalem culpam traxerunt, mors regnauit. cui expoſitioni conſentit Anſelmus. Hę ſunt expoſitiones Doctorum connectentium vtrumque verbum, nempe (qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ)

Chryſoſt. Chryſoſt. autem diuidens verbũ hoc, & connectens cum verbo (regnauit) ſic exponit, regnauit mors ab Adam etiam in eos, qui non peccauerunt illud peccatum Adæ, nec commiſerunt tranſgreſſionem illã. regnauit autem in ſimilitudinem præuaricationis Adæ. Qua in re comparatur a contrario, præuaricatio Adæ, obedientiæ Chriſti. Vt enim illa præuaricatio infecit, & mortis cauſa fuit omnibus etiam qui illam non commiſerunt; ita obedientia Chriſti fuit vitæ cauſa, & eſt omnibus in eo renatis, qui illam obedientiam non habuerunt. propterea addit Paulus, In ſimilitudinem præuaricationis Adæ: qui eſt forma futuri, nempe Chriſti. ita exponit Chryſoſt. cuius expoſitio mihi omnium cæterarum videtur probabiliſſima, & accommodatiſſima. Hæc ſunt quæ Doctores ſentiunt ſuper hæc Pauli verba.

Author. Mihi quæ ſubiungam videntur probabiliora. Primo, aduertenda eſt particula Græca καὶ, quæ Latine (&) ſiue (etiam) dicitur. Regnauit, inquit, mors etiam in eos qui non peccauerunt. quæ particula ad duo referri poteſt, nimirum aut ad Adã ipſum, vt ſit ſenſus; regnauit mors ab Adã vſq. ad Moyſem, non ſolum in ipſum, ſed etiam in eos qui non peccauerunt actualiter ſicut ipſe: aut referri poteſt ad illos qui peccauerunt; vt ſit ſenſus, Mors regnauit in eos qui peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, & in eos etiam qui non peccauerunt in ſimilitudinem hãc;

ſeu

ſeu, vt clarioribus vtar verbis, in eos qui peccauerunt propria voluntate, & in eos etiam qui non peccauerunt propria voluntate. In Adam enim mortem regnaſſe iam expreſſum eſt, quando docuit, ab ipſo, ab Adam, tanquam principio regni deriuatam eſſe in omnes, & qui peccauerunt, & qui non peccauerunt. illi auctores qui exponũt (eos qui non peccauerunt in ſimilitudinem) generaliter pro omnibus hominibus, neceſſario debent ad Adã referre, vt non ſolum in Adam regnauerit, ſed etiam in totã poſteritatem; qui vero non omnes homines in hoc verbo comprehendunt, ſed paruulos, aut eos qui actualiter non peccauerunt, non referunt ad Adam, ſed ad eos qui ſubintelligun tur, vt ſit ſenſus, mors regnauit etiam in eos qui non peccauerunt, ideſt, non ſolum in eos qui peccauerunt, ſed etiam in omnes qui nõ peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ. & hic ſenſus cõmuniter eſt receptus, & videtur legitimus, non tamen cogimur neceſſario ſic exponere, cum poſſit etiam referri ad Adam, vnde argumentum Photij apud Oecumenium non eſt efficax. inquit enim; ſi mors regnauit ab Adam, etiam in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinem, ergo & in eos, qui peccauerunt in ſimilitudinem. nam particula (&) id indicat. Dico non eſſe neceſſarium argumentum hoc, ſed probabile. nam reſponderi poſſet referri ad Adam.

Secundo, ſentio cum Chryſoſt. nempe illud (in ſimilitudinem) referri ad verbum (regnauit) illud autem (non peccauerunt) diſtinguendum eſſe; vt ſit ſenſus; regnauit in eos etiam qui non peccauerunt. regnauit autem propter ſimilitudinẽ præuaricationis Adæ. Potiſſima ratio, quæ me in hãc impellit ſententiam, eſt particula Græca (ἐπὶ) quæ iuncta caſui dandi cauſam denotat; nempe cauſa ſimilitudinis; aut propter ſimilitudinem præuaricationis Adæ: quod Chryſoſt. doctiſſimus cognoſcens in eam accepit ſignificationem. non enim vſus eſt particula (ἐν) ſicut ad Philip. 2. dixerat; In ſimilitudinem hominum factus. & ad Rom. 8. In ſimilitudinem carnis peccati. his enim locis particula habetur (ἐν) in hoc vero loco vſus non eſt eodem ſimilitudinis nomine, ſed loco (ἐν) poſuit particulam (ἐπὶ) cum caſu dandi, cuius propria ſignificatio cauſalis eſt; nempe propter ſimilitudinẽ, ſeu cauſa ſimilitudinis. Nec obſtat, aliquando accipi loco (ἐν) nam vbi propria ſignificatio locum habere poteſt, non eſt cur ad licentiã ſermonis recurramus. Si igitur talis eſt ſignificatio huius particulæ, vt vere eſt, non poteſt conuenienter connecti cum verbo (non peccarunt) ſed cum verbo (regnauit) vt cauſam exprimat, cur in omnes, etiam in eos qui non peccauerunt, mors peruaſerit. Perſuadet & hoc ipſum nomen Græcum ὁμοίωμα, qđ non tam ſimilitudinem, quam aſſimilationem ſignificat; vt intelligamus, poſteros parentem primum referre; taleſq. factos, qualis ille fuit per præuaricationem factus. Confirmat hoc idem; quia ſi hæc particula non referatur ad verbum regnandi, manet imperfecta ſententia; non enim exprimit Paulus cur homines moriantur; cum dixerit peccatum non imputari illis, qui fuerunt ante legem; & ſimiliter mortem peruaſiſſe in eos etiam qui non

Philip. 2.

Rom. 8.

non peccauerunt. ſi legamus enim mortem peruaſiſſe in eos, qui non peccauerūt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ; dicet aliquis, qua ergo ratione mors in hos regnauit? Paulus autem præcipue intendebat, vt conſtat ex verbis ſequentibus, docere, propter Adæ peccatum homines omnes mori; vt ex hoc poſtea eum conferat Chriſto, cuius obedientia omnes ſunt a morte liberati.

Tertio, quamuis cōueniam cum Chryſoſt. in connexione hac, in expoſitione tamen diſſentio; mihi enim ſenſus videtur accommodatior hic, regnaſſe in omnes mortē, etiam in eos qui non peccauerunt opere proprio, cauſa ſimilitudinis præuaricationis Adæ, ideſt, quia ſimiles naſcimur Adæ præuaricanti. qualis enim pater fuit, tales genuit filios. naturam ergo peccato affectam, & morti obnoxiam in nos transfudit. quem ſenſum ipſe mihi Paulus videtur eleganter. 1. Corint. 15. expoſuiſſe, vbi de morte, quam per Adam, & de vita, quā per Chriſtum recepimus, tractans, hæc protulit verba. Qualis terrenus, tales & terreni, qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. ſi igitur portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis. hæc Paulus. Imago igitur hæc, & ſimilitudo terreni Adæ, quam portauimus, nati ex peccatore peccatores, mori nos facit, ſicut imago Chriſti, quam renati portamus, reſurgere in vitam a morte nos efficiet. De hac eadē ſimilitudine dixit Zachari. cap. 13. Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea, qualis nempe ipſe fuit, talem me fecit peccatis, & laboribus, ac morti obnoxium. Hoc eſt quod nunc dicit Paulus. in hanc autem expoſitionem a Chryſoſt. diſcordem me inducit hæc ratio. nam Paulus exponit cauſam regni mortis in nos omnes. non videtur autē ea cauſa ſatis accommodata, quam vult Chryſoſt. nempe vt præuaricatio Adæ ſimilis ſit iuſtitiæ, & obedientiæ Chriſti; non enim propter hoc Adæ peccatum infecit poſteritatem, vt ſimilitudinem haberet cum obedientia Chriſti, quæ nos iuſtos fecit; ſed potius cauſa regni mortis ea eſt, quia ipſe morti, & peccato obnoxius ſimiles ſibi fecit filios.

1. Cor. 15. *Zach. 13.*

Quarto, illud (non peccauerunt) referendum eſſe exiſtimo ad peccatum, de quo loquebatur, quod erat in mundo, & quod ad mortem non imputabatur, cum non eſſet lex, nēpe actuale, & propria voluntate commiſſum. In omnes ergo mors peruaſit, etiam in eos, qui propria voluntate non peccauerunt: cauſa autem eſt, quia ſimiles omnes naſcimur primo parenti. Hunc ſenſum in commentario diffuſius explicuimus, & is legitimus videtur.

Qui eſt forma futuri.

Concludit ſimilitudinem, & collationem factam ſuperius illis verbis (ſicut per vnum hominem peccatum.) non verba, ſed rem ipſam conſiderans. Quia autem Adæ mentionem fecerat, adiunxit; qui eſt typus illius futuri, nempe Chriſti, qui tunc futurus,

& ven-

Digitized by Google

& venturus dicebatur, vt ſicut per ipſum Adam intrauerat peccatum, & mors in mundum, ita per Chriſtum intret iuſtitia, & vita. Typus ergo eſt Adam in genere, non autem in ſpecie, quia contrario modo ſe habuit Chriſtus. ſed in ipſa contrarietate eſt ſimilitudo quædam proportionis.

ANNOTATIO XX.

Auguſt.

AVguſt. lib. 1. de pec. meri. cap. 11. hæc verba (Qui eſt forma futuri) non ad Chriſtum, ſed ad poſteritatem refert, vt Adam dictus ſit typus, & forma futuri; quia qualis fuit ipſe poſt peccatũ, tales filios genuit, & talem totam ſuam effecit poſteritatem. Et huic ſimile eſt illud Zachar. 13. Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea. fateorq. eſſe probabilem, & accommodatam expoſitionem. Tamen quia omnes fere de Chriſto communiter exponunt, ipſe etiam Aug. lib. 2. de nupti. & concupiſ. cap. 27. ſequendam exiſtimaui cõmunem ſententiam; maxime quia accommodatior eſt & verbis, & ſententiæ. Primo quidem, quia nõ dicitur typus futurorum, cum vſus ante eſſet numero plurali, dum de nobis locutus eſt. ſed dicit, typum futuri. rurſus etiam cum articulo, vt ad Chriſtum ipſum referri indicaret. Secundo, quia ſic diminuta videretur ſententia; confert enim Chriſtum, & Adam: & cum dixiſſet, ſicut per vnum hominem, &c. deficeret altera pars, niſi hæc ad Chriſtum referas, vti ſuperius annotauimus. Tertio, quia ſequentia non cohærent, nempe, & non ſicut delictum. niſi enim ſtabilita eſſet ſimilitudo, non erat cur diſcrimen aſſignaretur. maxime autem particula illa (&) id ipſum inſinuat. Quarto, quia iam de ſimilitudine dictum erat, regnaſſe in omnes mortem, propter ſimilitudinem Adæ præuaricantis. Quinto, quia quãuis Adam ſit ſimilis filijs, ſeu ſimiles ſibi nos fecerit, non proprie dicitur typus filiorum, ſed Chriſti.

Similitudo Adæ & Chriſti.

Sed non ſicut delictum, ita & donum.

COnnectuntur facile ſuperioribus verbis hæc, quæ nunc proponuntur. cum enim Adam typus Chriſti dictus ſit, ne æqualitatem in ſimilitudine hac aliquis exiſtimaret, cum multum excedat, quod factum eſt per ſecundum hominem Chriſtum, illud, quod per primum Adam effectum eſt, idcirco poſita collatione, ſubdit Paulus: Sed non ſicut delictum, ita & donum, ac ſi diceret, quamuis Adam ſit dictus typus Chriſti, & ſicut vnus homo ruinæ fuit cauſa, ita alter homo reparationem effecit, ſitq. quædam ſimilitudo proportionalis in hoc; quod ſicut vnus malum, ita & vnus bonum inuexit: attamen non ſicut delictum, ita & donum,

Digitized by Google

num, ideſt, non æqualitas in omnibus: nam maius eſt bonum per reparationem factum, quam fuerit malum per ruinam hominis primi inductum; abundantiorq. fuit reparatio in bono, quam ruina in malo. Confert Paulus effectum malum primi hominis, nempe ruinam, & caſum hominum, qui eius cauſa ſubſecutus eſt, effectui bono, quem effecit Chriſtus, nempe reparationi eorundem hominum. Ruinam, & caſum illum appellat παράπτωμα, quo etiam vocabulo vſus eſt Rom. 11. Delictum, inquit, eorum, ſalus eſt Gentium, ideſt, caſus Iudæorum Gentium ſaluti occaſio fuit. Reparationem autem factam per Chriſtum appellat χάρισμα, & dicit æqualia non eſſe, maius enim hoc eſt illo. cætera in annotatione quære.

ANNOTATIO XXI.

Collatio peccati Adæ cum Chriſti iuſtitia.

COmmuniter locus hic exponitur, vt confertur delictum, & peccatum Adæ, quod mortis omnium cauſa fuit, cum Chriſti iuſtitia, qui nobis ex Dei gratia datus eſt; & re vera non eſt hic ſenſus Pauli legitimus. non enim delictum ſignificat peccatum Adæ, quod hactenus ἁμαρτίαν appellauit, quo nomine vſus eſt in ſuperioribus ſententijs: In declaratione ergo veri ſenſus Paulini attende, Græcum verbum πίπτω idē ſignificare, quod cado latine, inde πτῶμα, quod latine caſus, ſeu ruina dicitur: compoſitum autē verbum eſt παραπίπτω ideſt, pene cado, nam præpoſitio παρά in compoſitione minuit ſignificationem, inde nomē παράπτωμα ideſt, quaſi caſus, & ruina. merito autem dicit Paulus παράπτωμα; Adam enim cecidit, & nos etiam cadere fecit, & in ruinam impulit: at quia non in extremam ruinam: & caſum irreparabilem deiecti ſumus, idcirco non πτῶμα, ſed παράπτωμα, ideſt, quaſi ruinam, & pene caſum dixit. Angelorum enim peccatum eos omnino cadere fecit, & eorum caſus ſumma fuit ruina, qui καταπτωμα dicitur; noſtra vero, quia reſtaurati ſumus, non κατάπτωμα, ſed παράπτωμα dicitur. quod ergo Adam effecit in ſe, & in nobis, hoc nomine Paulus ſignificauit. E contrario vero, quod Chriſtus fecit χάρισμα appellat. nam totum ex gratia Dei, & liberalitate proceſſit, nullo noſtro merito, aut opere: χάρισμα enim ſignificat, quod ex gratia, & liberalitate procedit. reparatio enim, & erectio noſtræ ruinæ, munus, & donum Dei eſt. Eſt ergo ſenſus Pauli, quamuis quædā ſimilitudo exiſtat, nempe, quia ſicut per vnum hominē cecidimus, per vnum erigimur; tamen non eſt æqualitas in ipſis effectibus, nec eſt caſus, & ruina æqualis reparationi; eſt enim multo maior reparatio, vt in ſequenti ſententia exponit. non ergo delictum ſicut donum, delictum ergo accipi debet iuxta verbum Græcum, & pro effectu peccati Adæ, nempe eius caſu, & noſtro per ipſum, quo ipſe, & nos per ipſum cecidimus a ſtatu, in quo Deus creauit hominem.

Hiero.

Digitized by Google

Hiero.

Hiero. Epheſ. 2. differentiam ponit inter ἁμαρτίαν quæ peccatum ſignificat, & παράπτωμα, hoc enim dicit eſſe initium peccati, qualis eſt mala cogitatio, quæ ſubrepit, & conniuentibus nobis impellit in ruinam. tamen reuera παράπτωμα ruinam, & caſum, quæ per peccatũ fit, ſignificat, vti expoſuimus. & hic eſt legitimus Pauli ſenſus. quod ſi aliquando accipitur pro peccato, id tale peccatum eſt, quod non eſt grauiſſimum, nec tuldam magnam ſpiritualem facit. ita accipitur Gala. 6. Si præoccupatus fuerit in aliquo delicto. propria tamen ſignificatio, ruina, caſus, offenſio cum diminutione aliqua eſt.

Si enim vnius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit.

Delicti & doni collatio.

CVr non ſicut delictum, ita & donum ſit, cauſam ſubiungit, quia vnius delicto multi mortui ſunt; ideſt vno cadente, multi ceciderunt: at gratia, & donum reparationis a Deo facta, per gratiam vnius hominis Ieſu Chriſti, multo maiora fuerunt. Nam ille Adam multos morte affecit; hic vero homo Ieſus Chriſtus multos a maiori malo liberauit, quam ſit mors, quam ab Adamo contraxerunt, & maiora bona contulit, quam ille abſtulerit. plus ergo profuit Chriſti gratia, quam illius caſus nocuerit.

Attende verba, Gratia, inquit, Dei, & donum abundauit in gratia vnius hominis. gratiam Dei appellat, qua nos gratos ſibi facit, donum vero, ea, quæ nobis ex gratia infundit. hæc Deus nobis contulit propter Chriſti meritum. Ideo dicitur in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti: non enim Deus nos ſibi gratificauit, nec dona ſuæ contulit gratiæ, niſi propter Chriſti gratiam, qua Patri acceptus eſt, & qua nobis bona hæc meruit, obtinuit, & impetrauit.

Attende rurſus, ſolum Adam nobis nocuiſſe ſuo delicto, & peccato; ipſius enim, non Dei opus fuit ruina noſtra; Deus enim auctor malorum non eſt, quamuis ipſo permittente fiant. idcirco Paulus ſolius Adæ meminit in malo, ſi vnius, inquit, delicto mortui ſunt multi. at reparatio opus fuit Dei, nec Chriſtus vt homo fuit primus auctor, ſed mediator ſalutis. ideo Paulus Adami delicto oppoſuit Dei gratiam, per gratiam Chriſti hominis, & mediatoris. Adam quidem ſolus multos morte affecit, & Deus per gratiam Chriſti mediatoris ſuam gratiam, & dona abundantius communicauit. ille ſolus mortem, at Deus per Chriſtum abundantiam gratiæ, & donorum effecit. In quibus verbis eſt quædam probatio argumenti: nam ſi vnus homo peccator ſuo delicto mul-

Digitized by Google

cto multis nocuit, eoſq. morti obnoxios fecit, profecto Deus per Chriſtum Ieſum, qui Deus eſt, & homo, maiora faciet bona, quã ille mala; potentior enim eſt Deus ad benefaciendum, quam homo ad malefaciendum, & nocendum. ille mortem quandam induxit; Deus per Chriſtum mortem hanc, & adhuc maiora mala remouit, & dona optima contulit.

Attende tandem, non eſſe exceſſum poſitum in pluralitate hominum, quaſi ille multos morte affecerit, Chriſtus vero plures liberauerit; non enim hoc intendit Paulus, quamuis Latina verſio aliquam adferat occaſionem: nam modo multos, modo plures dicit; cum Græce vtroq. in loco habeat, multos: multi nempe mortui ſunt, & in multos abundauit gratia. ſed eſt pondus ſententiæ in effectu ipſo, quia maius bonum effecit Chriſti gratia in his multis, quam delictum, & caſus Adæ malum induxerit.

ANNOTATIO XXII.

Auguſt. AVguſt. lib. 6. contra Iulianũ cap. 12. & lib. 1. de peccat. meri. cap. 15. in hac & illis ſententijs Matth. 20. Venit filius hominis animam ſuam dare in redem- *Matt. 26* ptionem, & Matth. 26. Qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum, & in ſequentibus huius capitis ſententijs; multos ab omnibus non diſtinguit, ſed affirmat, multos pro omnibus poſitos eſſe, idq. ad maiorem expreſſionẽ, quia non ſemper, qui omnes ſunt, multi ſunt. nam poteſt fieri, vt ſint omnes, & ſint pauci. hoc idẽ ſentit Aug. in ſequentibus ſententijs, in quibus Paulus modo omnes, modo multos appellat. Vt autẽ Aug. defendat omnes has Pauli ſententias eſſe vniuerſales, ſic exponit, nẽpe omnes viuificandos, quia nemo eſt, qui viuificetur, qui nõ per Chriſtum viuificetur. Placet modernis hæc expoſitio, quamuis aliter interpretẽtur huiuſmodi propoſitiones vniuerſales, nempe quantum ad ſufficientiam, non quantum ad effectum. meritum enim Chriſti ſufficiens fuit omnibus ad ſalutem, quamuis quantum ad rem ipſam, non omnes fructum meriti huius ſint aſſecuti. Omnia hæc vera ſunt, tamen ad Pauli mentem parum accommodata, qui propterea dixit, multos mortuos vnius delicto, & gratiam in multos abundaſſe, quia loquebatur de ſtatu maxime ad Adam pertinente, nempe ab Adam ipſo, vſq. ad legem: comparatque ſtatum illum Adæ, ſtatui aduentus Chriſti: lex enim ſubintrauit, vt abundaret peccatum. ſicut ergo in eo ſtatu vnius delicto multi ſunt mortui, ita in ſtatu hoc in multos gratia vnius abundauit. hic eſt enim legitimus ſenſus: quæ autem ad cæteras ſequẽtes ſententias pertinent, in earum expoſitione explanabimus.

Et non

Et non ſicut per vnum peccatum, ita & donum.

VErba hæc cauſam reddunt ſuperioris ſententiæ, cur nempe gratia, & donum ſuperabundauerit multo magis in multos, quam redundauerit Adæ caſus, & peccatum. particula enim illa (&) more Hebræorũ, vt ſæpe adnotauimus, cauſalis loco ponitur, ac ſi diceret, quia non ſicut per vnum peccatum, ita & donum. Eſt autem huius ſententiæ talis ſenſus: quia non ſicut per vnum peccatum mortui ſunt multi, ita donum; & gratia fuit, nempe vt a ſolo hoc vno peccato liberaret Chriſtus. Si enim non ab alio malo, & ruina, ac peccato Chriſtus ſua gratia homines liberaſſet, quam illo, quo ab Adam infecti ſumus, eſſet quidem ſimilitudo cum æqualitate; at non ſic eſt; quia non ſicut per unum peccatum, mors, & ruina uenit in mundum, ita fuit donum gratiæ, ut ab hoc ſolo peccato liberaret gratia, quod ſtatim ſequentibus uerbis exponit. Hic eſt ſenſus. Eſt autem oratio quantum ad uerba, imperfecta, ex antecedentibus tamen ſupplenda eſt, & adhuc Græce imperfectior eſt, deeſt enim illud (ita &) ac ſi diceres, & non ſicut per unum peccatum, donum.

Gratia cur ſuper abundauit delictum.

ANNOTATIO XXIII.

VAria eſt lectio tam Latina, quam Græca: aliqui enim legunt, Per vnum peccatum. aliqui, Per vnum peccantem. hoc modo poſteriori legit Aug. lib. 1. de pec. meri. cap. 13. ſiue tamen hoc, ſiue illo legamus modo, ſenſus idẽ perſeuerat. Aduertendum eſt etiam hoc in loco, vbi dicitur (ita & donum) & illo ſuperiori, vbi dicitur (non ſicut delictum, ita & donum) quamuis Latinus interpres vno, & eodem ſit vſus nomine, Græce tamen eſſe diſtincta; in priori enim χάρισμα, in poſteriori vero δώρημα habetur, & quidem eandem rem ſignificant, nempe donum, & qualitatem effectam in nobis à diuina voluntate ex Chriſti gratia, & merito, qua Deo reconciliati, & grati ſumus. ſed non eſt eadem ſignificãdi ratio, nam δώρημα dicitur, quaſi res gratis, & ſine pretio, & debito noſtro data; χάρισμα vero, quia non ſolum gratis data eſt, ſed gratos, & acceptos Deo facit homines, & ad eum finem datur. nam gratiæ quæ dicuntur gratis datæ, & dicuntur chariſmata, etiam ad ſalutem ſpiritualem, & ad homines Deo gratos faciendum, dantur.

Auguſt.

Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem.

REddit cauſam, & exponit ſuperiorem ſententiã; eſtque ſenſus; Non ſicut per vnum peccatum, ita fuit donũ, quaſi ab vno illo

ſolo peccato liberaret, non ſic eſt, quia iudicium ad condemnationem multorum fuit, ex vno, nempe delicto, & caſu. vno enim cadente, omnes ceciderunt, & iudicium damnationis contraxerunt; at gratia, & chariſma datum eſt ad iuſtificationem, & reparationem ex multis ruinis, & delictis: nam per gratiam iuſtificantur, & liberantur homines, non ſolum a peccato, quod ex Adam contraxerunt, & a caſu, & ruina, in quam illo cadente prolapſi ſunt, ſed a multis alijs peccatis, quæ propria admiſerunt voluntate, & a multis ruinis, & præcipitijs, in quæ ipſimet inciderunt proprio arbitrio. Iudicium Græce χρῆμα. condemnatio autem κατάχρημα dicitur. χρῆμα autem ſignificat, non ſententiam ipſam, quæ fertur a iudice, ſed reatum, quo homo reus efficitur, & ſubeſt iudicio, & damnationi. hunc reatũ ex vno omnes traxerunt in κατάχρημα, ideſt, in damnationem, vt damnarentur. opponitur autem χρῆμα gratiæ, quæ dicitur χαρῖσμα, qua homo efficitur iuſtus, & per quam ex multis delictis iuſtificatur, hæc data eſt ad iuſtificationem, quæ eſt contraria damnationi. Vtitur autem Paulus voce παράπτωμα ad ſignificandum peccatum, nam per peccatum homo cadit, eſt enim ruina grauiſſima hominis peccatum, quod cum multiplex ſit, multiplex etiam eſt ruina. Aug. lib. 2. de Nupt. & concupis. cap. 27. & lib. 1. con Iulian. cap. 2. illud (ex vno) non ad hominem, ſed ad delictum refert, ex vno, nimirum delicto, idq. probat ex ſequenti antitheto, Gratia ex multis delictis: id autem vere dicitur, vti expoſitum eſt.

Donum, in quo ſuperabundauit peccatum.

Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes in vita, regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum.

SEcundam adfert probationem, & cauſam illius ſententiæ, nempe multo magis gratiam in multos abundaſſe. Primo quidem probauit, quia homo prius vno peccato multos infecit, eoſq. cadere fecit, at Chriſtus ſua gratia, & ab hoc, & ab alijs omnibus peccatis, quæ non ab Adam prouenerunt, liberauit. Secundo, idem nunc probat, & probationis vis, & ſenſus hic eſt. Si vnius ruina, & peccatum tam efficax fuit, vt mors regnaret propter vnum hominem, & vnus mortales faceret homines, ac peccatores, profecto multo magis, qui accipiunt abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ, regnabunt in vita per vnum Ieſum Chriſtum Deum, & hominem,

Ratio cur gratia magis abundauit quã peccatum.

nem, ideſt, aſſequentur vitam ſine morte. Hoc enim eſt regnare in vita: ac ſi clarius diceret; plus efficiet abundantia gratiæ, & donationis,& iuſtitiæ per Chriſtum, quam vnum peccatum per Adã.

Attende, ſi verborum contextura ſola conſideraretur,ſic videbitur dicendum; ſi vnius delicto mors regnauit per vnum, multo magis vita regnabit per vnum Ieſum Chriſtum. at non exprimebat ſententia ſic prolata perfectum ſenſum, & rei veritatem, quæ in his, quæ dicit Paulus, ſignificantur; dicit enim regnaſſe homines in vita; non autem vitam regnaſſe in ipſis; vt in hoc oſtendat dignitatem, & excellentiam, in quam prouexit nos gratia Chriſti,vt ipſi nempe regnemus,& ſimus Reges. Rurſus,non adhuc dictum eſt, multo magis regnabunt, ſed adiunxit, quid acceperint regnaturi; nos enim ab Adam accepimus peccatum, quo infecti naſcimur. at qui in Chriſto naſcuntur, accipiunt abundantiam gratiæ, & donationis,& iuſtitiæ. Abundantia dicitur, quia non ſolum accipimus a peccato Adæ liberationem, non ſolum etiam a peccatis omnibus actualibus remiſſionem, ſed adhuc amplius quam neceſſarium ſit: non enim iuſtis datur gratia illa ſola, quæ ſufficit ad omnium peccatorum remiſſionem, & reconciliationem cum Deo faciendam, & æternam vitam conſequendam; ſed adhuc mirum ſupra hæc incrementum,vt nempe ad inexplicabilem amicitiam cum Deo,ſanctitatem,iuſtitiam,meritum gloriæ peruehantur,ad altioremq. ſanctitatis gradum, quam illum, a quo Adam per peccatum nos deiecit, promoueantur. Hoc eſt accipere abundantiam gratiæ quidem per quam peccata remittuntur,& fit cum Deo reconciliatio; donationis autem,quæ in ſuperadditis gratijs, & donis ſpiritualibus conſiſtit: Iuſtitiæ vero, per quam meritum,non ſolius gloriæ,ſed eminentiſſimæ gloriæ acquiritur. Hi ergo tales regnabunt in vita, idq. per Chriſtum multo magis, quam propter vnum hominem, & propter vnum peccatum mors regnabat. Vno ergo verbo ſenſus eſt, maior eſt abundantia, & eminentia in regno vitæ, quam in regno mortis: non ſolum quia vita morti præſtat, ſed quia maior eſt latitudo, & abundantia bonorum acceptorum per Chriſtum, quam ſit malorum ex Adæ peccato, & ex quocumq. alio procedentium.

In aliquibus textibus Græcis non legitur illa coniunctio (donationis,& iuſtitiæ) ſed (donationis iuſtitiæ) vt ad donationem iuſtitia referatur. tamen legitima lectio videtur communis,vt ſit diſtinctio inter hæc modo iam expoſito. Habes ergo in his omnibus tres ſententias Paulinas,quibus explicat, non ſicut delictum, ita eſſe &

Digitized by Google

donum. Prima eſt, quia potentius fuit donum ad benefaciendum, quam malum ad nocendum. Secunda, quæ huius eſt explicatio, Adam vno nos infecit peccato, donum vero a multis liberauit, Tertia, per peccatum illius mors regnauit, at per gratiam, & donum Chriſti nos regnamus in vita, accepta abundantia gratiæ, donationis, & iuſtitiæ.

Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.

PRopoſita diſſimilitudine inter donum per Chriſtum datum, & delictum per Adam proueniens, ex exceſſu, & eminentia doni ſupra delictum, concludit ſimilitudinem inter Chriſtum, & Adam, quæ quidem ſimilitudo ex ipſa diſſimilitudine infertur, propterea illationis particula vtitur: eſt autem una diſſimilitudo hæc. ſicut per unius caſum, & ruinam in omnes homines condemnatio mortis proceſsit; omnes enim morti obnoxios unius ruina, caſus, & peccatum effecit, ita per unius etiam iuſtitiam, & meritum in omnes iuſtificatio uitæ proceſsit: illud enim nomen (uitæ) inſinuat ſupplendum eſſe in antitheto nomen (mortis) ac ſi dictum eſſet, in condemnationem mortis, & in iuſtificationem uitæ. Similis eſt ſententia illi. 1. Cor. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes uiuificabuntur. omnes enim homines tam boni, quam mali, increduli, & credentes merito Chriſti reſurgent ad uitam ſine fine, ſicut Adæ demerito mortem incurrerant. loquitur enim hic Paulus de uita corporali, quæ morti corporis opponitur.

Similitudo inter Chriſtum & Adam.

1. Cor. 15

Attende autem uerba, illud (per unius iuſtitiam) appellat enim iuſtitiã meritũ Chriſti, opponitq. demerito Adæ, Græce δικαίωμα. Iuſtificationem autem uitæ, appellat actionem, qua ex iuſtitia, & merito Chriſti iuſte omnes a morte reuocantur ad uitam, non ipſorum merito ac iuſtitia, ſed Chriſti. Græce iuſtificatio δικαίωσις dicitur, illud autem (in omnes homines in condemnationem, & in iuſtificationem) hebraiſmus eſt, ac ſi diceret, per vnius delictum in omnes condemnatio; & per unius iuſtitiam in omnes homines uitæ iuſtificatio facta eſt. opponit ergo unius delicto unius iuſtitiam; condemnationi autem ad mortem, iuſtificationem ad uitam; vniuerſalitas autem omnium hominum eadem eſt; omnes

Iuſtitia Chriſti opponitur merito Adæ.

enim

Hiero. enim moriuntur,& omnes viuent. ſicut autem damnatio,aut condemnatio eſt actio, qua iuſte morti traduntur omnes propter vnius delictum, ita iuſtificatio vitæ eſt actio, qua iuſte a Deo propter vnius iuſtitiam omnes reuocantur ad vitam. Dices, qualenam beneficium eſt reſurrectio ad vitam malis, & perituris? reſpondeo, magnum eſſe ex ſe, vitio tamen,& culpa ipſorum cedit in detrimentum. nam in corporibus aſſumptis magis torquebuntur, omnium tamen reſurrectio eſt a Chriſto promerita in magnum beneficium, & gloriæ augmentum, quantum eſt ex parte ſua. hic eſt ſenſus huius ſententiæ legitimus.

ANNOTATIO XXIV.

Attende,Paulũ his tribus vti vocibus δικαίωμα, δικαίωσις, δικαιοσύνη, quæ diſtinctam habent ſignificationem, δικαίωμα appellat meritum Chriſti, quod eſt cauſa noſtrę iuſtificationis, & iuſtitiæ, δικαίωσιν appellat ipſam iuſtificationem, & actionem,qua nobis datur iuſtitia, qua iuſti ſumus. ipſam autem iuſtitiam appellat δικαιοσύνην, quod eſt valde obſeruandum. hoc igitur in loco iuſtitiam appellat Chriſti ipſius meritum. Aug. lib. 1. de pec. meri. cap. 15. locum hunc exponit de iuſtificatione vitæ, quæ fit per gratiam. Quod ſi obijcias illi, non omnes iuſtificatos eſſe, nec vitæ iuſtificationem aſſecutos: reſpondet in hunc ſenſum interpretandã eſſe ſententiam; nempe omnes iuſtificatos eſſe, ideſt, neminem iuſtificatum eſſe,qui non ſit per Chriſtum iuſtificatus, ſiue omnes, qui iuſtificati ſunt, per Chriſtum iuſtificati ſunt. Iſta expoſitio non videtur ſatis accommoda, nam tunc non videtur ſimilitudo facta procedere; omnes enim ſimpliciter in Adam mortui ſunt, & propter illum mortem trahunt, ergo etiam vitam pariter omnes trahere debent a Chriſto. Eadem de cauſa non videtur ſatis accommodata modernorum reſponſio de merito, nempe Chriſtum omnibus meruiſſe iuſtitiam, quamuis nõ omnes eam ſint aſſecuti, at nec ſic procedit ſimilitudo. nam quantum ad effectum omnes mortui ſunt in Adam & moriuntur: igitur oportet intelligere de vita huic morti oppoſita; omnes enim in vita reſurgent per Chriſtum, ſiue boni, ſiue mali.

August.

Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi.

Alteram ſimilitudinem exponit inter Chriſtum & Adam, nempe ſicut per Adam multi ſunt peccatores conſtituti; illius enim peccatũ eos, qui ex ipſo naſcuntur, infecit,& cauſa eſt vt

Altera ſimilitudo inter Chriſtum & Adam.

Philip. 2.

Peccatores naſcantur; ita etiam per vnius iuſtitiam multi iuſti efficiuntur. nam quotquot in Chriſto naſcuntur, iuſtitiam, & ſanctitatem aſſequentur. Peccatum Adæ inobedientiam appellat, quia diuinum mandatum de ligno prohibito eſt tranſgreſſus; iuſtitiam autem Chriſti vocat obedientiam, de qua Philip. 2. dicitur, Factus obediens vſq. ad mortem. Hæc ſimilitudo prior eſt quam præcedens, nam prius fuit inobedientia Adæ, quàm mortis pœna: propter inobedientiam enim factus eſt morti obnoxius; prius etiam in ipſo peccauimus quam morti obnoxij eſſemus. Tamen Paulus a notioribus incipiens, ſimilitudinis poſterioris in priori loco meminit, vt quemadmodum Adam nos obnoxios morti fecit, ita Chriſtus nos omnes a morte liberauit; prioris autem ſimilitudinis, quia obſcurior eſt, poſteriori loco meminit; vt enim ille multos peccatores fecit, ita Chriſtus ſua iuſtitia, & merito obedientiæ effecit multos iuſtos. Loquitur autem Paulus de effectu ipſo, propterea non eſt vſus particula vniuerſali; quia re vera non omnes iuſtificati ſunt, ſed multi. propterea dicit, multos eſſe conſtitutos peccatores, & multos iuſtos, ſicut & illud Matth. 26. Qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Particula autem illa (enim) cauſam reddit, non quidem proximæ ſententiæ, ſed ſuperioris illius; ſicut regnauit mors per vnum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ recipientes regnabunt per Ieſum Chriſtum: ex hac enim vtramq. intulit ſimilitudinem inter Adam, & Chriſtum.

Matt. 26.

ANNOTATIO XXV.

Aug.

AVg. lib. 1. de pec. meri. cap. 15. & lib. 6. contra Iulian. cap. 12. hanc ſententiã exponit, vt, per multos, omnes intelligantur. dictos autem dicit eſſe multos; quia ſi omnes diceret, non exprimebat eſſe multos, qui per Chriſtum iuſtificantur; nam omnes eſſe poſſunt & ſimul pauci: dicimus enim omnes Euangeliſtas, cum tantum quatuor ſint. Vt ergo multos eſſe, qui iuſti ſunt conſtituti, ſignificaret, non omnes, ſed multos dixit; tamen re ipſa omnes ſunt; ac ſi dictum eſſet, ſicut in Adam omnes conſtituti ſunt peccatores, ita in Chriſto omnes conſtituentur iuſti. has autem vniuerſales aſſertiones ipſe Aug. interpretatur, vt in ſuperiori annotatione diximus; nempe, ſicut nemo conſtituitur peccator, qui non ſit in Adam natus, ita nemo eſt iuſtus, qui non ſit in Chriſto renatus, & per ipſum iuſtificatus. ſic Aug. exponit.

Si per inobedientiã vnius omnes mortui ſunt, cur per Chriſtum nõ omnes iuſti conſtituti ſunt?

Mihi tamen accommodatior eſt viſa expoſitio, vt multos dici intelligamus, quia non omnes quantum ad effectum iuſti ſunt conſtituti; differtq. hæc ſententia a proxima, in qua facta eſt collatio quantum ad mortem, & vitam; ideo vſus

eſt vni-

eſt vniuerſali particula, quia omnes in Adam moriuntur, & omnes in Chriſto viuificandi ſunt per reſurrectionem. In præſenti vero ſententia collatio eſt quantum ad iuſtitiã, & peccatum: idcirco dicitur, multos iuſtificatos, quia non omnes iuſtitiam ſunt adepti.

Obijcies, non ergo eſt ſimilitudo inter Adam, & Chriſtum. nam omnes in Adam peccauerunt, & naſcũtur peccatores, in Chriſto autem non omnes ſunt iuſti conſtituti: Reſpondeo, non hoc eſſe, quod Paulus confert; ſed factum ipſum. omnes quidem naſcuntur peccatores, at nõ omnes in peccato eo manẽt, ſed iuſtificantur per Chriſtum. ideo ſicut multi ſunt peccatores in Adã, ita multi ſunt iuſti per Chriſtum, quantum ad rem ipſam, & effectũ. Quod ſi quæras, cur ſi omnes vnius delicto peccatores ſunt cõſtituti, non ita etiam ſunt omnes vnius obedientia facti iuſti? Reſpondeo, omnes etiam in Chriſto iuſtitiam adeptos. ſicut enim in Adam omnes peccauerunt, ita in Chriſto omnes ſatisfecerunt, & iuſtificati ſunt. Sicut autem neceſſe fuit naſci ex Adam, ad contrahendum peccatum originis, ita neceſſe fuit naſci per baptiſmum, ſeu fidem in Chriſto ad iuſtitiam participandam. quotquot autem in Chriſto naſcuntur, iuſtitiam habent, ſicut quotquot ex Adam naſcuntur, peccatum trahunt, & ſic eſt quædam ſimilitudo; immo excedit iuſtitia Chriſti. peccatum enim Adæ non infecit adultos, ſed ipſi ſuo arbitrio noua cumulant peccata. at iuſtitia Chriſti iuſtificat naſcentes in Adam, & adhuc adultos: eos nempe, qui propria peccata, præter originale ab Adam contractum, ſuperaddiderũt. rurſus etiam renaſcentes in Chriſto iuſtificat, & eos quoq. qui velut adulti, poſtquam renati ſunt, iuſtitiam bonis operibus augent, etiam Chriſtus adhuc iuſtificat; nam tam prima, quam ſecunda iuſtitia per Chriſtum accipitur, non autem hoc fit in peccato; originale enim ab Adam eſt, actualia vero ab ipſiſmet hominibus peccantibus. Reliqua in annotatione. xx. expoſuimus.

Lex autem ſubintrauit, ut abundaret delictum.

HActenus de ſtatu ab Adam vſq. ad legem tractauit; oſtendens, omnes eos peccaſse, & regnaſse mortẽ in ipſos: contulitq. Chriſtum Adæ, vt ſicut ipſe Adam omnes infecit, & cadere fecit, ita Chriſtus ſanauit, & erexit, fuitq. maior reparatio quam ruina. Ne quis autem, legem reparationem attuliſse, aut exiſtentes ſub ea liberos a peccato fuiſse, arbitraretur, ſubiungit; Lex, inquit, inter ſtatum ab Adã, & Chriſti aduentum, ſubintrauit; ſed hæc non effecit, vt homines non eſsent peccatores; immo occaſio fuit abundantiæ delicti, & peccati, & ruinę. cumulatis enim præceptis, & mandatis, maior facta eſt tranſgreſſio. lex enim ipſa, hominibus per Adam debilitatis, vires ad obſeruantiam ſui non dabat; non ergo per

Lex quomodo dicatur ſubintraſſe, vt abundaret delictum.

Digitized by Google

legem ablatum eſt peccatum, ſed potius creuit,& auctum eſt, vitio quidem hominum, ſed occaſione ſumpta ex lege.

Attende, legem dici ſubintraſſe, ideſt obiter intraſſe, quia lex non fuit data ad ſalutem, & quæ permanſura eſſet, ſed ad inſtructionē quandam, & ad tempus, ſicut Pædagogus datur puero. Loquitur autem de lege tanquam de perſona per quandam proſopopeiã. Particula (vt) non finem, ſed conſecutionem quandam indicat, vt ſæpe ſolet in Scriptura fieri. non enim lex data fuit vt homo peccaret, ſed vt per legem in venturis myſterijs erudiretur, ac diſceret Deo obedire, qui tranſgreſſor naſcebatur. tamen occaſionem inde accepit homo vitio ſuo proprio, a quo non niſi per gratiam Chriſti ſanandus erat, tranſgrediendi legem ipſam. Eſt autem ſermo de lege data per Moyſem, quæ multa præcepit, & prohibuit, quæ lex naturalis non continebat, & quæ ante facere licebat, aut omittere, tamen poſt legem obſeruanda erant; ideo occaſionem attulit abundantiæ peccati ſupra ſtatum præcedentem legis naturæ, qui fuit ab Adam vſq. ad Moyſem.

ANNOTATIO. XXVI.

Ambroſ. AMbroſius Epiſtol. 71. ad Irenæum hoc verbum (ſubintrauit) dictum putat, quia lex Moyſis data eſt ea de cauſa, quia lex naturalis nō fuit obſeruata, quin potius magna etiam ex parte in mentibus hominum obſcurata. *Sic enim, inquit, ſubintrauit. quod vtiquè non ordinarium, ſed velut fortuitum ſignificare videtur introitum, eo quòd in locum legis naturalis intrauerit. itaq. ſi illa ſuum ſeruaſſet locum, hæc lex Scripta nequaquã fuiſſet ingreſſa.* Hæc Ambro. Quæ doctrina mihi non omnino probatur; quamuis enim per legem ſcriptam aliqua ex parte renouata ſit naturalis lex, quæ multum iam inualeſcentibus peccatis erat obſcurata, tamen alijs de cauſis lex data eſt, multaq. alia mandata præter naturalia continebat. Quamuis autem lex naturalis obſeruata fuiſſet, adhuc ſcripta lex data eſſet, per quam futura myſteria ſignificarentur, hominesq. diſponerentur ad Euangelium ſuſcipiendum. Vera ergo expoſitio eſt, legem dictam ſubintraſſe, ideſt, velut obiter intraſſe, quia ad tempus futura erat in mundo. non enim Euangelium intrauit vt lex. legi enim terminus fuit Euangelium; at Euangelio non ſuccedet lex altera, aut aliud Euangelium, vt dicit docte Cyril. lib. 10. in Ioan. cap. 25. propterea dicitur ſubintraſſe, fuit enim velut Pędagogus in Chriſto.

Lex quomodo dicatur ſubintraſſe.

Vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.

NOn ſolum contra peccatum ab Adã vſq. ad legem, ſed etiam quod a lege vſq. ad Chriſti aduentum perpetratum, & multipli-

Digitized by Google

tiplicatum eſt, gratia præualuit, ſuasq. vires exercuit; excreſcente enim, & aucto peccato, creuit etiam gratia Saluatoris, vt non ſolum ab vno, aut altero, ſed ab innumeris, & multiplicibus peccatis liberaret, maximaq. beneficia conferret. Attende tres ſtatus. Primus eſt ab Adam vſque ad legem per Moyſem datam; in quo peccatum fuit in mundo, & regnauit mors. Secundus eſt ab ipſo Moyſe vſque ad aduentum Chriſti; in quo ſubintrauit lex, & abundauit ex occaſione peccatum. Tertius eſt in Chriſti aduentu, qui ſuperabundanti gratia contra peccata omnia præualuit, & regnum mortis, & peccati deſtruxit. Illud (vbi) indefinite ponitur, & potius ſignificat idem, quod (poſtquam) vt ſit ſenſus. Poſtquam abundauit delictum in ſtatu legis, gratia ſuperabundauit Saluatoris aduenientis, quamuis ex fide futuri, ij, qui ab Adam vſque ad Moyſem, & à Moyſe vſque ad ipſum Chriſtum præceſſerunt, contra peccata remedium habuerunt; tamen Paulus ſtatus ipſos inter ſeſe confert.

Nota tres ſtatus, ante legem, in lege, & poſt legẽ.

ANNOTATIO XXVII.

Athan. Athanaſ. in tract. de ſalutari aduentu Chriſti. illud (vbi) ad naturam humanam refert, vt ſit ſenſus. In qua natura abundauit delictum, ſuperabundauit gratia. Ambro. vero in epiſt. 71. ad Iren. noſtræ expoſitioni conſentire videtur. *Ambr.*

Vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

SVperabundauit gratia, vt ſicut peccatum regnauit, omnibus mortem inferendo, ita etiam è contrario gratia regnet per iuſtitiam, ideſt, iuſtificando homines à peccatis in vitam æternam, & hoc per Chriſtum Dominum, qui deſtructor eſt regni peccati, & mortis, ac regni iuſtitiæ, æternæq. vitæ auctor. Senſus ergo breuibus verbis eſt, gratia ſuperabundauit, vt, mortis & peccati regno deſtructo, regnum iuſtitiæ, & æternæ vitæ inſtauraretur per vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Particula (vt) non conſecutiue, ſed cauſaliter accipitur. Paulus autem non meminit nunc Adæ, quia & per ipſum, & per legem ex occaſione peccati regnum auctum erat, quod vnus Chriſtus deſtruxit. Iuſtitiam autem appellat, quæ data hominibus peccata delet, & ius in æternã vitã donat.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIO XXVIII.

ATtende, Adæ peccatum ita homines omnes morti obnoxios feciſſe, vt amplius ad vitam reuocandi non eſſent: mortui enim naturaliter reſurgere non poſſunt: qui ergo moritur, ſi naturalis virtus ſola conſideretur, in æternum moritur, nec amplius viuet vti prius, quamuis anima immortalis perſeueret. ſimiliter etiam peccatum ex ſe æternum eſt. potuit enim homo, & poteſt peccare, ſed à peccato ſemel patrato per ſeipſum non valet omnino ſe eripere. Deus eſt, qui ex gratia, propter Chriſti meritum, effecit, vt & mortui reſurgant ad vitam, & peccatum finem habeat per fidem Chriſti viuam. Adam ergo, quantum eſt ex ſeipſo, in æternum nos peccatum, & in mortem perpetuam coniecit. nos etiam ipſi noua peccata committentes, peccati reos perpetuos nos facimus. Hoc eſt regnum peccati, & regnum mortis, quod per Adam eſt inductum; Chriſti vero meritum, & iuſtitia regnum potentius, & durabilius effecit, illo regno magna ex parte deſtructo. nam mortem, quæ perpetua erat, effecit temporalem; reſurgent enim mortui vniuerſi, & vitæ regnum ſtatuetur æternum ſine fine; mors enim amplius non erit. propterea Chriſtus victor mortis dictus eſt; peccatum etiam in his, qui in Chriſto naſcuntur, delebitur, & fiet iuſtitia ſempiterna. & ſic regnabit gratia per Chriſtum: & hoc per iuſtitiam in æternam vitam. in his etiam, qui damnantur, adhuc regnum peccati non erit integrum: nam quamuis peccatum maneat, mors tamen deſtruetur, & reſurgent ad vitam; quamuis hæc vita ipſorum culpa potius ſit mors illis. Regnauit ergo mors, & peccatum, ſed vſque ad Chriſtũ, quia virtute Chriſti diminutum, & deſtructum eſt, ſtabilito æterno iuſtitiæ, & vitæ regno.

Nota regnũ mortis, & regnũ vitę.

CAPVT SEXTVM.

QVid ergo dicemus, permanebimus in peccato vt gratia abundet? Abſit. Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? An ignoratis quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem: vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius: ſimul & reſurrectionis erimus. Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter

ſimul

Digitized by Google

mul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, & vltra non ſeruiamus peccato. Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato. Si autem mortui ſumus cum Chriſto: credimus quia ſimul etiam viuemus cum Chriſto: ſcientes quod Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quòd enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quòd autem viuit: viuit Deo. Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo, in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius. Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato: ſed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viuentes, & membra veſtra arma iuſtitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia. Quid ergo? peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Abſit. Neſcitis quoniam qui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius, cui obeditis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam? Gratias autem Deo quòd fuiſtis ſerui peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis. Liberati autem à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ. Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt. Nunc vero liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam. Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Quid ergo dicemus? manebimus in peccato, vt gratia abundet? abſit.

SOlet Paulus poſt dogmata ad rectam doctrinam fidei pertinentia, annectere aliqua, quæ ad mores ſpectant, occaſione ſumpta ex aliqua ad fidem, ſeu dogma pertinente ſententia; quod in hoc ſexto capite maxime facit. nam poſt doctrinam traditam; nempe per Chriſtum factam eſſe reparationem ruinæ, quam Adam nobis intulit, & quam lex occaſionaliter auxit, exhortatur, vt ad iuſtitiam conuertamur, & à peccatis omnino abſtineamus, quorum remiſſionem per Chriſtum habuimus. Propoſita igitur ſententia præoccupatio quædam eſt; his enim præoccupationibus ſæpe

Paulus

Digitized by Google

Paulus vti ſolet; ex poſtrema enim præcedentis capitis ſententia, nempe vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia; poſſet aliquis male inferre, ergo peccatis peccata addenda ſunt, in eisq. perſeuerandum; ſic enim gratia Dei abundantior erit. hanc obiectionem præoccupans remouet. Senſus igitur eſt: Si, vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia, dicemus, ergo manebimus, & perſeuerabimus in peccatis, vt gratia ſuperabundet? Abſit, ideſt, nullatenus id ita eſt, immo deteſtabilis error is eſſet; ſolet enim Paulus hoc verbo (abſit) negare ea, quæ abſurdiſſima, & deteſtabilia ſunt. Similis eſt ſententia in capite tertio, ſed alio propoſito dicta. Græce verbum eſt compoſitum (permanebimus) quaſi peccatis peccata adiungentes, & perſeuerantes in peccato.

Verbum (abſit) qd ſignificet apud Apoſtolum.

ANNOTATIO I.

ALiqui moderni peccatum hoc loco exponunt ſignificare fomitem peccati, vt idem ſit permanere in peccato, & eſſe ſub fomite peccati, quod fit, quando homo obedit fomiti, & appetitui ad peccandum inducenti. Sed non video rationem vrgentem, cur peccatum in ea ſit accipiendum ſignificatione. potius contextus contrarium indicat. nam dictum erat: Vbi abundauit peccatum, ſuperabundaſſe gratiam; ex hoc infert: Manebimus ergo in peccato? eodem igitur modo accipitur peccatum in vtraque ſententia. Clarum autem eſt non accipi pro fomite, ſed pro ipſo peccato, quando dictum eſt: Vbi abundauit delictum; & ſimiliter ſubintrauit lex, vt abundaret delictum. eodem igitur modo peccatum in præſenti ſententia accipitur à Paulo, idemq. eſt permanere in peccato, ac perſeuerare in peccato, peccatoq. addere peccatum: & ſic antiqui Patres hunc locum interpretati ſunt.

Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo.

PRobat, & cauſam adfert, cur non debeamus manere in peccato, poſtquam ſemel iam Euangelij gratiam accepimus. Senſus autem eſt. Mortui ſumus peccato, ergo non debemus viuere amplius illi; pugnant enim inter ſe mors, & vita. Attende, mori, & viuere peccato per quamdam analogiam, & ſimilitudinem dicta eſſe; vt enim mortuus dicitur, qui functiones, & vitæ operationes non habet, quas ante habuerat, ita mortuus peccato is appellatur, qui non habet iam peccati operationes in ſe, nempe qui nō obedit ſuis iam concupiſcentijs, & appetitibus contra legem Dei militantibus,

Ratio quare non debeamus perſeuerare in peccato, ſi gratia ſuperabundat.

Digitized by Google

tibus, quique non iam proprio ſenſu, & voluntate ducitur, ſed legi & voluntati diuinæ obtemperat. contra vero, qui ſuis obtemperat appetitibus contra legem Dei, ille viuit peccato, quia opera facit peccati. Mori ergo alicui, eſt opera illius abijcere; viuere vero eſt eius opera exercere. cum ergo qui gratiam Euangelij receperunt ſemel peccatis ſint mortui, non eſt cur amplius viuere in illis debeant; ſicut ante ſuſceptam gratiam vixerunt.

Mori peccato quid ſit.

Attende rurſus, longe aliud eſſe mortuum eſſe peccato, ſi ſit caſus auferendi, & ſi ſit caſus dandi: illud prius ſignificat, per peccatum hominem eſſe mortuum, & gratia Dei, quæ vita eſt, priuatum. in qua ſignificatione illud eſt. Epheſ. 2. Cum eſſemus peccatis mortui, conuiuificauit nos in Chriſto: hoc autem ſignificat peccatum eſſe mortuum, & nos per gratiam viuere, & à peccati operibus ceſſaſſe: & ſic in præſenti accipitur. Sicut & illud 1. Petr. 2. Vt peccatis mortui iuſtitiæ viuamus.

1. Pet. 2.

ANNOTATIO II.

Chryſoſt.

CHryſoſt. duas refert expoſitiones illius (Mortui ſumus peccato) quarum etiam in commentario mentionem fecimus, nempe: Mortui ſumus peccato, quia per peccatum vitam ſpiritualem amiſimus; aut quia peccato deleto amplius non obedimus. hanc poſteriorem probat; & ea eſt legitima; id quod verba ſequentia aperte ſignificant. Attende etiam in his verbis cum eodem Chriſoſt. non eſſe dictum peccatum eſſe mortuum, ſed nos mortuos eſſe peccato, vt per hoc excitentur auditores ad ſtudium bonorum operum, & abſtineant à peccatis, cum iam ſint mortui peccatis.

An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus?

PRobat, & exponit mortuos nos eſſe peccato: Quicumque .n. inquit, baptizati ſumus in Chriſto, baptizati ſumus in morte eius. ſenſus eſt: Quotquot per baptiſmum Chriſto inſerimur, & de corpore eius efficimur, per eundem baptiſmum efficimur ſimiles ipſi mortuo, vt ſicut ille mortuus eſt, ita etiam nos morimur: cum ergo non aliter inſeramur Chriſto per baptiſmum, quam effecti ſimiles ipſi mortuo, ſequitur vt qui baptizati ſunt, mortui ſint peccato, ſicut Chriſtus mortuus eſt corpori. Appellat baptizari in Chriſto

Per baptiſmum quō dicimur mori Chriſto.

inſeri

Digitized by Google

inſeri Chriſto ; & de eius corpore membrum fieri : baptizari autem in morte ipſius, eſt per baptiſmum ſimilitudinem mortis eius accipere, quod in annotatione exactius diſcutietur. Vtitur autem Paulus hac locutionis forma (An ignoratis?) non quod illi ignorarent, quibus hæc ſcribebat, ſed eſt quædam increpatio eorum , vt dicit Chryſoſt. qui cum baptizati eſſent, adhuc peccata committerent, quaſi neſcientes, ſe per baptiſmum mortuos eſſe peccato. Eſt etiam quædam vehemens exhortatio ad abſtinendum à peccatis ; quaſi qui poſt baptiſmum peccant ignorare videantur quid egerint, quando baptiſmum ſuſceperunt. Illud (quia) non cauſam, ſed declarationem indicat loco (quod). Attende, maxime in hac, & ſequentibus ſententijs à Paulo Chriſti mortis mentionem factam eſſe; nempe ; Baptizari in ſimilitudinem mortis Chriſti : Conſepeliri cum ipſo : Complantari : Simul crucifigi : vt per hæc ſciamus, ex mortis ipſius virtute, & efficacia mortem noſtrorum peccatorum, & ſalutem noſtram procedere.

ANNOTATIO III.

InChriſto baptizari quid ſit.

Tertul.

GRæca omnia exemplaria in accuſandi caſu habent : In Chriſtum, & in mortem baptizari, & ita legit Tertul. lib. de carnis reſurrectione : & eſt legitima lectio, & in eum ſenſum ſunt Latina verba exponenda, quamuis, propria ſignificatione cõſiderata, longe aliud ſit in morte , & in Chriſto baptizari, quam in mortem , aut in Chriſtum baptizari. Quantum ad ſenſum expoſitæ ſententiæ attinet, Origen. In Chriſto baptizari exponit, in nomine Chriſti baptizari, ad diſtinctionem baptiſmi legis, & Ioannis. eodem modo exponit Anſelmus interpretatur . Aliqui vero moderni, Baptizari in Chriſto, exponunt idem ſignificare , ac baptizari baptiſmo, qui habet virtutem & efficaciam à Chriſto. Et quamuis vtraque expoſitio verbis hiſce accommodetur, tamen nec Græcis verbis, quæ in accuſandi caſu ſunt, nec cõtextui ita facile accommodatur. Ideo accommodatior viſa eſt expoſitio, vt baptizari in Chriſtum , ſit per baptiſmum ipſius in ipſummet inſeri, & de corpore eius fieri . Baptizari autem in mortem Chriſti , non eodem modo Doctores exponunt: Baſil. regu. breui. reſp. 234. Baptizari in mortem Chriſti, exponit idem eſſe, ac veterem noſtrum hominem crucifigi , & deſtrui corpus peccati, vt vltra non ſeruiamus peccato, ſed ab omni de hac vita affectione vacui tales ſimus, in quos merito illud Apoſtoli conueniat ; Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. idem Ambr. lib. 2. de ſacram. cap. 7. ſententia; inquit enim, Quid eſt baptizari in morte Chriſti? vt quomodo Chriſtus mortuus eſt , ſic tu quoque mortem deguſtes : quomodo Chriſtus mortuus eſt peccato , & Deo viuit , ita tu ſuperioribus illecebris

Orig.

Baſil.

pecca-

peccatorum mortuus ſis per baptiſmum, & ſurrexeris per gratiam Chriſti; mors ergo eſt, ſed non in mortis corporalis veritate, ſed in ſimilitudine; cum enim mergeris, mortis ſuſcipis & ſepulturæ ſimilitudinem. hæc Ambroſius, Chryſoſt. paulo aliter exponere videtur. nam baptiſma ipſum cruci; mortem autem ipſam peccati, morti Chriſti comparat: vt enim Chriſto crux mortis corporalis fuit cauſa, ita nobis mortis peccati baptiſmus cauſa eſt. Athan. in qq. ad Antioch. q. 125. Quemadmodum, inquit, corpus Domini ſepultum in terra mundo ſalutem peperit, ſic noſtrum quoque corpus in baptiſmo ſepultum nobis ipſis iuſtitiam protulit. Hæc omnia recte dicuntur, tamen rem ipſam perfecte non exponunt. *Athanaſ.*

Aduerte, ipſum baptiſmum exteriorem ſimilitudinem gerere ſepulturæ Chriſti; & qui baptizantur, & aquis immerguntur, Chriſtum ſepultum repræſentant; hinc eſt quod baptiſmus ſit dictus in mortem, & ſimilitudinem mortis Chriſti; non enim ſepeliuntur niſi mortui, & ſepultura non mors ipſa, ſed ſignum eſt mortis. baptiſmus ergo ſignum ſepulturæ Chriſti exiſtens ſignificat & indicat baptizatos mortuos eſſe, ſicut & Chriſtus mortuus traditus eſt ſepulturæ; mors autem hæc per ſimilitudinem eſt; vt enim Chriſtus mortuus eſt vitæ temporali, ita baptizatus moritur peccato. Eſt ergo baptizari in mortem Chriſti, non aliud quam effectos mortuos in ſimilitudinem mortis Chriſti baptizari, & velut in ſepultura condi, non quod prius moriantur peccato quam baptizentur; non enim ſic eſt, nam ipſe baptiſmus cauſa eſt mortis peccati, & facit mori peccato; ſed quod baptiſmus indicet baptizatos mortuos eſſe, ſicut ſepultura ſignificat eos, qui ſepeliuntur, mortuos eſſe. Nec ſolum ſignificat, ſed quod ſignificat, efficit. hoc enim eſt baptizari in mortem; quia vere per baptiſmum morimur. ideo tamquam mortui ſepelimur. **Baptiſmus quo gerat ſimilitudinem ſepulturæ Chriſti.**

Nec contra hoc eſt quod Tertul. in lib. de pœnit. dixit, nempe baptizari, non vt delinquere deſinamus, ſed quia deſiuimus, quia iam corde loti ſumus. hoc tamen non aliud ſignificat, quam baptizandos debere accedere cum propoſito amplius non peccandi, & cum præteritorum pœnitentia. Non tamen neceſſe eſt prius habuiſſe remiſſionem peccati; quamuis aliquando ex vehementia fidei, & pœnitentiæ id fiat, vt docet Aug. lib. 4. de Baptiſmo con. Donatiſt. cap. 22. non ergo baptiſmus morti Chriſti confertur, ſed ſepulturæ. Dicitur dari baptiſmus in mortem Chriſti, quia facit, & ſignificat baptizatos mortem ſubire quandam, nempe peccati. in qua re ſimilitudo eſt mortis Chriſti. vno ergo verbo baptizari in mortem Chriſti, eſt baptizari tamquam mortuos peccato, per quam mortem ſimilitudinem quandam habent cum Chriſto, cui per baptiſmum ingeruntur, & eius fiunt membra; qui enim baptizantur, profitentur ſe mortuos eſſe peccato. Recte igitur ex hoc loco Aug. Enchiri. cap. 51. colligit, infantes habere peccatum originale. nam quicumque baptizãtur, in mortem baptizantur Chriſti, nempe vt moriantur peccato, & per hanc mortem ſimiles fiant Chriſto mortuo. *Tertul.* *Auguſt.* *Auguſt.*

Conſe-

Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem.

VErba hæc expoſitionem ſuperioris ſententiæ confirmant; probant enim, & cauſam reddunt, cur in mortis Chriſti ſimilitudinem baptizentur, qui in Chriſtum baptizantur. cauſa autem ea eſt, quia per baptiſmum vna cum ipſo Chriſto ſepeliuntur, ideſt, Chriſtum ſepultum repræſentant. In mortem conſepulti dicimur, ideſt, vt moriamur peccato, ſicut ille mortuus eſt vitæ huic temporali. Ideo ergo baptiſmus eſt in mortem Chriſti repræſentandam, quia per illum ſimiles efficimur ipſi Chriſto ſepulto; baptiſmus autem gerit ſepulturæ illius ſpeciem, vt per hunc nos moriamur peccato, ſicut ille ſepultus non eſt niſi mortuus temporaliter.

Cur in mortis Chriſti ſimilitudinem dicũtur baptizari, qui in Chriſtũ baptizantur.

Attende, ſimilitudinem in eo eſſe poſitam, cum baptiſmus ſit ſimilis ſepulturæ Chriſti, fit vt qui baptizantur mortui ſint peccato, ſicut Chriſtus mortuus ſepultus eſt. Eſt autem diſſimilitudo in alijs; Chriſtus enim prius eſt mortuus in cruce, poſtea ſepulturæ traditus; at baptizatus per ipſum baptiſmum moritur; quia baptiſmus eſt cauſa mortis peccati: conſepeliri autem per baptiſmum in mortem, eſt tamquam mortuos peccato ſepeliri baptiſmo, ſicut ille mortuus corporaliter traditus eſt ſepulturæ.

Vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.

SImilitudinem, & collationem proſequitur; cauſam cur morti, & ſepulturæ illius ſimiles effecti per baptiſmum ſimus, exponens. Sumus, inquit, per baptiſmum conſepulti cum illo in mortis ſimilitudinem, & morientes peccato, vt ſimiles quoque ſimus etiã in altero, nempe vt quemadmodum ille à ſepultura ſurrexit per gloriam Patris, ideſt, in vita glorioſa, & in maieſtate digna Deo, non in humilitate, vt prius; ita etiam qui baptizati ſunt, & per baptiſmum, tamquam mortui peccato ſepulti ſunt, reſurgant in vita noua, qualis ante non fuit, nempe vita gratiæ, & filiorum Dei. Vtitur autem verbo (ambulemus) quia baptizati mortui peccato, & in iuſtitia ſurgentes debent continuis operibus iuſtitiæ in hoc ſæculo ambulare, & procedere. Confirmat hæc ſententia id, quod ſuperius dixerat. Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? mortui enim ſumus peccato, & Chriſtum imitantes in

tes in nouam vitam ſpiritualem ſurreximus, in qua ambulandum eſt, non iam in peccato.

ANNOTATIO IV.

Theod. Chriſtus reſurrexit per gloriam Patris quō intelligitur.

VErbum illud) per gloriam Patris) varie Doctores exponunt. Theodoretus per gloriam Patris reſurrexiſſe exponit, ideſt, per propriam diuinitatem ſuam; eadem enim diuinitas Patris, & Filij. *Athanaſ.* Athanaſius autem lib. de communi ſubſtantia Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, in capite aduerſus eos, qui ponunt diſcrimen inter (ex quo, & per quem) interpretatur, Per Patris gloriam, & virtutem excitatum. Vtraque expoſitio difficile accommodatur; non enim procedit ſimilitudo, & collatio facta à Paulo, ſi tales ſequamur expoſitiones; nos enim dicimur ſurrecturi, vt in nouitate vitæ ambulemus, ſicut Chriſtus ſurrexit per gloriam Patris. gloria ergo hæc nouitati vitæ noſtræ confertur. *Anſel.* Hoc aduertens Anſelmus aliter expoſuit, nempe quomodo glorificatur Pater per reſurrectionem Filij, ita etiam per conuerſationis noſtræ nouitatem glorificetur. Mihi expoſitio accommodata videtur, quam in commentario ſumus proſecuti. Græca enim præpoſitio διὰ, aliquando (per) aliquando (propter) ſignificat: in hoc autem loco exiſtimo hanc poſteriorem habere ſignificationem, vt ſit ſenſus: Surrexit propter gloriam Patris, ideſt, vt vitam ageret glorioſam, & diuinitati conuenientem qualis decet filium Dei; ſurrexit enim aſcenſurus, & ſeſſurus in gloria ad dexteram Patris; ita etiam nos in nouam vitam ex baptiſmo ſurgimus, & in ea nobis eſt ambulandum. Eandem habet ſignificationem hæc particula διὰ ſuperius cap. 3. Propter remiſſionem præcedentium delictorum, & multis alijs in locis.

Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis eius.

SVperiorem probat ſententiam, nempe in nouitate vitæ poſt mortem peccati ambulare nos debere, ſicut & Chriſtus à morte in vitam reſurrexit glorioſam. probatio autem collationis huius ea eſt: nam ſi ſimiles facti ſumus Chriſto in vno termino, nempe morte, quando per baptiſmum in ipſum inſiti, & plantati ſumus mortui peccato, erimus profecto etiam ſimiles in altero termino, nempe reſurrectione; quia ſurgemus in nouitate vitæ, in qua ambulandum nobis eſt. Similitudinem mortis eius appellat mortem, qua morientes peccato baptizamur, & ſepelimur cum ipſo. Similitudinem autem reſurrectionis vocat nouitatem vitæ ſpiritualis, in quam per baptiſmnm à morte peccati ſuſcitamur, in qua ambulandum, & ſecundum quam uiuendum eſt in hoc ſeculo, donec ad ipſius gloriam cum eo transferamur.

Chriſto quō aſsimilabimur in reſurrectione.

Digitized by Google

ANNOTATIO V.

ATtende, illud (complantati) ideſt, ſimul inſiti Chriſto, non ſignificare ſimilitudinem inter nos, nempe Iudæorum, & Gentium, qui ſimul vni Chriſto adhærent, ſed noſtri cum ipſo Chriſto, cui inſerimur. Attende rurſus, illud (facti ſumus) connectendum cum ſequenti, nempe, Facti ſumus ſimilitudini, & confirmationi mortis eius, ideſt, in ſimilitudinem mortis eius. Supplendum etiam eſt hoc idem cum verbo ſequenti, nempe, Erimus ſimilitudini reſurrectionis, ideſt, erimus facti ſimilitudini reſurrectionis eius. ſenſus ergo hic eſt: Si inſiti ſimul in Chriſtum, & in eum baptizati ſimiles facti ſumus morti, erimus etiam ſimiles reſurrectionis eius; vt non ſolum moriamur peccato, ſed etiam in nouitate vitæ accepta ambulemus. Tertul. lib. de carnis reſurrectione legit: Si conſiti fuerimus, exponit autem de reſurrectione corporum ad immortalem vitam. tamen non eſt hoc ad mentem Pauli; loquitur enim de morte noſtra non corporali, ſed qua morimur peccato. Igitur ſermo eſt de reſurrectione ſimili, nempe in vitæ nouitate; in hac enim ſimilitudine mortis, & reſurrectionis Chriſti baptizamur. Tertul.

Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, vt vltra non ſeruiamus peccato.

COnfirmat ſententiam præcedentem; & exponit, declaratq. qualiter mortui ſimus peccato. Eſt autem Hebraiſmus, quo participium loco verbi ponitur: Scientes, inquit, hoc; ideſt, cum ſciamus hoc, ſeu certum nobis ſit, nempe noſtrum veterem hominem in baptiſmo ſimul eſſe cum Chriſto crucifixum; vt deſtructo corpore peccati, vltra non ſeruiamus peccato, ſicut antea ſeruiebamus; vitijs & concupiſcentijs noſtris indulgentes, & ipſis obedientes contra legem Dei. non ſolum ergo mortui ſumus peccato, ſed ita mortui vt amplius non debeamus peccare, ne neceſſe ſit iterum mori peccato.

Homo vetus, & nouus quis ſit.

Attendenda ſunt verba ſingula, ex quorum explicatione ſenſus facile percipitur. Solet Paulus in vnoquoque noſtrum diſtinguere duos homines; nouum, & veterem; non quod duæ ſint ſubſtantiæ, aut ſubiecta; vnus enim, & idem homo ſinguli ſumus; ſed ratione diuerſorum ſtatuum; qui enim indulget vitijs, & obedit concupiſcentijs ſuis, vetus homo dicitur, quia ſtatum peccati ſequitur, in quo natus eſt, & originem ab Adamo traxit. at qui peccato abiecto inſeruit iuſtitiæ, & Dei mandatis obedit, nouus homo appellatur;

quia

Digitized by Google

quia hunc ſ... non ab Adamo, nec à natiuitate carnali traxit, ſed à Chriſto, in quo per baptiſmum natus eſt, & in ipſo inſitus eſt. Quando ergo homo abijcit opera peccatorum, & Deo reconciliatus, ac iuſtitiæ reſtitutus, viuit ſecundum Dei legem, dicitur abieciſſe veterem hominem, & induiſſe nouum. iuxta illud Epheſ. 4. Deponere vos ſecundum priſtinam conuerſationem, veterem hominem, qui corrumpitur, ſecundum deſideria erroris; renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt. Hic homo vetus dicitur ſimul crucifigi cum Chriſto, quia virtute Chriſti in cruce mortui, noſtra peccata deſtructa, & deleta ſunt; crux enim Chriſti peccatorum noſtrorum fuit mors, & deſtructio: ideo peccata noſtra dicuntur cruci affixa. & conſequenter homo vetus noſter ſimul crucifixus. Epheſ. 2. Per crucẽ inimicitias interficiens in ſemetipſo. Coloſ. 2. Chirographum decreti quod erat contrarium nobis, tollens de medio; & affigens illud cruci.

Veterem hominem quomodo dicimur abijcere vel crucifigere.

Coloſ. 2.

Attende tamen, quamuis per Chriſti mortem noſter vetus homo crucifixus ſit, noſtraq. peccata in cruce deleta, tamen non applicatur nobis virtus, & fructus mortis huius, niſi quando baptizamur, & ſimiles efficimur morti eius, ipſi commorientes, & per baptiſmum conſepulti. Et hoc eſt quod nunc dicit Paulus; nimirum noſtrum veterem hominem ſimul eſſe crucifixum, quantum ad fructum nobis participatum in baptiſmo; in quo, & per quem commorimur Chriſto. Hoc igitur eſt veterem hominem crucifigi ſimul cum Chriſto.

Ex hac crucifixione proceſſit ſecundum, nempe, vt corpus peccati deſtrueretur. Corpus peccati appellat, vt in eadem metaphora perſeueret: corpora enim cruci affigebantur; ſimiliter vt ſignificet totam congeriem, & maſſam peccatorum, quæ velut corpus quoddam eſt peccati, abolitam eſſe in cruce, vt iam amplius non ſeruiamus peccato, tamquam iam ſoluto, & eneruato, ac euacuato per Chriſti mortem; & per baptiſmum in nobis. Dum dicit: vltra non ſeruiamus, indicat ſeruitutem, qua ante baptiſmi gratiam tenebamur ſub peccato: quaſi diceret, ſicut ante ſeruiebamus.

ANNOTATIO VI.

Orig.

ORigenes duas adfert expoſitiones illius verbi (corpus peccati) Vna eſt vt ſignificet omnia peccata, quæ ſimul velut corpus quoddam conficiunt. Singula autem peccata, membra, per quandã

Quid ſit deſtruere corpus peccati.

metaphoram dicuntur, ſicut peccatum ergo vetus homo dicitur, ita etiam omnia ſimul peccata dicuntur corpus peccati; cuius membra, & partes ſingula ſunt peccata, iuxta illud ad Coloſ. 3. Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram; ſtatim adiungit fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam: quaſi hæc ſint membra hominis veteris, & corpus peccati. Hanc expoſitionem ſequuntur Chryſ. Ambroſ. Anſel. quos ſecuti ſumus.

Coloſ. 3.

Chryſoſt. Ambroſ. Anſel.

Altera expoſitio allata ab Origene eſt, vt corpus peccati, dicatur corpus noſtrum, quod appellatum eſt corpus peccati, ſicut inferius cap. 7. dicitur etiam caro peccati, quia in peccato conceptum, & enutritum eſt. Expoſitio prior videtur accommodatior. nam corpus noſtrum non tam dicitur crucifixum, & deſtructū, quam ipſum peccatū.

Origen.

Rom. 7.

Theodoretus corpus noſtrum corpus peccati appellatum interpretatur; tamen aliter exponere videtur, nempe vt illud (peccati) connectatur, & referatur ad verbū (deſtruatur) ſitq. ſenſus, vt corpus noſtrū otioſum fiat peccato: quod fit, dum non inſeruit ei. verbum enim Græcum καταργέω ſignificat ſidem, quod Latine ſoluo, euacuo, irritum, & inane facio. Aliqui moderni, corpus pro robore poſitum exiſtimant; ſoluiq. aut deſtrui corpus peccati dicunt, quia robur, & virtus peccati eneruata eſt per Chriſtum in cruce, cui nos in baptiſmo commorimur, & ſimul crucifigimur. Aug. lib. de fid. & oper. cap. 10. legit: Vt euacuetur corpus peccati.

Theodor.

Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato.

CAuſam reddit ſententiæ prioris præcedentis, nimirum veterem hominem crucifixum, vt non ſeruiamus vltra peccato. confirmat autem ex mortis effectu, qui ab actionibus huius ſeculi liberat hominem; & ſicut qui ciuiliter ſeruus eſt, morte liberatur, & abſoluitur à ſeruitute illa, vt amplius non ſeruiat; ita & nos à ſeruitute peccati tenebamur; per baptiſmū mortui, liberati ſumus, vt amplius peccato non ſeruiamus; qui enim mortuus eſt, iam amplius non peccat, ſed liber eſt per mortem à peccando. ita ergo nos, cum ſimus mortui, & crucifixi peccato, alieni à peccato eſſe debemus, nec amplius illi inſeruire, aut indulgere ſicut ante baptiſmum. hoc enim eſſet adhuc viuere peccato. ſic autem mortui, debemus poſt baptiſmum perſeuerare. Hinc concludit quod ſuperius dixerat, Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIO VII.

Iuſtificatũ eſſe à peccato quid ſit.

DVpliciter ſuperior ſententia exponitur. Vno modo, vt iuſtificatum eſſe à peccato ſignificet idem, quod à commiſſis peccatis purgatum, & mundatum. ita exponit Baſil. in lib. de baptiſ. ſic inquit: Qui mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato, hoc eſt abſolutus eſt, liberatus eſt, ab omni peccato purgatus eſt; non ſolum quod operibus, ac verbis, ſed quod & ipſis cogitationum affectibus ſit commiſſum. Hæc expoſitio non facile præcedentibus connectitur.

Baſil.

Altero modo exponitur, vt iuſtificatum eſſe à peccato idem ſignificet, ac liberatum à peccando, quaſi iam amplius peccatis non valeat vacare, & quaſi à iugo, & ſeruitute peccandi ſit abſolutus; vt ſit ſenſus, & ſententia ſumpta à mortis ratione; per mortem enim liber eſt iam homo, & alienus ab actionibus, & obligationibus huius ſeculi, nec amplius vitijs, & operibus peccatorum vacat: ita & vos, qui mortui eſtis per baptiſmum, non debetis iam vacare peccatis, quibus eſtis mortui. Ita Chryſoſt. & Theod. exponunt, & accommodatior eſt contextui expoſitio hæc. Non ergo de morte per baptiſmum, ſed de morte abſolute, & ſecundum ſuam rationem hæc ſententia procedit; ex collatione enim ſumitur argumentum, vt ſicut vere mortuus, liber eſt à peccando, ita qui peccato per baptiſmum mortui ſunt, amplius peccato indulgere non debent tamquam iam mortui.

Chryſoſt. Theodor.

Si autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul viuemus cum Chriſto.

SVperior illa ſententia (ſi complantati ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul erimus reſurrectionis) duas habet partes. Vna eſt; nos complantatos ſimilitudini mortis eius. Altera eſt, ſi complantati facti ſumus ſimilitudini mortis, erimus etiam complantati facti ſimilitudini reſurrectionis, vt non ſolum moriamur peccato, ſed etiam vitæ nouitatem aſſequamur, in qua ambulemus. Huius ſententiæ priorem partem expoſuit hactenus; nempe noſtrum veterem hominem eſſe crucifixum cum Chriſto, vt non vltra ſeruiamus peccato. poſteriorem partem nunc explicat, & confirmat, dicens: Si mortui ſumus cum Chriſto, vti dictum eſt, credimus vitam cum ipſo nos habituros eſſe, vt ſimiles etiam ſimus ipſi reſurgenti, & non ſolum non ſimus ſub peccato, ſed nouam etiã vitam conſequamur.

Viuere cum Chriſto, eſt vitæ nouitatem accipere in ſimilitudinem ipſius reſurgentis; ſicut mori cum Chriſto, eſt à peccato deſiſtere in ſimilitudinem mortis eius; vtrumque enim per ipſum in

Digitized by Google

Viuere cum Chriſto quid ſit.

baptiſmo habemus. Dicitur autem cum Chriſto mori, & cum Chriſto viuere, quia non tantum in ſimilitudinem eius morimur, & viuimus; ſed ipſius etiam virtute, & efficacia, quaſi præſens ſemper adſit nobis. Vtitur autem verbo futuri (viuemus) quia vitæ nouitas, quæ in baptiſmo accipitur, duratura eſt; & in ea eſt nobis perſeuerandum; vitæ enim perſeuerantiam, & durationem hoc verbo Paulus ſignificat, vt Baſil. lib. de Baptiſ. exponit; vita enim gratiæ ex ſe perpetua eſt, & finem non habet.

Addit autem verbum (credimus) quod duplicem poteſt habere ſignificationem; aut enim ad intellectum refertur, & idem ſignificat, quod fidem damus, & nobis perſuademus: aut ad voluntatem; vt idem ſit ac confidimus; vtrumque enim verum eſt; credimus enim intellectu vitam ſpiritualem dari cum morte peccati, quæ cum inuiſibilis, & duratura ſemper ex ſe ſit, potius creditur, quàm ſcitur. confidimus etiam nos in ea vita perſeueraturos, non noſtris viribus, ſed diuinæ innixi gratiæ. iuſtificatio ergo perfecta, quæ per baptiſmum fit, non ſolum in peccatorum remiſſione, & deletione eſt poſita, ſed etiam in renouatione vitæ per gratiam, quæ ex ſe perpetua, & in qua perſeuerandum eſt.

ANNOTATIO VIII.

Sententia ſuperior dupliciter exponitur. Vno modo de vita beata futura poſt reſurrectionem, quam ſperamus; vt ſit ſenſus: Si mortui ſumus cum Chriſto, viuemus etiam, reſurgentes in vitam glorioſam, & beatam, ſicut ipſe reſurrexit. quam expoſitionem Origen. Chryſoſt. Theod. Anſelm. cum alijs multis ſequuntur, eritq. ſimilis hæc ſententia illi, 2. Thim. 2. Si commortui ſumus, & conuiuemus; ſi ſuſtinemus, & conregnabimus. Altero modo de nouitate vitæ, quæ eſt per gratiam, in quam reſurgunt mortui peccato in baptiſmo, & in qua oportet perſeuerare. & ita exponit Baſilius lib. de baptiſmo, & ea videtur legitima expoſitio, vt ex contextu ipſo ſatis aperte deducitur, tam ex præcedentibus quàm ex ſequentibus. Paulus enim illam partem hiſce verbis exponit ſuperioris ſententiæ, in qua dictum eſt; ſi complantati facti ſumus ſimilitudini mortis, erimus reſurrectionis. quæ verba de nouitate hac vitæ nemo negat intelligenda. per quam vitam in ſimilitudinem ſumus reſurrectionis eius effecti. quod etiam ſequitur hoc idem confirmat, vt in eorum expoſitione patefiet.

Orig. Chryſoſ. Theod. Anſel. 2. Tim. 2

Baſil.

Duas ergo Paulus partes iuſtificationis per baptiſmum factæ diſtinguit: nempe mortem, qua morimur peccato, vt eo deleto vltra non ſeruiamus illi; & vitæ nouitatem, in quam per renouationem transmutamur, vt in ea ambulemus; & per vtramque partem ſimiles ſumus Chriſto; vna enim in

mortis,

Digitized by Google

mortis, altera in reſurrectionis ſimilitudinem effecta eſt. Poſtquam autem Paulus exoſuit priorem, nempe mortem, alteram explicat, & ex priori confirmat; ſi enim mortui ſumus, etiam viuemus, & perſeuerabimus in vita hac noua, & hæc eſt legitima expoſitio.

Scientes, quod Chriſtus reſurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.

SIcut in explicatione illius partis, nempe, In ſimilitudinem mortis nos factos eſſe, Paulus hæc verba protulit; nempe, Hoc ſcientes, quia homo vetus noſter crucifixus eſt cum Chriſto, vt mortem hanc, quæ per baptiſmum fit, exponeret, & confirmaret; ita nunc in explicatione alterius partis, de nouitate vitæ, per quam in ſimilitudinem ſumus facti reſurrectionis, adiungit: Scientes, quod Chriſtus reſurgens à mortuis, &c. quibus verbis exponit, & confirmat qualis ſit hæc noua vita, de qua dixerat, Viuemus cum Chriſto. Eſt autem ſenſus huius ſententiæ talis, Viuemus cum Chriſto ſimiles facti reſurrectioni eius. Scimus autem Chriſtum reſurgentem à mortuis ita viuere, vt iam amplius non ſit moriturus, nec vltra dominatura ei mors. talis ergo vita erit hæc, in quam mortui peccato transferimur; nempe vt ſit ſemper duratura, nec iterum in peccati mortem nobis ſit incidendum, poſtquam ſemel mortui ſumus peccato, & ſimul reſurreximus. Hic eſt ſenſus Pauli, tamen non continetur totus hiſce verbis propoſitis, ſed ſimul adhibitis ſequentibus. Quod autem hiſce verbis dicit, hoc eſt, Chriſtum à mortuis ſurgentem, eam agere vitam, cui amplius non ſuccedet mors, ſed ſemper viuet. ſequentibus verbis concludit talem eſſe vitæ huius nouitatem, in quam per baptiſmum, & ratione cuius ſimiles Chriſto ſumus, vt non amplius peccemus, ſed in ea vita ſemper ambulemus, donec ad æternam manſionem perueniamus.

Quæ erit, in quam transformamur viuendo cũ Chriſto.

Attende, Chriſtum non poſuiſſe limitem, aut finem vitæ huic nouæ, in quam per gratiam ſuam nos tranſtulit in baptiſmo; ſed ex ſe perpetua eſt. nos vitio, & culpa noſtra eã extinguimus, & repellimus ad peccatorum vomitum reuertentes; vita tamen ipſa ad hoc datur, vt non amplius moriamur peccantes; ſicut ad hoc ſumus mortui peccato, vt iam vltra non peccemus. Et in hoc conſiſtit tota efficacia huius Paulini diſcurſus, vt mortui peccato iam amplius non peccemus; & ſurgentes in vitam nouam, quæ perpetua eſt ex ſe, ſemper in ea viuamus, nec amplius ad peccata cõuertamur, quibus ſemel in baptiſmo mortui ſumus.

ANNOTATIO IX.

GRæce illud (ſurgentes) eſt præteriti temporis, illud (dominatur) præſentis, ac ſi diceres, Surrexit à mortuis, mors iam illi non dominatur. ſenſus idem eſt, ſiue hoc ſiue illo modo legas. Quantum autem ad ſenſum pertinet, Origen. in præſenti, & Ambr. ſerm. 18. in Pſal. 118. verſ. 7. inferunt, ſi mors illi vltra non dominabitur, ergo ſemel dominata eſt; non enim dicitur aliquid non vltra dominari, niſi quod aliquando dominatum eſt. dominationem ergo mortis ſuſtinuit Dominus; ſed voluntate propter nos. ſicut etiam ſuſcepit ſerui formam. nos quidem neceſſitate dominationem mortis ſuſtinemus, quia naſcimur filij iræ; Chriſtus vero voluntate, quia voluit propter noſtram ſalutem mortis corporalis in ſe ſuſtinere virtutem. non ergo eſt contraria hæc ſententia illi Ioan. 6. Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Origenes per mortem, diabolum interpretatur. rectius tamen ipſam mortem intelligimus, quæ quidem dominari dicitur per quandam proſopopeiam, qua ſolet vti Paulus.

Orig. *Ambroſ.* *Ioan. 6.* *Origen.*

Quod enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel; quod autem viuit, viuit Deo.

CVr à mortuis reſurgens amplius non moriatur, nec mors illi vltra dominetur, cauſam exponit. Inquit: nam quod mortuus eſt Chriſtus peccato, ſemel mortuus eſt, ideſt, mors Chriſti fuit propter noſtra peccata, pro quibus omnibus vnica morte ſatisfecit, ideo non eſt neceſſe iterum mori; at quod viuit, viuit Deo, ideſt, vita, quam nunc habet, & qua fruitur, eſt ex diuina virtute, quæ finem non habet. Similis eſt illa ſententia 2. Cor. 13. Et ſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei. ac ſi diceret: cum Deus eſſet, propter noſtrum peccatum ſe exinaniuit, vt moreretur: iam conſummata exinanitione, viuit Deo, iam non exinanitus, nec amplius exinaniendus. Cauſa mortis peccatum mundi fuit, quod vna hoſtia tulit. ad Hebr. 9. Chriſtus ſemel mortuus eſt ad multorum exhaurienda peccata. & iterum; Semel in conſummationem ſeculorum ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit. Cauſa vero reſurrectionis, virtus eius diuina eſt, quia Deus eſt: idcirco à mortuis ſurgens iterũ non moritur, ſed viuit ſemper; vitæ .n. fons æternus eſt. *2. Cor. 13* *Heb. 9.*

Chriſtus aliter quã nos mortuus eſt peccato.

Attende, Chriſtũ dici mortuũ peccato, non ſicut nos; ille .n. mortuus peccato dicitur, quia propter noſtra tollenda peccata mortuus eſt, noſtraq. peccata illi mortis cauſa fuerũt. nos vero mortui ſumus

propter

Digitized by Google

Chryſoſt *Theodor.* propter noſtra ipſa peccata: ita Chryſ.& Theod.exponunt. Eſt ergo tota ſententia talis,mortuus eſt peccato,viuens Deo;peccatum,cauſa mortis; diuinitas, cauſa eſt illi vitæ, ideo a mortuis reſurgens non amplius moritur. vna enim morte omnium tulit peccata. vitæ vero cauſa æterna, & perpetua eſt. Eſt autem illud nomen (peccato) connectendum cum ſecundo verbo, ſic (peccato mortuus eſt ſemel) ut reſpondeat anthitheto ſequenti, quod uiuit, uiuit Deo.

ANNOTATIO X.

Varie legunt Doctores hanc ſententiam; aliqui enim ſic: Quod mortuum eſt, peccato mortuum eſt ſemel. vt (quod) ſit relatiuum. ita legit Hilari. lib. 9. de Trinit. *Hilar.* Aliqui vero ſic, Quod mortuus eſt,peccato mortuus eſt ſemel, vt particula (quod) ſit coniunctio. & hæc eſt communis lectio, quam ſequitur Ambro.ſer.18.in Pſal.118. *Ambroſ.* ver. 7. Varietas autem ex eo procedit,quia Græce particulã (ὁ) aliqui articulum præpoſitiuum,aliqui loco coniunctionis poſitam cẽſent. Illud autem (mortuus eſt) non per participium, ſed per verbum Græcus ſermo habet. noſtra tamen lectio probabilior eſt, quam Græci interpretes ſequi videntur in ſuis expoſitionibus. de Chriſto enim ſermo iſte eſt,& ad Chriſtum refertur, qui mortuus peccato dicitur ſemel, & viuere Deo.

Eſt etiam altera varietas,quæ ad ſenſum potius pertinet.aliqui enim illud verbum (peccato) coniungũt cum priori participio,vt ſit ſenſus: Quod peccato mortuus eſt, ſemel mortuus eſt,&ita interpretatur Anſelmus. *Anſel.* Alij cenſent connectendum cum ſequenti, vt ſit lectio hæc, Quod mortus eſt,mortuus eſt peccato ſemel,& ita Ambroſ.loco proxime citato exponit, *Ambr.* quæ communis eſt expoſitio Græcorum; & videtur ex ipſo contextu colligi; nam ſubiungit, Quod viuit, viuit Deo. ex hoc anthitheto manifeſtum eſt etiam connectendum illud (peccato) cum poſteriori, vt ſententiæ oppoſitæ ſibi reſpondeant. & hanc connexionem nos ſumus in commentario ſecuti. *Chriſtus quomodo dicitur mortuus peccato.*

Quantum autem ad ſenſum ſpectat, varie exponunt Doctores illud (mortuus eſt peccato) Hilar. *Hilar.* lib. 9. Trin. per peccatum corpus exponit, quod peccatum dicitur, ſicut caro peccati, quamuis Chriſti corpus,non peccati, ſed in ſimilitudinem carnis peccati dictũ ſit. mortuus ergo peccato dicitur, id-eſt, mortuus corpore.quam expoſitionem ſequitur Oecumenius, *Oecumen.* Ambroſ. *Ambroſ.* vero ſerm. 18. in Pſal. 118. Verſ. 7. per peccatum exponit peccatorem, vt ſit ſenſus, Mortuus eſt peccato, ideſt peccatori, quia propter peccatores mortuus eſt. Tertio loco Chryſoſt.& Theodoret. ipſum peccatum interpretantur, *Chryſoſt.* *Theodor.* vt Chriſtus dictus ſit mortuus peccato, quia propter peccatum, nempe vt mundi peccatum tolleret, mortẽ ſubijt temporalem. Hæc videtur accommodata expoſitio. quotieſcumq. enim ſenſus conſtare poteſt ſeruata propria verborum ſignificatio-

catione, non ſunt admittendæ impropriæ ſignificationes, ad quas ſequendas compellimur, quando accommodatus ſenſus aliter haberi non poteſt.

Occum. Illud etiam verbum (viuit Deo) varie exponitur, Oecumenius exponit ſic, viuit Deo, ideſt diuinitate, ac ſi diceret; Mortuus eſt carne, viuit anima: loco vero animæ dictum eſſe affirmat (diuinitate, nō quod non viueret anima, ſed quod firmius diuinitate viueret. Chryſoſt. vero viuere Deo, exponit, Dei virtute. ideo enim ſine fine viuit. Et hæc eſt accommodata expoſitio, vt enim peccatū fuit cauſa mortis, ita diuina eius virtus cauſa fuit reſurrectionis. peccatum enim vna morte deſtruxit, vita ergo ſine fine eſt, vtpote non amplius morte terminanda. hoc namque conueniens eſt diuinæ eius virtuti, quæ ſine fine eſt.

Ita & vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu domino noſtro.

APplicat nunc ſimilitudiuem. cum enim ſupra dixerit; non ſolum nos per baptiſmum effici ſimiles Chriſto mortuo, ſed etiam Chriſto reſurgenti; & non tantum mori peccato, ſed etiam in nouitate vitæ ſurgere; rurſus etiam ita mori peccato, vt iam amplius non debeamus ſeruire peccato: & ita in vitæ nouitate ambulare, vt ultra non moriamur peccantes; huius occaſione Chriſti mortem, & vitam, qualis fuerit, expoſuit, vt eius nos exemplo conformaremus; poſt hæc accommodat nunc nobis, quæ dicta ſunt de Chriſto: Ita, inquit, vos, qui Chriſto ſimiles facti eſtis per baptiſmum, reputate vos mortuos peccato, & viuentes Deo. Particula (ita) ſupplendum indicat, quod dictum eſt, mortuos nempe eſſe peccato ſemel per baptiſmum, vt amplius non debeamus peccare, atq. ita Deo viuere, vt a vita hac non excidamus, ſicq. Chriſto ſimiles ſimus.

Viuere Deo quid ſit. Attende, viuere Deo eſſe vitam gratiæ in ſe conſeruare, ſecundum quam nos in Deo, & Deus in nobis viuit, vt dicere poſſimus: viuit in nobis Chriſtus. Adiungit (viuentes Deo in Chriſto Ieſu) ideſt, ad ſimilitudinem ipſius, qui ita viuit, vt amplius non moriatur.

Rurſus (In Chriſto Ieſu) ideſt per Chriſtum Ieſum, per quem a mortuis in vitam hanc reuocati ſumus. Dicit autem (exiſtimate uos) ideſt, reputate uos mortuos peccato, quia non ſatis eſt mortuos eſſe, ſed debemus mente tales nos reputare, ut hoc conſiderantes amplius non peccemus. aut etiam reputate uos mortuos peccato, ideſt, ac ſi mortui eſſetis. qui enim eſt mortuus, iam non peccat, nec

Digitized by Google

cat, nec actiones facit peccati, quas ante faciebat, tales ergo uos reputate peccatò. Addit (Domino noſtro) ut ſignificet noſtri curam adhuc Chriſtum gerere, ut per hoc ſperemus eius auxilio in uita hac perſeuerare; qui enim a morte in uitam reuocauit, poterit in uita hac nos conſeruare, & quantum eſt ex ſe, non deerit, quia Dominus noſter eſt.

ANNOTATIO. XI.

Oecumen. OEcumenius duas adfert expoſitiones ſuperioris ſententiæ, vna eſt, vt de morte corporis intelligatur in hunc ſenſum, ita & vos propter peccatum ſemel corpore moriemini, ſed per Chriſtum viuetis, ſuſcitati ab ipſo, amplius non morituri. Altera eſt, vt de morte peccati, & vita gratiæ intelligatur in hunc ſenſum: Exiſtimate mortuos vos eſſe peccato, vt iam amplius non peccetis, viuentes autem Deo, ideſt ad ea, quæ Dei ſunt, auxi-
Chryſoſt. liante Chriſto. Harum prior expoſitio non videtur accommodata; his enim verbis Paulus ſuperiores ſententias exponit, quibus docuit per baptiſmum nos mori peccato in ſimilitudinem mortis Chriſti, & in toto contextu de hac morte tractat. mors ergo temporalis, ſeu corporalis non poteſt applicari cōtextui. Poſterior expoſitio cōmunis eſt, vt de morte, qua ſpiritualiter morimur peccato, & de vita, qua viuimus ſpiritualiter, Deo ipſi per omnia placentes, hanc ſententiam intelligamus. & ita Chryſoſt. expoſuit.

Illud (reputate, ſeu exiſtimate) aliqui moderni vertendum putant, colligite, ſeu ſillogizate, quaſi ex his, quæ de Chriſto dicta ſunt, debeat vnusquiſq. deducere quæ ſequuntur. tamen Origen. Chryſoſt. *Origen.*
& Græci auctores, quibus verbi ſignificatio melius nota erat, inter- *Chryſoſt.*
pretantur ſicut & nos. Orige. autē *Origen.*
dictum putat (reputate) quia non eſt mors in effectu corporalis, ſed debemus mente reputare nos ac ſi tales eſſemus, quantum ad peccatum ſpectat. Chryſoſt. autem ideo *Chryſoſt.*
dictum putat, quia mors hæc non percipitur ſenſu. Mihi in commentario viſum eſt dictum etiam eſſe, quia non ſat eſt, nos mortuos eſſe peccato, ſed debemus id præ oculis mentis habere ſemper, vt cogitantes nos eſſe mortuos peccato, tales nos exhibeamus, vt non vltra peccato inſeruiamus.

Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore,

SI mortui ſumus peccato, & uiuimus Deo, ſimiles Chriſto, ut uitam hanc ſemper conſeruemus, neq. iterum per peccatum moriamur, ſicq. hac uita priuemur, recte infert Paulus, ergo non regnet peccatum in ueſtro mortali corpore. ſi enim peccatum regnauerit, uita hæc deſtruetur in nobis, & iterum moriemur, ſicut

prius

Digitized by Google

prius per peccatum mortui eramus ante baptiſmum.

Attende uerbum regnandi, quod dictum eſt, tum ut notat Chryſoſt. ad inſinuandum nos, non neceſsitate, ſed uoluntate peccare; ideo non dicit, non exerceat tyrannidem peccatum in ueſtro corpore, ſed non regnet; regnum enim eſt ſubdentium ſe uoluntarie, tum ut notat Grego. lib. 14. Mora. cap. 9. quia nemo abſq. peccato eſſe poteſt, ſed cauendum eſt ne regnet peccatum, dum poſtpoſita lege Dei peccato conſentimus. dicit autem, In ueſtro mortali corpore, quia dum mortale corpus eſt, ad peccandum ſuis nos concupiſcentijs inducit: quando autem diuina gratia ad immortalitatem fuerit promotum, nullam aduerſus nos pugnam excitabit. quo uerbo, ut notat Chryſoſt. conſolatur nos, peccandi tempus breue eſſe ſignificans. Tertullianus lib. de carnis reſurrec. loco peccati, nouo quodam, & inuſitato utitur uocabulo, deliquentia.

Gregor.

Vt obediatis concupiſcentijs eius.

Quid ſit regnare peccatum in corpore.

QVid ſit regnare peccatum exponit, nempe obedire corporis concupiſcentijs, quæ militant contra ſpiritum, & contra legem Dei. Attende, concupiſcentias tollendas non eſſe a carne, nec a nobis tolli omnino poſſe, ſed eis obſiſtendum, nec conſentiendum vnquam eſſe. hoc enim eſt, non regnare peccatum in corpore noſtro. regnum enim in obedientia ſubditorum poſitum eſt. Illud (eius) non ad peccatum, ſed ad corpus refertur, vt ex Græco ſermone conſtat: eſt enim peccatum Græce generis fœminini, relatiuum autem, hoc, neutrius, ſicut etiam & corpus, Latine vero ambiguus eſt ſermo. Verbum obediendi indicat turpitudinem peccati, per quod homo, & ratio ſuperior ſeruum, & ſubditum ſe exhibet corpori, ſicut parti inferiori, & quidem mortali corpori, quæ condicio auget peccantis turpitudinem, qui ita ſe deprimit, vt mortali corpori, quod habetur commune cum beſtijs, ſe ipſum ſubijciat.

Sed neq. exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato.

Membra dicuntur arma peccati.

CVm regni mentionem feciſſet, eius quoq. armaturam oſtendit. vtitur autem peccatum noſtris membris ad ſui regni dilatationem, dum manu ad nocendum proximo. lingua ad detrahendum, oculis ad concupiſcendum, & cæteris membris ad innumera perpetranda peccata abutitur, militans contra Deum, &

ipſius

Digitized by Google

ipſius gratiam; & regnum. non ſolum ergo nos non debemus interius concupiſcentijs obedire corporis, quæ a peccato ſunt, & in peccatum tendunt; ſed neque ipſius corporis membris ad peccandum abuti, vt nec interius, nec exterius peccemus. Græce non habetur particula (ſed).

Sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes.

Contraria duobus ſuperioribus exponit; non enim ſatis eſt, mala non committere, ſed oportet ſimul bona agere; vt malo contrario expulſo, bonum oppoſitum in nobis vigeat, contra id ergo, quod dictum eſt, nimirum: non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius; opponit ſententiam præſentem, ſed exhibete, inquit, vos Deo tamquam ex mortuis viuentes. ac ſi diceret, Regnet in vobis Deus, vt obediatis in omnibus mandatis ipſius. verba tamen ſunt attendenda. non ſolum dixit exhibete vos Deo tamquam viuentes; qui viuunt enim opera vitæ exercent, exhibereq. Deo ſe viuentem, eſt eius implere voluntatem, ipſiq. gratum præbere obſequium; ſed etiam addidit, tamquam ex mortuis viuentes; ſignificans ita nos debere diuinæ voluntati obſequi, & ipſi viuere, vt amplius non peccemus, nec hanc vitam perdamus, ſicut qui ex mortuis viuunt, non amplius moriuntur. omnino enim priorem illum ſtatum abiecerunt. Exhibere ergo nos debemus Deo viuentes, & tamquam ex mortuis viuentes, quia per ipſum a peccati morte ſuſcitati ſumus in vitam gratiæ, vt ei viuamus non iterum morituri.

Non ſuſſicit abſtinere à malo niſi fiat quod bonum eſt.

Et membra veſtra arma iuſtitiæ.

Oppoſitum eſt hoc illi ſententiæ priori, non exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibeamus, inquit, Deo membra noſtra arma iuſtitiæ, vt ipſis corporis membris in exteriorum bonorum operum executionem inſtrumenta conuertamus. Iuſtitiam omnem virtutem, ſicut ſuperius iniquitatem omne vitium appellat. Deo ergo & interius corde, & exterius corpore ſeruiamus, quia corpus eſt animi inſtrumentum ad opera omnia ſiue bona, ſiue mala; vitium enim, & uirtus præcipue in anima reſidet, idcirco arma membra uocauit.

Membra noſtra poſſunt dici arma iuſtitiæ & peccati.

Pecca-

Digitized by Google

Peccatum enim vobis non dominabitur.

TAcitæ obiectioni reſpondet; dicere enim poſſet aliquis, o Paule, præcipis ne regnet peccatum in noſtro corpore, quis poterit hoc impedire, cum vires peccati tantæ ſint, vt nemo ei noſtrum reſiſtere valeat. obtinebit ergo ipſum peccatum ſua ſponte regnum, & dominabitur nobis, ſicut tyrannus dominatur, & dominium exercet in ſubditos. Hanc obiectionem Paulus remouet dicens, merito vobis præcipio ne regnet peccatum in veſtro corpore etiam mortali, quia peccatum non dominabitur vobis; ideſt, non habet eas in vos uires, & potentiam, vt non valeatis reſiſtere ei, & eius impedire dominium, ac potentiam euertere, ſuffulti gratia Dei, vt ſtatim in ſequentibus exponit. Chryſoſt. & Theodoret. legunt aduerbium (amplius) vt ſit ſenſus, non dominabitur vlterius ſicut prius fecit, quando ſub lege eratis, quod in ſequenti ſententia explanabitur.

Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.

CAuſam exponit, cur peccatum non ſit eis dominaturum, quia, inquit, non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia: Eſſe ſub lege ſignificat eſſe in ſtatu legis, lex autem ſubintrauit, vt abundaret peccatum. non enim id tulit, ſed potius occaſionaliter auxit. nam lex præcipiens quædam, quædam autem prohibens, nec virtutem, qua eius mandata, & prohibitiones implerentur, exhibens, potius erat occaſio peccandi. idcirco in eo ſtatu peccatum dominabatur. Dices, nonne in illo ſtatu erant iuſti, & remiſſio peccatorum, & gratiā, per quam lex implebatur? Reſpondeo, ita eſſe; tamen hæc dabantur non vigore legis, ſed fidei, futuri tunc Chriſti. ſtatus autem legis quantum ex ſe erat, peccatum non auferebat, nec virtutem, ut impleretur, dabat, ideo dicitur tunc dominari peccatum. hoc eſt eſſe ſub lege. Eſſe uero ſub gratia ſignificat eſſe in ſtatu Euangelico, in quo prædicatur, & confertur gratia, qua lex impleri poſſit, & qua peccatum vetus auferatur, & robur ad non peccandum detur. Ideo in eo ſtatu peccatum non dominatur, quia uires amiſit per gratiam, quæ confertur in Euangelio, per quam peccatum uincitur, & deſtruitur. Eſſe ergo ſub gratia, non eſt, non teneri ad implenda legis præcepta; ſed eſſe in ſtatu, in quo datur gratia, per quam impleri poſſint præcepta, & per quam deſtruatur peccatum.

Quid ſit eſſe ſub lege & eſſe ſub gratia.

Multum

Digitized by Google

Multum ergo errant Hæretici noſtri temporis, non aſſequentes quid ſit eſſe ſub lege. non enim eſt non teneri lege; ſed eſſe ſub ſtatu legis, quæ ex ſe non habet gratiam remiſſionis peccatorum, nec robur implendi mandata. hæc enim facit fides viua in Chriſtum, per quam gratia confertur, quæ ad ſtatum Euangelij pertinet: & propterea in eo dicitur peccatum non dominari;non quod non ſit, ſed quod non dominetur. Attende,per legem intelligi etiam moralem, ſub qua in Euangelio non ſumus, quamuis eam ſeruare teneamur, quia ſtatus Euangelij non eſt ſtatus legis: propter cauſam dictam.

Quid ergo? peccabimus, quia non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? abſit.

Solet ſæpe Paulus hiſce uti præoccupationibus, ut ſententiam, & doctrinam magis explicet, ac confirmet. poſſet ergo aliquis obijcere: Si non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia, ergo peccemus & tranſgrediamur legem,quia ſub illa non ſumus,ſed ſub gratia, qua peccata omnia dimittuntur. Hanc obiectionem tanquam rem abſurdam reijcit Paulus, dicens: Abſit, ideſt nullatenus id fieri debet. Attende,uim obiectionis in hoc poſitam eſſe: Sub lege peccatum dominabatur, quia lex nec remiſſionem peccati,nec uires,quibus hoc uitaretur, conferebat; at per gratiam vtrumque confertur: peccemus ergo, quia iam remiſſionem per gratiam habemus paratam, quam lex non dabat.

An neſcitis, quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obeditis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam?

Obiectionem non ſolum ſimplici verbo illo (abſit) ſed etiam ratione, & argumento confutat. argumenti autem totius robur hoc eſt: Cui ſe homo exhibet, & deuouet ad obediendum, illius eſt ſeruus; ſed per gratiam exhibuiſtis vos, & deuouiſtis ad obediendum Euangelio; ergo huius eſtis ſerui; non ergo peccandum eſt. nam per peccatum efficitur homo ſeruus peccati, abiecta ſeruitute gratiæ. prima pars argumenti verbis propoſitis continetur; quorum ſenſus talis eſt; Eius quiſq. efficitur ſeruus, cui obedit quaſi ſeruus; qui ergo obedit peccato, ſeruus efficitur peccati, cuius fructus mors eſt, qui vero obedit obedientiæ, ideſt, Euangelio

Sicut per peccatum homo fit ſeruus peccati & mortis, ita per obedientiã fit ſeruus iuſtitiæ & Euangelij.

lio & fidei, ſeruus efficitur eius, cuius obedientiæ fructus eſt iuſtitia, & ſanctitas. Illud (an neſcitis) cum quadam reprehenſione dictum eſt, ſicut & verbum (abſit) ad obiectionis irrationabilitatem oſtendendam; quaſi qui id diceret, & obijceret, ſtultus eſſet, neſciens, quod ſingulis eſt notum, nempe vnumquemq. eius effici ſeruum, cui ſe ad obediendum exhibet paratum.

Gratia autem Deo, quod fuiſtis ſerui peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi eſtis; liberati autem a peccato ſerui facti eſtis iuſtitiæ.

ALteram partem argumenti adiungit, cuius ſenſus eſt: cui obeditis, ſerui effecti eſtis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obedientiæ ad iuſtitiam; at ex Dei gratia factum eſt, vt cum eſſetis prius ſerui peccati, obedieritis non ficte, ſed ex corde, doctrinæ Euangelicæ, ſecundum eam formam, & regulam, quam edocti eſtis; vnde conſequitur, vt liberati a peccatis, facti ſitis ſerui iuſtitiæ, & obedientiæ, vt mandatis Dei obediatis, & virtuti ac diuinæ voluntati implendæ incumbatis. Attende, peccato opponi contrariam iuſtitiam. Illud autem (in quam traditi eſtis) ſignificat ac ſi diceret, in quam formam, ac typum doctrinæ conformati eſtis. in doctrinam enim Euangelicam velut in typum quendam immittimur, vt eius ſimilitudini conformemur. Illud autem (gratia Deo) gratiarum actionem ſignificat. agendas enim gratias cenſet Paulus; ſignificare volens a Deo effectum eſſe, quod illi obedierint ex corde in eam formam doctrinæ: ſimiliter etiam in memoriam reducere beneficium, pro quo gratias agant, vt per hoc perſuadeat eis ſeruire iuſtitiæ, & abſtinere a peccato.

Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ.

COncluſio eſt ſuperioris argumenti, ac ſi diceret; Cum iam ſitis a peccato liberati, & ſerui facti iuſtitiæ, oportet vos non amplius obedire peccato. nam hoc eſſet iterum vos ſeruos effici peccati, & diſſoluere ac rumpere vinculum ſeruitutis iuſtitiæ, in quam diuina gratia a ſeruitute peccati vos tranſtulit. Hoc eſt totum argumentum, & integer ſenſus: tamen Paulus moderatius concludit; non enim petit, vt ſeruiamus iuſtitiæ vt decebat, & ratio, dignitaſq. iuſtitiæ huius poſtulabat, ſed vt ſaltem illi ſeruiamus,

Digitized by Google

mus, & membra corporis noſtri in opera virtutis conuertamus eo conatu, quo peccati arma exhibuimus, propterea præmittit hæc verba (Humanum dico propter corporis imbecillitatem, & carnis fragilitatem) ideſt præceptum humanum & tolerabile impono uobis, effectis ſeruis iuſtitiæ: quod autem humanum ſe dicere affirmat, ſequentibus exponit uerbis.

ANNOTATIO XII.

ALiqui verba hæc (humanum dico) dicta putant quaſi per ea veniam petat, quia de rebus parum honeſtis locuturus erat; nempe (ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ) Alij in hunc ſenſum exponũt, ac ſi diceret; hominum more loquor; nempe in rebus diuinis, humanis ſimilitudinibus vtor. Mihi legitima expoſitio ea videtur, id dictum eſſe, quia cũ multo plus obſequij, & maior ſeruitus exigenda eſſet in iuſtitia, quã in peccato, propter corporis infirmitatem parem ſaltem petit, quod in ſequentibus explanabitur.

Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.

EXponit humanum dictum, quod ſe proferrẽ affirmauit; & eſt concluſio ſuperioris argumenti. Eſt autem particula cauſalis (enim) reddens cauſam cur humanum ſe docere affirmauit. ſenſus autem eſt. Tanto ſtudio, & obſequio exhibete corporis membra ad recte operandum, & incumbendum bonis operibus, & implẽdis mandatis, cuius ſtudij, & obſequij fructus ſanctificatio, quia his operibus ſanctificatur homo, efficiturq. ſanctus, & Deo dicatus; tanto, inquam, ſtudio hoc facite, quãto ſtudio, & obſequio prius eadem membra exhibuiſtis ad opera immunditiæ, & iniquitatis, quorum fructus fuit iniquitas. euadit enim homo tali ex obſequio iniuſtus, & iniquus. quamuis igitur mirum in modum excedat ſanctificatio iniquitatem, tamen vt humanum imponam præceptum propter infirmitatem, ſimile ſaltem, & æquale adhibete obſequium; vt ſicut prius relicta iuſtitia ſeruiſtis iniquitati, ita relicta iniquitate ſeruiatis iuſtitiæ. Vtinam multi id ſaltem ſtudium, eamq. diligentiam exhiberent in bonis poſt conuerſionem, quam adhibuerunt in malis ante conuerſionem ad gratiam Dei, nec tales ſe exhiberent in bono, quales exhibuerunt in malo, cum potius maius obſequium, & ſtudium adhibendum eſſet in bono. cum enim ſuis immunditijs, ac auaritijs, cæteriſq. vitijs ſe dedunt, tunc ad multa patienda fortes ſe exhibent, at cum virtuti incumbendum eſt, vires ſibi

Digitized by Google

Baruc. 4. corporis deficere cauſantur, propterea Paulus præmiſit dicens, Humanum dico. alludere videtur ad illud Baruc. 4. Sicut, inquit, fuit ſenſus veſter vt erraretis a Deo, decies tantum iterum conuertentes requiretis eum, at Paulus non decies amplius, ſed tantundem poſtulat, quod valde humanum eſt.

Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ.

MIhi Paulus cauſam reddere videtur cur dictum ſit, qui ſeruierunt immunditiæ, & iniquitati ſeruiſſe ad iniquitatem, ideſt nullum fructum reportaſſe, quam euaſiſſe iniquos, & iniuſtos, ac peccatores. probatio autem hæc eſt. quia cum eſſent ſerui tunc peccati, iuſtitia in eis dominium nullum exercebat, ſed erant liberi ipſi iuſtitiæ, quia nullas leges iuſtitiæ admittebant, ſed peccati, & iniquitatis legibus obtemperantes a iuſtitia ſe eximebant. hinc infert Paulus, nullum eos fructum reportaſſe, ſed ad iniquitatem, & iniuſtitiam comparandam ſeruiuiſſe. qui enim iuſtitiam deſerit, ad iniquitatem operatur, quia non alium fructum reportat. Liberos iuſtitiæ appellat, quia iuſtitiæ non incumbebant, nec eius præcepta ſequebantur, nec ei obtemperabant, ſed proprijs ſuis concupiſcentijs ad iniquitatem tendentibus.

Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?

INfert ex verbis præcedentibus quod probandum aſſumpſerat, nimirum, qui immunditiæ, & iniquitati ſeruierunt, ad iniquitatem & ſine fructu ſeruiſſe. & illatio hæc eſt; cum eſſetis ſerui peccati, iuſtitiæ non incumbebatis. ergo quem fructum habuiſtis in obſequio illo veſtro, & in operibus, quorum vos ipſi recordantes erubeſcitis, & confundimini? profecto nullum fructum habuiſtis, ſed ſolam iniquitatem ipſam. Vtitur interrogatione ad maiorem affirmationem, ac ſi diceret: ergo nullum fructum habuiſtis. alieni enim a iuſtitia, fructum non poſſunt habere alium præter iniquitatem ipſam. Illud autem (in quibus nunc erubeſcitis) confirmatio eſt, quaſi diceret: Quem fructum bonum habere potuerunt opera, de quibus nunc quando iam illuminati eſtis confundimini, & pudet vos talia commiſiſſe, veſtroq. pudore confitemini nullum ex illis vos reportaſſe fructum præter iniquitatem?

Qui iniquitati ſeruit & immunditiæ, nullum fructum conſequitur, niſi erubeſcentiam.

ANNO-

ANNOTATIO XIII.

Cle. alex. CLemen. lib. 4. Stromat. ſic legit, & interpretatur huiuſmodi ſententiã, vt fiat diuiſio in priori verbo, ibiq. ſit interrogatio in hunc ſenſum, Quem fructum ergo habuiſtis? reſpondet; fructus eſt, ea in quibus nunc erubeſcitis. dura tamen videtur hæc interpretatio. communis lectio, & expoſitio eſt, vt in fine ſit interrogatio, vti in commentario expoſitum eſt.

Nam finis illorum mors eſt.

TAcitæ negationis cauſam reddit, nempe, Quem fructum habuiſtis? nullum; nam illorum operum, quibus ſeruiuiſtis peccato, finis eſt mors æterna: profecto fructũ bonũ non habent opera, quorum finis mors æterna eſt, ſed omnia obſequia peccati ad iniquitatem ſunt, cuius pœna condigna talis mors eſt. fructus ergo illius obſequij iniquitas, confuſio, æterna damnatio ſunt. Latet autem aliud in his verbis, nempe in illis peccatis delectati eſtis, commoda temporalia, nimirum honores, diuitias, & alia huiuſmodi conſecuti ex eis ſæpe eſtis, ſed hæc nullius ſunt momenti, cum tandem finis peccatorum mors ſit, & damnatio.

Nunc autem liberati a peccato, ſerui autem facti Deo habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam.

ALteram nunc partem oppoſitam exponit. non ſic enim euenit his, qui ſeruiunt iuſtitiæ. Et ſicut ſuperius dixit; Cum eſſetis ſerui peccati, liberi eratis iuſtitiæ; ita nunc e contrario dicit; Nunc vero, tempore gratiæ, liberati a peccati ſeruitute, & facti ſerui Deo, vt eius mandatis obediatis, longe alium fructum, & finem reportabitis. nam fructum iuſtitiæ habetis in ſanctificationem continuã, vt ſanctificemini magis ac magis, continuis virtutũ operibus; finem vero æternam vitam. tunc in iniquitatem, nũc in iuſtificationem; illorum finis mors, horum æterna eſt vita; tunc ſerui peccati, & alieni a iuſtitia; nunc autem liberati a ſeruitute peccati, translati eſtis in Dei ſeruitutem. Oportet ergo vos amplius non peccare, ſed Deo viuere, & inſeruire.

Qui ſeruit iuſtitiae fructum habet in ſanctificatione, & pro fine vitam æternam.

Stipendia enim peccati mors; gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Ieſu domino noſtro.

CAuſam diuerſorum effectuum reddens concludit. illius enim ſententiæ (Illorum finis mors eſt) cauſa eſt, quia peccati ſtipendiũ mors eſt æterna; ideſt, quod peccatum ſuis militibus, & obſeruatoribus, ac ſequacibus ſtipendium reddit, mors eſt; eſt enim proſopopeia quædam, qua peccatum tanquam rex, ſeu potius tyrannus conſideratur reſpectu eorum, qui illi inſeruiunt; contra vero, gratia, quam reddit Deus ſuis fidelibus, & iuſtitiæ ſeruientibus, vita æterna eſt. Regnum ergo duplex eſt; Dei & peccati; in vtroq. milites, ſequaces, ſerui, ſtipendium; ſed longe diuerſum, & contrarium; peccatum, æternam mortem; Deus vero vitam æternam rertibuit. Potuiſſet Paulus vti etiam vocabulo ſtipendij, & mercedis in retributione Dei. nam Matth. 20. Merces dicitur vita æterna. & 2. Thimo. 4. Corona iuſtitiæ. noluit tamen vti hac voce ſed gratiæ vocabulo, tum ut oſtenderet ſeruos Dei ſeruire Deo, non intuitu mercedis principaliter, ſed ex amore, & ſponte propter ipſum Deum; tum etiam ut ſignificaret uitam æternam, & mercedem, quæ iuſtis datur, gratiam includere. nam gratia Dei eſt, qua a peccato liberati in Dei ſeruitutem ſumus tranſlati, & filij Dei facti, & qua digni, & potentes efficimur ad meritum, & operum noſtrorum mercedem, quæ non eſſent digna, niſi talis præcederet gratia. Ita hanc ſententiam exponit Aug. Epiſt. 105. Addit autem (In Chriſto Ieſu domino noſtro) quia ipſe eſt mediator, per quem habemus acceſſum ad gratiam, & uirtutem, ac merita ad æternam uitam conſequendam, quia non eſt aliud nomen ſub cælo, in quo oporteat nos ſaluos fieri. ut habetur Act. 4. quod etiam docet Aug. lib. de gratia & lib. arbitrio. cap. 6. & ſequentibus. Stipendium Græce dicitur ὀψώνιον, quod militibus dabatur, ut exponit Theodoret. iuxta illud 1. Corint. 9. Nemo militat ſuis ſtipendijs; perſeuerat enim Paulus in eadem metaphora regni, & armorum peccati, & ſimiliter Dei.

Matt. 20 *2. Tim. 4* *Auguſt.* *Theodor.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT SEPTIMVM.

AN ignoratis fratres (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore viuit? Nam quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro, alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt a lege viri. Igitur, viuente viro, vocabitur adultera ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt a lege viri, vt non ſit adultera ſi fuerit cum alio viro. Itaque fratres mei & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti, vt ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificemus Deo. Cum enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti. nunc autem ſoluti ſumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ. Quid ergo dicemus? lex peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non cognoui, niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret. Non concupiſces. Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem viuebam ſine lege aliquando. Sed cum veniſſet mandatum, peccatum reuixit. Ego autem mortuus ſum: & inuentum eſt mihi mandatũ, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. Nam peccatum occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem: vt fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum. Scimus enim quia lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato. Quod enim operor, non intelligo. non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio: conſentio legi, quoniam bona eſt. Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum. Nam velle, adiacet mihi: perficere autem bonum, non inuenio. Non enim quod volo bonum hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum. Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet: condelector enim legi Dei ſecundum

Digitized by Google

cundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei: carne autem legi peccati.

ANNOTATIO I.

DIxerat Paulus in capite præcedenti, peccatum non dominaturum nobis, quia non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia. cui ſententiæ obiecerat dicens, Peccabimus ne, quia non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? ea autem obiectione perfecte confutata, ad ſententiam eandem confirmandam, & exponendam in hoc capite ſe conuertit, in quo demonſtrat nos non eſſe ſub lege, ex quo conſequitur nec peccatum, nec legem ipſam in nobis dominari. Attendendum autem eſt, hæc duo maxime differre; ceſſaſſe legem, & ceſſaſſe dominium, & ſtatum legis, quod idem eſt ac non eſſe ſub lege, lex quidem non tota ceſſauit; manet enim lex moralis, & decalogi in Euangelio: ſunt etiam leges diuinæ ſacramentorum, & humanæ Eccleſiaſticæ, & tamen non dicimur eſſe ſub lege, aut dominio legis. hæc enim ceſſarunt, & non ſunt aduenìente Euangelio; quia legem dominari, ſeu eſſe ſub lege eſt eſſe in ſtatu legis, in quo lex pura conſideratur, in quo ſtatu non habet homo vires quibus impleat præcepta legis. lex enim quantum ex ſe eſt obligat, virtutem tamen non dat, qua quod iubet, fiat; hoc enim facit virtus gratiæ, & fidei, quæ ad Euangelium pertinet. qui ergo in legis ſtatu erant, ſub lege, & dominio eius eſſe dicebantur. a quo ſtatu & dominio legis, Euangelij gratia liberat; quia ſecum habet gratiam per quam lex impletur: quę quidem gratia dabatur quidem olim in ſtatu legis exiſtentibus, ſed non ratione ſtatus, ſed propter futurũ Chriſtũ, in quem fide, & ſpe, ac Charitate ferebautur, quæ ad Euangeliũ proprie pertinebant; quod Chriſtum aunũciat, & prædicat.

Ceſſaſſe legem, & dominium legis in quo differant.

Fieri ergo poteſt vt maneat lex obligans ad ſui obſeruantiam, & cũ hoc non ſimus ſub lege, nec nobis dominetur, quia gratiam iam habemus, qua ea impleamus, ſicut etiam quamuis nunc peccemus, & peccatum in nobis inueniatnr, non dicimur ſub peccato eſſe, qa habemus, quo id vincamus, & ab eius iugo liberemur. Paulus ergo non prætendit præcipue in hoc capite demonſtrare legem veterem ceſſaſſe, nec amplius obligare, quod ipſius verba ſatis aperte ſignificant. nam legis exemplum inferius adfert, nẽpe non concupiſces, quod præceptum nondum ceſſauit, ſed prætendit oſtendere legis ſtatum ceſſaſſe, & legem dominium ſuum iam amiſiſſe. tãquam ſerui tenebamur ſub lege, non valentes iugum illius excutere, impletis ijs, quæ lege præcipiebantur; ſicut etiam ceſſauit regnum, & dominium peccati; quod ita hominem poſſidebat, vt vinci, & expelli non poſſet.

Chryſoſt.

Digitized by Google

Chryſoſt. Theodor. Chryſoſt. Theodoret. cum alijs multis affirmant, docentes Paulum in hoc capite docere legem illam ceſſaſſe, & mortuam eſſe; cum re vera non hoc Paulus intendat, nec rei veritas id admittat: nam lex moralis manet adhuc, de qua etiam Paulus agit. Sed interpretãdi ſunt Doctores hi; ceſſaſſe legem, nempe ſtatum legis, non omni lege ceſſante, data quidem gratia, qua lex impleri valeat, ne nos tamquam reos damnet, & captiuos poſſideat. Verum eſt conſequi, ceſſaſſe legem quantum ad illa cęremonialia, & iudicialia præcepta; quia hæc erant data ratione ſtatus, quo ablato, illa etiã vim obligandi amiſerunt; tamẽ non ceſſauit lex omnis: nam naturalis, & moralis manet cum alijs de nouo in Euangelio inſtitutis pręceptis a Chriſto, & Eccleſia, quæ etiamſi obligent, ſub illis tamen non dicimur eſſe, nec in ſtatu legis viuimus; propter gratiam, qua à ſeruitute, & iugo legis liberamur, implere valentes omnia, quæ per legem iniuncta ſunt nobis.

An ignoratis fratres, ſcientibus enim legem loquor.

A Similitudine, & exemplo ſumit argumentum, quo nos iam ſub lege non eſſe probat, prius autem ipſum proponit exemplum ex lege ipſa deſcriptum; quod quia manifeſtum & ſine controuerſia Iudæis erat, quibus cum præcipuè loquitur nunc Paulus, propterea dicit; An ignoratis fratres. quaſi diceret, ſcitis fratres, nec opus eſt vobis quod dicturus ſum probare. Habet etiam hæc locutionis forma energiam quandam, vt omnem contrariam dubitationem impediat; An ignoratis fratres. quaſi diceret, non licet vobis ignorare, nec ſine vitio magno hoc neſcire poteſtis. Appellat autem fratres, vt beneuolentiam ex Iudæis conuerſorum captet. aliquid enim dicturus, & per exemplum probaturus erat, quod durum illis, legem veterem magnificantibus, videri poſſet. quia autem in verbo (An ignoratis) quædam tacita reprehenſio videbatur in eos qui ignorarent, adiunxit, (ſcientibus enim legem loquor) ac ſi diceret, ne miremini ſi dico uos ſcire, & ſi ignorare uos ſine uitio non poſſe inſinuo, quia loquor ijs qui legem ſciunt, & eius notitiam habent, in qua quod modo dicturus ſum, facile inueniri poteſt, ut nemo legis peritus ignorare id debeat.

ANNOTATIO II.

Ambroſ. AMbroſius per legem hanc Euangelium ſignificari dicit, in quo ſola morte matrimonium diſſoluitur. *Sedul.* Sedulius legem naturæ interpretatur, de qua Matth. 19. di- *Matt. 19* citur Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. *Theodor.* Theodoret. legẽ Moyſi exponit, in qua permiſſione quadã libellus repudij dabatur; propter duritiem Iudæorum factum id eſt; a principio tamẽ nõ fuit ſic, ſed Deus in vnam carnem virum, & vxorem coniunxit, vt ſola morte ſeparatio fieret. Anſel. has duas poſteriores *Anſel.*

refert ſententias, ea tamen legitima videtur, vt Paulus de lege Moyſi loquatur, quæ Chriſtianis illo tunc temporis nota erat. legebatur enim vetus teſtamentum. maxime quia hæc Paulus propter cōuerſos ex Iudæis dicit, qui propter legem ſuam ſe præferendos Gentibus cenſebant. his argumentatur, vtens exēplo legis eis ſatis notæ, & proptere̲a quaſi ad eos ſermonem dirigēs dicit; Scientibus legem loquor. nec obſtat in lege Moyſi libellum eſſe repudij, nam Paulus loquitur de viro, & vxore, matrimonio durāte; vxor enim ſi cum alio iuncta tunc erat, adultera reputabatur, at poſt mortem viri licebat alteri nubere. Quod autem per repudium matrimonium diſſolueretur, & liceret nubere alteri, hoc in opinione verſatur; quibuſdam negantibus, quibuſdam affirmantibus: tamen ad Pauli propoſitum parum refert ſiue hanc, ſiue illam teneas partem; loquitur enim de viro, & vxore inter quos repudium non eſt, ſed in matrimonio viuunt.

Scie̅tibus legem &c. de qua lege dicat Apoſtolus.

Quia lex in homine dominatur, quanto tempore viuit.

EXponit quod dixerat illos non ignorare; eſt autem particula illa (quia) non cauſalis ſed declaratiua, ac ſi diceret, non ignoratis, legem dominari homini quanto tempore uiuit, eſt autem ſenſus de lege coniugij, & matrimonij, ac ſi diceret. Lex & uinculum matrimonij dominatur homini, dum uita hominis durat; conueniēter autem utitur uoce communi Græce ἄνθρωπος. Latine homo, utrumq. ſexum ſignificante, nempe maſculum, & fœminam, quia lex hæc eſt inter duos, uirum, & uxorem; & unius morte ſoluitur, ac ſi claris uerbis diceret, lex uiri dominatur feminæ dū uir uiuit; utens autem uoce communi, non ita facile & aperte ſexus exprimitur; uerba tamen ſequenria hanc ſententiam manifeſtant.

ANNOTATIO III.

COmmunis interpretum expoſitio ſuperioris ſententiæ hæc eſt, vt lex generaliter intelligatur pro tota lege ipſa; quāuis verba nō eodē modo cōnectant, nā Orig. Ambroſ. illud verbum (viuit) ad legem referunt in hunc ſenſum, lex dominatur homini quamdiu viuit, & durat lex ipſa. Chryſoſt. vero, Theodoret. & Aug. lib. 83. qq. q. 66. ad hominē referunt ſic, lex dominatur homini, quamdiu viuit homo ipſe. vtraq. expoſitio generaliter legem accipit, quæ non dicitur dominari, niſi qnandiu ipſa durat, aut quādiu homo viuit. ceſſat enim legis obligatio mortuo eo, cui lex eſt poſita, aut ipſa lege mortua & ablata. neutra expoſitio mihi accōmodata videtur, & multo minus prior. exiſtimo. n. legē non hic generaliter accipi, ſed pro lege q̄ eſt inter virum & vxorē, & in matrimonij vinculo poſita eſt, q̄ verba ſequētia, & antecedētia probāt. non. n. opus erat dicere (ſcientibus legē loquor) ſi hoc vellet

Origen. Ambr.

Chryſoſt. Theodor. Auguſt.

Legē dominari intelligit Apoſtolus de lege inter virum & vxorem.

vellet dicere, legem non dominari, niſi dum durat lex; aut viuit ſubditus; hoc enim omnes ſciunt, etiamſi legem ignorent. Loquitur ergo Paulus de particulari lege matrimonij, cuius ſimilitudine intendit probare totam legem non dominari nobis; id quod verba ſequentia confirmant, quæ cauſam huiuſmet dicti exponunt in particulari de lege matrimonij. Conuenio ergo cum poſteriori expoſitione, quia referendum exiſtimo verbum (viuit) ad hominem, non ad legem, tamen ſenſum non eundem amplector, ſed qui in commentario expoſitus eſt.

Nam quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro alligata eſt legi, ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri.

CAuſam ſuperioris ſententiæ reddit, ſimulq. eam explicat, ac ſi diceret: Dixi legem dominari homini quamdiu viuit, quia nupta, ſeu viro coniuncta mulier, dum vir eius viuit alligata eſt legi, & lex ei dominatur, vt alteri non coniungatur tamquam vxor, at ſi mortuus fuerit vir, ſoluta eſt à vinculo, & lege viri illius, ita vt poſſit alteri nubere. Conuenienter Paulus exemplum à muliere ſumit, nam in lege vna mulier numquam duobus viris nupſit ſimul viuentibus; Vir autem vnus duas potuit ducere vxores, viuenteq. vna potuit alteram ſimul accipere, quod Iacob, & alij fecerunt; mulier autem vna numquam potuit duos viros habere. idcirco Paulus accommodate ſententiam ſuperiorem expoſuit. Legem dominari homini quamdiu viuit homo; intelligenda enim eſt ſecundum legem illam antiquam, legem viri dominari feminæ quamdiu viuit vir, non autem è contrario. In Euangelio autem par ratio eſt; vti enim feminæ plures ſimul viros, ita & vni viro plures ſimul habere vxores non licet.

Mulier dicitur legi alligata viuente viro.

ANNOTATIO IV.

ILlud (quæ ſub viro eſt) Græce vnico verbo exprimitur ὕπανδρος, illud autem (viuente viro alligata eſt legi) tripliciter legitur ex ambiguitate ſermonis Græci, qui ablatiuo caret. Primo ſic, Viuente viro alligata eſt lege. & ita Ambr. legit. aut ſic, Viuente viro alligata eſt legi. & ita habet communis verſio. aut ſic, Viuenti viro alligata eſt lege. & ita moderni aliqui legunt. idem ſenſus ſemper manet, idcirco non eſt cur communis noſtra lectio deſeratur.

Igitur

Igitur viuente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege viri, vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.

PRoſequitur idem exemplum, ex dictis deducens ſic. Si viuente viro alligata eſt legi, ergo vocabitur adultera, ſi viuente viro cum alio viro iuncta fuerit; ſi vero mortuo viro ſoluta eſt lex, igitur mortuo viro non erit adultera, ſi alteri viro adhæſerit. Hæc diſtincte Paulus exponit, vt doceat, ante Chriſti mortem non licuiſſe Iudæis legis ſtatum mutare, omneſq. eos ſub eius dominio fuiſſe, quia nondum peccatum mortuum erat, propter quod data eſt lex, at mortuo iam peccato eſſe liberatos ab illius dominio, ſtatumq. legis eſſe mutatum, quod paulo poſt late explanabimus.

Itaque fratres mei & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti vt ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit.

COncludit Paulus ex exemplo, & ſimilitudine propoſita, eos legis dominio non ſubeſſe. & eſt ſenſus: Igitur, ò fratres, ſi mortuo viro mulier manet libera à lege, vt alteri nubere valeat, vos legi mortui eſtis per corpus Chriſti; ideſt, quam mortem ſubijſtis virtute, & efficacia mortis Chriſti ſecundum carnem; lex ergo non dominatur iam vobis, ſed poteſtis alteri adhærere, nempe Chriſto à mortuis reſurgenti. ac ſi clarius diceret, Chriſtus morte ſua vos mori fecit in baptiſmo, vt liberi à lege priori, poſſitis in nouum ſtatum conuerti, in quo ipſi reſurgenti inſeruiatis, abiecto ſtatu illo legis, in quo eratis prius quàm mortui eſſetis per Chriſti mortem ſecundum carnem; qua iam morte effecta, legis dominium, & ſtatus ceſſauit, vt vos ad Chriſtum conuertamini, non iam ſub lege illa, ſed ſub gratia, & fide Chriſti reſurgentis. Hic eſt legitimus ſenſus: mortificatos enim eſſe legi, idem eſt, ac per mortem propriam, nimirum peccati, effectam virtute mortis Chriſti ſecundum carnem, à legis dominio liberos eſſe factos. Exactam huius ſententiæ declarationem in annotatione require.

Homines quomodo mortificari dicuntur legi.

ANNOTATIO V.

NOn parum difficultatis hæc tota ſententia Pauli habet, quæ quidem difficultas ex accommodatione huius exẽpli procedit. communis enim interpretatio, hæc eſt; vt legem ipſam conferat Paulus viro

lus viro

lus viro; hominem autem mulieri; ſicut ergo mortuo viro libera eſt mulier, vt alteri poſſit nubere; ita lege mortua, liberi ſumus, vt Chriſto in Euangelica gratia ſeruiamus. Ita exemplum exponit Chryſoſt. Oecumen. Ambroſ. Anſelmus in hoc loco. & Hilar. in Pſal. 131. in illud (viduam eius benedicam.) Hæc tamen expoſitio non videtur mihi contextui aptari poſſe. Primo quidem, quia Paulus diſtinguit tria; nempe virum, mulierem, & legem. oportet ergo nos diſtinguamus tria, quæ ſimilitudini reſpondeant. non ergo lex viro conferri poteſt. Secundo, Paulus ex morte viri colligit, legem non amplius dominari mulieri, ſed eam liberam eſſe. quo exemplo intendit probare, nos iam ſub imperio legis non eſſe. oportet ergo mortem eſſe eius, qui locum tenet viri, vt inferatur legis dominij ablatio. aliter argumentum non haberet efficaciam. eſſet enim iuxta talem expoſitionem argumentum: Lex mortua eſt, ergo nos liberi ſumus. cui obijcere poſſet aliquis, legem non eſſe mortuam; aut peteret quare mortua eſt? ſi diceret Paulus, quia locum viri tenet: hoc nec exemplo quadrat; quia lex non eſt vir, ſed eſt viri; nec etiam id probatum eſt, legem mortuam eſſe. oportet ergo mortem aliquam intereſſe, vt conſtet legem non dominari amplius, vinculumq. eſſe ruptum. Tertio, hæc ſententia, quam proxime expoſuimus, non videtur connecti poſſe. nam ſi ſimilitudo ſeruanda eſt, oportebat concludere, legem mortificatam eſſe, ſi ipſa eſt, quæ locum viri habet; at non ſic concludit Paulus, ſed, nos mortificati ſumus. Nec reſponſio Theodoreti ſatisfacit; dicit enim Paulum non intuliſſe legem eſſe mortuam, ne multum Iudæos perturbaret. Reſponſio apta non videtur; non enim veritas neceſſaria occultanda eſt propter turbationem auditorum, maxime quando docenda, & tradenda eſt. nec etiam vtendum eſt ſermone incongruenti, & inefficaci; maxime, quia Paulus non agit de ceſſatione legis veteris, vti ſuperius diximus.

Chryſoſt. Oecum. Ambroſ. Anſel. Hilar.

Prætermiſſa ergo hac expoſitione non caret magna difficultate locus hic. nam nos mortificatos dicit, ideoq. poſſe iam coniungi Chriſto; hoc enim non videtur reſpondere exemplo. nam in exemplo vir eſt, qui moritur, & vxor mortuo marito alteri copulatur. at in accommodatione nos collati ſumus mulieri, & mortui eſſe dicimur: quod non conuenit cum exemplo, in quo non dicitur mortua vxor, ſed vir; nec mortua vxor alteri nubit, ſed vxor mortuo marito alteri coniungitur. quomodo ergo nos mortificati alteri cõiungimur, dominio legis ablato? Hæc difficultas procedit etiam eis, qui legem loco viri exponunt. Accommodatior quidem eſt Auguſtini expoſitio, qui lib. 83. qq. cap. 66. hominem feminæ, peccatum viro comparat. adhuc tamen hæc expoſitio ſenſum Pauli perfecte nõ explanat. *Auguſt.*

Pro legitimo ergo ſenſu totius contextus huius aſſequendo, aduertendum eſt, apud Paulum triplicem diſtingui hominem, nempe veterem, nouum, & eum, qui prius ſub veteri, poſtea ſub nouo eſt; qui dici poteſt homo abſolute, quantum ad naturam; non quod ſint tres ſubſtantiæ; vnica enim eſt hominis ſubſtantia ex anima & corpore conſtans; ſed ratione diuerſorum,

quæ in

quę in eo conſiderantur, nomina diuerſa ſortitur, & multiplicatur; homo enim idem ſub peccato exiſtens dicitur vetus homo, quia antiquius eſt peccatum in hominibus, qui de Adam naſcuntur, quam gratia; naſcimur enim, & concipimur peccatores. Idem autem homo peccato deleto, & gratia ſuperueniente indutus, dicitur nouus homo: quia per ſecũdum Adam in hunc ſtatum reductus eſt, qui per primum peccator natus eſt. cum autem non ſit mutatio ab vno in alterum, niſi ſit ſubiectum commune vnum, quod modo ſub vno, modo ſub altero eſt, ipſemet homo, quantum ad ſubſtantiam, & naturam conſideratus, dicitur abſolute homo, qui modo ſub peccato, modo ſub gratia eſt; & ex veteri in nouum conuertitur. horum hominum Paulus expreſſe meminit Epheſ. 4. Deponere, inquit, vos ſecundum priſtinam conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris, induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Perpende tres homines veterẽ, & nouum, & eum, qui, cum eſſet ſub vetuſtate, inuitatur vt induat nouitatem. Idem etiam ad Coloſ. 3. docuit; Expoliantes, inquit, vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum, qui renouatur in agnitionem ſecundum imaginem eius, qui creauit illum. Ecce homo, quẽ ſpoliare debemus; ecce etiam homo, quem induere iubemur. ecce etiam homo qui ſpoliat, & induit ſe; homo enim ratione naturæ inuitatur, vt, abiecta vetuſtate peccati, induat nouitatem Spiritus. Scripturæ etiam ſacræ frequenter horum mentionem faciunt; modo .n. hominem deprimunt, & damnant & hic vetus eſt; modo extollunt & hic nouus eſt. modo multa, quæ ad naturales effectus pertinẽt, prædicant, & hic homo, quantum ad naturam eſt.

Hominis conſideratio, ſiue ſtatus triplex, vetus, nou, & induẽs nouitatẽ.

Hac ergo diſtinctione ſuppoſita, ſciendum eſt, Paulum, hominem ipſum quantum ad naturam, qui Dei factura, & creatura eſt, conferre vxori; veterem autem viro priori comparare; nouum vero, qui eſt ſecundum gratiam, & Spiritum Chriſti, viro poſteriori aſſimilare. mortuo ergo veteri homine, nempe iam deſtructo, & deleto peccato per mortem Chriſti, homo ipſe iam liber manet, ſicut vxor ſine viro, vt nubat Chriſto, & induat nouum hominem per Spiritum, & gratiam Euangelij Chriſti; lex autem illa vetus erat veteris hominis lex, quia lex ſubintrauit, vt abundaret peccatum: & per legem cognitio peccati. & dum vixit peccatum, lex dominata eſt; quia nemo ſe à iugo eius eripere potuit, cum implere nemo legem poſſet, quamdiu ſub veteri homo fuit, & eſt: at hoc mortuo dominium ceſſauit legis, & Chriſto coniungimur, vt ei per gratiam, & Spiritum ſeruiamus.

Tota hæc doctrina eſt, quam Paulus tradit in hoc capite, vt in eius expoſitione fiet manifeſtum, qua ſuppoſita facilis eſt explicatio ſuperioris ſententiæ; alias valde difficilis, & obſcuræ; poſito enim exemplo de vxore, mortuo marito, & libera manente vt alteri nubat, concludit Paulus; Vos mortificati eſtis legi, ſermo eſt de veteri homine, de quo paulo ante cap. 6. dixerat: Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt: Similiter, Mortui ſumus peccato: hic nunc mortuus eſſe legi dicitur,

Digitized by Google

citur, quia, deleto iam, & deſtructo peccato, legis dominiũ abolitũ eſt. Vos ergo qui eratis coniuncti veteri homini, liberi manetis; vt ſitis alterius qui reſurrexit, nẽpe Chriſti, & coniungamini Spiritui eius. Tres in hac ſententia latent homines. primus, qui mortificatus dicitur, & hic vetus eſt: ſecundus, qui Chriſto coniungi debet, & hic homo ipſe ſecundum ſuam naturam eſt. tertius eſt Chriſtus ipſe, per quẽ homo nouus in nobis fit. Eſt ergo apta, & accommodata ſimilitudo, quę, niſi diſtinguamus hos homines conſiſtere non poteſt. nam dicitur: Mortificati eſtis, vt ſitis alterius; quomodo ſi mortui ſumus alteri coniungemur? mulier enim mortua non poteſt alteri nubere, ſed quæ ſuperſtes eſt mortuo priori marito. Vere ergo Paulus tacite tres diſtinguit homines, nempe veterem qui crucifixus, & mortuus eſt, quo viuente lex dominabatur; & hominem ipſum, quantum ad naturam, qui à Deo creatus eſt, & ſub veteri tenebatur, ſicut vxor ſub marito; illo ergo mortuo ceſſat dominium legis, & Chriſto coniungitur, per quem nouus in nobis fit homo; dum enim in nouum transformamur hominem, Chriſto adhæremus veteri homine mortuo. Hic eſt verus & legitimus ſenſus Pauli, dum obſcure locutus eſt, dicens, nos mortificatos; ſi enim dixiſſet, homo vetus noſter mortuus eſt, vt ſimus alterius, difficultas non eſſet in verbis, ſenſus tamen idem eſt.

Vt fructificetis Deo.

DVo matrimonia vnius hominis diſtinxit. Vnum cum veteri homine cuius erat dominium legis. Alterum cum nouo, ſeu cum Chriſto, mortuo illo veteri, & dominio legis ablato. nunc matrimoniorum horum diuerſos enarrat effectus; matrimonia enim ad prolem celebrantur multiplicandam. longe autem diuerſus eſt effectus, & proles, quæ ex hoc ſecundo matrimonio promanat ab eo, qui ex primo procedebat. ſenſus ergo eſt: mortuus eſt vetus homo, & cum eo legis vinculum ablatum, vt homo ipſe à Deo creatus, qui prius erat coniunctus veteri, iam nouo iungatur, & Deo ſeruiat, ipſiq. per opera bona fructificet, & prolem Deo gratam multiplicet; qui enim Chriſto adhæret, nouus homo factus ex veteri, opera velut prolem quamdam facit digna Deo, quibus ipſi magis ac magis coniungitur, ac per quæ in eo ipſe Deus glorificatur. quæ quidem opera æternam homini mercedem comparant. non talis erat proles, & fructus, quem ex veteri prius homine proferebamus. filij, & proles, fructus dicuntur Pſal. 126. Filij merces fructus ventris. opera autem per metaphoram proles, & velut filij ſunt noſtri, ſiue boni, ſiue mali.

Matrimoniorum diuerſi effectus.

Cum

Cum enim eſſemus in carne, paſsiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris vt fructificarent morti.

Homo vetus dicitur morti fructificare, nouus vero Chriſto.

LOnge diuerſum fructum ex veteri viro fuiſſe declarat, cui dum adhærebamus, non Deo, ſed morti fructificabamus, quia ea opera efficiebamus, quæ ad æternam mortem uos impellebãt. reddit ergo cauſam Paulus, cur dictum ſit nos nouo viro adhærentes Deo fructificaturos: quia, inquit, prius, quando veteri coniungebamur, non Deo, ſed morti fructificabamus. Notanda autem ſunt verba. Cum, inquit, eſſemus in carne, ideſt, cum eramus in eo ſtatu, in quo nati ſumus ſecundum carnem, originemq. ab Adamo per carnalem generationem trahebamus, nondum in Deo nati, nec ſpiritum eius in nobis concipientes; quando in peccato concepti, & nati, & viuentes, veteri adhærebamus homini, tunc in eo ſtatu, taliq. matrimonio durante, paſſiones peccatorum, ideſt, interiores motus, & perturbationes ad peccatum inducentes, & incitantes, quæ legis occaſione in nobis efficiebantur, contra nos victoriam obtinebant, & ad ipſa peccata, & opera mala, quæ mortem æternam comparant, nos pertrahebant, ideo tunc morti fructificabamus. Peccatum ergo, & vetus homo tunc per legem in nobis excitabat fomitem, & interiores concupiſcentias, quæ ad conſenſum, & opera ipſius peccati, ac veteris hominis impellebant; lex enim non præſtabat auxilium ad ſuperandas eas concupiſcentias, quæ ipſius legis occaſione excitabantur in nobis, vt peccato conſentiremus: & ideo morti fructificabamus. hinc eſt quod peccatum, & vetus homo dominabantur per legem in nobis. cum autem dixiſſet (Cum eſſemus in carne) adiecit (operabantur in membris noſtris) ſunt enim membra corporis inſtrumenta operum ſiue malorum, ſiue bonorum, vt ſuperius dictum eſt: Sicut exhibuiſtis membra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ. In annotatione exactiorem declarationem huius ſententiæ inuenies.

ANNOTATIO VI.

ADuerte, Paulum loqui de homine ſub lege poſito; in quo ſtatu peccato adhærebat; nam per legem ſolam nec à peccato, in quo

natus

natus eſt, liberari, nec peccata omnia, quæ contra ipſam legem erant, vitare poterat. hæc enim facit gratia Chriſti, quæ non per legem, ſed fidem Chriſti dabatur, & datur. Lex ergo non habenti gratiam, nec Chriſto adhærenti occaſio peccandi erat, quia præcipiebat, & prohibebat ea, quorum tranſgreſſio peccatum eſt, nec tamen adhibebat auxilium, quo tranſgreſſio vitari poſſit, vetus ergo homo, ſiue peccatum per legem dominabatur homini, & in eo ſuum exercebat imperium; quia ad peccandum, & in conſenſum concupiſcentiarum peccati hominem pertrahebat, cum nec peccatis reſiſtere, nec legem implere poſſet. ſicut igitur dominatur feminæ per legem, quæ inter eos eſt, nec ceſſat dominium, niſi viro mortuo, ita vetus homo, & peccatum dominatur homini, vt ſibi conſentiat, & faciat peccati, ac veteris hominis opera, donec ipſum peccatũ, & vetus homo viuit, quo mortuo, ac peccato deleto, non amplius hoc dominium exercet, nec per legem ad peccandum nos pertrahit exiſtente iam gratia in nobis per nouũ hominem, qua lex impletur, nec amplius peccati occaſio eſt.

Hic eſt ſenſus Pauli, quem multo adhuc elucidant verba ſequẽtia, Paſſiones autem peccatorum appellat paulo inferius, omnem concupiſcentiam; deſideria enim, & concupiſcẽtiæ ab ipſis obiectis concupitis efficiuntur in nobis; idcirco paſſiones dicuntur, quæ cum erga obiecta mala, & contra legem ſunt, paſſiones peccatorum appellantur, quia circa peccata ſunt, & ab ipſis efficiuntur in nobis. quomodo autem per legem fiant expoſuimus, & adhuc magis in ſequentibus exponemus.

Origen. Aduertendum adhuc eſt, Origen. legem hoc in loco interpretari non eam, quæ per Moyſem data eſt, ſed peccati fomitem, quæ lex etiam dicitur peccati. hæc tamen expoſitio non poteſt accommodari cõtextui. nam ſtatim obijcit ſibi Paulus; lex ergo peccatum eſt? abſit. ſed peccatum non cognoui niſi per legem, quæ verba non poſſunt intelligi de illa lege peccati, ſed de lege per Moyſem data.

Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur.

HAec verba reſpondent ſuperioribus; dixerat enim: Cum eſſemus in carne, nimirum quãdo vetus homo viuebat in nobis, paſſiones peccatorum operabantur in nobis; at nunc quando mortuus eſt in baptiſmo, per quem homo ille vetus crucifixus eſt cum Chriſto, non ſic eſt, ſed ſoluti, & liberi ſumus à dominio, iugoq. legis mortis; ideſt, per quam fructificabamus morti, in qua morte ante detinebamur, dum ille vetus homo, & peccatum viuebat. iam autem peccatum per legem non dominatur nobis pertrahens, & impellens ad ſibi conſentiendum; ſed liberi ſumus, habentes virtutem gratiæ, qua legem implemus, & per eam non peccato, ſed Deo ſeruimus. Illud (detinebamur) ſeruitutem indicat; tenebatur enim

homo

homo ſub peccato per legem tamquam ſeruus peccati, obediens, & conſentiens ipſi per legis tranſgreſſionem, à qua liberare ſe non poterat, donec mortuo & deleto peccato, acceptaq. gratia, legis tranſgreſſiones vitare, & eam perfecte implere valuit.

ANNOTATIO VII.

VAria eſt lectio in Græcis exemplaribus; triplex enim inuenitur apud interpretes. Prima eſt ἀποθανόντες, ideſt, mortui; vt ſit rectus caſus pluralis numeri; qui autem ſic legunt, varie exponunt; aliqui enim præponendum cenſent in hunc ſenſum. Qui mortui eramus, ſoluti ſumus à lege, in qua detinebamur. Alij poſtponunt, & ſequentibus adiungunt ſic: Soluti ſumus à lege, in qua mortui detinebamur. atque ita exponit Origen. Alij ordine ſuo verbum hoc exponunt; ſed addunt relatiuum (ei) in hunc ſenſum: Soluti ſumus à lege, mortui ei, in qua detinebamur, nimirum mortui legi, vti ſuperius dixerat Paulus. Alij adhuc eodem modo interpretantur, ſed relatiuum ad peccatũ referunt ſic: mortui ei .i. peccato, in quo detinebamur, & ita Oecum. exponit. In hac ergo lectione quatuor extant prædictæ expoſitiones.

Quõ dicimur ſoluti à lege mortis.

Secunda lectio eſt ἀποθανόντος, vt ſit in caſu gignendi, in qua lectione ſunt adhuc variæ expoſitiones; quidam coniungunt cum verbo (lege) quod Græce eſt maſculini generis, & in caſu gignendi. vt ſit ſenſus: Soluti ſumus à lege mortua, in qua detinebamur. atque ſic legit, & interpretatur Chryſoſt. Quidam alij diuidunt à verbo (lege) ac tamquam caſum abſolutum legunt ſic: Soluti ſumus à lege, mortuo nimirum eo, quo detinebamur, ſcilicet peccato, ſeu veteri homine. Mihi legi poſſe videtur tamquam caſus rectus à nomine (lege) in hunc ſenſum: Soluti ſumus à lege mortui peccati, ſeu veteris hominis, qua lege tenebamur, dum viuebat, ſeu à quo veteri homine tenebamur, eius legi ſubiecti. & hęc lectio, & interpretatio videtur maxime accõmodata.

Chryſoſt.

Tertia lectio eſt θανάτου ideſt) mortis) quam lectionem noſter interpres ſecutus eſt. & eam refert Origenes, quamuis magis probet lectionem ſecundam, vt paulo ante diximus. Latinam autem veterem Ambr. & Anſel. ſunt amplexi, & nos eam ſecuti ſumus, ne lectionẽ communem deſereremus. maxime cum idem fere ſenſus ſeruetur, quem in commentario declarauimus.

Vnum tamen hoc in loco eſt aduertendum, Ambroſiũ legem mortis dictam interpretari, quia lex illa peccatores temporalibus puniebat pœnis, & multa crimina morte mulctabat. Anſelmus autem legem mortis exponit. quia occaſio erat peccati, quod eſt animæ mors, aut etiam propter quod mors corporis intrauit in mundum. Mihi tamen ea mors intelligenda videtur, de qua prædixerat Paulus: Paſſiones peccatorũ operari in membris noſtris, vt fructificarent morti, nempe æternæ damnationi: ſtipendia enim peccati mors eſt, qua in æternum homo peccator perit, & quæ oppoſita eſt vitæ æternæ. Lex ergo mortis dicta eſt, quia occaſio tranſgreſſionum peccatori eſt, propter quam æternam ſibi comparat mortem.

Ambroſ.

Ita vt

Ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate literæ.

CONnexa ſunt hæc ſuperioribus, finemq. exponunt, & cauſam propter quam ſoluti à lege mortis ſumus. hæc autem eſt: Vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non iam vt prius in vetuſtate literæ. Idem eſt ſenſus horum duorum verborum cum illis: Vt fructificemus Deo, & non fructificemus morti. Seruire in nouitate Spiritus, eſt incumbere mandatis diuinis per gratiam acceptam Spiritus ſancti; quæ noua dicitur, facta collatione ad peccatum, in quo prius fuimus, & quod ab Adam primo traximus; gratiam enim à ſecundo Adam Chriſto, in quo denuo nati ſumus, accepimus. qui autem in hac gratia Spiritus ſeruit, Deo fructificat; vetuſtas autem eſt peccatum, quod oppoſitum eſt gratiæ, in quo prius fuimus, & quod lex non potuit auferre. qui autem in hac vetuſtate inſeruit, & ſub lege eſt, quam literam appellat, quia lex ſine gratia velut corpus eſt ſine anima, hic morti fructificat, quia legem non valet implere. Soluti ergo ſumus à lege, ideſt, erepti à ſtatu illo priori, in quo peccatum dominabatur per legem, & translati in ſtatum gratiæ, vt per hanc diuinis mandatis incumbamus, vetuſtate peccati, in qua ſub lege ſine ſpiritu eramus, ablata & abiecta.

ANNOTATIO VIII.

Orig. ORigenes vetuſtatem literæ circumciſionem, illasq. antiquas cæremonias interpretatur, quæ per Euangelium reiectæ ſunt, & ceſſarunt, in hunc q. ſenſum exponit verba Pauli; nempe, ſolutos eſſe à lege, vt iam non ſeruemus circumciſionem, nec cæremonias illas, ſed ſeruiamus in Euangelij nouis mandatis. quam expoſitionem ſequuntur *Chryſoſt. Theod. Oecum.* Chryſoſt. Theodoret. Oecum. cum alijs, putantq. Paulum ceſſationem legis illius veteris ſignificare voluiſſe. Quæ expoſitio non ſatis accommodata videtur contextui, in quo Paulus etiã de morali lege loquitur, vt exempla eius aperte indicant; nec intendit in hoc capite tractare de ceſſatione legalium, vt in præcedentium expoſitione conſtat. ſed agit de ſtatu legis, & de ſtatu gratiæ; in illo peccatum dominabatur per legem; in hoc gratia dominatur, per quam lex impletur. Accommodatior ergo eſt expoſitio Hieron. epiſt. ad Hedib. q 8. vbi hãc *Hieron.* præſentem Pauli ſententiam ſic exponit, dicens: Seruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate literæ, ideſt, viuamus ſub præcepto; qui prius in modum brutorũ animaliũ dicebamus: manducemus, & bibamus; cras .n. moriemur. hæc Hier. Seruire ergo in nouitate ſpiritus, eſt per diuinã gratiã mandata Dei implere: ſeruire vero in vetuſtate li-

Seruire in nouitate ſpiritus quid ſit.

 teræ,

Digitized by Google

teræ, eſt indulgere peccatis, lege Dei contempta, quam in vetuſtate peccati nemo potuit implere. Attende autem quatuor inuicem oppoſita; nouitatem nempe, & vetuſtatem; illa gratiæ, hæc peccati eſt. rurſus, Spiritum, & literam; Spiritus per gratiā fructificare facit Deo & mandatorum adfert obſeruantiam; lex autem, & litera, poſita vetuſtate peccati, occaſio ſunt morti fructificandi per ipſius legis transgreſſionem.

Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? abſit.

DIxerat Paulus nonnulla, quæ legi derogare videbantur, nempe paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operari in membris noſtris, vt morti fructificaremus, eamq. legem appellauit mortis, ſiue veteris hominis, qui mortuus iam eſt, nec eſſe iam ſeruiendum in vetuſtate literæ. In capite etiam præcedenti affirmauerat legem ſubintraſſe, vt abundaret peccatum. Hæc omnia poſſent in aliquorum animis ſuſpicionem, aut opinionem inferre, legem eſſe malam, ac obſeruantiam eius eſſe peccatum: propterea Paulus, vt à calumnia legem liberet, & veritatem aperiat, inducit obiectionem ex verbis prædictis illatam, vt ei reſpondeat, & reſponſione ipſa verum dogma de legis qualitate innoteſcat. Quid ergo dicemus, inquit, lex peccatum eſt? ideſt, ſi vera ſunt quæ diximus, nempe legem eſſe mortis, & vetuſtatem legis eſſe abiectam, inferemus ne ex his, & dicemus, ergo lex mala, & peccatum, ideſt, eius obſeruantia peccatum eſt? huic obiectioni, & illationi reſpondet primo negatione vehementi: Abſit, inquit, ac ſi diceret, abſurdiſſimum eſſet, & ab omni pietate, & veritate alienum, legem peccatum, cauſamve peccati eſſe fateri; nequaquam id ita eſt, nec ex ijs, quæ dicta ſunt, tale abſurdum ſequitur.

Sed peccatum non cognoui, niſi per legem.

PRoſequitur obiectionem diluere, exponens, cur illa omnia dicta ſint, & cur per legem in membris noſtris dictæ ſint paſſiones peccatorum operari. In propoſitis autem verbis nōdum eſt perfecta ſententia, ſed adiunctis ſequentibus; vt ſit ſenſus: dictæ ſunt paſſiones peccatorum per legem operari in membris noſtris ad morti fructificandum; non quod lex ſit peccatum, ſed quod peccatum cognitum eſt per legem, dum lege prohibetur. peccatum autem agnitum, & prohibitum, auxit concupiſcentiam; quia quæ prohibentur, eo magis appetuntur. concupiſcentia autem hæc aucta, in

pecca-

Digitized by Google

peccatũ ipſum maxime hominẽ impellit: ſic dicuntur paſſiones peccatorũ per legem operari, & lex ſubintraſſe vt abundaret peccatũ; occaſionaliter quidem, non autem per ſe; lex. n. ipſa per ſe bona eſt, & ſancta, vt in ſequentibus explicabitur. Huius reſponſionis, & doctrinæ primam partem verba præſentia continent. Dicit ergo: lex peccatum non eſt, ſed index peccati; non enim eſt inducta lex vt homo peccaret, ſed vt peccatum agnoſceret. peccabat quidem homo ante legem, tamen peccatum patratum non nouerat: lex acceſſit, & peccati cognitionem attulit, & per eam homo ſibi peccatum prohibitum, ac ſe reum eſſe peccati, intellexit. De lege per Moyſem data loquitur Paulus, quæ moralia etiam præcepta complectitur, vt proxime oſtendemus.

Paſsiones peccatorum quomodo dicũtur per legem operari. Lex dicitur index peccati.

ANNOTATIO IX.

ALiqui particulam (ſed) non admittunt, ſed loco eius (immo) legendum putant, vt ſit ſenſus: Lex peccatum non eſt, immo tantum abeſt vt ſit peccatum, quod potius ſit index, & notificatio quædam ipſius peccati. Græce eſt ἀλλά, quæ particula aliquando loco (ſed) aliquando loco (immo) ponitur. Ioan. 16. Nemo interrogat me quo vadis? ſed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum. hoc in loco pro (immo) poſita eſt. Similiter Ioan. 15. ſed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo. Fateor ergo, particulam hanc talem aliquando admittere ſignificationem, non tamen in hoc præſenti loco Pauli; in quo ſignificationem aduerſatiuam exercere exiſtimo loco (ſed) vti recte vetus interpres vertit; eſt enim ſenſus totius contextus hic, ac ſi dictum eſſet: Lex dicta eſt mortis; & per eam paſſiones peccatorum operatas eſſe ad mortem; non quod lex peccatum ſit, ſed quia index eſt peccati: dũq. peccatum oſtendit, & prohibet, occaſionem accipit concupiſcentia vehementius in prohibitum peccatum tendendi; & homo, qui peccato detentus eam implere non valet, eo grauius peccat, quo in id, quod cognitum eſt malum, fertur. ſententia enim hæc continetur, & completur verbis ſequentibus. non igitur loco (immo) ſed loco (ſed) poſita eſt. illa enim ſignificatio ſenſum legitimũ Pauli peruertit, quod quidem ex ſequentium expoſitione notius fiet.

Ioan. 16.

Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces.

EXemplo probat, quod dixit, peccatum non eſſe agnitum niſi per legem. Eſt autem exemplum ab vno legis præcepto, de non concupiſcendo rem proximi, ſumptum. Ante legem, inquit, datam, homo concupiſcebat, ideſt, appetitus contra proximum intra ſe voluntate conſentiente admittebat; neſciebat tamen eos eſſe peccata, reumq. teneri propter eos dum opere non complebantur.

Digitized by Google

at quando lex acceſſit prohibens, & dicens, Non concupiſces. cognouit eos eſſe damnabiles, ſicut & opera. Lex.ergo fecit agnoſci peccatum, non tamen ipſa eſt peccatum. Paulus loquitur in perſona multorum,& de ſe prædicat,quod multis eſt commune.

ANNOTATIO IX.

NOnnulla diſcutienda ſe offerunt pro prædictorum, & ſequentium intelligentia. quorum primum illud eſt: Cum Paulus in perſona multorum loquatur, qui ſunt hi quorum perſonam repræſentat? Aug.lib.1. qq.ad Simplician.q. 1. ab illis verbis: (Lex peccatum eſt? vſque ad finem capitis, omnia de homine in ſtatu legis poſito exponit, eiusq. perſonam Paulum repræſentare affirmat. quæ ſententia eſt Chriſoſt. Theodoret.& aliorum, quorum in eorumdem verborum interpretatione mentio fiet. in ea tamen ſententia non perſeuerauit, Aug. nam multis in locis hoc ſuum antiquum placitum citat, & retractat; aſſerens Paulum in his omnibus perſonam gerere hominis ſpiritualis,& in gratia degentis; nondum tamen à miſeria corporis liberati, ſed adhuc in hoc ſeculo poſiti. de quo homine exponit hæc,& omnia, quæ ſequuntur vſque in finem capitis. vt in ſingulorũ expoſitione referemus. ita docet Aug. lib.2.retract.cap.1.& li. de prædeſt. ſanct.cap.4.& li.1.con. epiſt.Pelag. cap.10.& 11. immo lib.6. con. Iul. cap.11. affirmat hanc ſententiã eſſe ſacrorum Doctorum communem.

August. *Chryſoſt.* *Theodor.* *Aug.*

Nos tamen priorem eius expoſitionem magis probamus, nempe hæc,& quę ſequũtur de homine ſub legis ſtatu eſſe dicta. huius enim hominis ſub lege exiſtentis perſonam Paulus repræſentat, ad legem ita commendandam, & à peccato ſecernendam, vt poſtea impotentiam eius ad liberandum à peccato aperiat,miſeriamq.ſtatus illius deſcribat,& inde gratiæ virtus omnibus innoteſcat.quam expoſitionem in proſecutione ipſa interpretationis multis rationibus confirmabimus. eſt aũt legẽdus tractatus quidam, quẽ fecimus ſuper expoſitionem illorum verborum ſequẽtium (Velle adiacet mihi)ibi enim hanc rem late excuſſimus.

Secundum diſcuſſione indigens illud eſt, quæ ſit iſta concupiſcentia,quam lex prohibet: Non concupiſces. Hieronym. epiſt. ad Hedib. qu.8. duas refert ſententias. Vna eſt affirmantium hanc concupiſcentiam eſſe, quæ octauo illo præcepto prohibetur Exod.20 Non concupiſces rem proximi tui. Hanc ipſe non recipit, quæ tamen eſt Ambroſ.in præſenti. Altera eſt, quam ipſe probat,nimirum omnes animę perturbationes,quibus mœremus, & gaudemus,timemus,& concupiſcimus,ſignificatas eſſe nomine concupiſcentiæ. Eſt adhuc tertia ſententia Anſelmi,qui hanc concupiſcentiam generaliter ad omne extendit peccatum, vt ſit generalis cuiuſcunque peccati prohibitio;omne enim peccatum concupiſcendo committitur. ideoq. totam legem hoc verbum complectitur.

Hieron. Concupiſcentia, quam lex prohibet, quæ ſit. *Exod. 20* *Anſel.*

Mihi prima ſententia, quae Ambroſij eſt, legitima videtur. nam

Ambroſ.

Digitized by Google

nam Paulus de lege data per Moyſem loquitur, vt proxime oſtendimus; non autem inuenitur tale mādatum generale, nec omnes perturbationes complectens, ſed illud Exod. 20. Non concupiſces rem proximi tui, quod Paulus hoc in loco ſignificare voluit. exemplo enim vnius mandati, probauit quod dixerat, peccatum ſe non noſſe, niſi per legem. Prudenter autem hoc protulit exemplum. nam ante legē multa peccata nota erant. homicidium enim, furtum, adulterium, & alia multa naturali lumine nouerunt, at interiorem concupiſcentiam rerum proximi, quæ ad executionem non perducebatur, peccatum eſſe, omnes fere ignorarunt; maxime lumine naturali, propter peccata, ex parte obſcurato; id quod lex data patefecit; idcirco hoc exemplo vſus eſt Paulus. hanc expoſitionem ex ipſomet Paulo confirmo, inferius enim Rom. 13. ſic habet, qui diligit proximum, legem impleuit: nam, non adulterabis, nō concupiſces, in hoc verbo inſtauratur, diliges proximum &c. vbi vides hoc præceptum ad proximum pertinere.

Exod. 20.

Sunt autē duo attendenda: vnum eſt; Concupiſcentiā Græce ἐπιθυμίαν in bonam, & in malam accipi partem, vt adnotat Orig. in præſenti, & Ambroſ. enarrat in Pſal. 37. dictum enim eſt: Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas, & cōcupiſcit, & deficit anima mea in atria tua. non ergo omnis concupiſcentia prohibetur, ſed ea, quæ appetit homo quæ contra legem ſunt. quod enim facere non licet, prohibitum etiam eſt id faciendi deſiderium, & concupiſcentia. præcepto ergo tali prohibuit Deus concupiſcentiam tollendi vxorem, agrum, domum, & rem proximi, vt nec faciamus, nec facere concupiſcamus. Alterum eſt, non quamcumque adhuc concupiſcentiam eorum, quæ ſunt contra legem, eſſe prohibitam, ſed quæ voluntaria eſt, quia aut naſcitur ex voluntate, aut accedit voluntatis conſenſus. quæ enim in nobis concupiſcentiæ, & appetitus fiunt ratione refragante. (non enim ſenſitiuus ſemper appetitus voluntati noſtræ ſubiacet,) has non prohibet Deus, quoniam non prohibentur niſi actus voluntarij, qui in manu noſtra ſunt. huiuſmodi autem concupiſcentiæ non ſunt liberæ, nec in manu noſtra; ideo nec prohibitæ ſunt, nec peccata. hæc ſatis de hac re.

Orig. Ambroſ. Concupiſcentia in bonam & malā partem accipi poteſt.

Tertium diſcutiendum eſt, quæ ſit iſta lex, de qua nunc Paulus dicit. Concupiſcentiam neſciebā, niſi lex diceret, non concupiſces, Sunt autem in hoc variæ ſententiæ. Prima eſt, cuius meminit Hierony. Epiſtol. ad Hedib. q. 8. nimirum eſſe illud mandatum, quod in paradiſo Deus dedit Adamo dicens; ne comedas de ligno. quæ ſententia eſt Methodij apud Epiphanium hæreſ. 64. de erroribus Origenis. Hanc reijcit Hierony. & impugnant eandem Chryſoſt. & Oecumen. & reuera non videtur ad mentem Pauli. loquitur enim de omnibus ſub lege poſitis; illud autem mandatum Adamo indictum eſt. præterea verba ipſa Pauli non admittunt talem expoſitionem. inquit enim: Neſciebam concupiſcentiam, niſi lex diceret; non concupiſces. ac ſi diceret, neſciebam concupiſcentiā eſſe peccatū, niſi lex diceret, nō cōcupiſces.

Hiero. *Method.* *Chryſoſt. Oecum.*

erat ergo concupiſcentia ante legem; peccatum tamen non cognoſcebatur, donec lex accederet; non enim dicitur, peccatum non feci, niſi per legem; ſed, peccatum non noui, niſi per legem. at illud lignum appetere, & concupiſcere, non erat peccatum, niſi poſt legem. præterea quia illud mandatum fuit, Non comedas de ligno; actus enim, & opera prohibita erant: quod autem dicit Paulus, ad concupiſcentiam pertinet. Accedant etiam quæ Oecumenius adfert ad talem ſententiã refutandam.

Hieron. Orig. Secunda ſententia eſt ipſius Hieronymi, & ante eum Origenis; de lege naturali hoc exponẽtium; quæ multo antiquior eſt Moyſe, & à mundi exordio mentibus hominũ illuxit. Mouentur hi Doctores tali argumento; quia ante Moyſem, Cain nouit ſe peccaſſe; ſimiliter Abimelec nouit adulterium eſſe peccatum: multaq. crimina nota fuiſſe hominibus ante legem ſcriptam Scriptura commemorat. Iſta ſententia non ſatis accommodata mihi videtur; totus enim iſte contextus à principio capitis de illa lege procedit, de qua in præcedenti dictum erat: Lex ſubintrauit vt abundaret peccatum; quod non poteſt intelligi niſi de lege ꝑ Moyſem data; hanc enim Paulus intendit exponere, & oſtẽdere iuſtitiam non attuliſſe, ſed potius peccati fuiſſe occaſionem, vt per hoc virtus Euangelij innoteſcat. quod ſi lex hæc non attulit iuſtitiã, nec etiam lex naturalis eam adduxit; nam lex naturalis repetita eſt per Moyſem. propterea verba Pauli non recipiũt talem expoſitionem. Peccatum enim, inquit, non cognoui, niſi per legem. ſi de lege naturali, quæ mentibus hominum inſculpta eſt, locutus eſſet, vtique diceret: Peccatum non erat, niſi per legem. diceret etiam: Concupiſcentia nõ erat peccatum, niſi lex diceret: Non concupiſces. Dicens ergo: peccatum non cognoui; concupiſcentiam neſciebam, niſi per legem; aperte ſignificat de lege per Moyſem data ſe loqui, antequam peccatum erat, vtpote contra legem naturaliter inſitam; tamen non cognoſcebatur, niſi per legem datam per Moyſem. Argumentum autem Orig. & Hieron. non videtur robur habere, ſed facile ſoluitur. fatemur enim, ante legem ſcriptam notitiam aliquam præceſſiſſe peccatorum; nouerant enim homines ante Moyſem naturali lumine, ſcelera, & flagitia multa; tamen perfectam peccati cognitionem non ſunt aſſecuti, vt Chryſoſt. Oecumeniuſq. ad hoc idem argumentum reſpondentes annotant. Primo quidem non nouerunt peccata eſſe inobedientiam quandam contra Deum, per eaq. fieri iniuriam ipſi, cuius præcepta, & mandata erant, quæ naturaliter aguouerunt; ſed exiſtimarunt eſſe ſolum actiones contra regulam rationis. Secundo, ignorarunt etiam multa peccata, exiſtimantes licuiſſe illis, quæ omnino vetita erant, vti ſuperius cap. 1. diximus. Tertio ipſam quoque concupiſcentiam interiorem nemo fere nouit eſſe peccatum, & contra legem: idcirco enim Paulus huius exempli meminit. Quarto, ignorarunt etiam pœnam contra peccantes à Deo inflictam, propter quæ omnia Paulus dicit, peccatum non noui, niſi per legem, & concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, non concupiſces; cum enim propter peccata lumen

men naturale ex parte eſſet obfuſcatum in mũdo, & traditio illa Patrum antiquorum ex fide originem habens iam eſſet obliterata, renouauit Deus per legem, peccati, & iuſtitiæ notitiam. Eſt ergo tertia ſententia, quæ legitima videtur Chryſoſt. Oecumen. Theodoreti, quam etiam ſequitur Ambroſ. lib. 1. de Iacob, & vita beata cap. 4. Paulum de lege ſcripta, quæ per Moyſem data eſt, habere ſermonem; vti expoſitum eſt capite etiam tertio ſuperiori; vbi oſtendimus, Paulum de lege loqui ſcripta, etiam quantum ad partem cæremonialem, & iudicialem. per has enim etiam eſt cognitio peccati.

Chryſoſt. Oecumen. Theod. Ambroſ.

Quartum diſcutiendum eſt, quod ſit hoc tempus, quando Paulus neſciuiſſe ſe dicit, Concupiſcentiam eſſe peccatum. Sunt autem tres ſententiæ eædem, quas in proximo dubio retulimus. Omnes quidem fatentur Paulum in communi hominum perſona loqui. Methodius ergo apud Epiphanium, vti retulimus, exiſtimat hoc tempus fuiſſe, quando homo in paradiſo ante mandatum de ligno non comedendo, neſciebat concupiſcentiam ligni eſſe peccatum, quia nondum erat concupiſcentia illa effrænis, & contra legem. Origen. & Hieron. ad tempus infantiæ referunt, quando nondum illuceſcente ratione pueri multa faciunt, dicunt, & appetunt: quæ, ſi ratio in eis vigeret, eſſent peccata; at nondum rationis capaces à peccato excuſantur. Chryſoſt. vero, & cæteri ad tempus ante legem datam referunt, quando vere erant peccata, tamen nõdum agnita perfecte, vti expoſuimus paulo ante. Et re vera prima, & ſecunda ſententia non facile accommodantur verbis Pauli; nam dicit ſe neſciſſe peccatum, donec lex eſſet; ſupponit enim fuiſſe peccatum, ſed ignoratum; non ergo de tempore ante rationis vſum, nec de tempore in paradiſo ante mandatum loquebatur; in quibus non ſolum neſciebatur, ſed nec erat peccatum. tempore autem legis naturalis peccata fuerunt, tamẽ non perfecte agnita, multaq. ignorata, donec lex data fuit. Hæ quatuor reſolutiones ad verba Pauli poſita, & ea, quæ ſequuntur, multum conducunt, vt in eorum expoſitione fiet manifeſtum.

Tempus, quo Paulus dicit ſe ignoraſſe concupiſcentiã eſſe peccatum, quod ſit.

Method.

Orig. Hieron.

Chryſoſt.

Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.

Connectuntur hæc ſuperioribus ad ſententiæ perfectionem. eſtq. ſenſus. Lex data eſt, vt peccatum agnoſceretur. peccatum autem dũ per legem manifeſtatur, accipit occaſionem ex ipſa lege, & mandato efficiendi in homine omnem concupiſcentiam, ſeu cupiditatem peccati; ac ſi clarius diceret: mandatũ non cõcupiſcendi fuit à Deo datũ vt concupiſcentiã agnoſceremus, & vitaremus tãquam malam. hoc aũt mandato, quod datum eſt contra peccatũ, creuit cupiditas peccandi occaſionaliter: nam quæ prohibentur, magis appeti ſolent. ideo peccatum dicitur per mandatum effe-

Digitized by Google

ciſſe omnem concupiſcentiam. Peccatum appellat, in quo homo erat; loquitur enim Paulus de homine nondum liberato per gratiam Chriſti, ſed in ſtatu naturæ, aut legis poſito. huic lex data eſt in peccati cognitionem; peccatum autem, in quo iacebat, ex mandato & lege, accepit occaſionem vehementius prouocandi, & augendi concupiſcentiam. nam quæ expreſſius lege vetantur, eo maiorem ſui excitant cupiditatem occaſione prohibitionis; non quod mandatum ſit peccandi cauſa, ſed occaſio accepta ab ipſo peccato: propterea dicit (occaſione) & rurſus (accepta) ab ipſo peccato. loquitur Paulus de mandato illo (Non concupiſces.) quod tamquam exemplum totius legis poſuit. dicit autem: Omnem concupiſcentiam; alludens ad verbum ipſius mandati, Exod. 20. Non concupiſces rem proximi, non vxorem, non domum, non agrum. Aduerte autem, fuiſſe concupiſcentiam ante legem, tamen lege data, & agnita prohibitione, auctam ac vehementiorem factam eſſe occaſionaliter, vti diximus; bona enim occaſiones malorum eſſe aliquando poſſunt, non ex ſua natura, ſed ex malitia, quæ bono in contrarium abutitur. *Exod. 20.*

ANNOTATIO XI.

Peccatum quod operatur omnem concupiſcentiam quod ſit.

DVæ ſe offerunt difficultates in huius loci explicatione. Vna eſt quod ſit hoc peccatum, quod dicitur operatum eſſe omnem concupiſcentiã in homine, occaſione mandati. In qua ſunt variæ Doctorũ expoſitiones. Prima eſt Method. apud Epiph. hær. 64. de errorib. Orig. qui peccatũ hoc interpretatur diabolũ, qui auctor eſt peccati; & accepta occaſione mandatorũ tentat, & tentauit hominẽ, & induxit in concupiſcentias eorum, quæ ſunt contra legem, & in peccata. Hanc ſecuti ſunt interpretationem Oecumen. & Ambroſius in hoc loco. quamuis Methodius de mandato illo primis hominibus dato; Ambroſ. autem, & Oecumen. de mandatis in lege Moſaica datis loquantur. Hæc interpretatio non accommodatur facile contextui; nam dictum eſt: Peccatum non cognoui, niſi per legem. quod peccatum ſtatim exprimit, dicens: Concupiſcentiam neſciebam niſi lex diceret: Non concupiſces; ſignificare volens Paulus de peccato loqui, quod homo peccat, & quo peccator formaliter exiſtit; his adiunxit, peccatũ operatum eſſe omnẽ concupiſcentiã. De eadẽ ergo peccati ratione totus cõtextus procedit. priora aũt verba duriſſime de diabolo interpretabimur; vt per legem diabolus dictus ſit agnitus. nec exemplũ aptari poterit de cõcupiſcentia. Igitur ſententia hæc poſterior de diabolo non debet intelligi.

Origen. *Oecum.* *Ambroſ.* *Method.*

Secunda expoſitio eſt Anſelmi, qui peccatum interpretatur peccati fomitem. hic fomes eſt cauſa augendi, & multiplicandi concupiſcentiã in homine, occaſione mãdati, & prohibitionis factæ per legem. *Anſel.*

Tertia

Digitized by Google

Chryſoſt. Tertia expoſitio eſt Chryſoſt. qui peccatum interpretatur ſocordiam hominis, & animum eius malum; qui enim ſocors eſt & nequã, occaſionem accipit ex mandato augendi concupiſcentiam. Accedit hæc expoſitio vero Pauli ſenſui plus quam priores, vt ſtatim oſtẽdemus. Adhuc tamen non exprimit mentẽ Pauli. Nam non de ſocordibus ſolis loquitur, ſed de ijs qui ſub peccato ſunt, vt paulo inferius dicemus.

Hiero. Quarta expoſitio videtur inſinuata a Hierony. Epiſt. ad Hedib. q. 8. nempe peccatum eſſe id, quod lege prohibetur; hoc quidem auget concupiſcentiam, dum lege prohibetur; quæ enim prohibentur, eo magis appetuntur. Auget ergo, & operatur concupiſcentiam obiectiue, ſicut cibus prohibitus ipſa prohibitione maiorem ſui ingerit, & excitat cupiditatem, ſed nec hæc expoſitio accommodata videtur; non enim per eam explicatur ſtatus hominis, de quo loquitur Paulus, præterea quia paulo inferius exponens Paulus hoc peccatũ dicit, nõ ego illud operor, ſed quod inhabitat in me peccatum. Igitur ſermo eſt non de peccato, quod antequam fiat, dum prohibetur, concupiſcentiam excitat; ſed de peccato iam perpetrato.

Pro legitimo igitur ſenſu Paulino exponendo, aduertendum eſt, ante legem ſcriptam per Moyſem datam, mundum abundaſſe peccatis, non ſolum quia omnes in peccato nati ſunt, ſed etiam quia ad vſum rationis peruenientes, multa, & innumerabilia ſcelera, & peccata addiderunt, nec viribus naturæ a commiſſis ſe liberare, nec a patrandis abſtinere ſe potuerunt. In hoc ſtatu erat homo in peccato, tamen ignorabat ſtatum ſuum, quia nec grauitatem culpæ, nec qualitatem in multis, vti ſuperius diximus, agnoſcebat. Volens autem Deus mũdum ſanare, & a peccato per filium ſuum liberare, præmiſit legem per Moyſem, vt per eam homo ſtatum ſuum miſerum agnoſceret, & culpæ, ac peccati grauitatem, qualitatemq. intelligeret. hoc enim fecit; lex quæ non fuit medicina peccati, ſed cognitio, & ſignificatio, ac manifeſtatio morbi, & peccati, vt eo cognito conuerteretur homo per fidem ad medicum ſalutis, nempe filium Dei, hominem futurum, cuius aduentu homo in ſanitatis, & medicinæ ſtatu collocaretur.

Differunt ergo hi tres ſtatus; naturæ, legis, Euangelij: ſicut ſtatus infirmi grauiſſimo, & diuturno morbo laborantis, & non cognoſcentis morbum, nec medicinam habẽtis; talis fuit ſtatus naturæ, quantum ex ſe erat. ſtatus infirmi eiuſdem cognoſcentis morbi qualitatẽ, nec habentis medicinam; talis fuit ſtatus legis. ſtatus eiuſdem infirmi cognoſcentis morbum, & habentis medicinam, qua, ſi velit, ſanitatem conſequatur; hic eſt ſtatus Euangelicus. Non quidem in primo, & ſecundo ſtatu defuit medicina ſalutis per fidem tunc Chriſti futuri; ſed id ex diſpenſatione diuina factum eſt, non ratione ſtatuum eorum; pertinet enim ad Euangelium. Inde eſt quod nec per naturam, nec per legem homo ſanari potuit. *Naturæ, legis, & Euãgelij ſtatus differentia.*

Hoc ſuppoſito, attende, Paulum his & ſequentibus ſententijs loqui de homine in primo, & ſecundo ſtatu conſtituto, quem in peccato, in quo natus eſt, & in eis quæ poſtea contraxit voluntate propria, neceſ-

ſe eſt

Digitized by Google

ſe eſt eſſe, habita ratione naturæ, & legis. de priori ergo ſtatu, nempe naturæ, dicitur; Peccatum non cognoui, & concupiſcentiam neſciebam. de poſteriori: Per legem cognoui concupiſcentiam eſſe peccatum. peccatum autem in quo homo erat, quia per legem non eſt ſanatus, ſed nouit morbum, & peccatum: hoc inquam peccatum, quo tenebatur ante legem, & a quo per legem non eſt ſanatus, ex occaſione legis, & mandati in cauſa fuit vt omnis concupiſcentia fieret, ideſt, auxit, & multiplicauit peccata, & peccatorum cõcupiſcentias. nam lex prohibebat multa peccata; homo autem in peccato exiſtens, non habebat vires implendi legem, peccato eas minuente, & regnante in homine, vt non poſſet per ſe prohibita cauere. inde eſt quod a peccato, in quo erat, trahebatur in noua peccata, & in nouas concupiſcẽtias contra legem. peccatum enim niſi deleatur, in noua pertrahit peccata. Et hoc eſt peccatum, quod dicitur operari in homine omnem concupiſcentiam, accepta occaſione ex lege. lex enim prohibens, & præcipiens homini non valenti implere mandata, occaſio potius eſt vt talis homo per peccatum in quo eſt, & quod vires tollit, in noua labatur peccata, quamuis lex non ſit ad hoc inſtituta, Quod Ambroſ. lib. 1. de Iacob, & vita beata cap. 4. recte exponit, dicens. Sicut ei, qui male vtitur noxijs potionibus, cognitio earum in malum vertitur, & periculum, & quo magis venena cognouerit, hoc ſe intelligit amplius periclitari; ſic forma mandati ijs, qui legem interpretantur, vel demonſtrata, atq. interdicta peccata vitare non poſſunt, mortis eſt author. hæc Ambroſ. quod poſtea adhuc magis explanabitur. Hæc mihi videntur de priori difficultate dicenda; de poſteriori vero in ſequenti annotatione tractabitur. *Ambroſ.*

ANNOTATIO XII.

DVas in annotatione præcedenti ex ſuperiori Pauli ſententia propoſuimus difficultates, quarum priori diſcuſſa, poſterior eſt nunc exponenda. ea autem eſt; quæ ſit iſta omnis concupiſcentia, quam peccatum dicitur operatum per mandatum. Chryſoſt. per omnem concupiſcentiam, intelligit augmentũ concupiſcentiæ. ante mandatum enim erat concupiſcentia, poſt hoc tamen aucta eſt, ideo dicitur peccatum operatum eſſe omnem concupiſcentiam. Anſelmus omnem exiſtimat dictam eſſe concupiſcentiam, vt exprimatur generaliter cuiuſq. peccati contra quodcumque mandatum concupiſcentia. peccatum enim, ſub quo homo erat, in cõcupiſcentiam cuiuſque peccati, & tranſgreſſionis induxit, occaſione accepta ex legis mandatis.

Chryſoſt. Concupiſcentia, quam peccatum dicitur operatum per mandatũ quæ ſit. *Anſel.*

Mihi expoſitio legitima ea viſa eſt, vt hæc verba referamus ad vnicum illud mandatum: Non concupiſces. cuius Paulus exempli gratia meminit. in eodem enim perſeuerans exemplo adiecit, peccatum, occaſione accepta huius mandati, induxiſſe hominem in omnem concupiſcentiam. Appellat omnem, quia mandatum hoc plures habet partes; prohibuit enim Deus concupiſcere res proximi, vxorem, agrum,

agrum, domum, & cætera omnia. ideo dicitur induxiſſe nos peccatũ in omnem concupiſcentiam. Dicitur autem peccatum operatum omnem hanc concupiſcentiam, non quod ante legem non extiterit concupiſcentia, ſed quod poſt eam vehementius exarſerit. & in hoc recte dicit Chryſoſt. Quod autem in hoc mandato dictum eſt exempli cauſa, idem intelligere debemus in cęteris mandatis, non ſolum moralibus, ſed etiam cæremonialibus, & iudicialibus, vti in capite tertio diximus; quorum occaſione accepta peccatum vehementius induxit hominem in eorundem tranſgreſſionem. peccatũ non.n. ablatum, nec remiſſum, & fomes manens poſt dimiſſum, in ea, quæ prohibentur, fortius inclinat. Et in hoc vera eſt Anſelmi expoſitio; vno enim exemplo cætera ſignificantur, idcirco lex dicta eſt veteris hominis, quẽ modo peccatum appellat; nã ratione peccati homo dicitur vetus homo.

Chryſoſt. *Anſel.*

Sine lege enim peccatum mortuum erat, ego autem ſine lege viuebam aliquando.

CVr dictum ſit peccatum operatum omnem concupiſcentiam per mandatum, cauſam his, & ſequentibus verbis exponit, ea autem eſt talis: Quia ſine lege peccatum mortuum erat; ego autem, qui aliquando ſine lege eram, viuebam, veniente autem lege, contra factum eſt; peccatum reuixit, & ego mortuus ſum; idcirco dictum eſt, peccatum per legem operatum eſſe omnem peccati concupiſcentiam in me. Loquitur Paulus in perſona hominis nondum per gratiam liberati a peccato. Priorem partem huius cauſæ propoſita verba complectuntur. dicit autem ſine lege ſe aliquando fuiſſe; & tunc vixiſſe; eo nempe tempore, quo nondum lex per Moyſem data erat. tunc homo peccator erat; natus enim erat in peccato, & noua cõmittebat peccata; viuere tamen dicebatur, quia ſe per peccatum ſpiritualiter mori neſciebat; peccatum autẽ in quo erat, dicitur mortuum; tum quia, vti diximus, non agnoſcebatur, tum etiam quia non eas exercuit vires, quas, accedentẽ legis præcepto, & prohibitione, adhibuit. facta namque prohibitione, peccatum, quo ante legem datam tenebatur homo, auxit concupiſcentiam contra mandata; homo enim vetus nititur in vitia, cupitq. ſibi negata, idcirco peccatum dictum eſt per mandatum eſſe operatum omnem concupiſcentiam, & peccatum in homine.

Peccatum quomodo ſine lege dicitur mortuum.

ANNOTATIO XIII.

Qua ratione peccatum ſine lege dicitur mortuum.

DVæ occurrunt difficultates inuicem connexæ: nempe qua ratione peccatum dictum ſit mortuum ſine lege, & quod ſit hoc tempus quãdo mortuum erat, quo quidem tempore Paulus, nomine hominis

minis nondum liberati loquens, ſe ſine lege aliquando vixiſſe affirmat, eſt autem quadruplex expoſitio Doctorum. Prima eſt Methodij apud Epiphan. hæreſ. 64. quam Ambroſ. in præſenti ſequitur, qui peccatum Diabolum exponunt, quamuis differant hi Doctores de tempore, & de cauſa, cur dicatur mortuum; ille enim de tempore innocentiæ interpretatur; & diabolum dici mortuum putat, quia nondum dato mãdato non habebat diabolus quo ad peccandum attraheret. Ambroſ. vero de tempore ante legem Moyſi, poſt lapſum hominis exponit: quo tempore dicit diabolum mortuum, quia ſecurus de poſſeſſione, qua tenebat hominem, parum curabat trahere ad peccandum. hæc expoſitio ſuperius reiecta eſt.

Method. *Ambroſ.*

Theodor. Secunda eſt Theodoreti, qui exiſtimat mortuum dici peccatum, quia nondum erat. hoc autem fuit illo tempore (quamuis Theodoretus non exprimat) quando creatus eſt Adam in gratia, nec mandatum de nõ edendo acceperat. tunc enim ſine lege erat mortuum peccatum, quia nondũ mandato dato non erat tranſgreſſio, nec peccatum. huius ergo hominis gerens perſonam Paulus dicit: Ego ſine lege viuebam aliquando. ſic Theodoretus exponit verbum illud (mortuum) nondum, inquit, exiſtente lege, nondum erat peccatum. Hæc expoſitio, vti ſuperius etiam diximus, non facile accommodatur verbis Pauli; Primo quidem, mortuum, ſupponit vitam præcedentem, peccatum ergo ſi mortuum dicitur, aliquando vixiſſe neceſſe eſt. Secundo id ipſum indicat verbum ſequens, Peccatum reuixit, ego autem mortuus ſum. Tertio, ante mandatum illud de non comedendo, non viuebat homo ſine lege, vt recte contra hanc opinionem Chryſoſt. aduertit, nam Adam creatus eſt cum ipſa lege naturaliter inſita, habuitq. rationis vſum ante mandatum illud, qua ratione diſtinguebat bonum a malo, tenebatur etiam Deo credere, & eum ſupra omnia diligere, ſicut vere credidit, & amauit. non ergo ſine lege viuebat ante mandatum illud. Quarto, quia hoc peccatum, quod dicitur mortuum, dictum eſt operatum in homine omnem concupiſcentiam, legis mandato adueniente; igitur præceſſit peccatum ante mandatum, Hæc autẽ argumenta contra primam etiam expoſitionem militant. *Chryſoſ.*

Origen. *Hieron.* Tertia expoſitio eſt Origenis, & Hieronymi Epiſt. ad Hedib. q. 8. exponunt enim tempus hoc, infantiam ante rationis vſum. tunc enim homo ſine lege viuit, quia rationis ac legis non eſt capax, nec legem actu diſcernit: peccatum autem interpretantur actus, & opera infantiæ, quæ materialiter ſunt peccata; ideſt, ſi adeſſet vſus rationis, illa, quæ infans, & puer facit, peccata eſſent; nam pueri ante rationis vſum aliquando maledicunt patri, percutiunt matrem, & inuicem iraſcuntur, quæ operationes peccata non ſunt, quia nondum illuxit rationis vſus, quo illuceſcente peccata ſunt, ſi ea opera fiant. ideo dicuntur mortua. hoc igitur eſt peccatũ quod dicitur mortuum, & lege, ideſt vſu rationis aduentante reuiuiſcere, & occidere, quia vere peccatum eſt. Hæc expoſitio adhuc non facile accommodatur. nam vti diximus, peccatum non eſt mortuum niſi quod vixit, hæc autem opera nunquam fuerunt peccata. præte-

rea

rea quia hæc non ſunt, quæ operantur omnem concupiſcentiam. præterea quia Paulus loquitur de vero, & formali peccato, actiones autem infantium, & puerulorum rationē peccati non habent, non aliter quā actiones animalium irrationalium, quæ percutiunt, & occidunt homines.

Chryſoſt. Oecumen Ambroſ. Auguſt. Quarta expoſitio eſt Chryſoſt. Oecumen. & Ambroſ. lib. 1. de Iacob. & vita beata, & Aug. lib. 1. contra duas Epiſt. Pelagia. cap. 9. qui exponunt tempus hoc eſſe ante datam legem per Moyſem, tunc homo in peccato ſine lege viuere dictus eſt, quia legem ſcriptam, per quam peccati perfectam cognitionem haberet, nondum acceperat. *Quare peccatum dicitur mortuum* Quare autem peccatum dicatur mortuū, duas adferunt rationes. vna eſt *Chryſoſt. Auguſt.* Chryſoſt. & Aug. quia nempe non agnoſcebatur. vti enim ſuperius diximus, peccauit homo ante legē; tamen peccati cognitionem perfectam non habuit. Ideo ſe viuere exiſtimabat, cum vere mortuus ſpiritualiter eſſet, ideoq. dicitur viuere ſine lege. *Oecume.* Altera eſt Oecumenij, peccatum ſcilicet dici mortuum, non ſolum quia non agnoſcebatur, ſed quia non eas exercebat vires quas exercuit, accedente legis expreſſa, & exacta prohibitione. tunc enim cœpit vehementius concupiſcentiam exagitare in ea, quæ contra legem erant; cumq. per peccatum vires adimplendi legem tunc homini deficerent, in noua, & varia peccata trahebatur, quæ eo erāt grauiora, vt dicit Ambroſ. *Ambr.* quo homo erat maiori prẹditus cognitione, ſeq. Dei legem tranſgredi, eumque iniuria afficere, ac ſe æternæ mortis reum facere ſciebat. Eſt ergo ſenſus Pauli: ante datam legem peccatum quidem erat, quia homo contra rationem agebat, tamē mortuum erat, quia neſciebat homo integram malitiam peccati, ignorās legis Dei ſe eſſe tranſgreſſorem, ipſumq. iniuria afficere, & multa ſibi licere arbitrans, quæ vre non licebant. erat etiam mortuum, quia non eas exercebat vires, vt in noua traheret peccata, ſicut poſtea exercuit, aduentante legis mandato. peccator ergo tunc viuebat quia exiſtimabat ſe non teneri vinculis peccati quibus tenebatur, nec ſe reum eſſe æternæ mortis, ſpiritualiterque mortuum eſſe ſicut vere erat. Hæc eſt quarta expoſitio, quę nobis legitima magis viſa eſt, idcirco eam ſumus in commentario proſecuti.

Sed cum veniſſet mandatum, peccatum reuixit, ego autem mortuus ſum.

CONnexa ſunt antecedentibus hæc verba, & contrariam exponunt partem. ante legem enim peccatum mortuum erat. ego autem viuebam. At adueniente legis mandato contraria euenerunt; nam peccatum reuixit, tum quia agnitum eſt, tum quia maiores exercuit vires; ego autem qui me viuere putabam, quando lex nondum erat, mortuus ſum, quia noui me mortuum eſſe, & reum æternæ mortis factum. rurſus in noua peccata vehementius

lapſus

lapſus ſum, aucta per legem concupiſcentia peccati. vti enim diximus, Paulus loquitur de ſtatu legis remota gratia, quæ non ad legem, ſed ad fidem, & Euangelium pertinet. conſiderato autem præciſe legis ſtatu, ita factum eſt, vt dicit Paulus.

Peccatum quomodo reuixit.

Petet aliquis; quando vixerit peccatum hoc, quod dicitur ante legem mortuum, & poſt legem reuixiſſe? Reſpondeo cum Augſt. lib. 1. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 9. vixiſſe in primo homine peccante. hic nouit peccatum ſuum, ſeq. legis ac mandati diuini tranſgreſſorem agnouit, reumq. mortis æternæ, mortuumque ſpiritualiter, ac per peccatum etiam corporis morti obnoxium intellexit: tempore autem procedente, multiplicatiſq. hominibus, hæc cognitio valde diminuta eſt, nec homo talem habuit ſui cognitionem, cum vere tranſgreſſor, ac in tali ſtatu, in quo Adam fuit, eſſet. idcirco mortuum dicitur peccatum, quod ante vixit; lege autem adueniente reuixit peccatum, ſeq. homo ac ſtatum ſuum agnouit per legem. diſpoſuit enim ſapientiſſimus Deus non ante hominem redimere, quam miſerum ſtatum ſuum intelligeret, qui comparatus erat iumentis inſipientibus & ſimilis illis factus; per legem autem intellectum prius accepit, vt poſtea medicinam per Saluatoris gratiam reciperet.

Et inuentum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.

EAndem proſequitur ſententiam, & eſt ſenſus, cum aduentante mandato ego ſim mortuus, factum eſt, vt mandatum, quod inſtitutum eſt a Deo, vt ego viuerem ipſum implendo, ceſſerit mihi in mortem, dum ego propter meum peccatum in quo eram, illud tranſgreſſus ſum, & vehementius contra illud concupiui. Attende, mandatum ipſum, vt paulo inferius exponitur, per ſe non eſſe cauſam tranſgreſſionis, ſed ipſum peccatum, in quo homo, cui datum eſt mandatum, iacebat, propter quod impotens fuit factus ad implendum mandatum. Attende etiam verbum (inuentum eſt) non enim dicit, factum eſt mandatum ad mortem, quia ipſum mandatum vere fuit ad vitam: ex malitia autem, & peccato hominis proceſſit, vt quod viuificum erat, in mortem cederet. ita Chryſoſt. & Theodoret. hoc verbum exponunt.

Chryſoſt. Theodor.

Nam

Nam peccatum occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit.

CVr mandatum inſtitutum ad vitam ceſſiſſe in mortem dictum ſit, exponit. cauſa autem ea eſt, quia peccatum, quo homo detinebatur, accepit ex ipſo mandato occaſionem ſeducendi hominem, & per illud mandatum, dum in mandati tranſgreſſionem impellit, occidendi. facta enim per mandatum prohibitione, peccatum, in quo homo iacebat, & quod ei dominabatur, ſeduxit hominem, inducens tenebras ignorantiæ practicæ in eius intellectum. omnis enim qui peccat, & legem tranſgreditur, ſibi perſuadet faciendum eſſe malum quod facit, ſub ſpecieq. aliqua apparentis boni trahitur ad peccandum. Et hanc appellat ſeductionem; qua exiſtente, in nouum peccatum, quod mors eſt animæ, & in mandati tranſgreſſionem impellit, & ſic per mandatum occaſionaliter occidit.

Mandatū quomodo inſtitutum ad vitam ceſſit in mortem.

Attende, quamuis homo per vnum peccatum mortuus ſit, tamen quando noua committit, dicitur adhuc mori, quia mortem auget; & quia ſi mortuus non eſſet vel illo moreretur. his enim duabus de cauſis dicitur peccatum lethale, ſeu mortale, etiam illi, qui iam peccatis alijs præcedentibus mortuus eſt.

Attende rurſus, illud (per mandatum) connectendum eſſe cum præcedenti verbo, nempe accepta per mandatum occaſione, non autem cum ſequenti, quaſi diceret; ſeduxit me per mandatum; non enim hic eſt ſenſus, ſed ille, nempe occaſione accepta per mādatum, peccatum me ſeduxit, & per illud occaſionaliter occidit, dum in eius tranſgreſsionem me impulit, & pertraxit. quando autem dicit peccatum accepiſse occaſionem ex mandato, ſeducendi & occidendi, inſinuat ipſum mandatum ex ſe non in mortem inſtitutum eſſe, ſed in vitam, ex peccato autem prouenisſe quod in mortem ceſſerit.

ANNOTATIO XIV.

Method. Ambr.

VTi ſuperius retulimus, Methodius apud Epiphan. hæreſ. 64. & Ambroſ. per peccatum exponunt diabolum. hic eſt qui per mandatum occaſionem accepiſſe, & ſeduxiſſe, ac occidiſſe hominem dicitur. hanc interpretationem ſuperius reiecimus. præter ea autem, quæ iam dicta ſunt, hoc etiā adiungimus, non poſſe hoc verbum ſeducendi exponi de illa ſeductione facta a dæmone in paradiſo. nam ſola

Heua

Digitized by Google

2. Tim. 2 Heua ſeducta fuit, non Adam vt docet Paulus. 1. Thimo. 2. Adam, inquit, non eſt ſeductus, mulier autẽ ſeducta in præuaricatione fuit. Quando ergo dicitur, Seduxit me, non poteſt de illa ſeductione intelligi. Paulus enim in perſona Adæ loquitur, cuius peccato omnes ſunt infecti; mulieris enim peccatum ſoli ſibi nocuit. Eſt igitur ſeductio hæc, vt in commentario expoſuimus, illa ignoratio, & error practicus, qui in omni eo qui peccat, & legem Dei tranſgreditur, reperitur; omnis enim malus eſt ignorãs, & errat, ſeque ipſum decipit, ac ſeducit in ſua mala electione. Peccatum autem dicitur etiam ſeduxiſſe propter concupiſcentiam; per hanc enim peccatum ſeducit hominem; ea enim obiecta apparere facit delectabilia, rationemq. in conſenſum inducit iuxta illud Iacob. 1. Vnuſquiſq. tentatur a propria concupiſcentia abſtractus, & illectus, quam concupiſcentiam peccatum excitat, & auget, occaſione prohibitionis legis accepta.

Peccatũ quomodo ſeducit hominẽ.

Itaque lex quidem ſancta; & mandatum ſanctum, iuſtum, & bonum.

SI mandatum eſt inſtitutum ad vitam, peccatum autem quo homo tenebatur, occaſionem accepit ex mandato occidendi hominem, & impellendi in peccata, recte ſequitur, legem ipſam, & mandatum in ſe irreprehenſibile eſſe, ac bonum, peccatum autem, bona lege, & mandato, in peccatum, & malum abuſum eſt. Verba ſunt attendenda. particula (itaq.) infert ſequentem ſententiam ex ſupra dictis, vti expoſuimus. præterea legem dicit, & mandatum, vnum ab altero diſtinguens: nam lex omnia quæ facienda, atq. cauenda ſunt complectitur; mandatum autem legis pars eſt, qua hoc, vel illud præcipitur. dicuntur autem lex & mandatum ſancta, quia a Deo ſancita ſunt. iuſta dicuntur etiam, quia rationabilia. dicuntur rurſus bona, quia honeſta, & vtilia. propria ergo hominis malitia, ac peccatum, & effrænis concupiſcentia cauſa ſunt mali, dum bona lege, & mandato abutuntur, non autem lex ipſa, aut mandatum.

Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? abſit.

COncludit Paulus, ſi ergo lex & mandatum tale eſt, nempe bonum, & iuſtum, & ſanctum, non eſt profecto ipſum cauſa mortis, quæ per tranſgreſſionem illorum contrahitur; bonum enim non eſt cauſa mali, nec ſanctum eſt cauſa peccati, nec vita cauſa mortis. Vtitur Paulus interrogatione, vt moris eius eſt, ad exprimen-

exprimendam vim negationis, Abſit, inquit, mandatum bonum mihi eſſe cauſam mortis; ſunt enim connexa verba ſuperioribus, ſicut illatio, ſeu conſecutio connectitur antecedenti, bonum eſt mandatum, ergo non eſt ex ſe mortis cauſa, ſed peccatum potius, vt in ſequentibus exponitur.

Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem, vt fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.

DOcuit ex ipſa lege mortem non prouenire, ipſamq. non eſſe cauſam peccati, & mali cauſam nunc apponit, cur nempe lege aduentãte mortuus ſit homo, & ſic cõnectuntur hæc verba ſuperioribus. Abſit, inquit, ideſt, lex ipſa quæ bona eſt, nõ eſt facta mihi mors, nec mortis cauſa, ſed peccatum ipſum, quo homo tenebatur, dum manifeſtatur lege ipſa, quæ bona eſt; per bonum, ideſt per ipſam legem mihi mortem operatum eſt, dum fit ſupra modum peccans peccatum per mandatum; ideſt, dum occaſione mandati in nouas, & maiores prorumpit tranſgreſſiones; peccatum enim in cauſa eſt vt legem datam homo non valeat implere, fiatq. ipſius tranſgreſſor, & hac ratione peccatum fit ſupra modum peccãs peccatum per mandatum. auget enim & accumulat noua peccata. Senſus elarioribus verbis hic eſt; Lex ad hoc data eſt, vt homo agnoſcat peccatũ, & quærat remedium, non ex lege, ſed ex fide Chriſti. dum ergo peccatum per legem manifeſtatur, & notificatur, ipſum peccatum, quo homo tenebatur, cauſa eſt vt eandem legem homo tranſgrediatur, & ſic fit ſupra modum peccans peccatum, & in noua impellit, ac grauiora peccata, legis occaſione; tum quia prohibitione augetur concupiſcentia; tum quia grauius fit peccatum, aucta cognitione per legem; minus enim peccatur, quando lex ignoratur; tum demum quia lex multorum prohibitionem, ac præcepta attulit, quæ ante non erant prohibita, nec præcepta: dum autem non attulit uires implendi, auctæ ſunt tranſgreſſiones: quod patet in lege quantum ad partem cæremonialẽ, & iudicialem. mors ergo, & peccata, quæ fiũt aduẽtãte lege, non ab ipſa lege per ſe procedunt, ſed a peccato quo tenebatur homo, quo non ablato, homo in legis maiores, & plures incidit tranſgreſſiones. Illud (peccans peccatum) totum eſt in nominandi caſu. dicitur autem peccatum peccans, ideſt peccatum multiplicatum & abundans, quod in alia & alia facit prorumpere peccata, vt in annotatione una cum cæteris magis exponemus.

Lex data eſt, vt homo agnoſcat peccatũ, & quærat remedium, non ex lege, ſed ex fide Chriſti

ANNOTATIO XV.

Method. MEthodius apud Epiphanium, & cæteri quos ſuperius citauimus, per peccatum hoc diabolum exponunt, ſicut etiam in ſuperioribus ſententijs. quam expoſitionem ſupra repulimus. Aduertendum autem eſt, quantum ad lectionem ſpectat, *August.* Aug. lib. 1. qq. ad Smpli. q. 1. legere ſic (vt fiat ſupra modum peccator aut peccatum) lib. vero 13. Ciui. cap. 5. legit (ſupra modum peccans peccatum) prior lectio corrupta eſt; ſine diſiunctione enim legitur Græce peccans peccatum. Hoc tamen verum eſt, illud (peccans) Græce haberi Ἁμαρτωλὸς, ideſt peccator, & eſt coniunctum cum verbo (peccatum) quaſi peccatum ipſum factum ſit peccator, quod Latine rectius dicitur (peccans) non quidem participium, ſed verbale nomen: nam peccatum Græce eſt fęminini generis, peccans autem maſculini, ideo participium eſſe nō poteſt; diſcordaret enim in genere. quamuis aliqui loco fęminini poſitum cenſent; rectius tamen exponitur, ſi nomen verbale ſit ſignificans actionem peccandi, diciturq. peccatum eſſe peccās, quia peccatum, quo homo tenebatur legis occaſione, in alia multa prorupit peccata, ideo dicitur peccans nominaliter, nam nomen frequentiam actionis ſignificat. fieri ergo peccatſi ſupra modum peccās, eſt cauſam eſſe multorum peccatorum, ſicque exponit Grego. Nazi. in Apolog. ad patrē, *Gregor. Nazi.* & idem ſentit Aug. lib. 1. qq. ad Simpli. q. 1. interpretatur enim hoc idē ſignificare, ac peccata abundaſſe, ſimiliter etiam lib. 13. Ciui. cap. 5. Ambroſ. vero lib. 1. de Iob. cap. 4. exponit hoc dictum eſſe, quia grauius factum eſt peccatum propter legem: nam ex ſcientia procedebat. peccatum autem ex ſcientia, cęteris paribus grauius eſt peccato ex ignorantia. quæ expoſitio magis refertur ad illud verbum (ſupra modum) non ſolum enim peccatum factum eſt peccaminoſum, & multiplicatū propter legem aucta concupiſcentia, ſed etiam ſupra modum, quia grauior erat culpa ex legis contemptu. Aduertendum adhuc eſt, illud (per bonum) poſſe connecti cum antecedenti, nempe vt appareat peccatum per bonum, ideſt, per bonam legem; poſſe etiam connecti ſequenti, nempe peccatum, dum apparet, & notificatur, ſupple per legē, operatum eſt per bonum, ſcilicet legem ipſam quæ bona eſt, mortem, & hic ſenſus eſt accommodatior.

Peccatum quomodo fiat ſupra modum peccans per legē.

Scimus enim quia lex ſpiritalis eſt, ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato.

DIxerat legem non eſſe cauſam mortis, ſed peccatum, dum lege manifeſtatur. huius rationem exponit, nempe quia lex ſpiritualis eſt, i. ad ea quę ſpiritus ſunt, & ad virtutes ac honeſta exhortatur, a vitijsq. contrarijs remouet, & quomodo ſecundum ſpiritū, ac rectam rationem, & ſecundum Deum viuendum ſit, docet. At ego, ideſt homo ante legem, & ſub lege poſitus carnalis ſum; ideſt, viuens

Lex non dicitur cauſa mortis ſed peccatum lege manifeſtatum.

viuens ſecundum carnem, & ea ſequens, quæ ſenſibus, & appetitui placent, vt pote traditus peccati imperio. Igitur non lex ipſa eſt mortis cauſa, ſed homo ipſe ſubditus peccato, & in quo peccatum dominatur. hinc enim procedit vt acceptam legem bonam, & magiſtram virtutis in occaſionem conuertat amplius peccandi, donec a dominio peccati liberetur: non quidem per legem, ſed per fidem Chriſti; ſicut infirmo, ac febricitanti cibus ex ſe bonus & ſanus, nocet; non quidem per ſe, ſed ratione infirmitatis qua detinetur; qua ablata per medicinam, cibus ille multum prodeſt. ſicut etiam lux lippis nocet propter ipſorum oculorum malitiam; cum lux ſit bona in ſe, & vtilis; reiecta autem lippitudine placet, & proficua eſt, ita ſe habet lex ad carnalem hominem, in quo peccatum dominatur. Appellat Paulus carnalem eum, qui ſecundum carnem viuit, non rationem, ſed ſenſuum appetitum ſequens, de quo dixerat cap. 8. Si ſecundum carnem vixeritis moriemini. & iterum: Qui ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt; qui vero ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſpiritus ſunt ſapiunt. Appellat etiam venundatum ſub peccato eum, in quo dominatur peccatum, de quo ſupra cap. 6. Peccatum non dominabitur in vobis: non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. & iterum: non regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Loquitur autem Paulus in perſona hominis ante legem, & ſub lege, vt annotat Chryſoſt. & ſuperius expoſuimus; in neutro enim ſtatu liberatus eſt a peccato, nec ratione legis, nec ratione operum legis, fides enim ad Euangelium pertinet.

Nota exẽplum de febricitante, & lippo.

Rom. 6.

Chryſoſt.

ANNOTATIO XVI.

Auguſt.

AVg. lib. 1. contra duas Epiſtol. Pelag. cap. 10. in ſua perſeuerans expoſitione, hæc interpretatur non de homine in ſtatu legis, aut ante legẽ, ſed de homine in ſtatu gratiæ ante reſurrectionem, & integrã redẽptionem corporis, vt ſuperius annotatione 10. retulimus. Verba ergo hæc de iuſtis exponit, iuſtum autẽ carnalem, & venundatum ſub peccato dictum eſſe interpretatur, quia adhuc nondum eſt conſecutus perfectam corporis redemptionem, patiturq. carnis rebellionem contra Spiritum ex præcedẽti hominis primi peccato procedentem. quam ſententiam cõfirmat verbo illo præſenti (carnalis ſum.) ſi enim, inquit, Paulus de ſtatu legis, aut ante legẽ loqueretur, diceret (carnalis fui,) Hoc tamen argumentum parum efficax eſt. nam ſtatus illos conſiderans tamquam de præſentibus loquitur. quod autem iuſtus carnalis dicatur, & ſub peccato venundatus, valde violenta eſt expoſitio, & aliena a phraſi Pauli. Idcirco cũ Chryſoſt. & communi ſententia de homine in peccato ante legem, & ſub lege poſito, nõdum per fidem Chriſti

Iuſtus quomodo dicitur carnalis venundatus ſub peccato.

Chryſoſt.

Digitized by Google

liberato expoſuimus. hoc enim eſt quod Paulus nunc diſcutit, vt doceat, iuſtitiam nec ex lege, nec ex operibus legis eſſe.

Vnum tamen ſupereſt hoc in loco conſiderandum; quomodo nempe homo venditus ſub peccato dictus ſit, vbi enim venditio, ibi emptio, ibi pretium ſunt. *Auguſt.* Aug. lib. 7. qq. ſuper lib. Iudi. cap. 17. adnotat verbum vendendi in Scriptura non ſolum venditionem, vbi pretium intercedit, ſed etiam aliquando donationem, & traditionem ſignificare. Et id verum eſt; Verbum enim Hebræum מכר machar vendere, & tradere ſignificat, quamuis propria eius ſignificatio ſit vendendi. In loco autem præſenti verbum vendendi propriam tenet ſignificationem; homo enim venditus eſt ſub peccato; ipſe namq. ſe vendidit diabolo, a quo pretium accepit; peccata enim, & voluptates peccatorũ pretium ſunt dæmonis. vt recte expoſuit Orig. hom. 6. in Exod. & ſic Anſelmus hunc Pauli locum expoſuit. Attende autem, Græce eſſe in accuſandi caſu, nempe venũdatus in peccatum, id eſt ſeruus factus, & venditus, vt in noua peccata prorumpat; qui enim peccauit, ſeruus factus eſt, vt in peccatis ſeruiat, & in peccata prolabatur, niſi per fidem Chriſti a peccato iuſtificatus, a ſeruitute tali eripiatur, & in filiorum libertatem transferatur.

Homo dicitur venũdatus ſub peccato, quia propter voluptatem vẽdidit ſe Diabolo. *Origen.*

Quod enim operor, non intelligo.

PRobationem adnectit vtriuſq. dicti, nimirum quod lex ſit ſpiritalis & bona, homo autem carnalis, & venundatus ſub peccato. ſenſus eſt; facio opera, quæ iudico mente & intellectu non eſſe facienda; video & agnoſco eſſe malum quod facio, & me non debere tale facere, fateor, & tamen facio, & operor illud. hæc ſeruitus eſt peccati, ſicut enim ſeruus non quæ ſibi facienda videntur, ſed quæ dominus imperat, facit, ita peccator, non quæ ratio dictat, ſed quæ appetitus peccati poſtulat, exequitur. Attende, illud (non intelligo) ſeu (non agnoſco) idem ſignificare ac mente non approbo, & facienda non eſſe iudico. Idem eſt ſenſus, horum verborum, & illorum;

Seruitus peccati q̃ ſit.

Video meliora, proboq.,
Deteriora ſequor.

ANNOTATIO XVII.

VArie ſuperior ſententia exponitur a Doctoribus: quamuis enim in connexione cõueniãt, in expoſitione tamẽ diſcordãt. *Aug.* Aug. lib. 1. cõt. Epiſt. Pelag. cap. 10. oĩa hæc verba, totũq. contextũ de iuſtis hominibus exponẽs, hãc ſentẽtiam ſic interpretatur. opus enim hoc exponit motus concupiſcentiæ inuoluntarios, quos iuſtus patitur; eos autẽ ſe non intelligere dicit, quia non cõſentit eis. Eſt ergo ſenſus. Moueor concupiſcentijs illicitis, & in malũ tendentibus, quibus ratio mea non

Peccator quomodo dicitur nõ agnoſcere quod facit quando peccat.

Digitized by Google

non conſentit; hæ autem concupiſcentię ex peccato procedunt, quod in eam corruptionem hominem a Deo perfecte creatum impulit, a qua non ſanabitur iuſtus niſi per reſurrectionem.

Chryſoſt. Chryſoſt. aliter interpretatur. opus enim hoc exponit, non de inuoluntaria concupiſcentia, ſed de opere malo perpetrato a peccato. putat enim, vti ſuperius diximus, Paulum in perſona peccatoris omnia hæc proferre verba. dicitur autem peccator, quando malum operatur, non intelligere quod facit, nō quod ignoret malum id eſſe, ſed quia quibus vijs, & modis deceptus ſit, vt peccatum operetur, non noſcit.

Theodor. Theodoret. conuenit cum Chryſoſt. in exponendo opere; verbum tamē (non intelligo) aliter interpretatur; nimirum quia qui peccat, malitiæ peccati perfectam cognitionem non habet.

Method. Methodius apud Epiphan. hær. 62. ſic videtur exponere, vt dicatur nō intelligere quod operatur, quia ſæpe nobis bona facientibus inſinceræ, & illicitarum rerū cogitationes obrepunt, etiam nobis nolentibus; putat enim in perſona iuſtorum hæc verba eſſe prolata, opusq. hoc eſſe bonum. iuſtus autē dum bona facit, patitur aliquando cogitationes mentis vanas, turpes, & inhoneſtas contra propriam voluntatem; & idcirco dicitur operari quod non intelligit.

Anſel. Anſel. aliter exponit illud (non intelligo) nempe; operor, quæ nō intelligo; in regulis enim diuinorū præceptorum non inuenio quæ cōcupiſcentia mea appetit. Aliqui cū Chryſoſt. de opere malo exponunt; illud autem non intelligere, ad volūtatem referunt, vt ſit ſenſus, facio quæ non approbo, nec volo.

Longum eſſet cōtra ſingulas expoſitiones haſce diſputare velle. Mihi omnium probabiliſſima, & contextui accommodata videtur, vt opus hoc ſit peccatum, quod peccator, in cuius perſona loquitur Paulus, committit. dicitur autem non agnoſcere, nec intelligere, quia ſpeculatiuæ ratione iudicat non eſſe faciendum; hæc enim eſt magna ſeruitus peccati, vt dum homo peccato inhæret, contra proprium iudicium & ſcientiam, feratur in malū, & faciat opera, quæ mente & intellectu ſuo damnat. vt in commentario expoſuimus, & ex ijs quæ ſequuntur, magis hæc expoſitio confirmatur. *Seruitus peccati quomodo explicatur.*

Non enim quod volo bonum, hoc ago; ſed quod odi malum, illud facio.

PRobat ſe operari, quæ mente reprobat. probatio autem ſumitur ex voluntatis actu; non enim, inquit, facio bonum quod vellem, ſed potius malum quod nollem me facere, ergo neceſſe eſt me mente cognoſcere, & iudicare malum eſſe quod facio, & bonum eſſe quod vellem facere, & non facio. Bonum appellat legem implere, & ſecundum rationem operari; malum autem eius tranſgreſſionem. talis eſt ſtatus peccatoris gratia deſtituti; non enim ita naturali cognitione deſtitutus eſt, quin cognoſcat malum, & *Peccator quare non eſt dignus excuſatione peccans.*

bonum in multis actionibus moralibus, ſecundum legem inſitam a natura, nec ita viribus orbatus, quin aliquam imperfectam voluntatem habeat circa bonum, & legis complementum, quam nequit perficere. de hac enim voluntate loquitur, quando dicit; non ago quod bonum volo; ideſt, quod vellem facere, ſed ago quod odi, ideſt quod nollem me facere; abſolute tamen vult facere malum, & non vult facere bonum. niſi enim voluntas eſſet, opus non ſequeretur. ſimilis eſt voluntas mercatoris, tempore tempeſtatis proijcientis merces in mare. hic enim vult proijcere, tamen nollet; vellet etiam retinere, tamen abſolute non vult. vna abſoluta, altera imperfecta voluntas eſt; opus autem abſolutam ſequitur voluntatem. ita peccator tractus voluntate, abſolute vult facere malum, quod facere nollet. rurſus, abſolute non vult facere bonum, quod facere vellet, non autem vellet, aut nollet, quamuis imperfecte, niſi mente iudicaret vnum eſſe faciendum, alterum vero vitandum.

ANNOTATIO XVIII.

GRæce non habetur illud (bonum) nec illud (malum) ſed ſenſus idem eſt, vt ex ſimilibus verbis paulo inferius repetitis cōſtat, in quibus opponuntur hæ voces (bonum, & malum) *Hieron.* Hiero. epiſt. ad Cteſiphon. aduerſus Pelagia. legit ſicut Græce habetur. Varia autem eſt ſuperioris ſententiæ expoſitio apud Doctores. *Aug.* Primo loco Aug. lib. 1. contra Epiſt. Pelagian. cap. 10. in ſua perſeuerans ſententia, nimirum Paulum loqui in perſona iuſtorum nōdum reſurrectionis gratiam aſſecutorum, hæc verba ſic exponit, vt Paulus per malum hoc quod odit, & facit, ſignificet concupiſcentiam, quam iuſtus inuoluntarie patitur; concupiſcit enim caro contra ſpiritum, iuſto ipſo nolente, & odio habente concupiſcentiam, eiq. refragante. per bonum autem, quod iuſtus non agit, cum tamen velit, ſignificantur bona opera ſine concupiſcentia repugnante; vellet enim iuſtus ita ſpiritu in bonum ferri, vt caro aduerſus eum non pugnaret: hoc tamen bonum in hoc ſæculo non agit. hæc eſt expoſitio Aug. cui conſentit Anſelmus. *Anſel.*

Peccator quomodo itelligitur facere malum, quod odit, & non facere bonū quod vellet.

Method. Secundo loco Methodius apud Epipha. hær. 64. aliter interpretatur, conuenit quidem cum Auguſt. hanc ſcilicet ſententiam in perſona iuſtorum eſſe dictam; tamen hoc malum, quod nolens agit, exponit cogitationes non ſinceras, quæ occurrunt bene operanti, & quas impedire liberum illi non eſt; bonum autem quod vellet, eſt bene operari, repulſis & reiectis huiuſmodi cogitationibus. ſolum differt hæc expoſitio à prima in hoc, quod Aug. malum, concupiſcentias inſurgentes contra rationem exponit, Methodius autem cogitationes inſinceras, & a ratione abſonas.

Caſſian. Tertio loco, Caſſianus colla. 23. cap. 15.

Digitized by Google

cap. 15. refert expoſitionem Abbatis Theonis, qui bonum quod Paulus ſe velle dicit, diuinam contemplationem interpretatur, à qua rerum corporalium occupatio, & neceſſariorum corporis cura mentẽ ſæpe diuertit; & hanc occupationem malum appellat, non quod peccatum ſit, ſed quod propter peccatum nobis prouenerit. ſecundum hanc expoſitionem, Paulus in perſona iuſtorum loquitur, & in hoc conſentiens eſt cũ prima, & ſecũda.

Oecum. Quarto loco Oecumen. hanc ſententiam in perſona peccatoris prolatam a Paulo affirmans, ſic interpretatur, non ago bonum, quod quando liber & ſine peccato eram volebam: facio autem malum, quod cum a peccato liber eram, odio habebam. aut ſic, non ago bonum quando in peccato ſum, quod a peccato liber volo; facio autem malum, quod cum a peccato liber ſum, odio habeo.

Chryſoſ. Theodor. Quinto loco Chryſoſt. & Theodoret. aliter exponunt, conueniunt quidem cum præcedenti ſententia, Paulum loqui in perſona peccatoris, tamen voluntatem hanc, & odiũ interpretantur de voluntatis propoſito, cui opus non reſpondet: ſæpe enim peccator proponit ſibi facere aliquod bonum, quod, deficientibus viribus ad reſiſtendum tentationi, & ad opus perficiendum, non facit, ſed potius contrarium quod non propoſuit. hoc eſt quod dicitur, non ago bonum, quod volo, ſed malum, quod odio habeo. Huic expoſitioni eadem fere eſt, aut valde proxima noſtra, quam in commentario ſumus ſecuti. Has enim voluntates exponimus imperfectas voluntates; peccator enim vellet aliquando caſte, aut iuſte viuere, aut aliqua bona perficere, quæ tamen non poteſt facere propter peccatum: fertur etiam in peccata quæ nollet facere. trahitur ergo in peccatum, & auertitur a bono, nolens malum, & volens bonum, voluntate quidem imperfecta, non tamen a culpa excuſatur. nam diuino auxilio poteſt a peccato liberari, & facere bonum quod vellet, & cauere malum quod odio habet.

Hac ratione ſoluitur argumentũ Methodij opponentis libertatem arbitrij; dicimus enim peccare hominẽm, faciendo malum quod nollet, quia etiamſi vires non habeat propter peccatum, poteſt eas habere in Chriſto & per Chriſtum, a quo a peccato liberatur. Omnino peccatum cauere omne non poteſt, vitio tamen, & culpa propria ſua. *Homo cur peccat faciendo malum quod odit.* Ita hunc locum Baſilius interpretatur in lib. Mora. reg. 23. cap. 1. probans hiſce verbis, peccatorem, dum in peccato eſt, trahi in noua peccata. *Baſil.* Eſſe autem in peccante huiuſmodi velleitates, & voluntates imperfectas aliquas, experientia probat; an tamen, ſine auxilio ſpeciali fieri poſſint, in controuerſia eſt. nemo tamen negat, ſine gratia, & cum ipſo peccato eſſe poſſe. poſſunt etiam aliquando cum auxilio generali elici; non enim vires arbitrij in totum defecerunt propter peccatum, quin aliquod morale bonum, & aliquam imperfectam voluntatem circa bonum exercere valeat, vt paulo inferius adhuc explicabimus. Hanc puto eſſe legitimam expoſitionem, & contextui accommodatiorem.

Si autem quod nolo, illud facio, conſentio legi, quoniam bona eſt.

EX præcedenti ſententia infert duo illa ſuperiora, quæ probanda ſuſcepit, nempe legem ſpiritualem, hominem autem carnalem & ſub peccato eſse. pro priori, nempe lege, ſic argumentatur; dicens, peccatorem, dum facit quod nollet malum, eo ipſo conſentire, & confiteri legem eſse bonam; non enim alia de cauſa nollet facere, quod facit, niſi quia malum eſt quod facit; ſi autem malum eſt, idcirco malum eſt, quia contra legem eſt; eſt ergo lex bona; quia enim lex bona eſt, propterea malum eſt, quod contra eam eſt, & ideo peccator id agens nollet facere. v. g. peccator voluptate tractus fornicatur, nolens fornicari, quia mente iudicat id malum eſse & peccatum; ergo eo ipſo, quo nollet facere, quia malum eſt, fatetur & approbat bonam eſse legem, quæ prohibet fornicationem. Illud (quoniam) non cauſæ, ſed declarationis particula eſt. Attende, ex vtraq. parte ſuperioris ſententiæ colligi, legem eſse bonam; ſi enim peccator ex vna parte facit, quod ex altera nollet, hoc ipſo quod nollet facere, confirmat ſe malum facere, & ex conſequenti legem eſse bonam, quam tranſgreditur. ſimiliter dum non facit bonum quod vellet facere, confirmat etiam legem eſse bonam, non enim vellet facere, quod non facit, niſi quia bonum eſt, & ex conſequenti lex, quæ illud præcipit, bona eſt; hæ enim voluntates imperfecte volendi, & nolendi facere, approbationes ſunt, legem præcipientem bonum, & prohibentem malum eſse bonam.

Peccator quomodo affirmet legem eſſe bonam dum facit contra legem.

Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum.

INfert alterum ex illis duobus, nempe venundatum eſse hominem ſub peccato, ac carnalem eſse, ideoq. peccatum ei eſse mortis cauſam, non autem legem ex ſe ipſa, quæ bona eſt. eſt ergo ſenſus. nunc autem, ideſt, quando facio quod nolo malum; non ſum ego qui operor illud, nam nollem facere, ſed peccatum in me habitans, cui venditus ſum tamquam domino, operatur illud malum; ideſt, peccatum, & malum quod nolens homo facit, non ex natura ipſa procedit, quæ bona eſt, ſed ex peccato, quo tenetur homo. hoc enim facit vt homo in noua peccata prolabatur etiam nolens.

Peccatum quomodo procedit non à nā ſed à carne vitiata.

Digitized by Google

nolens. Duo igitur deducit Paulus ex illa ſententia, Facio malum, quod nolo. Vnum eſt, me conſentire, & confiteri legem eſſe bonam. Alterum eſt, peccatum, quod nolens facio, non ex natura ipſa prouenire, ſed ex peccato, quod ita vitiauit naturam, & debilitauit eam, quam Deus perfectam creauit, vt nequeat reſiſtere peccatis, & legis tranſgreſſionibus, donec ab ipſo peccato liberetur, & in priſtinum ſtatum, in quo creata eſt, reuocetur. Senſus ergo eſt, non homo à Deo creatus, ſed vetus homo peccato infectus eſt, qui eſt cauſa peccati, quod nolens, & inuitus facio, donec, depoſito veteri, nouum induam. non ergo Paulus ſignificat hominem non facere malum, ſed docet impotentiã illam faciendi bonũ, & cauendi à malo procedere, non ex natura ipſa, quam à Deo accepit, nec ex ratione, ſed ex peccato, & carne vitiata peccato, quo detinetur.

ANNOTATIO XIX.

Auguſt.

EAdem eſt expoſitionum varietas in hac ſententia, quæ fuit in ſuperioribus. Auguſt. enim lib. 1. con. epiſt. Pelag. cap. 10. & 11. ad ſtatum iuſtorum refert illud (nunc) nempe quãdo per Euangelium homo liberatus eſt à concupiſcentia, quæ peccatum appellatur, quia ex peccato, & peccati cauſa eſt; ipſa eſt enim, quæ peccatum & malum operatur. Alij ad diabolum referunt, vti ſuperius diximus. Nos tamen communem interpretationem ſequentes, & omnia hæc ad ſtatum purum legis, & ad peccatorem referentes, exponimus peccatum, in quo natus eſt homo, & quo detinetur, cauſam eſſe vt in ea labatur, quæ nolens facit: ſimiliter qui committit peccatum poſt gratiam acceptam, in eum ſe reducit ſtatum, vt vires non habeat faciendi bona, & cauendi mala, ſed operatur quæ nollet mala, & omittit, quæ vellet bona, donec à peccato liberetur. Paulus ergo ſtatum veteris hominis, in quo naſcimur, deſcribit; oſtendens à lege non acceptum eſſe remedium, ſed adhuc impotentem, & infirmum manſiſſe, donec per Chriſtum liberaretur. ideo dicit ſe facere quod nollet malum. & non legem, quæ bona eſt, ſed peccatum, quo detinetur, & à quo per legẽ non liberatur, cauſam eſſe huius mali, à quo Chriſtus nos liberauit.

cur homo operetur, quę nollet mala.

Scio enim, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum. nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.

COnfirmat, & declarat in ſe habitare peccatum. Scio, inquit, in me .i. in carne mea, non habitare bonũ, ideſt, in parte ſenſuali,

Digitized by Google

ſuali, non eſſe quod ad bonum faciendum inducat, ſed quod potius ad malum faciendum impellat, & à bono exequendo retrahat: cum enim duæ ſint hominis partes, rationalis, & ſenſualis, quæ caro dicitur; rationalis quidem vellet facere bonum, ſenſualis tamen impedit, & perficere ac complere, quod rationalis vellet, non ſinit. Velle ergo bonum mihi adiacet, ſecundum ſuperiorem partem; at perficere propter carnem, & concupiſcentiam, eiuſq. perturbationes inſurgentes non valeo. Attende, Paulum probare, in carne bonum non habitare; quia velle adiacet ſibi, non autem perficere. ſi in ratione habitaſſet malum, non reperiretur in ea velle bonum. malum ergo in carne eſt, quæ quod ratio vellet, perficere impedit.

Malum quo in carne, & bonum in voluntate.

Obijcies duo: Vnum eſt; peccatum non eſſe niſi in parte rationali; quomodo ergo dicitur habitare in carne? Reſpondeo, quamuis peccatum ſit in parte rationali; tamen, quantum ad effectum, magis in carne reſidet; nam ita vitiauit ſenſitiuam partem, vt in rationem vehementiſſime inſurgat, eiq. dominetur, niſi gratia ratio iuuetur. propterea dicit Paulus, in carne habitare peccatum, quod perficere bonum non ſinit. Alterum eſt, poſſet aliquis dicere, non perficere bonum, non prouenire ex carne, ſed ex ratione ipſa, quæ debilitata eſt propter peccatum, vt quamuis bonum velit imperfecta voluntate, nequeat tamen abſolute illud perficere. Reſpondeo ita eſſe; peccatum enim adeo infirmam fecit rationalem partem, vt nequeat per ſe, ſuaſq. vires naturales bonum abſolute velle, illudq. ſemper perficere, & opere complere, etiamſi caro non contradiceret. tamen, quia ex peccato ſenſitiua pars plus eſt corrupta, quæ inobediens facta eſt rationi etiam in ijs, quæ ratio poteſt (non enim omnes ſuas vires amiſit ratio per peccatum) ipſa etiam ſenſitiua pars eſt, quæ vehementius pertrahit in peccatum, & peccatum per eam fortius vincit, & homini dominatur. ideo Paulus huius partis meminit.

ANNOTATIO XX.

Haec etiam verba, ſicut & ſuperiora varie exponuntur. aliqui enim in perſona iuſtorum, aliqui in perſona peccatorum dicta cenſent, vt ſuperius retulimus; illud enim (perficere bonum) exponunt illi de bono, quod fit non reluctante carne, quodq. iuſti in hoc ſeculo non faciunt. vnde Aug. lib. 3. contra Iulian. cap. 25. hunc locum exponens dicit. Sicut carnis deſideria non perficiuntur, Gal. 5. quando non

Auguſt.

Gal. 5.

do non

Digitized by Google

do non accedit rationis conſenſus, ſed ratio reluctatur, ita nec bonum rationis perficitur, dum in hac vita fit cum concupiſcentiæ reluctantia. hæc Auguſt. Contra eum tamen eſt locus. Philip. 2. Cum metu, inquit, & tremore veſtram ſalutem operamini. Vbi habetur idem verbum Græcum, ac ſi diceret, veſtram ſalutem perficite. Iuſtus ergo perficit in hoc ſeculo bonum. Paulus ergo appellat bonum perfici, quando completur opere, & abſoluta voluntate, & non ſola imperfecta voluntate, & deſiderio appetitur. poſſe autem peccatorem etiam ſine gratia velle aliquod bonum voluntate imperfecta, quod perficere ſine gratia nō poteſt, ſuperius diximus, & experientia conſtat; peccatores enim deſiderant bene viuere, caſte agere, & alia quæ in peccato complere non poſſunt; impediente & vires minuente peccato, maxime per carnis, & ſenſus reluctantiam.

Philip. 2.

Non enim quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum hoc ago, ſi autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.

ITerum repetit ſuperiora verba, expreſſis illis verbis duobus (bonum & malum) cauſam adnectens cur dictum ſit; velle adiacere ſibi, non autem ſe inuenire perficere bonum; hæc enim tam diſertis & repetitis verbis Paulus docet, vt legem bonam eſſe, nec inde peccatum prouenire, ſtatuat. Simul etiam vt neceſſitatem liberationis à peccato manifeſtet; quod adhuc lege data ita homini dominatum eſt, vt eum impotentem, ac imbecillem adhuc efficeret ad bonum perficiendum, & malum cauendum, donec Chriſti gratia eius dominium ablatum eſt; tantæq. ſunt vires homini redditæ, vt poſſit concupiſcentiæ, & omni peccati oppugnationi reſiſtere, ac bonum quodq. perficere, quæ quidem ante non poterat.

Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet.

INfert ex præcedentibus: Inuenio, inquit, legem mihi bonum facere volenti, exponit quam legem inueniat; nempe, quoniam mihi malum adiacet; ideſt, legem malam & aduerſariam bono, quæ me bonum facete volentem impediat, & à bono retrahat, nec id perficere ſinat. Lex hæc eſt carnis concupiſcentia impellens in malum, & contra legem Dei, & retrahens à bono, quod eſt ſecundum legem mentis, & Dei. Particula (quoniam) declarationis eſſe poteſt, & cauſæ; ac ſi diceret: ex hoc quod mihi, & in carne

Nota legē concupiſcentiæ & peccati.

Digitized by Google

carne mea malum adiacet, legem & impulſum quendam in malum habeo, qui, quando volo bonum facere, me à bono exequendo retrahit. Aut etiam exponere poſſumus per modum declarationis, ſic; legem habeo, nempe, malum adiacens mihi in carne, quæ lex volenti bonum facere contradicit. Siue hoc, ſiue illo modo exponas, ſenſus idem eſt. Illud verbum (inuenio) inſinuat idem, ac ſi diceret: quando bonum volo facere, ecce experior in me, & mihi præſto eſt, & adeſt noua alia lex, opponens ſe mihi; quæ lex adeſt, quia mihi malum adiacet, & in carne mea non habitat bonum; eſt enim effectus peccati. Recte autem dicitur (volenti mihi facere bonum) id eſt, quando bonum volo facere; tunc enim maxime inſurgit, percipitur, & agnoſcitur lex carnis, quando ratio in ea, quæ legis Dei ſunt, intendere nititur. Habet autem vim ablatiui abſoluti illud (volenti mihi facere bonum) apud Græcos; ac ſi diceret: volente me bonum facere, ideſt, quando volo bonum facere, & ſequi quæ legis ſunt. quamuis Latinus ſermo non admittat ablatiuum abſolutum in hac locutione, propter identitatem perſonæ verbi (inuenio.)

ANNOTATIO XXI.

SVperior ſententia expoſitores multum torſit, vt verum eius attingerent ſenſum. Varie autem exponitur. Primo loco Origen. putat verba ſic eſſe inuertenda. *Origen.* Quoniam igitur volenti mihi bonum facere, adiacet malum; inuenio legem Dei, & condelector illi. hæc expoſitio violenta eſt, nec accommodatur verbis, nec contextui. Secundo loco idem Orig. obſcuram fatetur ſententiam eſſe, ſic tamen interpretatur: Inuenio legem, nempe Dei, mihi bonum facere volenti, patrocinantem, & fauentem. nam præcipit quod vellem ego facere; interea tamen mihi malum adiacet. Hæc etiam expoſitio non caret violentia. Tertio loco Photius apud *Phot.* Oecum. ſic interpretatur: Inuenio legem, & cognoſco, quod lex ſit mihi volenti bonum, tamen non aliud ex lege beneficiũ habeo, quia mihi malum adiacet, nec bonus efficior ex lege. Quarto loco idem Photius ſic interpretatur, vt illud (bonum) iungatur legi. Græce enim id fieri poteſt, nam lex maſculini generis eſt apud Græcos νόμος, erit ergo ſenſus: Inuenio legem bonam eſſe mihi volenti facere. Quod ſi obijciat aliquis, cur nõ facis? quoniam, inquit, mihi malum adiacet. Huic expoſitioni conſentit Anſelmus. *Anſel.* Quinto loco idem Photius aliam affert, quæ talis eſt, Inuenio legem, ideſt, agnoſco debilem, & inefficacem virtutem eius; quoniam volenti mihi facere bonum, adiacet malum, nec mihi auxiliatur vt faciam bonum. Sexto loco aliam affert. Inuenio, inquit, quod mihi volenti facere bonum ſecundum legem, adiacet malum, non ſic eſt ſecundum Euangelium, cuius gratia ſanamur, vt volentes bonum, id faciamus.

Digitized by Google

ciamus. Septimo loco aliam adfert talem: Inuenio legem mihi auxiliantem, voléti bonum facere. quod ſi dicas; quæ vtilitas, aut neceſſitas eſt auxilij? adiungit; multa eſt, quia mihi malum adiacet. Octauo loco aliqui moderni ſic interpretantur: Inuenio mihi volenti bonum facere, hanc legem impoſitã eſſe, quod mihi malum adiacet. Omnes expoſitiones iſtæ difficile, & violenter aptantur verbis, & ſenſui.

Auctor. Mihi autem ea eſt viſa legitima, vt lex hæc non ſit illa, de qua dictũ eſt prius. Lex ſpiritualis eſt, & ſancta, ſed ea de qua paulo poſt adiungit: Inuenio legem in mẽbris meis. nam quæ ſequuntur declarant hanc ſententiam. Legem ergo appellat, legem carnis, & vim cõcupiſcentiæ impedientem à bono perficiendo, & in malum impellentem, quam legem proxime explicabimus. Eſt ergo ſenſus. Inuenio legem mihi facere bonum volenti; hæc autem lex eſt malum, quod mihi adiacet; quo trahor ad peccandum, & ad legem, quam confeſſus ſum mente eſſe bonam, tranſgrediendam. Poteſt etiam eſſe ſenſus cauſalis; ac ſi diceret: Inuenio legem aliam oppoſitam mihi volenti bonum facere, quæ lex inſurgit, & adeſt: quia mihi malum adiacet, ideſt, in mea carne non habitat bonum. ex concupiſcentia enim effræni, propter peccatum, vis hæc, & lex à bono retrahens, & in malum impellens inſurgit, & inuenitur. Eſt autem notandum verbum (adiacet) ſicut etiam ſuperius dixerat, Velle adiacet mihi: quod enim quaſi connaturale eſt dicitur adiacere. ratio autem quodam modo naturaliter in bonum honeſtum inclinat, & fertur volendum; caro autem ab adoleſcentia prona eſt in malum.

Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem; video autem legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.

EXponit clarioribus, & apertioribus verbis ſuperiorem ſententiam, reddens cauſam eius. Condelector, inquit, legi Dei ſecundum interiorem hominem; ideſt, ſuperiori parte, in qua mens, & voluntas eſt, legem Dei probo, & placet mihi, quæ bona iubet, mala vetat. ideo dixi (volenti mihi facere bonum;) parte tamen inferiori, in qua ſenſus & appetitus inſunt, quæ caro dicitur, experior vim, & legem, ac impulſum in ea, quæ ſunt contra legem Dei, quam mente mea approbaui; propterea dixi me inuenire legem, quoniam mihi malum adiacet, nouam & contrariam priori. Legem Dei appellat, legem mentis, quia rationalis eſt, & mente approbatur, & menti etiam naturaliter inſculpta eſt quantum ad moralem partem, quæ circa vitia & virtutes verſatur. Condelectari autem legi Dei idem ſignificat, ac id, quod ſuperius dixerat, Volo bonum, quod non facio. & rurſus, Volenti mihi bonum facere. & rurſus, Conſentio legi, quoniam bona eſt. hæc ad idem tendunt,

Nota diſtinctionẽ & declarationem legis mentis & mẽbrorum.

tendunt, & conueniunt homini in peccato exiſtenti. Interiorem autem hominem appellat, non iuſtum, & in gratia exiſtentem, qui nouus homo dicitur, ſed partem rationalem, quæ à ſenſu, & appetitu diſtinguitur, quæ etiam peccatoribus conuenit: qui renouari dicitur, quando abiecto peccato induit gratiam per fidem Chriſti. Quod autem dicitur (video legem) idem ſignificat, ac id, quod in proxima ſententia dixerat (inuenio legem) ideſt, experior legem aliam, quando bonum facere volo. tota ergo hæc ſententia ſuperiorem exponit. Attende ex Athanaſ. lib. de communi eſſentia Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, cap. vltimo. tres partes diſtingui in homine: rationalem, ſenſualem, & corpoream. Secundum quas in Scripturis triplex diſtinguitur homo, ſpiritualis, ſenſualis, ſeu animalis, & corporeus. quas partes Scriptura etiam ſpiritum, animam, corpus appellat. primam harum, nempe rationalem partem nunc Paulus vocat hominem interiorem: ſenſus autem & corpus, exterior homo, & caro dicuntur. ita Photius exponit hominem interiorem.

Athan.

Phot.

Et captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.

NOn ſolum lex hæc, quam video in membris, & in carne mea, repugnat legi mentis meæ, ſed etiam captiuat me legi peccati; ideſt, pertrahit me ad peccandum, & tranſgrediendum legem ipſam mentis, & Dei. Non ſolum ergo oppugnat legem mentis, ſed etiam expugnat; nec tantum gerit bellum contra rationis legem, ſed etiam victoriam reportat. Eſt autem verbum metaphorice dictum (captiuantem) ſumptum ex bello, & pugna; & reſpondet illi (repugnantem) ideſt, militantem, & bellantem contra mentis legem. Addidit verbum illud (Quæ eſt in membris meis) ne lex hæc peccati alia videretur ab illa, quæ dicta eſt in membris eſſe, & pugnare contra mentem, ac captiuare hominem. Dices: quare ergo non dixit captiuantem me ſibi; ſed captiuantem me legi peccati? Reſpondeo, ea de cauſa ſic eſſe dictum, quia quando hæc lex membrorum trahit, & captiuat mentem, vt ſibi conſentiat, tunc peccatum committitur, lexq. peccati dicitur, quia ad peccatum trahit hominem. quando igitur motibus & concupiſcentijs carnis homo conſentit, tunc dicitur captiuus ſub lege peccati, quæ in membris eſt; & tunc lex carnis lex peccati re ipſa eſt, quia homo concupiſcens, accedente rationis conſenſu, verè peccat.

AN-

Digitized by Google

ANNOTATIO XXII.

Aug.

ALiqua circa has duas ſententias ſunt aduertenda. Vnum eſt, Aug. lib. 1. contra epiſt. Pelag. cap. 11. ſuam probare ſententiam, nimirum in perſona iuſtorum hæc verba Pauli eſſe pronunciata, ex illo verbo, Condelector legi Dei; hoc enim iuſtorum eſt, nō peccatorum. attendens autem Auguſt. verbum ſequens (captiuantem me in lege peccati) non ſibi fauere, interpretatur ſic, Concupiſcentiam captiuare iuſtum motione, non conſenſione. Horum tamen prius inefficax eſt; poſterius autem accommodari non poteſt. prius, inquam inefficax eſt, quia peccator condelectari iuſto, & honeſto voluntate imperfecta, iudicium etiam rectum in vniuerſali habere poteſt; vox enim peccatoris illa celebris eſt: *Video meliora, proboq., Deteriora ſequor.* & incontinens iudicat, probatq. legem in vniuerſali, & vellet imperfecta voluntate ſecundum eam viuere; tamen tractus concupiſcentia particulari eam tranſgreditur. non ergo rectum argumentum ſumitur ex illo verbo (condelector ſecundum interiorem hominē legi Dei) ad probandum id iuſtis conuenire; non enim aliud ſignificat, niſi mente, & animo video, & probo legem Dei, & vellem me implere; tamen non id facio, quod mente probo; hoc antem eſt peccatoris. Poſterius illud de captiuitate, nulla ratione videtur ſuſtineri poſſe. Sunt enim duo à Paulo prolata de lege membrorum. vnum eſt, eam repugnare legi mentis; alterum eſt, captiuare hominem. non ergo exponere poſſumus, captiuat me in lege peccati, ideſt, mouet me ad peccandum; hoc enim iam ſignificatum eſt, quando dicta eſt repugnare legi mentis. præterea mouere, eſt ante victoriam, captiuare autem ſupponit victoriam; nemo enim dicitur captiuare alterum, quando mouet bellum contra ipſum, niſi parta victoria. Igitur Paulus ſignificare voluit peccatorem, in quo concupiſcentia pugnat contra legē mentis, & eam vincit, faciens hominem ſibi obedire, ſuiſq. conſentire motionibus, & affectibus; idcirco captiuat eum lege, ſeu in lege peccati, quia ad peccatum trahit, cum peccator non habeat ex ſe, nec ex lege ipſa mentis vires, quibus reſiſtat, & vincat pugnantem legem membrorum contra mentis legem. Simili vſus eſt verbo Paulus 2. Cor. 10. in bonam partem de mentis captiuitate ad obediendum fidei. In captiuitatem, inquit, redigentes omnem intellectum in obſequium fidei. Hoc igitur verbum confirmat Paulum loqui in perſona peccatoris nondum gratia Chriſti liberati, etiamſi legem habeat.

Mens qđo dicitur captiuari in lege peccati.

2. Cor. 10.

Alterum aduertendum eſt in his verbis, Hieronymum epiſt. ad Hedib. qu. 8. & Ambr. Luc. 17. cap. de duobus in vno lecto, quatuor numerare leges; nempe, legem Dei, quæ per Moyſem data eſt: Legem mentis, quæ naturaliter eſt mentibus hominum indita: legem membrorum, nempe ea, ad quæ impellit motus concupiſcentiæ, quæ pugnat contra mentem; & legem peccati, quæ eadem videtur eſſe cum lege membrorum, quatenus ea, in quæ concupiſcētia carnis impellat, peccata

Hieron. Ambroſ.

Lex alia mentis, alia membrorum, alia peccati.

Phot. cata ſunt,& contra legem Dei. qua de cauſa Photius apud Oecumen. tres leges adnumerauit. immo vere duæ etiam numerari poſſunt; legem enim Dei,& mentis in eandem retulit Paulus; quæ Dei dicitur, quia à Deo per Moyſem data eſt; mentis autem, quia in mente reſidet, & naturaliter etiam mentibus inſculpta eſt.quibus vocabulis vſus eſt Paulus,vt Iudæos,& Gẽtes complecteretur; illi enim legem Dei, hi legem mentis habuerunt ſolam. Lex etiam membrorum,& lex peccati eadem eſt ſubiecto; concupiſcẽtia enim carnis impellens in ea, quæ cõtra rationem,& legem ſunt; dicitur lex membrorum; trahens autem rationem in conſenſionem ſui, dicitur lex peccati; quamuis nec concupiſcentia ipſa lex dicatur, ſicut nec lumen naturale rationis dicitur lex, ſed ea, in quæ concupiſcentia impellit,lex dicuntur, ſicut quæ ratio dictat naturalis, legem appellamus naturalem; vt paulo inferius explanabimus in tertio ſequenti notabili.

Tertium aduertendum eſt, hanc concupiſcentiam eorum, quæ contra legem mentis ſunt, dictam eſſe legem, vt dicit Anſelmus; quia legitime, & iuſto Dei iudicio, propter peccatum primorum parentum,traditus eſt homo in hanc concupiſcentiam. ſecundum autem Chryſoſtomum, quia vim habet impulſiuam in ea, quæ ſunt contra rationem. vt enim lex vim habet coerciuam à malo, & impulſiuam ad bonum, ita per quandam ſimilitudinem concupiſcentia hæc, quæ habet vim impulſiuam, & coerciuam, lex dicitur, quamuis coerceat à bono, & impellat in malum; propterea enim non eſt bona lex, conſenſusque rationis in talem legem peccatum eſt; quia lex hæc contra legem Dei pugnat.

Anſel.

Concupiſcentia quare dicitur lex.

Quartum aduertendum eſt, Photium apud Oecumenium hanc ſententiam ſic connectere, & interpretari. Cum enim dixiſſet Paulus, legem hanc captiuaſſe eum, ne quis putaret iuſte id factum, propterea adiunxit (lege peccati:) ac ſi diceret, nequaquam iuſta eſt captiuitas, nec lex hæc iure me captiuauit, ſed iniuſte. Ne vero à ſe ipſo omnem culpam transferret, & in ſolam legem reijceret, addidit (Quæ eſt in membris meis) ac ſi diceret: non ſum ego immunis à peccato; cum enim ſim cauſa, quod in membris meis ſit lex hæc, peccatum etiam mihi adſcribitur in hac captiuitate. Dura interpretatio, & impropria videtur. Accommodatior eſt illa, quæ in commentario eſt poſita; nempe,lex hæc pugnat contra mentem, & non ſolum pugnat, ſed etiam vincit, & captiuam trahit ſibi in peccatum; eſt enim captiuitas bona, & captiuitas mala. propterea non dixit, captiuat me ſibi, aut captiuat me ſub lege membrorum; ſed dixit: captiuat me legi peccati, nempe captiuat me vt peccem, & conſentiam ſibi contra ea, quæ mens dictat. Adiecit autem (in membris meis) vt explicaret hanc legem peccati eſſe eandem cum ea, quæ dicta erat eſſe in membris, & pugnare,ac captiuare mentem, vt dictum eſt in commentario.

captiuitas quæ bona, & quæ mala.

Inſtlix

Digitized by Google

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?

EXclamat Paulus, inquirens liberatorem ab hac ſeruitute, & captiuitate, infelicem ſe appellat. Græcum vocabulum potius ærumnoſum ſignificat, ideſt, laboribus & miſerijs afflictum. Quis me, inquit, liberabit à corpore huius mortis; ideſt, morti, & perturbationibus huiuſmodi expoſito. Attende, liberationẽ hanc eſſe a captiuitate, & ſeruitute, quæ ex victoria legis membrorum contra mentis legem procedit; ac ſi diceret, quis efficiet ne lex hæc captiuet me? quis dabit ne imperio, & tyrannidi huius legis, & concupiſcentiæ ſubdar amplius, nec mens mea ſuccumbat, eiq. obediat, vt ante legem, & in lege factum eſt? ſequentibus verbis reſpondet, id eſſe ex munere gratiæ Chriſti: hæc enim perfecit, quod lex non potuit.

ANNOTATIO XXIII.

Corpus mortis, de quo Paulus cupiebat liberari.

ILlud (huius) Græce eſt ambiguum, poteſtq. connecti cum morte, & cum corpore, accommodatius autem cum corpore coniungitur; ac ſi diceret: Quis me liberabit de corpore hoc mortali? appellat autem mortis corpus, vt exponit Hieron. in apologia aduer. Rufinum, quod morti, & perturbationibus eſt expoſitum. Photius autem exponit corpus mortis, quod ſuis motionibus, & perturbationibus mortem ſpiritualem inducit, vtrumque eſt verum.

Hieron. *Phot.*

Auguſt.

Attende Aug. lib. 1. con. epiſt. Pelagian. cap. 11. & eos, qui in perſona iuſtorum hæc verba interpretantur, exponere liberationẽ hanc futuram per reſurrectionem, quando homo plene liberabitur ab omni miſeria, & corporis perturbatione. Non tamen ſatis accommodata eſt expoſitio. nam Paulus de ea loquitur liberatione, per quam à captiuitate præcedenti eripitur homo, nempe ne mens vincatur à carnis & membrorum lege. de ea autem liberatione, quæ eſt perfecta per reſurrectionem, qua corpus etiam ab omni miſeria liberatur, capite octauo ſequenti dicit: Liberabitur creatura à ſeruitute corruptionis. & rurſus: Expectantes redemptionem corporis noſtri. prior eſt illa liberatio per gratiam, poſterior hæc eſt per reſurrectionis gloriam.

Rom. 8.

Hieron.

Attende rurſus, Hier. lib. 2. con. Pelag. adnotaſſe, non eſſe dictum; Infelix ego peccator: ſed (Infelix ego homo) vt totam naturam complecteretur omniũ hominum & non tantum peccatorum. Hoc tamen non obſtat, quin in perſona peccatoris loquatur. nam vt ſignificaret totam naturam peccato infectam, neminiq. contingere iuſtitiam niſi per gratiam Chriſti, vſus eſt nomine naturæ; Infelix, inquit, homo. Attende rurſus ex

Chryſoſt. Chryſoſt. non eſſe dictum, quis me à lege liberabit, ſed à corpore hoc; vt nimirum indicaret, non ex lege, quæ bona eſt, prouenire tranſgreſſionem, ſed ex nobis, quorum culpa & peccato caro vincit mentem.

Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

A Legis membrorum imperio, & victoria, ac captiuitate, gratia per Chriſtum data liberat. Hæc eſt, quæ facit, vt quamuis lex membrorum pugnet contra mentem, & Dei legem, non vincat, nec captiuet hominem, nec mentem trahat in conſenſum concupiſcentiarum, ac perturbationem, nec legem Dei tranſgrediatur. Gratia hæc non ex lege, nec ex operibus legis eſt, ſed ex Chriſto redemptore, ac Domino noſtro, vt per eam lex ſeruetur, & opera legis fiant, mensq. legi Dei ſubiecta, fortis, ac conſtans contra omnes carnis, & membrorum motus, ac perturbationes permaneat; quibus reſiſtere eſt vincere, ac ſuperare. gratia igitur mens vincit carnem, quæ prius à carne vincebatur, & mens imperat ei, cuius ante imperio trahebatur.

ANNOTATIO XXIV.

GRæca exemplaria habẽt. Gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, vt non ſolum declaret gratiam Chriſti liberare nos ab hac captiuitate, ſed etiam gratias agat pro ea, tamquam pro beneficio gratuito Dei: ac ſi diceret: gratia liberat Chriſti, quæ eſt Dei inſigne beneficium, pro quo gratias omnis homo agere tenetur. Noſtra tamen lectio accommodatior eſt, quam Origenes Græcus autor, ſimiliter & Methodius apud Epiphan. hær. 64. ſecuti ſunt, & eandem ſequuntur Hieron. epiſt. ad Hedib. qu. 8. & Aug. lib. 1. con. epiſt. Pelagian. cap. 11. Vtraque tñ lectio in eundem tendit ſenſum. *Origen. Method. Hieron. Auguſt.*

Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei; carne autem legi peccati.

EFfectum huius liberationis per gratiam Chriſti concludit, & eſt particula illationis (igitur) ac ſi diceret. Si mens per gratiam liberata eſt à captiuitate legis carnis, ne trahatur in conſenſum, & obedientiam concupiſcentiarum eius, ſequitur, me mente libera inſeruire legi Dei, nec conſentire carnis perturbationibus, quæ ſunt circa ea, quæ contraria legi ſunt: carne autem ſola ſeruire legi peccati, ideſt, ea concupiſcere, quæ ſunt contra legem. Prius quidem quam liberatus eſſem per gratiam, ſeruiebam legi

Seruitus legis Dei, & ſeruitus legis peccati, quæ ſit.

peccati

Digitized by Google

peccati, non ſola carne, ſed etiam mente, captiuata per carnem; at nunc ſola carne inſeruio, dum patior concupiſcentias carnis inuoluntarias erga ea, quæ ſunt contra legem; non tamen mente, quia ea concupiſco, amplector, & volo, quæ legis Dei ſunt, nec conſentio carnis concupiſcentijs. Talis eſt ſtatus iuſti in hoc ſæculo, donec liberetur etiam caro à lege hac peccati, & nihil concupiſcat niſi quod eſt ſecundum Dei voluntatem. Cum autem mens, & caro vnum hominem integrum conficiant, propterea dicit; Ego ipſe ſeruio legi Dei, & ſeruio legi peccati, ratione tamen diuerſa; illud enim facio ratione mentis, & ſuperioris partis; hoc ratione carnis, & partis inferioris. Homo aũt denominatur à parte præcipua; ſi.n. mente ſeruit legi Dei, totus homo ſpiritualis dicitur; quod ſi mente in ea, quæ carnis ſunt, fertur, carnalis dicitur, vt recte docuit Athanaſ. in lib. de communi eſſentia Patris, & Filij, & Spiritus ſancti cap. vlt. Ambr. etiam Luc. 17. cap. de duobus in vno lecto, hæc verba Pauli conſiderans, mentes diſtinguit duas; mens enim contradicens carni ſpiritualis eſt; mens carni conſentiens carnalis eſt. vna mens eſt in ſe, & bona, ſed diuerſis rationibus carnalis, aut ſpiritualis dicitur. *Athan.* *Ambroſ.*

Attende vltra hæc, ſeruire legi peccati non eſſe peccare; ſed ea concupiſcere quæ ſunt contra legem Dei, & quæ peccatum ſuggerit facienda. non tamen peccatum eſt ea concupiſcere, niſi rationis accedat conſenſus, vt in ſequentis Capitis principio explicabitur. Attende etiam, Dei gratiam per Chriſtum totum integrum ſanare hominem, non tamen ſimul, & in eodem tempore; ſed in hoc ſæculo ſanat partem ſuperiorem, quæ cauſa, & principium eſt peccati, vt ſanata non amplius peccet; pars inferior relicta eſt in corruptione, ad exercitium partis ſuperioris, vt ipſius virtus impugnata probetur, & creſcat: in reſurrectione tunc erit perfecta ſanitas, redemptioq. facta per Chriſtum totum ſuum aſſequetur effectum, & fructum in ſuis redemptis iuſtis, quod in ſequenti capite Paulus docet.

ANNOTATIO XXV.

IN maiorem ſuperioris ſententię declarationem, duarum dubitationum ſolutio eſt exponenda. Vna eſt; quomodo Paulus dicat iuſtum carne ſeruire legi peccati; cum etiam carne multa opera faciat, quæ ſunt mentis, & quibus ſeruit etiam legi Dei? ſuperius enim dixit cap. 6. Exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctifica- *Iuſtus quõ ſeruit legi peccati.*

tionem; ipſa etiam experientia id ipſum confirmat; membris enim corporis vtimur vt inſtrumētis ad exercenda virtutis opera; ore enim Deum laudamus, manibus eleemoſynas damus, pedibus peregrinamur, & infirmos viſitamus, multaq. alia opera corpore efficimus. Reſpondeo, duplicia eſſe opera carnis, ſeu corporis. quædam quæ ab ipſa carne ſola procedunt; quædam quæ à mente, ſed per carnem fiunt; hæc, non carnis, quamuis per carnem fiant, dicuntur, ſed ſpiritus: Paulus autem de prioribus loquitur, & non de omnibus; non enim omnia opera carnis in ea, quæ ſunt contra legem Dei, tendunt, ſed concupiſcentiæ propriæ ipſius carnis rebelles rationi. Paulus ergo non dicit, ſic nos ſeruire carne legi peccati, quaſi omnia opera carnis ſint circa ea, quæ contra legē Dei ſunt; ſed quod aliquibus operibus carnis, nimirum perturbationibus, & concupiſcentijs ſeruimus peccato; operibus autē mentis ſoli legi Dei ſeruimus. Nec eſt contrarium huic, quod mens per carnem multa opera virtutis exerceat; nec etiam quod caro aliqua propria opera habeat, quæ non ſunt circa ea, quæ contra legem ſunt; nec enim vegetatio, & nutritio & aliqua naturalia opera talia ſunt, vt per ea ſeruire dicamur legi peccati, ſed per concupiſcentias, & perturbationes effrænes.

Altera dubitatio eſt; quia pauló ſuperius dixerat; Si quod nolo malum, facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. quomodo igitur dicit nunc; Ego ipſe carne ſeruio legi peccati? ſi ipſe ſeruit legi peccati, ergo ipſe operatur illud malum, non autem peccatum. Reſpondeo, vti ſupra in expoſitione illorum verborum diximus: Paulum nolle per illa verba ſignificare, non ſe operari illud malum, ſed oſtendere cauſam operis illius ex peccato prouenire: qui enim in peccato eſt, facit mala multa, quæ imperfecta voluntate nollet facere, nec vires habet vitandi mala omnia. ideo dicitur peccatum illa facere, quia cauſa eſt; tamen ipſe peccator vere operatur malum illud. Quod autem dicitur nunc, diuerſum eſt, ſed non contrarium; loquitur enim Paulus non de peccato, & malo quod perpetrat peccator, ſed de concupiſcentia carnis, qua iuſtus appetit, quæ ſunt contra legem Dei, non conſentiente ratione; quam concupiſcentiam ſibi tribuit, quia caro pars hominis eſt, & quod partis eſt toti competit; oculis enim viſio fit, tamen homo dicitur videre, cuius pars oculi ſunt.

Iuſtus quō dicitur ſeruire legi peccati & malum operari à peccato, non à iuſto.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

NIbil ergo nunc damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu: qui non ſecundum carnem ambulant. Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis. Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum. Qui enim ſecundum carnem ſunt: quæ carnis ſunt, ſapiunt. qui vero ſecundum ſpiritum ſunt: quæ ſunt ſpiritus ſentiunt. Nam prudentia carnis, mors eſt: prudentia autem ſpiritus, vita, & pax. quoniam ſapientia carnis inbibita eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubiecta: nec enim poteſt. Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu: ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet: hic non eſt eius. Si autem Chriſtus in vobis eſt: corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus vero viuit propter iuſtificationem. Quòd ſi Spiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis. Ergo fratres debitores ſumus non carni, vt ſecundum carnem viuamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater.) Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei. Si autem filij, & heredes: heredes quidem Dei: coheredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur. Exiſtimo enim quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe: quia, & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc. Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes: & ipſi intra nos gemimus adoptionem

Digitized by Google

filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſalui facti ſumus. Spes autem, quæ videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus: per patientiam expectamus. Similiter autem & Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet neſcimus: ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus: quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? ſi Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quo modo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accuſauit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat. Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? (ſicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.) Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Inſufficientia, & inefficacia legis expoſita, gratiæ, quæ per fidem Chriſti datur credentibus, virtutem in hoc capite explicat, hocq. eſt huius capitis præcipuum argumentum.

Nihil ergo nunc damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu.

Connexa eſt hæc ſententia vltimis præcedentis capitis verbis, & ex ipſis deducitur; ſi enim gratia Chriſti liberat hominem à ſeruitute, & dominio legis membrorum, ita vt mens ſeruiat Deo, eiuſq. legem impleat, nec conſentiat, ſed potius repugnet membrorum

brorum legi; conſequitur vt ij, qui ſunt in Chriſto; ideſt, hanc Chriſti gratiam, per quam à legis membrorum ſeruitute liberantur, habent, nihil habeant damnatione dignum, nihilq. committere cenſeantur, propter quod iuſte à Deo damnentur, ſicut ante, quando hac deſtituti gratia, damnabiles erant, legem Dei transgredientes, membrorumq. legi obedientes.

Qui non ſecundum carnem ambulant.

CAuſa hæc eſt, cur non ſit ijs damnationis aliquid, quia non ſecundum carnem ambulant; ideſt, quia non obediunt legi carnis, nec ſequuntur concupiſcentias ſuas, ſed, quæ lex Domini præcipit amplectentes, proprijs contradicunt concupiſcentijs, & appetitibus.

ANNOTATIO I.

GRæce non eſt relatiuum; ſed ſic dicitur, Nihil damnationis ijs, qui ſunt in Chriſto, non ſecundum carnem ambulantibus. quę verba aliqui putant eſſe declarationem præcedentium; vt ij dicantur eſſe in Chriſto, qui non ſecundum carnem ambulant. Alij cenſent eſſe limitationem, nempe non omnes, qui in Chriſto ſunt, nihil habent damnationis, ſed qui non ſecundum carnem ambulant. nam per fidem ſolam dici poteſt eſſe homo in Chriſto, & ſimul ſecundum carnem ambulare. Legitima tamen expoſitio eſt, eſſe cauſam cur nihil ſit damnationis ijs, qui in Chriſto ſunt, vtpote ambulantibus non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum, & legem Dei. Quid ſit autem eſſe in Chriſto, ex præcedenti ſententia illa expoſitum eſt. (Gratia Chriſti me liberauit à corpore mortis) qui ergo gratiā hanc habent, ij in Chriſto eſſe dicti ſunt. non igitur opus erat declaratione, nec limitatione aliqua; ſed cauſa cur ijs nihil eſſet damnationis, quia nimirum mente ſeruiunt legi Dei, & non ſecūdum carnem ambulant ipſius carnis legi obedientes.

Cur nihil damnationis dicitur eſſe in ijs, qui ſunt in Chriſto, vel non ſecundum carnem ambulant.

Per hanc expoſitionem recedimus à ſentētia Aug. lib. 1. con. duas epiſt. Pelagian. cap. 13. explicantis hæc verba in hunc ſenſum; exiſtimat enim concupiſcentiam hanc carnis legi mentis aduerſantem eſſe peccatum originale, quod quidem in nondum renatis in Chriſto peccatum, & culpa eſt; in renatis vero rationem culpæ non habet, quia remiſſus eſt reatus culpæ, & peccati, quamuis maneat actus. Dicit ergo Paulus, ijs, qui ſunt in Chriſto, nihil damnationis eſſe, quia concupiſcentia hæc quantum ad culpam eſt remiſſa, quæ, antequam renaſceretur homo in Chriſto, peccatum erat. Doctrina eſt frequentiſſima in Aug. ita de peccato originali cenſente: à qua tamē ſententia pro nunc recedimus. cauſa enim *Auguſt.*

Cur nihil damnationis dicitur eſſe in ijs, qui ſunt in Chriſto.

cur nihil damnationis ſit ijs, qui ſunt in Chriſto, non ea redditur, quod concupiſcentiæ reatus,& culpa ſit remiſſa, ſed quod mens non ſuccumbat concupiſcentiæ; nec ſequatur carnis legem, ſed Dei. In nondum autem renatis, mens ſuccumbebat carni, ipſiusq. lege trahebatur, non valens ſine gratia reſiſtere. à qua tyrannide liberata eſt per Chriſti gratiam, vt iam non trahatur, ſed valeat carnem ſuperare, proprioſq. eius motus, & actus exequi, lege Dei impleta. Siue ergo in renatis, ſiue in nondum renatis. Concupiſcentia hæc in ſe, non eſt peccatum vllum, ſed peccati effectus & cauſa; quando enim ratio acquieſcit, & conſentit, tunc peccatum eſt potius in ratione ipſa obediente. Quid autem ſit peccatum originale, latius, & exactius alibi diſcuſſimus.

Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati, & mortis.

CAuſam etiam exponit, cur qui ſunt in Chriſto non ſecundum carnem ambulent; quia, inquit, liberati ſunt per eius gratiam à lege carnis, vt iam non obediant ei ſicut ante, quando deficientibus viribus, trahebatur mens in obſequium carnis. Attende verba; legem ſpiritus vitæ appellat, quam ſuperius vocauit legem mentis, quæ eſt lex Dei, quam ratio percipit. hæc dicitur vitæ lex, quia ad vitam ſpiritualem datur. hæc lex ſpiritus, ideſt, ſpiritualis, & rationalis, quæ vitæ eſt, liberauit me, non virtute ſua, ſed in Ieſu Chriſto; per ipſum enim liberatio facta eſt à lege peccati, quæ mortem animæ inducit. Lex ergo vitæ, quæ mentis eſt, me liberauit per Chriſtum à lege peccati, quæ mortis eſt, & in membris reſidet. liberatio autem eſt, vt iam non trahatur mens à lege carnis. Vicit ergo lex mentis legem carnis; ſed per Chriſtum, cuius gratia fit vt vincat mens carnem, & lex mentis legem carnis.

ANNOTATIO II.

Lex Spiritus, quæ ſit & quo captiuet legem carnis.

Athan.

ALiqui legem Spiritus vitæ Euangelium exponunt, & vitam cum Spiritu coniungunt: Euangelium enim Spiritum vitæ confert. Connectunt etiam ſimul illud (in Chriſto Ieſu) nempe vt ſit Spiritus vitæ in Chriſto Ieſu, quia per ipſum Chriſtũ Spiritus datur. Athan. lib. de Spir. ſan. Spiritum vitæ Spiritum ſanctum interpretatur, ſicq. exponit, Spiritum ſcilicet vitæ, qui eſt in Chriſto. Ambroſius etiam lib. 1. de Spiritu ſancto, c. 4. & lib. 2. c. 10. per Spiritũ vitæ interpretatur Spiritum ſanctum. Similiter Cyril. lib. 14. Theſau. cap. 1. addens vitam hanc eſſe Chriſtum, à quo Spiritus ſanctus procedit. Mihi autem accommodatior eſt viſus ſenſus, ſi eaſdem retineamus ſignificationes;

Ambr.

Cyril.

ſic enim

Digitized by Google

ſic enim priora poſterioribus conſonant: ſuperius autem dixerat legem mentis, eamq. datam eſſe ad vitam, ſimul etiam legem in membris, & legem peccati; has eaſdem leges appellat nunc, legem Spiritus vitæ, & legem peccati & mortis. iã tamen per Chriſti gratiam commutatis vicibus; prius enim lex carnis captiuabat legem mentis; at nunc lex mentis captiuat legem carnis, & eã ſuperat. ideo qui in Chriſto ſunt, non ſecundum carnem ambulant. Liberatio autem hæc eſt qua homine a peccato veteri ſanato, & Deo reconciliato per gratiã Chriſti, data iam eſt facultas, & robur inditum, non ut concupiſcentia non ſit, ſed vt mens valeat eam ſuperare, & legem Dei implere. ſic lex Dei & ſpiritus vincit legem carnis, diciturq. concupiſcentia vires amiſiſſe, non quod ablata ſit, aut in ſe diminuta, ſed quod vires tantæ mẽti datæ ſint, vt valeat illam ſuperare, & ea aduerſante legem Dei implere, ipſiuſque concupiſcentiæ conatus vanos, & inefficaces efficere. Illud (in Chriſto Ieſu) connecti poteſt, vti diximus, præcedentibus; nẽpe, lex ſpiritus vitæ in Chriſto, quia per Chriſtum lex ſpiritus vitam efficit, aut etiam ſequentibus; nimirum, in Chriſto liberauit me, ideſt per ipſum me liberauit, hæc poſterior connexio accommodatior eſt.

Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem.

CAuſam reddit, cur lex mentis, & ſpiritus dicta ſit per Chriſtum liberaſſe hominem a lege carnis & peccati. tota autem ſententia non his ſolis verbis, ſed etiam ſequentibus perficitur. ſenſus autem completus & integer hic eſt, legis ſpiritu implendæ impoſſibilitas ex eo procedebat, quia infirma erat, & imbeciilis propter carnem peccato infectam: ideo Deus miſit fiiium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum; vt eo damnato, & carne a peccato ſeparata, lex mentis & ſpiritus impleri poſſet, remoto eo, propter quod infirmabatur. Ecce igitur cur dictum ſit, legẽ ſpiritus per Chriſtum Deum et hominem liberaſſe me a lege carnis, et peccati, quæ mentem prius opprimebat, et infirmam efficiebat, ne legem ſpiritus implere poſſet. Propoſitorum autem verborum hic eſt ſenſus. Particula (nam) cauſam reddit cur lex ſpiritus per Chriſtum liberauit hominem a lege carnis, cauſa autem eſt, quia quod impoſſibile legi, in quo infirmabatur per carnem; ideſt, quod lex impleri non poſſet, cauſa erat ex carne. hæc enim infirmã, et debilem mentem efficiebat ad implenda, quæ ſuæ legis erant. ſequuntur cætera quæ ſententiam complent.

Lex mentis quomodo per Chriſtum liberauit hominem a lege carnis.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIO III.

Impoſſibile legis quod eſſet.

Hebr. 2.

ILlud (legi) Græce legitur in caſu gignendi, ſenſus tamen idem eſt, ſiue in gignendi, ſiue in dandi caſu legamus, nec habetur Græcè verbum (erat) illud autem (in quo) Græce ἐν ᾧ Latine idem ſignificat ac (quia, ſeu eo quod,) in qua ſignificatione poſitum eſt Hebr. 2. In eo, inquit, in quo ipſe paſſus eſt & tentatus, potens eſt tentatis auxiliari. Illud autem (quod) Græcè τὸ articulus eſt demonſtratiuus potius, quam relatiuus; ac ſi diceremus, ipſum impoſſibile legis, ideſt quod lex impleri non poſſet; erat, quia imbecillis, & impotens erat propter carnem peccato infectam. non eſt autem legitima quorundam modernorum expoſitio, qui hanc ſententiam ſic exponunt, quod impoſſibile legis erat, quia infirmabatur per carnē, Deus mittens filium ſuum præſtitit, & effecit poſſibile, non enim hoc ſupplementum neceſſarium eſt, vt paulo poſt explicabimus; & per id ſupplementum ſit ſenſus longe diuerſus ab eo, quem Paulus intendit, vt paulo inferius conſtabit. non enim id ſignificare voluit, ſed cauſam exprimere cur filius Dei venerit in ſimilitudine carnis peccati, & carne damnauerit peccatum. ea autem eſt; quia cauſa, legē mentis nō implendi, ex carne procedebat. Sentētia ergo propoſitorum verborū hæc eſt. Impoſſibile legis; ideſt, quod lex mentis impleri non poſſet, erat propter carnem peccato infectam, & eius legem: ideo factum eſt quod verbis ſequentibus exponitur.

Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati.

Chriſtus cur miſſus in ſimilitudinem carnis peccati.

Trenor. 1.

Hiero.

COnnexa ſunt hæc ſuperioribus, & vnam ſententiam conficiunt, quaſi diceret; lex mentis impleri non poterat propter carnem peccati; idcirco Deus miſit filium ſuum in ſimilitudinem carnis huius, vt ea carne carnem noſtram peccati vinceret, & eius dominium & robur auferret. Chriſtus carnem ſimilem carni peccati ſumpſiſſe dicitur, quia carnem ſine peccato, paſſibilem, ac mortalem, qualis eſt caro peccati, accepit. Duplex eſt hebraiſmus; vnus eſt, oportet ſupplere, latine (ideo) ſicut habetur Treno. 1. Sordes eius in pedibus eius, nec recordata eſt finis ſui; depoſita eſt vehementer. Hiero. exponit, Ideo depoſita eſt vehementer. Alter hebraiſmus eſt, quia participium (mittens) ponitur loco verbi (miſit) vt in annotatione dicemus. Si peccatum cum carne accepiſſet, dictus eſſet miſſus in carnem peccati. Si etiam carnem immortalem, & impaſſibilem ſumpſiſſet, qualem modo habet, non diceretur miſſus in ſimilitudinem carnis peccati; at quia carnem accepit ſine

peccato

Digitized by Google

peccato, paſſibilem tamen & mortalem, qualis eſt peccatorum caro propter peccatum talis effecta, ideo dicitur miſſus in ſimilitudinem carnis peccati. Eſt autem hebraiſmus aduertendus. participium enim pro verbo poſitum eſt, quod Hebræis eſt familiare. Mittens filium, ideſt miſit filium. quod in annotatione magis explicabitur.

ANNOTATIO IIII.

Chriſtus quomodo intelligitur miſſus in ſimilitudinem carnis peccati.

Ambroſ.

Vana eſt Manichæorum, & aliorum hæreticorum hæreſis, Chriſti veram carnẽ negantium; quia dictum eſt, In ſimilitudinem carnis peccati miſſus; cum hæc verba potius eos conuincant. vt enim docte Ambroſ. lib. 1. de Pœni. cap. 2. adnotauit, non dictum eſt, miſſus in ſimilitudinem carnis, ſed in ſimilitudinem carnis peccati, ſi carnem veram non accepiſſet, in ſimilitudinem carnis diceretur miſſus; at dum in ſimilitudinem nõ carnis, ſed carnis peccati miſſus dicitur; is veram carnem accepiſſe demõſtratur, ſine peccato quidem, ſed ſimilẽ ei, quæ infecta erat peccato; quæ ſimilitudo conſiſtit in eo, quod pœnas propter peccatum inflictas accepit, nempe paſſibilitatem, & mortem, non autem peccatum. tunc. n. in carnem peccati miſſus eſſet.

Aduertendum autem eſt, eſſe duos hebraiſmos; Vnus eſt, quia ſupplendum eſt latine (ideo) vt adnotauimus in commentario. Alter eſt, participium poſitum eſſe pro verbo: nam illud participium (mittẽs) multum vexat expoſitores; ſequenti enim particula copulationis (& de peccato damnauit) videtur oratio imperfecta, niſi aut ſuppleatur verbum, nempe, mittens filium ſuũ in ſimilitudinẽ carnis peccati, præſtitit, & fecit poſſibile: quem ſenſum ſupra reiecimus, vt pote alienum a Pauli mente. aut illa particula (& de peccato) coniungatur cum ipſo participio, nempe mittens filium in ſimilitudinem carnis peccati, & mittens etiam pro peccato, tunc enim oratio erit perfecta, nam participium cõnectitur cum verbo (dãnauit) quam etiam connexionem alienam eſſe a Paulo ſtatim oſtendemus. Ab his autem anguſtijs liberamur, & verum ſenſum percipimus, ſi hunc hebraiſmum eſſe dicamus. ſolent enim Hebræi participio vti pro verbo; ac ſi dictum eſſet, Miſit filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum. Habemus huius locutionis, & Hebraiſmi exempla multa. nam ſuperius cap. 5. dictum eſt: Non ſolum, ſed etiam gloriamur. Græce autem habetur participium (gloriantes) & cap. 3. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius. ideſt iuſtificantur gratis per gratiã ipſius. Act. 24. Inuenimus hunc hominem peſtiferum. Græce dicitur per participium. Act. 25. Ego vero comperi nihil dignum morte eum admiſiſſe. Græce habetur, cõperiens. ſunt huiuſmodi ſexcenta teſtimonia. Hæc expoſitio contextui maxime accommodatur; nam quia impoſſibile legis erat propter carnem peccati, Deus hæc fecit, nẽpe miſit filium in ſimilitudinem carnis peccati, & rurſus hac carne damna-

Digitized by Google

damnauit peccatum de peccato, ſicq. effecit vt lex impleri poſſet, menſq. a carnis iugo, & imperio eriperetur, nec in captiuitatem ſicut ante traheretur amplius. ideirco dicta eſt lex ſpiritus liberaſſe a lege peccati per Chriſtum, qui eſt filius Dei in carne.

Et de peccato damnauit peccatum in carne.

Chriſtus quomodo de peccato damnauit peccatum.

QVia caro peccati nobis in cauſa erat, ne legem mentis & ſpiritus implere poſſemus, Deus, vt huic malo mederetur, non ſolum miſit filium ſuum in ſimilitudinem carnis huius, ſed adhuc hac carne ſimili carni peccati, damnauit peccatum ipſum, quod erat cauſa carni victoriam reportandi contra mentem & ſpiritum. captiuumq. eum trahendi. Damnauit autem peccatum de peccato: Proſopopeia quædam eſt; loquitur enim de peccato velut de perſona quadam, ac Rege, dominante & ſubiugante ſuperiorem hominis partem. ſic enim prius dixerat regnaſſe peccatum ab Adam vſq. ad legem; ſic etiam peccatum viro contulerat. Nunc autem damnatum eſſe peccatum affirmat de peccato, ideſt, aboleuit peccatum, & vires eius deſtruxit iuſto iudicio, non ſola vtens potentia, ſed ſimul iuſtitia. peccatum enim Chriſto mortem intulit ac ſi nocens eſſet, & ſub eius iugo ſicut nos, teneretur. iuſte ergo actum eſt, vt dominio, quod in homines exercebat, priuaretur. qui enim aggreditur, & manum extendit in aliena, iuſte priuatur ſuis. Damnare ergo peccatum de peccato, eſt peccatum abolere iuſte, ita, vt ſi peccatum Rex aliquis eſſet, iuſto iudicio priuari dominio poſſet. Hoc expoſuimus latius ſupra illud Ioan. 16. Princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Eſt autem hebraiſmus (in carne damnauit) ideſt carne damnauit, morte enim inique ſibi in carne illata, & voluntarie accepta, obtinuit vt iuſte mereretur peccati imperium deſtruere. Referri autem poteſt verbum (damnauit) ad Deum mittentem, qui carne a filio ſuſcepta damnauit, & iudicium protulit contra peccatum; aut ad ipſum filium miſſum, qui etiam propria carne ſuſcepta damnauit peccatum de peccato.

Peccatum de peccato damnare quid ſit.

ANNOTATIO V.

MVltæ ſunt expoſitiones huius ſententiæ (de peccato damnauit peccatum) Primo loco aliqui verbum illud (de peccato) connectunt antecedentibus, nempe, mittens Deus filium in ſimilitudinem carnis peccati, & pro peccato abolendo; particula enim περὶ aliquando ac-

1. Pet. 3. do accipitur loco (pro) vt patet 1. Pet. 3, Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, ita legit, & interpretatur Oecum. & videtur hęc connexio eſſe Cyril. lib. 9. in Ioan. cap. 47. vbi exponit illa verba ſola: Damnauit peccatum in carne; id-eſt deſtruxit, & aboleuit peccatum; inſinuans illud (de peccato) ad antecedentia eſſe referendum. Huic expoſitioni fauere videtur contextus, nam imperfecta eſt oratio, niſi ad antecedentia referatur propter particulam copulatiuam, quæ, ſi verbo ſequenti connectatur, manet oratio clauda, & inabſoluta, niſi ſuppleatur verbum aliquod, vti moderni aliqui ſupplere tētarūt, quod paulo ante retulimus, & reiecimus. Hæc expoſitio aduerſatur cōmuni interpretum ſententiæ, omnes enim connectunt ſequentibus verbū hoc (de peccato:) aduerſatur etiam veteri verſioni, quæ particulam illam *περί* non (pro.) ſed (de) vertit, quāuis vtrāq. habeat ſignificationem. Præterea huius expoſitionis fundamentum corruit, ſi conſideramus hunc eſſe hebraiſmum, participio pro verbo poſito; ſic enim oratio perfecta eſt, quamuis ſequentibus coniungamus verbum illud (de peccato.) præterea etiā, quia ſuperfluū eſſet dicere, Miſit in ſimilitudinem carnis peccati & pro peccato; iam enim dictum erat propter carnem, nempe peccati, miſſum eſſe filium. præterea illa etiam particula (&) non erat neceſſaria, ſatis enim erat dixiſſe: Mittens filium in ſimilitudinem carnis peccati pro peccato. Quod ſi hæc connexio probanda eſſet, potius ſic exponeremus, nempe filium eſſe miſſum in ſimilitudinem carnis peccati, & adhuc de peccato, vt caro Chriſti dicta ſit in ſimilitudinem carnis peccati, quia paſſibilis & mortalis ſumpta eſt; de peccato autem, quia de eadem maſſa, & natura, in qua peccatum erat; non ſolum enim homo mortalis factus eſt, ſed carnem ſumpſit de Dauid, cæteriſq. peccatoribus. poterat enim ſumere ſimilem carni peccati, & non de peccatoribus. at quia vtramque fecit, ideo dictum eſt ſimilem carni peccati ſumpſiſſe carnem, atq. etiam de peccato.

Oecume *Cirill.*

Hac tamen connexione reiecta ſecundo loco Auguſt. lib. 3. contra duas epiſt. Pelagian. cap. 6. tres *Auguſt.* adfert expoſitiones huius loci, in quibus verbum (De peccato) connectit ſequentibus. vna eſt, quæ eſt ordine noſtro ſecunda, vt per peccatum, quando dicitur (de peccato) intelligatur caro ipſa Chriſti, non quod peccatum ſit, ſed quod ſit in ſimilitudinem carnis peccati, eritq. ſenſus, De peccato, ideſt carne hac, quæ eſt in ſimilitudinem carnis peccati, damnauit peccatum. Huic expoſitioni obſtant duo; vnum eſt, illam præpoſitionem (de) non poſſe admittere hunc ſenſum; oportebat enim dicere, peccato damnauit peccatum. Alterum eſt, illud verbum (In carne) ſuperfluum enim eſſet, ſi per peccatum carnem exponamus. Secunda expoſitio, quæ eſt ordine noſtro tertia, talis eſt; vt per peccatum hoc intelligatur ſacrificium, & hoſtia pro peccato, ſitq. ſenſus, & de peccato, ideſt, ſacrificio oblato pro peccato, damnauit peccatum. quæ expoſitio eſt etiam Origen. ſic enim aliquando *Origen.* peccatum accipitur. 2. Corin. 5. *2. Cor. 5.* Pro nobis peccatum fecit, ideſt hoſtiam pro peccato. Hunc ſenſum illa etiam particula (de) non admittit,

Peccati nomine quid itelligatur cum Chriſtus de peccato damnauit peccatum.

mittit: oportebat enim dicere: Peccato damnauit peccatum. Tertia expoſitio, quæ eſt quarta in ordine, per hoc peccatum interpretatur peccatum Iudæorum Chriſtum occidentium; per hoc enim effectum eſt vt Chriſtus pateretur, cuius paſſione & morte damnatum eſt, & abolitum peccatum. quem etiam ſenſum particula eadem non admittit.

Quinta præter has expoſitio eſt Anſelmi, qui per hoc peccatum, exponit mortem, quia mors peccati effectus eſt, ideoq. dicitur peccatum. erit ergo ſenſus; De peccato damnauit peccatum, ideſt morte ſua damnauit peccatum. Hunc ſenſum, ſicut & alios ſuperiores ab Auguſtino recitatos, particula (de) non recipit, violentaſq. eſſe demonſtrat expoſitiones.

Anſel.

Sexta expoſitio eſt accommodatior verbis ipſis, quam Chryſoſt. & Theodoret. ſequuntur: eſt autem talis, Damnauit peccatum de peccato, ideſt condemnauit peccatum tamquam reum iniquitatis, quod iniuſte inſurrexerit contra Chriſtũ, mortemq. innocenti & inſonti intulerit, idcirco dominio ſuo peccatum eſt priuatum, & iuſte damnatum; voluit enim Chriſtus deſtruere regnum peccati, non ſola potentia, ſed iuſtitia ipſa. eſt autem proſopopeia quædam, per quam de peccato tamquam de tyranno loquitur; ſicut etiam ſuperius regnaſſe dictum eſt. Particula autem illa (de) Græce περὶ. talem etiam habet ſignificationem. Ioan. 16. Arguet mundum de peccato. Hæc Chryſoſt. expoſitio conuenientiſſima, & inter omnes accommodatiſſima videtur, ſi verbum hoc (de peccato) connectamus ſequentibus vti connectendum eſt. At multum diſſimilem expoſitionem attulit Hilarius in Pſal. 67. explicans illud: Verumtamen conquaſſabit capita inimicorum ſuorum, verticem capilli deambulantium in delictis ſuis. peccatum enim, quod damnatum eſt, exponit Diabolum, qui de peccato in carnem Chriſti commiſſo, quia mortis eius auctor fuit, damnatus eſt. quæ expoſitio non ſatis accommodata videtur.

Chryſoſt. Theodor. *Ioan. 16.* *Hilar.*

Vt iuſtificatio legis impleretur in nobis.

PRoſequitur, & concludit ſententiam; damnatum dicens eſſe peccatum in carne Chriſti; Vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, ideſt vt poſſemus legem mentis implere, quam prius propter legem carnis peccati infirmantem implere nõ valebamus, ſicq. Chriſti carne effectum eſt, vt caro noſtra a ſpiritu ſuperetur, & impoſſibile, non ſolum poſſibile, ſed etiam facile fieret in nobis. Attende, carnem nobis fuiſse cauſam, ne legem mentis poſsemus implere; non propter ipſam carnis ſubſtantiam, ſed propter peccatum, quod ipſam rebellem effecit rationi, arbitriumq. ita debilitauit, vt aduerſantem carnem vincere non valeret. Vt ergo mens a carnis huius dominio liberaretur, potenſq. fieret ad mentis legem implen-

Chriſtus ad quid damnauit peccatum.

Digitized by Google

implendum, carniſq. legi reſiſtendum, opus fuit deſtruere peccatum. ideo Chriſtus, vt nobis hæc efficeret, peccatum damnauit, & aboleuit; hoc enim in nobis per redemptionis Chriſti gratiam abolito, factaq. cum Deo reconciliatione, legem implere nobis eſt iam poſſibile, & facile; quod peccato in nobis regnante aut manente, impoſsibile erat. nemo ergo poterat, nec poteſt legem implere ſine Chriſto: quia nemo potuit, nec poteſt ſine eo a peccato ſe liberare, Deoq. reconciliari. liberatione autem non facta, infirmum manet hominis arbitrium, caroq. præualet, donec in ipſo homine per Chriſtum aboleatur peccatum. Græce habetur δικαίωμα, quod non iuſtificationem, ſed id quod iuſtum eſt, ſignificat; quod iuſtum tunc efficimus, quando legem implemus. Implere ergo iuſtum legis eſt totum quod lex præcipit, quod dicitur iuſtum legis efficere: quod non fit, niſi abolito peccato, & gratia iuſtificationis, ſeu reconciliationis accepta.

Implere iuſtum legis quid ſit.

Qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.

CAuſa eſt præcedentis ſententiæ, ac ſi diceret; Abolito & damnato peccato per Chriſtum, legem implemus, quippe qui non ambulamus ſecundum carnem, legi eius obedientes, ſed ſecnndum ſpiritum exequentes, quæ legis mentis ſunt. Hæc eſt tota & integra ſententia, quam ſuperius expoſuimus ſimul totam; nunc autem per ſingulas partes explanauimus. Attende, aliud eſse ambulare ſecundum carnem, aliud ambulare in carne; hoc enim eſt vitam mortalem hanc agere; illud autem eſt carnis deſideria perficere. iuſti ambulant in carne, non tamen ſecundum carnem. 2. Corint. 10. In carne ambulantes, non ſecundum carnem militamus.

Qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt; qui vero ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus, ſentiunt.

PRobat, cauſamq. reddit, cur in ijs, qui ambulant ſecundum ſpiritum, iuſtificatio legis impleatur, non autem in ijs, qui ambulant ſecundum carnem, quia, inquit, qui ſunt ſecundum carnem; ideſt, appetitus carnis ſequuntur, quæ carnis ſunt, ſapiũt, ideſt mentem ſubdunt carnis appetitui, ijſq. ſtudent, quæ caro poſtulat; contra vero qui ſecundum ſpiritum ſunt, ideſt carni reſiſtũt,

Sapere quę carnis ſunt, & ſapere quæ ſpiritus quomodo intelligatur.

& ea

Digitized by Google

& ea quæ rationabilia ſunt amplectuntur, iſti quæ talia ſunt, ſapiunt. Sapere appellat mentis, & ſpiritus exercitium, & ſtudium quantum ad intellectum, & quantum ad affectum. ſapere ergo quæ carnis ſunt, non aliud eſt quam ſuperiorem partem obedire carni, eaq. amplecti, iiſq. incumbere quæ caro poſtulat; ſapere vero quæ ſunt ſpiritus, eſt ea mente, & affectu amplecti, quæ rationis ſunt; ſpiritum enim partem ſuperiorem hominis appellat. Græce autem vnicum eſt verbum, nempe, Qui ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt; qui vero ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus, ſupplendum eſt idem verbum, ſapiunt.

ANNOTATIO XV.

Anſel. ANſelmus per ſpiritum interpretatur Spiritum Sanctum, vt ij dicantur ſecundum ſpiritum, qui Spiritui Sancto obediunt. *Theodor.* Theodoret. ipſam gratiam Spiritus Sancti exponit. Mihi Spiritus hoc loco ſignificare idem videtur, quod *Gal 5.* ſignificat illud Gal. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, nempe rationalem mentem, qua ea, quæ honeſta & rationabilia ſunt, amplectimur; hic enim ſpiritus eſt contrarius carni: Duas enim partes Paulus diuidit hominis, nempe carnē, & ſpiritum; hac Deo, illa peccato nos ſeruire dicit. idem ergo ſpiritus hoc in loco ſignificat, & mens de qua in fine capitis præcedentis dixerat, Mente ſeruio legi Dei, carne vero legi peccati. Quamuis verum ſit neminem poſſe eſſe ſecundum ſpiritum, nec ſecundum eum ambulare, niſi cui adſit gratia Spiritus Sancti de hoc eodem ſpiritu paulo inferius dicit, Corpus mortuum eſt propter peccatum, Spiritus vero viuit propter iuſtificationem. nemo profecto negabit, Spiritum hoc loco mentem, & ſuperiorem hominis partem intelligi. Hæc enim eſt, quæ viuere dicitur propter iuſtificationem. Quamuis alii qui Spiritum Sanctum interpretentur, quia aliter legunt, vt in eius ſententiæ expoſitione referemus. Rurſus etiam dicit; Vos in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus Chriſti habitat in vobis. Ecce duos ſpiritus diſtinguit, vnum qui carni opponitur, de quo dicitur, vos in ſpiritu eſtis, non in carne, & hic eſt mens & pars rationalis hominis, ſecundum quem iuſtificati viuūt. Alter ſpiritus eſt Chriſti, ſine quo ſpiritu hic noſter viuere non poteſt nemoq. ſecundum eū ambulare valet. Ex his omnibus concludo, ſpiritum in hac noſtra præſenti ſententia, cum carni oppoſitus ſit, accipiendum eſſe pro hominis mente.

Spiritus nomine quid intelligatur cū dicitur ſapere quæ ſpiritus ſunt.

Eſt adhuc in hiſce verbis aliud annotandum: Verbum illud (ſapiunt) Græce φρονοῦσι aliquos vertere, & exponere (cogitant) alios (curant) alios, ſic; inani faſtu turgentes ſibi placent. His tamen omnibus rectius, & verius noſter interpres ſenſit, dicens (ſapiunt) quo verbo operationem partis ſuperioris expreſſit. ſapere enim iudicium intellectus, ſimul cum voluntatis affectu

affectu ſignificat, id autem eſt ſapere ſecundum carnem, ac ea iudicare facienda, quæ caro poſtulat; mente, & affectu ſequentibus appetitum, obedientibusq. carnis legi. hunc ſenſum verba ſequentia probant. eodem enim verbo vſus ſubiunxit: Prudentia carnis mors eſt. loquitur ergo de illa ſapientia carnis, quæ mors eſt, & peccatum, qualis eſt illa, quam expoſuimus.

Nam prudentia carnis mors eſt; prudentia autem ſpiritus vita.

PRoſequitur eandem cauſam; poſſet enim aliquis interrogare, cur in ijs, qui ſapiunt quæ carnis ſunt, non impletur legis iuſtificatio, impletur autem in ijs, qui ſapiunt quæ ſpiritus ſunt. huius cauſam annectit, & ſic totam perficit cauſam: quia ſapientia carnis mors eſt, ideſt mortem ſpiritualem inducit; eſt enim ſubſtantiuum pro adiectiuo poſitum, ac ſi diceret, prudentia carnis mortifera eſt; prudentia vero ſpiritus viuifica, & vitæ ſpiritualis effectiua. cum ergo lex ſpiritus ſit lex vitæ, ab ijs non impletur, qui quæ carnis ſunt ſapiunt. his enim non vita, ſed mors ineſt. impletur autem ab ijs, qui quæ ſpiritus ſunt ſapiunt, quia in his eſt vita; ſapientia enim ſpiritus viuifica eſt.

Legis iuſtificatio quare impletur in ijs quæ ſpiritus ſunt non autem in ijs quæ ſunt carnis.

Attende, verba latina obſcuriora eſſe, quam Græca: hæc enim ſunt uniformia, ac ſi latine diceres; Qui ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt; qui uero ſecundũ ſpiritum, quæ ſpiritus ſunt ſapiunt; nã ſapientia carnis mors eſt; ſapientia autem ſpiritus, uita, & pax. ab ipſo. n. uerbo φρονοῦσιν, ideſt ſapiunt, trahitur nomen φρόνημα, ideſt ſapientia, eſt autem ſapientia carnis, quæ finẽ ultimũ ſibi proponit in ijs, quæ ad carnẽ pertinent; eorũ, quæ honeſta, & iuſta ſunt, rationem non habens; in illis autem ſtudet, & media quibus talem finem adipiſcatur exquirit. qualis ſapientia apparet in illo villico iniquitatis Luc. 16. qui ſibi conſulere propoſuit, nulla iuſtitiæ ratione habita; & media quibus ſibi conſuleret, ſapienter ſecundum carnem inuenit. quæ enim domini erant, iniuſte donauit, & ea uia ſibi in neceſſitate ſubuentores inuenit. ſapientia uero Spiritus contraria eſt; honeſtum enim ſibi proponit, non quæ appetitus, ſed quæ ratio poſtulat, & ueritas, mediaque excogitat, quibus talem ſibi finem adipiſcatur. huius ſapientiæ effectus uita eſt, illius uero mors. oppoſuit autem Paulus morti, quæ ex carnali ſapientia procedit, uitam, quæ prouenit ex ſapientia ſpiritus.

Digitized by Google

Et pax, quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo. legi enim Dei non eſt ſubiecta.

Sapientia ſpiritus cur pacem inducit cũ Deo.

PRoſequitur eandem rationem, ſapientia, inquit, ſpiritus, vita eſt; nec ſolum vita, ſed etiam pax, ideſt pacem inducit cum Deo; nam per eam voluntas Dei impletur ab homine; ſapientia vero carnis inimica eſt Deo, quæ non ſolum mortem inducit, ſed etiam Deo aduerſatur. cauſam autem inimicitiæ exponit dicens: non enim ſubiecta eſt legi Dei; non enim implere ſtudet quæ legis Dei ſunt; ideo diuinæ voluntati eſt aduerſaria, & inimicitiæ cauſa eſt. Pacem appellat contrarium eius, quod de ſapientia carnis dicitur, nimirum legi Dei non eſt ſubiecta. pax ergo eſt legi Dei ſubijci; rebellio enim belli, obedientia vero pacis cauſæ ſunt. Particula (nam) cauſam reddit cur prudentia, ſeu ſapientia ſpiritus præter vitam ſit etiam pax, ideſt pacis cauſa: ratio autem ſumitur ex contrario, quia ſapientia carnis præter mortem etiam belli & diſcordiæ cauſa eſt, quia inimica eſt Deo. erit ergo ſapientia ſpiritus vita, & pax, ſicut carnis ſapientia mors, & diſcordia: immo propterea illa vita eſt, quia pax eſt, ſicut hæc mors, quia inimica eſt Deo. Græcus ſermo habet ſubſtantiuum, Inimicitia eſt, verba enim mutuo ſibi reſpondent, mors, vita, pax, inimicitia, omnia enim ſunt ſubſtantiua, quamuis loco adiectiuorum poſita. Illud etiam nomen (ſapientia) & Græce idem, quod prius latine dictum eſt prudentia φρόνημα; hæc enim varietas nominum in latina interpretatione obſcuritatis aliquid adfert:

Nec enim poteſt.

ADeo eſt caro aduerſaria ſpiritus, appetituſq. illius poſt peccati corruptionem contrarius rationi mentis, vt ſapientia carnis non ſolum non ſit ſubdita legi mentis, & Dei, ſed nec eſſe poſſit; lex enim carnis, & lex Dei, tendunt in contraria, ideo ſapiens carnis non poteſt ſimul eſſe ſapiens ſpiritus: nemo enim poteſt ſeruire Deo & mamonæ. neceſſe eſt abeſſe carnis ſapientiam, vbi adeſt ſapientia ſpiritus, quæ legi Dei ſtudet: aut abeſſe ſapientiam ſpiritus, vbi adeſt ſapientia carnis, nemoq. poteſt his duobus ſeruire dominis, ac vtramq. ſimul complecti ſapientiam.

Qui

Digitized by Google

Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.

MIhi hæc ſententia cauſa præcedentis eſſe videtur. particula illa (autem) Græcis (δὲ) loco cauſalis poſita eſt, ac ſi diceret. Qui enim in carne ſunt, Deo placere nō poſſunt. apud Græcos enim talis particula eam exercet ſignificationem. Sapientia, inquit, carnis non poteſt eſſe legi ſubiecta; quia qui in carne ſunt, ideſt, carnaliter viuunt, carnis appetitus ſequentes, eiuſq. legi obedientes, non ſolum non placent, ſed nec poſſunt placere Deo, quamdiu ſic viuunt. poſſunt quidem placere, ſi carnis deſiderijs non perfectis ſpiritui obediant, ſed dum illa amplectuntur, placere non poſſunt. quia inuicem ſunt contrariæ, ſapientia carnis, & ſapientia ſpiritus. Sapientia ergo carnis ſic aduerſaria eſt legi Dei, vt nequeat eſſe ei ſubiecta; inde enim eſt, vt qui ſecundum eam viuunt, & qui ſic ſapiunt, non poſſint Deo placere; illi enim Deo placent, qui voluntatem eius, quæ per legem oſtenditur, implent.

ANNOTATIO VII.

ADuertendum eſt, aliquos particulam (δὲ) exponere illatiue, vt ſit ſenſus: qui ergo in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. ſenſus eſt accommodatus, ſed talis particula in ea ſignificatione vſurpata alibi non reperitur. idcirco in ſenſu cauſali in commentario expoſuimus, quam ſignificationem habere apud Græcos eam particulam certum eſt. Aduertendum eſt etiam, Paulum aliquando carnem vſurpare pro carne peccati, vt ij dicantur viuere, aut eſſe in carne, qui ſecundum appetitus carnis corruptæ viuunt, eiuſque deſideria perficiunt, & ſic in præſenti loco accipit. aliquando autem carnem vſurpat pro vita temporali; vt in carne eſſe, ſeu viuere idem ſit, quod vitam hanc temporalem, quæ huius eſt ſæculi, viuere, quæ communis eſt bonis, & malis, ita accipit in illo 2. Corint. 10. In carne, inquit, ambulantes, non ſecundum carnem militamus. Ambulare in carne, appellat vitam hanc mortalem agere. ſic iuſti huius ſæculi in carne ambulant, ſed non ſecundum carnem militant; quia eius deſiderijs non obtemperant, ſed ſpiritui. ſicut etiam eſt illud Gala. 2. Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei. Philip. 1. Permanere in carne neceſſarium propter vos. hoc idem paulo ſuperius adnotauimus.

Ambulare in carne, non ſecundum carnem, quomodo intelligatur.

Digitized by Google

Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu.

APplicat rationem & doctrinam poſitam fidelibus & Chriſtianis, de quibus dixerat; nihil damnationis ijs, qui ſunt in Chriſto, qui in carne, inquit, ſunt, Deo non poſſunt placere, at vos non eſtis in carne, ſed in ſpiritu, ideſt non carnis appetitus ſequimini legi Dei contrarios, ſed amplectimini legem ſpiritus, & mentis; ideo Deo placetis, nihilq. vobis damnationis ineſt, vt pote non ſecundum carnem ambulantibus.

Si tamen ſpiritus Dei habitat in vobis.

NE omnibus etiam credentibus, & fidem Chriſti profitentibus commune, & generale exiſtimetur, in carne non eſſe, ſed in ſpiritu, cum multi exiſtant in gratia, quam receperunt in baptiſmo, ad peccati vomitum reuerſi; ideo adiunxit: Si tamen ſpiritus Dei habitat in vobis; ideſt; dico vos non eſſe in carne, ſed in ſpiritu, ſi tamen gratia quam recepiſtis, in vobis perſeuerat. ſi enim eam nouis peccatis abieciſtis, adhuc in carne eſtis. Spiritum Dei appellat, Spiritum Sanctum, qui per gratiam, & dona ſua habitare dicitur in homine. ille ergo eſt in ſpiritu, ideſt ſpiritus, & mentis legem ſeruat, & ſecundum eam ambulat, in quo perſeuerat, & habitat Spiritus Sanctus per gratiam ſuam & dona: nec enim ſine gratia, & auxilio Spiritus Sancti lex ſpiritus impletur vt oportet. non ergo in eadem ſignificatione, ſpiritus, accipitur in his, & in præcedentibus verbis. nam quando dicit; Vos in ſpiritu eſtis, per ſpiritum mentem intelligit; qui enim mentis legem, & non carnis ſequitur, in ſpiritu eſt, non in carne: hanc autem legem mentis nemo implere poteſt, niſi is in quo habitat Spiritus Sanctus, qui nunc Spiritus Dei appellatur; hoc enim nomen tam apud Græcos, quam apud Latinos multos habet ſignificatus.

Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.

DIxerat in carne non eſſe, ſed in ſpiritu eos, in quibus Spiritus Dei habitat, exponit nunc, hunc Spiritum Dei non habere, & conſequenter in ſpiritu non eſſe, nec ſpiritu viuere, qui Chriſtiani non ſunt, & qui viuam, ac perfectam Chriſti fidem non habent.

Digitized by Google

habent. vt ex hoc manifeſtum fiat illud ſuperius dictum; nihil damnationis ijs, qui in Chriſto ſunt; vt pote, non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulantibus, inquit ergo: Si quis autem eſt, qui ſpiritum Chriſti non habet, qui nempe fide eius viua, & perfecta caret, hic non eſt eius, nec in eo Chriſtus eſt, ſupplendum eſt; nec eſt hic in ſpiritu, ſed in carne, nec habet ſpiritum Dei. Hoc ſupplementum Paulus non expreſſit, quia ex verbis ſequentibus aperte deducebatur; eſt enim breuitatis amator: dum tamen in ſequentibus dicit; ſi Chriſtus in vobis eſt, corpus eſt emortuum propter peccatum; ſpiritus autem viuit propter iuſtificationem; ſatis ſignificat, qui ſine Chriſto eſt, habere corpus, & ſpiritum mortua, nec eſſe in ſpiritu, ſed in carne. Spiritus Chriſti, & Dei idem eſt; eſt enim Spiritus Sanctus qui a Patre, & Filio procedit, vnuſq. eſt vtriuſq. Spiritus, vt ex hoc deducit loco Ambroſ. lib. 3. de Spi.S. cap. 9. immo ſi ſpiritus Dei eſt ſpiritus Chriſti, Chriſtus ergo Deus eſt. Adde his, intendiſſe Paulum, dum appellat ſpiritum Chriſti, ſignificare aliquid particulare, quod non ſignificabat, quando dixit Spiritum Dei; quando enim dicitur Spiritus Chriſti, datur intelligi fides Euangelica, qua non ſolum credimus in eum, ſed etiam in eũ quem miſit Ieſum Chriſtum, per quem accepimus Spiritum Sanctum, quo iuſtificati ſumus, & Deo placemus, & in ſpiritu ſumus, & viuimus. nam Spiritus Sanctus a Chriſto vt Deo procedit ab æterno, ſed per meritum & redemptionem ipſius Chriſti hominis, credentibus datur Spiritus Sanctus in tempore per gratiam, & dona, quibus viuimus in ſpiritu. non ergo eſt Spiritus Sanctus, niſi vbi eſt Chriſtus.

Ambroſ.

Si autem Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, Spiritus vero viuit propter iuſtificationem.

COmplet & perficit præcedentem ſententiam, affirmatiuam partem exponens: qui ergo eſt Chriſti, & in quo ſpiritus eius eſt, hic quidem nunc in hoc ſæculo corpus habet morti obnoxium, propter peccatum primorum parentum; at ſpiritu & mente viuit per gratiã, propter iuſtificationem factã per Chriſtũ: quod ſuperius dixerat, Carne ſeruio legi peccati, mente vero ſeruio legi Dei. Hic eſt ſtatus iuſtorum in hoc ſæculo; vt quamuis carnem habeant morti, paſſionibus, rebellionibus contra ſpiritum ſubiectam, mente viuant per gratiam; nec ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulent, donec in eis compleatur tota redemptio facta per Chriſtum

viuantq. corpore, & ſpiritu in æternum. 1. Petri. 3. Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus eſt; iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem corpore, viuificatos autem ſpiritu. Peccatum hoc loco intelligit primi parentis, per quod mors, & ruina intrauit in mundum, & in omnes pertranſijt, in quo omnes peccauerunt. Huic opponit iuſtificationem factam per ſecundum hominem Chriſtum, per quem gratiam iuſtificationis, & ſanctificationem, ſpirituſq. vitam accipiunt credentes. Græce, iuſtitiam, non iuſtificationem legimus; eſt enim δικαιοσύνη; eſtq. Chriſti iuſtitia, de qua dictum eſt cap. 5. Per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.

ANNOTATIO VIII.

Spiritus quomodo dicitur uiuere.

SVperiorem ſententiam non eodem modo legunt, nec interpretantur Doctores. Græca enim exemplaria habent ζωὴ ideſt vita, non ζῇ ideſt, viuit. legunt ergo ſic, Spiritus vita eſt. hanc lectionem amplectuntur Athanaſ. lib. de Spir. San. ad Serapion. Baſil. lib. de Spi. Sant. cap. 24. Chryſoſt. & Theophi. & inter latinos Irene. lib. 5. cap. 10. Hilarius lib. 8. Trinit. Ambroſ. in commentario. Auguſt. lib. 24. contra Fauſtum cap. 2. & in Pſal. 75. Alij legunt, ſpiritus viuit, inter quos ſunt Origen. Anſel. & noſter vetus interpres, quam lectionem Theodoretus ſequi videtur, ſi ſenſum verborum ipſius expoſitionis perpendamus. qui legiſſe videntur ζῇ non ζωὴ vt nunc habemus. Inter Latinos etiam aliqui legunt, Propter iuſtitiam; inter quos ſunt Irene. lib. 5. cap. 10. & Auguſt. lib. 24. contra Fauſt. cap. 2. Alij, per iuſtitiam, vt Hilar. lib. 8. Trinit. Alij, propter iuſtificationem, vt Ambroſ. Græce autem vna eſt vox apud omnes δικαιοσύνη. hæc de lectione.

Athanaſ. *Chryſoſ.* *Theoph.* *Iren.* *Hilar.* *Auguſt.* *Orig.* *Anſel.* *Ambroſ.*

Quantum autem ad ſenſum ſpectat, diſcordant etiam interpretes, & Doctores allegati. Aliqui Spiritum hunc exponunt Spiritum Sanctum; qui vita dicitur, quia cauſa eſt vitæ in ſe viuens, & alios viuere faciens. ita interpretantur Athanaſ. Chryſoſt. Hilari. Iren. Ambro. & Auguſt. locis citatis. Alij vero animam & rationalē hominis partem exponunt; ſic Theodoret. & Origen. explicarunt. vitam etiam hanc & iuſtitiam non eodem modo explicant, vt tota iſta ſententia varias habeat interpretationes. Chryſoſt. enim ſic explicat, Corpus mortuum eſt propter peccatum; Spiritus Sanctus tamen inhabitans vita eſt, & viuificabit illud propter iuſtificationem a peccatis; peccato enim deſtructo mens non comparet, vitam ergo de ea, quæ eſt poſt reſurrectionem; iuſtificationem autem de ea, quæ eſt a peccatis, interpretatur. Ambroſ. vero de vita gratiæ & ſpirituali exponere videtur, ſic; corpus, ideſt totus homo mortuus eſt propter peccatum; Spiritus Sanctus vero vitæ cauſa eſt, & viuificat, quia ad iuſtificationem datur. Origen. etiam de

eadem

eadem vita interpretatur, tamen verbum (propter iuſtificationem) ſic exponit. Spiritus Sanctus vita eſt, qui datur propter iuſtitiam, ideſt, vt ſeruiat homo iuſtitiæ.

Auctor. Mihi in hac varietate hæc probabiliora viſa ſunt. Primum vt legamus (ſpiritus viuit) cum veteri interprete, & Origene; opponit enim Paulus corpori ſpiritum: illud mortuum eſt propter peccatũ; hunc ergo viuere propter iuſtitiam ſeu iuſtificationem cõſequens erat. cui ſenſui quæ ſequuntur maxime accommodantur. quod ſi etiam legamus (vita) & non (viuit) pro verbo accipi debet. Secundum eſt, ſpiritum hoc in loco animæ rationalem partem appellari; opponitur autem ſpiritus corpori: hoc carnem; ergo ille animam ſeu rationalem partẽ ſignificat. Tertium eſt, hanc iuſtitiam eſſe, propter quam noſter ſpiritus in hoc ſęculo viuit, ſicut propter Adæ peccatum, corpus mortale eſt. Quartum eſt, vitam accipi de ea, quæ eſt poſt reſurrectionem, qua corpus ſurget immortale; quem ſenſum in commentario ſecuti ſumus & expoſuimus, & is accommodatiſſimus videtur.

Quod ſi Spiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum a mortuis, habitat in vobis; qui ſuſcitauit Ieſum a mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis.

PErfectam redemptionem, quæ in corporum reſurrectione completur, promittit. hactenus in hoc ſæculo, iuſtorum, in quibus Chriſtus, & ſpiritus eius inhabitant, ſpiritus viuificantur per gratiam, & iuſtitiam; corpora vero adhuc morti, & corruptioni obnoxia propter peccatum ſunt: at non ſic ſemper erit; reſurgent enim corpora etiam ad vitam, & mortale induet immortalitatem, ac corruptibile accipiet incorruptionem; & hanc ab eodem Spiritu Sancto, qui in hoc ſæculo animas & ſpiritus eorundem iuſtorum viuificat. dicit ergo Paulus: nunc, ideſt in hoc ſæculo, ſpiritus viuit propter iuſtitiam, tamen corpus mortuum eſt propter peccatum, ſi tamen ſpiritus eius, ideſt Dei Patris, qui quidem Deus ſuſcitauit Chriſtum a mortuis, habitat in vobis, vt vere habitat; ſicut Deus Pater ſuſcitauit a mortuis ipſum Chriſtum vt hominem, viuificabit etiam corpora veſtra mortalia, & hoc propter ſpiritum ipſius, ideſt Chriſti, qui in vobis eſt. ac ſi diceret, ſuſcitabuntur, & viuificabuntur corpora mortalia veſtra, quia habetis ſpiritum quem Chriſtus habuit, & qui ipſius eſt; vt ſicut vnus eſt ſpiritus Dei in vobis, qui in Chriſto, ita & ſimul ſit corporum viuificatio a Deo propter vnitatem ſpiritus. Cõtinent hæc verba doctrinam, ſimul etiam argumentũ doctrinæ ſumptũ ex Chriſti exemplo;

Qui ſit ſpiritus inhabitans.

Digitized by Google

Chriſtus enim vt homo a Deo Patre ſuſcitatus eſt à mortuis, propter ſpiritum habitantem in eo. ſi ergo Patris ſpiritus in nobis eſt, ſuſcitabimur etiam a mortuis a Deo ipſo, propter eundem ſpiritum; tanta enim eſt dignitas, & efficacia ſpiritus habitantis in iuſtis, vt non ſolum animæ propter ipſum, & per ipſum a Deo viuificentur, ſed etiam corpora,

ANNOTATIO IX.

Corpora iuſtificari quomodo intelligantur.

Ioan. 5

ATtende, viuificari corpora mortalia, non nudam reſurrectionem ſignificare, quæ malis, in quibus ſpiritus non inhabitat, communis eſt, de quibus dicitur; Ioan. 5 Procedent qui mala egerunt in reſurrectionem iudicij. at, viuificari, in hac ſententia ſignificat reſurrectionẽ glorioſam, quæ ſimilis eſt Chriſti reſurrectioni, quæ propria eſt bonis, in quibus inhabitat ſpiritus; de quibus Ioan. 5. dicitur. Procedent qui bona egerunt in reſurrectionem vitæ. Attende etiam, illud (eius) ad Deum referendum eſſe, de quo dixerat (ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis;) illud autem (qui) non ad ſpiritum, ſed ad relatiuum (eius) refertur. quod ex Græcis verbis manifeſtum eſt, ac ſi clarius dictum eſſet. Quod ſi ſpiritus Dei ſuſcitantis Chriſtum a mortuis, habitat in vobis. illud autem (propter inhabitantem ſpiritum eius) ad Chriſtum refertur, non ad Deum; ſi enim ad Deum referretur, dicendum eſſet (propter inhabitantem ſpiritum ſuum) at non ſic dicitur, ſed (propter inhabitantem ſpiritum ipſius) nempe Chriſti; & in hoc eſt argumenti efficacia, quia enim ſpiritus hic Dei, qui in nobis habitat, Chriſti etiam eſt, ſicut Chriſtus vt homo a Patre ſuſcitatus eſt, ita & nos ſuſcitabimur, qui eundem cũ Chriſto ſpiritum habemus. Quibus verbis Paulus docet, non ſolam animarum vitam nobis propter Chriſtum a Deo dari, ſed etiam corporum viuificationem, & totam hominis redemptionem & ſalutem. Attende rurſus, Chriſtum ſua paſſione & morte perfectam animarum, & corporũ redemptionem meruiſſe: tamen non ſimul ea iuſtis communicatur; ſed prius animarũ, vt, corpore manente in corruptione, meriti, & iuſtitiæ ratio nobis accreſcat, dum cum hoſte pugnamus, & patienter aduerſa ſuſtinemus. poſt hoc vero ſæculum, tota redemptio executioni mandatur, & in effectu perficitur, de qua dicitur Luc. 21. Appropinquat redemptio veſtra.

Ergo fratres, debitores ſumus, non carni, vt ſecundum carnem viuamus.

COlligit Paulus, & confirmat ſuperiorem aſſertionem; nempe qui in Chriſto ſunt, non eſſe in carne, nec ſecundum carnẽ, ſed in

Digitized by Google

ſed in ſpiritu, & ſecundum ſpiritum ambulare, & operari debere. Eſt autem connexio & ſenſus huius ſententiæ talis. In quibus Chriſtus eſt, Spiritus viuit propter iuſtificationem, carne manente mortali propter peccatum: ergo vos, fratres, in quibus Chriſtus eſt, debetis non ſecundum carnem viuere, eius appetitus ac voluntates ſequendo, ſed ſecundum ſpiritum, mentis, ac Dei legi obediendo; illa enim mortua adhuc eſt propter peccatum; hic vero viuit propter Chriſtum, à quo eſt iuſtitia. cum ergo debitores ſitis Chriſti, à quo ſpiritum vitæ accepiſtis, & cuius ſpiritu mortalia veſtra corpora ſunt poſtea viuificanda; debetis viuere, non ſecundum carnem, quæ adhuc Chriſti redemptionem non accepit; ſed ſecundum ſpiritum, & mentem, quæ vitam habet ab eo, eiuſq. redemptionem iam in ſe participauit.

Attende, debitores eſſe dictos fideles, propter redemptionem acceptam à Chriſto; ſeruus enim liberatus debitor eſt ei, qui liberauit. cumque redemptio, & liberatio carnis nondum ſit communicata in hoc ſæculo, ea adhuc manente ſub lege mortis, & peccati; communicata autem ſit ſpiritui, & menti, qui gratia Chriſti viuit, & à peccati ſeruitute ereptus eſt; debemus Chriſto inſeruire, ac Deo, non carnis operibus, quæ ex carnis voluntate, & appetitu procedunt, ſed operibus ex ſpiritu viuenti procedentibus. Quid autem ſit ſpiritui debitores eſſe, ſequens verbum, ſimul etiam & tacitum exponit, nempe, ſpiritu facta carnis mortificare, & ſecundum legem ſpiritus viuere; eſt enim ecclipſis, & ſupplendum eſt verbum oppoſitum; vno enim contrario alterum inſinuatur; ac ſi expreſſe diceret: Debitores ſumus non carni, vt ſecundum carnem viuamus; ſed ſpiritui, vt ſecundum ſpiritum viuamus. Recte autem (quod etiam annotauit Chryſoſtomus ſerm. 14.) expoſuit Paulus verbum hoc, Debitores ſumus non carni, adiungens, vt ſecundum carnem viuamus. nam carni debitores ſumus, vt eius curam geramus, & neceſſaria miniſtremus, ſed non vt appetitus eius legi Dei contrarios exequamur. quod cap. 13. Paulus alijs verbis docuit, dicens: Carnis curam ne feceritis in deſiderijs. ſignificans, carnis curam eſſe faciendam, ſed non in deſiderijs.

ANNO-

ANNOTATIO X.

AVg. lib. 14. Ciuit. cap. 2. & 4. hunc locum Pauli ſic exponit, vt caro pro toto homine accipiatur, idemq. ſit ſecundum carnem viuere, ac ſecundum hominem viuere. viuere autem ſecundum hominem, eſt viuere ſecundum propriam voluntatem: qui autem ſecundum propriam voluntatem viuit, animalis homo dicitur, at qui viuit ſecundum Dei voluntatem, cui noſtra obedire debet, dicitur homo ſpiritualis, & ſecundum Deum, & Spiritum viuere. Erit ergo ſenſus Pauli; homo non eſt debitor carni, ideſt, ſibi ipſi, vt ſecundum propriam voluntatem viuat; non enim ſe ipſum fecit, nec ſe redemit, aut liberauit; ſed eſt debitor ſpiritui & Deo, à quo creatus, redemptus, & ſaluatus eſt. debet ergo ſecundum Dei legem, ac voluntatem viuere. non igitur propria humana voluntas, ſed diuina, quæ per legem Dei manifeſtatur, eſſe debet regula, & norma, cui homo debet vitam ſuam conformare; & ſecundum eam opera ſua exercere. Hæc Aug. expoſitio vera eſt doctrina; tamen non accommodatur verbis Pauli; hæc enim ſententia connexa eſt illi ſuperiori: Corpus mortuum eſt propter peccatum; Spiritus autem viuit propter iuſtificationem. quod corpus appellat hiſce verbis, carnem nunc vocat, & in toto hoc capite, & in fine ſuperioris, vbi dixit: Carne ſeruio legi peccati, mente legi Dei. ſemper carnem accipit pro parte inferiori hominis, quæ ſenſus & appetitum complectitur, & diſtinguitur à mente, ſpiritu, ſeu rationali parte. Viuere ergo ſecūdum carnem, eſt appetitus ſenſuales ſequi; adeo, vt quando mēs ipſa, & rationalis pars obedit ſenſui, dicatur homo viuere ſecundum carnem: viuere autem ſecundum ſpiritum, eſt ea, quæ honeſta, & rationabilia ſunt, ſequi; hæc enim parti rationali propria, & conuenientia ſunt, quod nequiret Spiritus facere, niſi per Chriſtum vitam acciperet. Caro ergo, & Spiritus in hac ſententia duas hominis partes ſignificant, ſenſualem nempe, & rationalem: quando autem ſenſualis obedit rationali, & ſpirituali, totus homo dicitur viuere ſecundum ſpiritum, etiamſi operationes ſint ſenſus, ac corporis; quando vero cōtra rationalis pars obedit ſenſuali, totus homo ſecundum carnem & ſenſum viuere dicitur, quamuis opera & actiones ſint partis ſuperioris; qui enim ſuperbe ſapit de ſe, qui alijs inuidet, qui contra proximū machinatur, quamuis mente operetur, ſecundum carnem viuit. nam hæ actiones originem ex parte ſenſuali dominante trahunt. qua de cauſa Paulus, Gal. 5. multa peccata, quæ ſuperiore parte hominis perpetrantur, inter peccata carnis adnumerauit, & hunc exiſtimo eſſe legitimum ſenſum Pauli, quamuis doctrina ſit eadem ſecundum expoſitionem Aug. & noſtram.

Si enim

Digitized by Google

Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

Cur ſecundum ſpiritum non ſecundum carnem viuere debeamus.

CAuſam adnectit cur non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum viuere debeant, ex pœna, & præmio præparatis à Deo. Si enim, inquit, ſecundum carnem vixeritis, moriemini, ideſt, corpora mortalia veſtra non viuificabuntur, ſed in æternam mortem ſurgent. Si vero ſecundum ſpiritum vixeritis, carnis appetitibus, & paſſionibus contradicendo, eaq. per Dei legem reprimendo, viuetis vita immortali, & æterna, & viuificabuntur corpora mortalia veſtra propter inhabitantem ſpiritum in vobis; qui enim ſecundum carnem viuit, eam æternæ morti, & damnationi addicit; qui vero eam in hoc mundo mortificat, ac menti ſubdit, eam in vitam æternam ſeruat. Similis eſt illa Domini ſententia Ioan. 12. Qui amat animam ſuam, perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Dicit autem (moriemini, & viuetis) ideſt, vos ipſi integri, & carne, & ſpiritu; quia totus homo reſurget ad gloriam, vel ad pœnam. Igitur non dictum eſt, caro viuet, aut morietur, ſed viuetis, aut moriemini vos.

Attende, Paulum recto conſilio non dixiſſe; ſi ſecundum ſpiritum vixeritis, ſed, ſi ſpiritu, nempe per iuſtificationem viuente facta carnis mortificaueritis: quia in hoc ſæculo non reperitur vita ſpiritualis pura ita, vt caro conſentiat in omnibus menti, ſed ſemper eſt pugna carnis concupiſcentis aduerſus ſpiritum, & ſpiritus contra carnem, vitaq. ſecundum ſpiritũ eſt pugna, & victoria contra rebellẽ carnem. vt ſi militantium vitam aliquis commendaret, pugnæ mentionem neceſſario faceret, ita nunc Paulus loquitur. Facta autem carnis appellat inſultus, motus, paſſiones, & appetitus ipſius, etiam nobis nolentibus inſurgentes. quæ tunc ſpiritu mortificari dicuntur, quando impediuntur, & frænantur, ne vltra procedant, mentemq. ſibi conſentientem faciant, ad operaq. exteriora voluntarie prorumpant. mortificantur autem ſpiritu non ſolo, ſed viuente per gratiam Chriſti, & per inhabitantem ſpiritum Dei in nobis; ſpiritus enim hominis ſolus id efficere non valet. nam ſine ſpiritu Dei carnem ſequitur, & carnalis efficitur.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIO XI.

Mors, & vita duplex.

ATtende, duplicem mortem, & vitam eſſe; eſt enim mors peccati, & vita gratiæ; eſt etiam mors æternæ damnationis, etiam reſurgente corpore, & vita gloriæ. qui ergo ſecundum carnem viuit, peccati morte moritur in hoc ſæculo, & poſt reſurrectionem totus moritur æterna damnatione; contra vero, qui ſecundum ſpiritum viuit, & eo facta carnis mortificat, in hoc ſæculo viuit vita gratiæ, & poſtea in gloriæ æternam vitam totus reſurgit. Paulus tamen in hac ſententia non de priori morte, aut vita, ſed de poſteriori loquitur; quod facile probatur ex ipſis verbis. Si, inquit, facta carnis mortificaueritis, viuetis. de futura vita verbum eſt, quam ſperat qui carnis facta ſpiritu mortificat. nam vitam gratiæ iam habet per Spiritum inhabitantem, ſine qua vita, facta carnis mortificare non poſſet. Et de vita, ac morte æternis locum hunc Doctores fere omnes exponunt. Attende rurſus, Iren. lib. 5. cap. 10. & Cyprian. lib. de zelo ſic legere: Si enim ſecundum carnem viuitis, incipietis mori. Si autem ſpiritu opera carnis mortificaueritis, viuetis. Præterea interpres Theodor. ſic legit: Si ſecundum carnem vixeritis, ſecundum carnem moriemini. Græca tamen exemplaria legunt ſicut & vetus interpres; & eſt lectio communis, nempe: Si ſecundum carnem vixeritis, futurum eſt vt moriamini.

Iren. Cyprian. Theodor.

Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, iſ ſunt filij Dei.

PRobat Paulus, eos, qui ſecundum ſpiritum vixerint, ſpirituq. facta carnis mortificauerint, victuros, & immortalitatem conſecuturos per reſurrectionem cum Chriſto. eſt autem tota probatio hæc. Qui ſpiritu Dei aguntur; ideſt, qui ſpiritu ducti operantur, operaq. faciunt, ſecundum ſpiritum viuentes, & non ſecundum carnem, hi ſunt filij Dei; qui autem filij Dei ſunt, heredes ſunt Dei, & coheredes Chriſti hominis, qui etiam filius eſt; igitur vna cum illo gloriam, & immortalitatem accipient; hæc enim eſt hereditas, vita nempe glorioſa & æterna. Hæc eſt tota probatio: cuius prima pars, & propoſitio, quam Dialectici vocant, eſt ſententia præſens. Agi ſpiritu Dei eſt opera facere ſecundum ſpiritum, quorum motor & auctor primus eſt ipſe ſpiritus Dei inhabitans in iuſtis per gratiam, virtutes, & dona. Iren. lib. 5. cap. 10. vertit: Qui enim ſpiritu Dei ducuntur. Dicuntur autem, & ſunt iuſti filij Dei non natura; hoc enim ſolius eſt Chriſti; ſed adoptione & gratia, iuxta illud 1. Ioan. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater,

Agi ſpiritu Dei, quid ſit.

vt filij

Digitized by Google

vt filij Dei nominemur & ſimus. propter naturæ autem filium, facti ſumus filij ex gratia. ad Galat. 4. Miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, vt adoptionem filiorum reciperemus.

Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum filiorum Dei.

ANtequam ſuperioris probationis alteram partem exponat, primæ partis & propoſitionis proximæ cauſam adfert. Eſt autem obſeruandum, Paulum his probationibus eo conſilio vti, vt dogmata fidei noſtræ edoceat; propoſitio enim illa expoſita, dogma magni momenti continet, nempe per Spiritum ſanctum eos, qui Euangelium ſequuntur, & ſecundum id vitam componunt, in filiorum adoptionis ſtatum admitti. ſententia autem præſens, alterum dogma, in quo Euangelij excellentia ſupra legem manifeſtatur, complectitur; nempe, eos, qui in lege erant, & ſecundum legem illam viuebant, accepiſſe quidem Dei ſpiritum, ſine quo, quæ legis erant, implere non potuiſſent, tamen ſpiritus ille in ſeruorum Dei ſtatu eos continebat, quibus lex timorem incutiebat, ad Galat. 4. *Gal. 4.* Sunt duo teſtamenta, vnum in mõte Syna in ſeruitutem generans; at qui ſub Euangelio viuunt, ſpiritum quidem eundem accipiunt; vnicus eſt enim ſpiritus Dei; ſed à ſtatu ſeruorum Dei, eos in ſtatum filiorum adoptionis promouet, quos amore potius quàm timore pœnæ allicit. Eſt ergo ſenſus breuibus verbis talis expreſſus. Qui Dei ſpiritu ducuntur, & ſecundũ eum in ipſis habitantem nunc viuunt, filij ſunt Dei; quia iam ſtatus ille legis ceſſauit, nec in ſtatu ſeruorum, qui timore mouentur, ſed in ſtatu filiorũ, qui amore ducuntur potius, quam pœnæ timore, per Euangeliũ tranſlati, & elati ſunt. Græce (In timorem) habetur. vt ſit ſenſus. Non accepiſtis ſpiritum ſeruorum ad timendum. & ſic exponit Chryſoſtomus.

Attende pro intelligentia huius ſententiæ, legem illam a Deo datam, pœnas temporales multiplices, & graues ſuis tranſgreſſoribus inflixiſſe, vt ex libris Moyſis conſtat, idcirco lex timoris dicta eſt: & quibus tunc eſt data, quique ſub illa viuebant dicti ſunt ſerui, quia tamquam cum ſeruis agebat cum eis Deus, qui timore ad obſeruantiam impellebat, eaq. de cauſa in timore, & terrore incuſſis lata fuit a Deo, ita vt non auderent Iudæi Deo accedere, ſed peterẽt per Moyſem audire quæ Deus præcipiebat. Dicta etiã eſt lex timoris, vt dicit Ambr. quia a peccato non ſanabat, ſed tantũ *Ambr.*

medici-

Digitized by Google

medicinam oſtendebat. maxime autem pro peccato timendum eſt. Et eadem de cauſa erat lex ſeruorum. erat tamen ſeruitus honorifica; præſtabat enim eſſe de numero ſeruorum, & populi Dei, quàm mundi omnem dignitatem habere. Lex etiam ipſa non habuit efficaciam, nec virtutem remittendi peccata, nec gratiam conferendi, per quam homo efficitur Dei filius; collata enim illis tunc gratia, non legis virtute, ſed fidei futuri tunc Chriſti aduentus, qui ad Euangelium pertinet, conferebatur. idcirco illi ſpiritum timoris, & ſeruitutis acceperunt; bona tamen ſeruitus, & bonus timor, quia à Dei ſpiritu erat, quamuis imperfectum vtrumque. At lex Euangelica nullam infligit temporalem pœnam, efficaciamq. habet remittendi peccata, & gratiam conferendi. ideo lex filiorum, & amoris dicitur. comparat enim Paulus Euangelium, fidem, & gratiam conferens illi legi. Ideo per Euangelium, filij; per legem ſerui efficiebantur. Quomodo autem Chriſtiani filij, & illi ſerui dicti ſint, & an hoc ad ſtatus, an ad perſonas ſit referendum, plene explanauimus ſuper Ioan. cap. 1. in illis verbis: Dedit poteſtatem filios Dei fieri. illic legat qui huius rei perfectiorem quærit intelligentiam.

Legis veteris effectus. *Legis nouæ virtus.* *Ioan. 1.*

ANNOTATIO XII.

CHryſoſt. & Theodoret. per ſpiritum ſeruitutis negant Spiritum ſanctum intelligi, ſed legem ipſam; idq. probat Chryſoſt. quia Spiritus ſanctus non eſt datus in lege. Verius tamen Aug. ſer. 13. de verbis Apoſtoli. cui conſentit Anſelm. Spiritum ſanctum exponunt. idem enim eſt Spiritus, quamuis operationes, & effectus varij. 2. Cor. 12. Hæc omnia operatur vnus & idem ſpiritus: ita qui tunc ad timorem, & legis obſeruantiam dabatur, nunc ad gratiam reconciliationis, & peccatorum remiſſionem datur; & qui tamquam ſeruis dedit legem, dat vt filijs Euangelium; fuit enim illa lex per Spiritum ſanctum data, & digito Dei ſcripta, & ſine Spiritu ſancto impleri non poterat. Et quamuis nō eſſet datus Spiritus ſanctus tunc, vt nūc datur, tamen dabatur ad aliquos effectus; niſi enim daretur tunc, non diceret Dauid, Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. per Prophetas etiam locutus eſt Spiritus ſanctus. vide de hoc, quæ diximus Ioan. 7. in illa verba: Nondum erat Spiritus datus.

Chryſoſt. Theodor. *Auguſt. Anſel.* *2. Cor. 12*

In quo clamamus Abba pater.

COnnexa ſunt hæc præcedentibus, explicantq. qualem, ac quantum ſpiritum filiorum accepimus in Euangelio; nimirum vt non ſolum ſimus effecti filij, ſed etiam Deum Patrem clamemus, ideſt, palam, & libere Deo loquentes ipſum appellemus, & inuocemus

cemus

Digitized by Google

cemus patrem. clamor enim publicam, manifeſtam, ac liberam inuocationem indicat, de qua in præfatione Miſſæ Eccleſia dicit. Diuina inſtitutione formati audemus dicere; nō enim omnes apud nos filij patres ſuos appellant patres, quando ipſis colloquuntur; ſed dominos, aut alijs honorificis titulis. at nos Deum patrem vocamus, docente & præcipiente Chriſto, Matth. 6. Sic, inquit, orabitis: Pater noſter qui es in cælis. Hoc Euangelio proprium eſt; in ſynagoga enim, quamuis filij inuenirentur propter gratiam, & fidem futuri aduentus, non tamen licuit omnibus tunc Deum hoc nomine inuocare, vti nunc licet. quod recte annotauit Chryſoſt. Eſt autem hæc ſententia oppoſita illi, (In timore) acceperunt enim Iudæi ſpiritum ſeruitutis, & in timore, ideſt, ad timendum Deum, at nos ſpiritum adoptionis filiorum in fiduciam, & affectum, in quibus clamamus, Abba, Pater. Illud (in quo) cauſam efficientem indicat; nam, Spiritu ſancto auctore, clamamus, & inuocamus Deum patrem; ſicut enim nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto, vt teſtatur Paulus 1. Corinth. 12. quia nemo poteſt credere in Chriſtum, ipſumque confiteri, niſi virtute Spiritus ſancti, & Spiritu ſancto illuſtrante, & mouente, ita nemo poteſt credere, & inuocare perfecte Deum Patrem, niſi eiuſdem Spiritus ſancti virtute, & motione. Paulus nomen Hebræum retinuit, & Græcum appoſuit, vt gratiam hanc generalem omnibus ex Iudæis, & Gentibus conuerſis ſignificaret. Eſt autem clamor hic præcipue mentis, & affectus, à quo exterior procedit.

Matt. 6. *Chryſoſt.* *1. Cor. 12*

ANNOTATIO XIII.

Mar. 14 Abba, Pater, quare geminatur. *Origen.* *Ambr.*

TEr in Scriptura hæc repetita vocabula legimus, Abba, Pater. ſemel Mar. 14. orante Domino. Abba Pater omnia tibi poſſibilia ſunt. Secundo Gal. 4. Miſit Deus filium ſuum in corda noſtra clamantem Abba pater. Tertio in hoc loco, quem nunc exponimus, cuius geminationis cauſam non eodem modo omnes exponunt. Origen. cui Ambr. conſentit, ſecundam vocem in explicationem, ſeu interpretationem præcedentis, quæ Hebræa, ſeu potius Syriaca eſt, poſitam ſentit; ac ſi diceret: Abba, id eſt, Pater. cui opinioni fauet locus Marci, nec enim Chriſtus vſus eſt geminatione illa, ſed ſola voce Hebræa, Euangeliſta autem Græce ſcribens, voce Græca declarauit. Quod ſi ab his Doctoribus petas, cur retentum eſt Hebræum vocabulum; Græce enim Euangeliſtis, & Paulo ſcribentibus, ſatis erat vti Græca voce, ſicut Ioannes fecit ca. 11. orationem enim Chriſti deſcribens, dixit: Pater ago tibi gratias, quod ſemper me audis, nec dixit Abba Pater, cum certum ſit, Dominum Hebræo ſermone tunc vſum eſſe.

Ioan. 11.

Digitized by Google

Matt 11. eſſe. Simile fecit Matth. cap. 11. Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ. ad hoc nihil Orig. & Ambroſ. reſpondent, nec dubitationem proponunt, tamen Chryſ. & Theod. Chryſoſ. Theodor. aliam cauſam huius geminationis adferentes ſatisfacere videntur, dicit enim Chryſ. vocem Hebræam eſſe repetitam, vt ſignificaretur adoptio hæc legitima; Abba enim vox eſt puerorum, qui patres legitimos balbutiendo vocant Abba. Sed non video cur etiam non legitimos non ſic vocent. immo vt dicit Ariſtot. paruuli omnes homines vocant patres. magis placet quod Aug. ſer. 13 August. de verbis Apoſtoli. & lib. de Spirit. & lit. cap. 32. cui Anſelm. conſentit, reſpondent, nempe id eſſe factum, vt adoptio hæc filiorum Iudæo, & Gentili communis ſignificaretur; vterque enim Euangelica gratia accepta Deum patrem appellat, & ſub hoc nomine, & titulo inuocat, & hac de cauſa ad Gal. 4. vſus eſt Gal 4. Paulus eadem repetitione. Marcus autem repetijt ad interpretandum, cæteri Euāgeliſtæ vſi ſunt voce Græca. non tamen inde ſequitur, apud Paulum in his locis myſterium hoc non ſignificari. nam tractat Paulus de adoptione filiorum, quæ communis eſt Iudæis, & Gentibus, idcirco hac repetitione generalitatem adoptionis ſignificauit; ſimilis enim effectus ex varijs cauſis prouenire poteſt.

Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei.

CAuſam cur dixerit (in quo, nempe Spiritu ſancto, clamamus) reddit, ac ſi diceret, dixi in Spiritu ſancto nos clamare, & inuocare Deum, Abba pater, quia ipſe Spiritus teſtimonium reddit vna cum ſpiritu & corde noſtro, nos eſſe filios Dei. non ſolum nos teſtamur filios eſſe Dei, dum patrem Deū clamamus, ſed etiam ipſemet Spiritus ſanctus hoc idem teſtatur, dum clamat cum Spiritu noſtro, Abba pater, quia clamare nos facit, auctorq. eſt clamoris huius. Qui autem Deum clamat, & inuocat Patrem, ipſo clamore teſtimoniū perhibet ſe eſſe filium. nos ergo clamantes Deum patrem, teſtamur eſſe filios; Spiritus ſanctus etiam dum clamare nos ſic facit, teſtatur etiam vna nobiſcum nos eſſe filios. Hic ergo clamor, qui à corde noſtro per Spiritum ſanctum procedit, teſtimonium eſt & ipſius Spiritus ſancti, & cordis noſtri nos eſſe filios. Si autem à corde noſtro ſolo procederet, fallax eſſet teſtimonium, at quia à Spiritu ſancto eſt, fallax, aut mendax eſſe non poteſt.

Abba Pater quare clamamus

Attende, quod Galat. 4. dixerat, cor. Miſit, inquit, Spiritum Filij clamantem in corda noſtra, Abba pater: hoc nunc ſpiritum noſtrum appellat; quamuis enim exterius, & interius, nempe corde, & corpore Deum patrem inuocemus, tamen quia Spiritus in hoc Gal. 4.

ſeculo

Digitized by Google

ſeculo eſt, qui viuit, vt ſuperius dictum eſt, ideo ipſi teſtimonium tribuitur.

ANNOTATIO XIV.

GRæce non habetur particula cauſalis (enim) nec legitur in aliquibus textibus Latinis; parum tamen refert. ſubintelligenda namque eſt more Hebræorum, qui non ſemper eam exprimunt, quamuis ſentētia cauſam reddat. Rurſus Græce non eſt (teſtimonium reddit) ſed vnicum verbum, idq. compoſitum συμμάρτυρεῖ, ideſt, conteſtatur, quamuis Latine verbum hoc non vſurpetur in ea ſignificatione. Quantum autē ad ſenſum ſpectat, varie à Doctoribus hæc ſententia exponitur; aliqui enim interpretantur hoc Spiritus ſancti teſtimonium redditum, & exhibitum eſſe ſpiritui noſtro, ſed quod ſimul cum noſtro ſpiritu conteſtetur, vt & ipſe Spiritus ſanctus, & cor noſtrum ſimul cōteſtentur, reddantq. teſtimonium nos eſſe filios Dei. Græcus enim ſermo vtramque admittit phraſim locutionis. Primo ergo loco Origen. teſtimonium hoc exhibitum noſtro ſpiritui interpretatur; & per ſpiritum noſtrum ſuperiorem animæ noſtræ partem exponit. huic Spiritum ſanctum dicit teſtimonium reddere, nos eſſe filios Dei per affectum ipſum, quo non timore iam, ſed amore legem Dei implere experimur. affectus ergo hic teſtimonium eſt Spiritus ſancti, redditum animæ affectum experienti nos eſſe filios Dei.

Spiritus ſanctus quō teſtimonium reddit ſpiritui noſtro.

Origen.

Ambr. Anſel.

Secundo loco Ambroſius, & Anſelmus, hoc teſtimonium redditum animæ noſtræ etiam exponunt, aliter tamen ipſum interpretantur, nempe imitationem Dei, & Chriſti: dum enim Deum, & caput noſtrum Chriſtum imitamur, diligentes etiam inimicos, cæteraſq. virtutes amplectentes, quibus Deo ſimiles efficimur, teſtimonium habemus nos eſſe filios Dei: filij enim patres imitantur. Cum autem Spiritus ſanctus nos imitatores, & ſimiles Deo faciat, ideo dicitur ipſe reddere teſtimonium.

Tertio loco Theodor. hoc teſtimonium dicit eſſe ſacram doctrinam, quæ ſibi obedientes, & Deum Patrem inuocantes non reprehendit, ſed confirmat eſſe vere Dei filios. Spiritum autem noſtrum interpretatur gratiam datam, & infuſam ab ipſo Spiritu ſancto; tum enim Spiritus ſanctus ipſe per ſanctam doctrinam, tum per ipſam gratiā teſtatur nos eſſe filios Dei. huic expoſitioni accedit Oecumenius. ***Theodor.***

Quarto loco Sedulius teſtimonium hoc eſſe ipſum Spiritum affirmat; vt ſit ſenſus: ipſe Spiritus ſanctus datus, teſtimonium eſt noſtro ſpiritui, eſſe nos filios Dei, tantum enim donum dari non potuit niſi filijs, tantamq. arram non poterant niſi filij accipere. videtur hæc expoſitio Auguſt. ſer. 13. de verbis Apoſt. ***Sedul.***

Quinto loco Chryſoſt. teſtimonium hoc interpretatur ipſum clamorem, quo clamamus, & vocamus Deum patrem, qui clamor à Spiritu ſancto eſt; ipſe enim clamare facit. & hoc ipſo teſtatur nos eſſe ***Chryſoſt.***

Digitized by Google

Dei filios. Exponit etiam (conteſtatur) id eſt, ſimul cum Spiritu noſtro teſtimonium reddit, non quod teſtimonium ſit redditum ſpiritui noſtro à Spiritu ſancto, ſed quod Spiritus ſanctus vna cum ſpiritu noſtro teſtatur nos eſſe filios Dei, quia non ſolum ipſe Spiritus ſanctus, ſed nos vna clamamus; clamat enim per nos, & ſic nos cum ipſo, & ipſe nobiſcum conteſtamur nos eſſe filios Dei: & in hoc cum Theodor. conuenit, præterquam quod ſpiritum non gratiam, ſed cor & mentem noſtram exponit, quæ ſententia, & expoſitio accommodatior mihi viſa eſt, fauetq. verbum Græcum, quod compoſitum eſt, & de multis dicitur, quamuis aliquando pro ſimplici vſurpari ſoleat, tamen quando ſuam propriam & cõmunem poteſt retinere ſignificationem, non eſt relinquenda, maxime quia cæteræ expoſitiones difficultates non modicas quãtum ad doctrinæ veritatem patiuntur. hæc autem, quam ſecuti ſumus, facilis eſt, & contextui valde cohæret. Sexto loco Ambr. epiſt. 22. ad Horontianum, teſtimoniũ cum Chryſoſtomo exponit, nimirum clamorem, quem in nobis efficit Spiritus ſanctus, tamen hoc teſtimonium Spiritui noſtro redditum affirmat. *Ambroſ.*

Si autem filij, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti.

PRoſequitur Paulus ſuperiorem probationem; volens enim ſuperius confirmare, qui ſecundum ſpiritum vixerint; eos ad immortalitatis gloriam peruenturos, vſus eſt tali argumento; qui ſpiritu aguntur, & ſecundum ſpiritum viuunt, filij ſunt Dei, hanc veluti propoſitionem argumenti ſtatim declarare, & confirmare aggreſſus eſt ſequentibus ſententijs: qua confirmata, argumentum proſequens propoſitioni adiungit aſſumptionem; nempe, qui filij ſunt, heredes ſunt hereditatis, & poſſeſſionis paternæ, igitur qui ſpiritu ducuntur, & ſecundum ſpiritum viuunt, conſequentur Dei hereditatem, quæ immortalitas, & vita æterna eſt. Ex titulo ergo filiationis, probat Paulus, eos, qui ſecundum ſpiritum vixerint, quamuis corpora in hoc ſeculo mortalia habeant, ad immortalitatis gloriam ſuſcitandos, ſimilesq. futuros in gloria cum Chriſto Domino, qui cum filius ſit Dei, quamuis naturalis, heres eſt Dei, & nos cum ipſo coheredes, qui etiam filij ſumus, non natura, ſed adoptionis gratia, Chriſtumq. hominem fratrem habeamus, & confratres eius ſimus. tales enim nos vocare dignatus eſt Ioan. 20. *Ioan. 20.* Vade ad fratres meos, & dic eis: aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum. vti ergo ille ad gloriam immortalitatis, & perfectæ, ac integræ beatitudinis peruenit, quamuis corpus mortale propter noſtrum peccatum ſumpſerit; ſic etiam nos, qui ſecundum ſpiritum

tum

Digitized by Google

tum viuentes, filij Dei, & confratres eius, vt homo eſt, ſumus, perueniemus. Attende, nos dici coheredes Chriſti, non ſicut Chriſtus eſt heres, ita & nos ſimus; ille enim nos effecit filios Dei, & per ipſum heredes ſumus, ſic tamen facti per ipſum, eandem capimus gloriam, quam ille vt homo habet; licet non tantam, quia ipſe primogenitus eſt, ideo dicimur coheredes.

ANNOTATIO XV.

Hereditas proprie non acquiritur, niſi mortuo eo, cuius bona hereditamus. cũ igitur Deus immortalis ſit, nec mori poſſit, bona, quæ ab ipſo iuſti accipiunt, & quibus beati fruuntur, non proprie hereditas; nec beati & ſancti dicuntur heredes; ſed hereditas dicitur poſſeſſio bonorũ Dei, quæ, ipſo viuente, & non priuato bonis ſuis, iuſtis communicantur. Quamuis autem hoc verum ſit, tamen non ſine magno myſterio Scriptura diuina beatitudinem iuſtis pręparatam appellauit hereditatem; ſignificauit enim futuram mortẽ ipſius Dei; non quidem ſecundum naturã propriam, quia ipſe non moritur, ſed communicationem naturæ aſſumptæ. quando enim Chriſtus Deus mortuus eſt, licet in humana natura mors ſit recepta, tamẽ mortuus dicitur Deus, quia, qui in humana natura mortem paſſus eſt, Deus erat. vt ergo ſignificaretur, neminem ad Dei fruitionem, & ad corporis immortalitatem aſſumendum, niſi poſt Chriſti mortem, ideo dicta eſt hereditas, & iuſti appellati ſunt heredes, ſicut etiam dictum eſt, vetus teſtamentum, & nouum, vt habetur ad Hebr. 9. non enim eſt teſtamentum perfectum, niſi morte intercedente. vt igitur confirmaretur Dei teſtamentum, vera mors Chriſti interceſſit in nouo, & mors eius figuralis in animalium ſacrificatorum morte in veteri; non ergo omnino improprie dicitur hereditas, & nos heredes.

Beatitudo quare vocetur hereditas iuſtorum.

Hebr. 9.

ANNOTATIO XVI.

Ab illis verbis (debitores ſumus) vſque ad hæc vltimo loco expoſita, multa & efficacia argumenta inſinuat Paulus, quibus nos ad viuendum ſm̃ ſpiritum exhortatur. Primum ex debito, quo ad id exhibendũ tenemur, nimirum quia per iuſtitiã Chriſti, ſpiritus vitam iam nunc accepimus Spiritu ſancto in nobis habitante. quo argumento vſus eſt Epheſ. 4 Si ſpiritu, inquit, viuimus, ſpiritu & ambulemus. Secundũ eſt ab effectu, ſi ſecundũ carnem vixeritis, moriemini æterna morte; ſi vero facta carnis mortificaueritis, viuetis æterna vita. Tertiũ ab honore maximo; qui .n. ducuntur ſpiritu, ſecundũ eũ viuentes, filij Dei ſunt. Quartũ à maxima æquitate, ſi .n. clamamus: Abba pater, cõuerſo ſpiritu ſeruitutis & timoris, in ſpiritum filiorum, libertatis, & amoris, æquiſſimum eſt vt nos dignos tantò patre exhibeamus. Quintum eſt ab adiutoris magnitudine; Spiritus ſanctus ipſe nobiſcum

Ex quibus tenemur viuere ſecundum ſpiritum.

Epheſ. 4.

Digitized by Google

biſcum clamat, viuentibusq. ſecundum ſpiritum cooperatur, cooperandum ergo illi eſt. Sextum eſt à magnitudine præmij; qui enim ſecundum ſpiritum viuunt, heredes ſunt Dei, coheredesq. Chriſti.

Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.

Patientia quò ſit neceſſaria viuẽtibus ſecundum ſpiritum.

POſtquam Paulus multis argumentis ad viuendum ſecundum ſpiritum, non autem ſecundum carnem, exhortatus eſt; ad patientiam eos, qui ſecundum ſpiritum viuunt, nunc excitat; hæc enim eis maxime eſt neceſſaria, cum vita ſpiritualis & interius, & exterius multis abundet tribulationibus, virtutisq. præmium non in hoc ſeculo, ſed in futuro ſit accipiendum, beatitudoq. non in re, ſed in ſpe poſita nunc ſit, ad quam patientiam, & ſpem plurima loca Scripturæ nos inducunt; ſine qua ſpiritualis vita non ſubſiſtit; maxime autem hanc patientiam commendat Paulus propter corpus, quod adhuc in ſeculo, etiam in ipſis iuſtis quorum ſpiritus viuit, mortuum eſt propter peccatum, & ideo multis miſerijs, ac afflictionibus expoſitum, quas ad ſpiritum peruenire propter vnionem cum corpore neceſſe eſt. Eſt ergo connexio, & ſenſus huius ſententiæ talis: dixerat coheredes nos eſſe Chriſti; conditionem quandam nunc apponit, vt ad hereditatis poſſeſſionem perueniamus. Si modo, inquit, compatimur, intellige Chriſto; nimirum tribulationes, & perſecutiones, & afflictiones patientes, quippe qui corpus adhuc mortale, & nondum redemptionis accipiens habemus, ſicut ipſe etiam Chriſtus paſſus eſt, Matth. 10. Qui non tollit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus: *Mat. 10.* compatiendum ergo illi eſt, cuius coheredes ſumus, vt vna cum ipſo etiam conglorificemur, & hereditate Dei fruamur. Huius compaſſionis recto conſilio meminit Paulus; vigebat enim illo tempore perſecutio contra Chriſtianos, & ijs, qui Chriſtum confiteri deprehendebantur, acerba inferebantur tormenta, cæteriq. Chriſtiani maximos ſubibant labores, & tribulationes. idcirco occaſionem nactus Paulus, conſolatur & confirmat eos ſpe conglorificationis cum Chriſto, cui compatiuntur, & quem in afflictionibus imitantur; ne quem enim terreat verbum compatiendi, adiecit verbum conglorificandi cum Chriſto; ſi enim compaſſio eſt, eſt etiam conglorificatio. Illud (ſi tamen) potius (ſi modo) aut (ſi quidem) Græce ſignificat, conditionemq. continet hereditatem capiendi. Act. 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Act. 14.* Attende, verba hæc ſimilitudinem, non autem

Digitized by Google

tem æqualitatem ſignificare; nemo enim tanta paſſus eſt pro Chriſto, quanta ipſe pro nobis; tamen compati dicimur, ſi ea, quæ nobis illata ſunt, quamuis multo leuiora pro eo patiamur; non enim crucem ſuam, ſed noſtram portare nos iuſſit, vt ſimiles ei ſimus, non pares; idem etiam eſt in gloria, & hereditate, vt ſuperius diximus.

Exiſtimo enim, quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

COnnectuntur hæc verba ſic, dixerat compaſſos Chriſto conglorificandos ipſi fore, quo verbo magnum promiſſum eſt præmium. nam glorificari, & heredes eſſe multum erat; at coheredes eſſe, & conglorificari cum Chriſto maius, & excellentius aliquid ſignificat. ideo cauſam huius dicti aſſignat, ac ſi diceret; dixi compaſſos glorificandos cum Chriſto, quod magnum profecto, & excedens videtur, quia non dabit Deus gloriam parem, & æqualem paſſionibus noſtris; excedit mirum in modum gloria, quam exſpectamus, paſſiones has noſtras, quibus Chriſto compatimur, exceditq. præmium, quod præparatum eſt iuſtis, & reuelabitur in eis.

Afflictiones huius temporis dicit. ſignificans tempora illa, in quibus Chriſtiani magnas patiebantur propter Chriſtum perſecutiones. poteſt etiam dici, Huius temporis, ideſt, temporales, finemq. habentes, & quidem breuem; has enim appellat paſſiones huius, præſentisve temporis, ideſt, breues, ac tranſitorias. iuxta illud 2. Cor. 4. Id, inquit, quod in præſenti eſt momentaneũ, 2. Cor. 4. & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. aut etiam, Huius temporis, nempe in quo nunc ſumus, quo noſtræ actiones præſentes menſurantur; ad diſtinctionem æui, & ſeculi futuri, quod fine caret. Præterea dicit gloriam futuram reuelandam, quia iam eſt gloria præparata, nondum tamen communicata & manifeſtata. Addit (in nobis) quia futura gloria communis eſt hominibus, & cæteris creaturis, tamen non aſſequenda ab vlla creatura corporea, donec homo, qui primus eſt, glorificetur, ipſo glorificato, tunc creatura etiam cum illo gloriam aſſequetur, quamuis non eandem, vt in ſequenti commentario exponetur. Verbum (exiſtimo) non eſt opinantis, aut dubitantis. ſed affirmantis & aſſerentis, λογίζομαι.

ANNOTATIO XVII.

PAnci ſunt, qui, qua ratione hæc ſententia ſuperiori connectatur, aduertant; nec eſt admodum facile intelligere, propter particulam cauſalem; reddit enim cauſam præcedentis ſententiæ. Mihi autem connexio, quam in commentario expoſui, legitima viſa eſt. Attende, Paulum non agere hoc in loco de merito operum noſtrorum, quod habent ex gratia, per quam efficimur membrum Chriſti, in quo meremur, quæ nobis eſt promiſſa, gloriam. Sed confert ea, quæ patimur in hoc ſeculo, qua ratione afflictiones, & pœnæ quædam ſunt in ſeipſis, gloriæ, & beatitudini, quam ſperamus. & ſine dubio maior eſt gloria, cum illa omnia temporalia ſint, quod autem ſperamus, æternum eſt. Rurſus, ipſæ afflictiones non inferunt tantum doloris, aut triſtitiæ, quantum gaudij, & delectationis adfert beatitudo. ideo 2. Corinth. 4. vti diximus in commentario, dicitur leue, & momentaneum tribulationis, adferre æternum gloriæ pondus, gloriam tribulationi, momentaneo æternum, leui pondus oppoſuit. Vana ergo eſt Hæreticorum argumentatio ex his verbis contendentium meritum operum auferre, quod non in ipſis operibus ſecundum ſe, ſed in gratia, & iuſtitia Chriſti innititur. Auguſtinus lib. 83. qq. cap. 67. & lib. 5. Ciuit. cap. 18. legit: Indignæ ſunt paſſiones huius temporis. Senſus autem legitimus eſt. collatis afflictionibus, ſeu tribulationibus, aut paſſionibus piorum cum gloria reuelanda, non eſt æqualitas, nec paritas, ſed magnus exceſſus, cum pro temporali, æternum, pro pauco ſecundum ſeipſum ſumpto, Deus det, ac retribuat multum.

Comparatio afflictionis cũ gratia.

2. Cor. 4.

Auguſt.

Nam expectatio creaturae reuelationem filiorum Dei expectat.

CVr in nobis gloria futura manifeſtanda dicta ſit, cauſam adnectit, & ſenſus eſt: Dixi, gloriam futuram in nobis reuelandam, ac manifeſtandam, quia longa expectatio creaturarum cæterarum ab homine expectat reuelationem gloriæ filiorum Dei; non enim creatura glorificabitur, niſi glorificatis filijs Dei: quando autem glorificabuntur filij, tunc & creaturæ cæteræ glorificabuntur, accipientque gloriam ſuam. ideo nunc creaturæ expectatio longa, quia à principio mundi incepit, expectat hanc filiorum Dei gloriam futuram, vt & ipſa ſimul glorificetur. hac de cauſa dictum eſt, gloriam futuram in nobis, qui filij ſumus, reuelandam. hæc eſt vera connexio cum præcedenti-

Cur gloria in nobis manifeſtanda.

Digitized by Google

cedentibus. Creaturam appellat Paulus primas vniuerſi partes ſenſibiles, nempe, cælum, terram, cæteraque elementa, lunam, ſolem, planetas, ac ſtellas, quæ hominibus in hoc ſeculo verſantibus deſeruiunt. Hæc, hominibus glorificatis, glorificanda etiam ſuo modo ſunt. nam à corruptione mutua elementa, & à motibus cæli vacabunt, perfectioribusque qualitatibus ornabuntur. de qua glorificatione multa in Scriptura dicta ſunt, Iſaiæ 30. Erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut ſol ſeptem dierum, in die quando alligauerit Dominus vulnus populi ſui. & cap. 65. Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam. Apocal. 21. Vidi cælos nouos, & terram nouam. & rurſus, Ecce noua facio omnia. Sunt huiuſmodi teſtimonia multa de hac vniuerſi perfectione. Dicitur autem creatura ſenſibilis, quamuis inanimata, expectare per quandam proſopopeiam in Scripturis frequentem, & propter appetitum, quo omnia in propriam inclinantur perfectionem. Creaturæ ergo expectatio hanc filiorum Dei expectat glorificationem, quia tunc gloria eius futura eſt, quando filij reuelabuntur. Dicit autem reuelationem filiorum Dei, quia iam in hoc ſeculo ſunt filij, tamen non apparent, quia gloriam conuenientem filijs Dei nondum acceperunt. 1. Ioan. 3. Nunc filij Dei ſumus, ſed nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus.

Iſai. 30. *Apoc. 21.*

ANNOTATIO XVIII.

Hilar.

Expectatio, Græce ἀποκαραδοκία dicitur. quam vocem Hilarius lib. 12. longinquam creaturæ expectationem vertit, eaque eſt legitima interpretatio, ſi vim vocis conſideremus, & menti Pauli accommodata, qui expectationem creaturæ longam à mundi exordio vſque ad vltimum tempus ſignificare voluit. Aliqui vehementem expectationem. Alij ſolicitam, & anxiam expectationem interpretantur; idque rei veritas habet; qui enim diu expectat, ſolicite, & vehementer expectat, eaque eſt cauſa cur Paulus non dixit, Creatura expectat, ſed, Expectatio creaturæ longa expectat, vt qualitatem expectationis hoc nomine exprimeret. Merito autem creatura corporea expectare dicitur reuelationem filiorum; cum enim ipſa propter homines ſit condita, eiuſq. dominio maxima ex parte data, expectare dicitur ſui domini glorificationem, vt ipſa glorificetur; non autem filij creaturæ expectant gloriam.

Expectationis creaturæ qualitas.

Eſt autem diuerſitas inter Do-

ctores quid nomine creaturæ hoc loco ſignificetur, Chryſoſtomus creaturas corporeas, quæ partes vniuerſi primæ ſunt, intelligit, qualia ſunt cæleſtia, & elementaria corpora. Origenes autem, & Theodoretus etiam Angelos hoc nomine ſignificatos cenſent, cui expoſitioni conſentit Gregorius Nazianzenus orat. 1. con. Iulian. & idem videtur ſentire Cyrillus lib. 14. Theſau. cap. 1. & lib. 5. cap. 7. vbi omnem creaturam generaliter exponit; Angeli enim operibus in hoc vniuerſo multis vacant propter homines, de quibus dicitur, ad Hebr. 1. Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus miſſi in miniſterium propter eos, qui hereditatem ſalutis capient; à quibus miniſterijs ceſſabunt, quando homines in gloriam reſurrexerint; ideoque ipſi etiam Angeli reuelationem filiorum expectant. Differt autem Theodoret. ab Origene, hic enim in ſequentibus ſententijs, in quibus repetitur creaturæ nomen etiam Angelos ſignificatos dicit, quos etiam vna cum alijs creaturis vanitati ſubiectos, & liberationem à ſeruitute corruptionis expectare affirmat. Theodoretus vero in duobus ſequentibus locis Angelos à nomine creaturæ excipit, ſolaque corporalia ſignificata aſſerit vſque ad illa verba (omnis creatura ingemiſcit) vbi Angelos etiam comprehendit, vt in eorum expoſitione dicemus. Origeni conſentit Ambroſius epiſt. 21. ad Horontium, quamuis in ſequenti epiſtola Angelos à primis his ſententijs excludat, vſque ad illa (Omnis ingemiſcit creatura) vbi etiam eos complectitur. Chryſoſtomus vero in omnibus his locis, tam præſenti, quàm ſequentibus creaturæ nomine ſola corpora elementaria, & cæleſtia ſignificata cenſet, quorum etiam Moyſes in deſcribenda creatione meminit, cui conſentire videtur Irenæus lib. 5. cap. 36. & hanc ſecuti ſumus expoſitionem. Angeli enim, cum iam ſint beati, non poſſunt dici ſubiecti vanitati, nec expectare liberationem à ſeruitute corruptionis, quamuis hoc concedere modo aliquo non ſit inconueniens. Hilarius huic expoſitioni conſentit lib. 12. de Trinitate, quamuis non exprimat, an Angeli etiam ſignificentur; conueniunt enim omnes in hoc, quòd vniuerſi, ſeu mundi partes nomine creaturæ ſignificantur, quæ propter hominem his corruptionibus inſeruiunt, & ab hac ſeruitute liberabuntur, & in perfectiorem ſtatum promouebuntur in hominum reſurrectione.

Chryſoſt. — Creaturæ nomine quid ſignificetur. — Orig. — Theodor. — Gregor. Nazi. — Cyrill. — Hebr. 1. — Ambroſ. — Chryſoſt. — Hilar.

A qua communi expoſitione Auguſt. lib. 83. qq. cap. 67. receſſit propter aliqua dicta non probanda, quæ nonnulli Doctores, hanc ſequentes expoſitionem communem, affirmarunt, additq. Hæreticos de hoc capitulo Pauli multa impia, & inepta iactaſſe, cenſetq. obſcurum eſſe caput hoc, & difficile. nomine ergo creaturæ hominem in omnibus hiſce locis interpretatur, hic eſt, qui quamdiu in hoc ſeculo eſt dicitur expectare, vanitati ſubiectus, & ingemiſcere. dicitur autem expectare filiorum reuelationem, non quod alij ſint filij, alius ſit homo, cum homo ipſe filius ſit, ſed ipſe homo, qui filius eſt adoptionis, expectat ſuæ reuelationem filiationis, & quamdiu differtur, ſubiectus eſt vanitati,

Auguſt. — Creatura quo expectat reuelationem filiorum Dei.

nitati, & ingemiſcit. Anſelmus eiſdem verbis Aug. expoſitionem amplectitur. Grægo. etiam lib. 4. mora. cap. 30. & lib. 8. cap. 4. creaturam in his locis hominem interpretatur. Et quidem certum eſt, in Scriptura aliquando nomine creaturæ hominem ſignificari; ſic enim dictum eſt Marc. vltimo: Prædicate Euangelium omni creaturæ. & Coloſ. 1. Prædicatum eſt in omni creatura, quæ ſub cælo eſt.

Gregor.

Coloſſ.

His tamen in locis Pauli præſentibus violente nimis nomen creaturæ homini accommodatur, quod ſequentes ſententiæ indicant, vt in earum expoſitione conſtabit. Idipſum etiam præſens ſententia comprobat. nam dum dicitur, Creatura expectat filiorum reuelationem, aliam eſſe creaturam a filijs, verba oſtendunt. ſi enim creatura hæc, homo eſſet, dixiſſet Paulus; Creaturæ expectatio ſuæ filiationis reuelationem expectat. Quæ autem in aliquibus Doctoribus diſplicuerũt Auguſtino, non impediunt, quominus expoſitionẽ ſequamur eorum, reiectis ijs quæ affirmarunt, & quæ probanda non ſunt, vt in ſequentium expoſitione aperiemus. Hæc de ſenſu dicta ſint huius ſententiæ.

Quantum autem ad connexionẽ ſpectat, Ambroſ. Epiſt. 22. ſic connectit antecedentibus, vt Paulus magnitudinem futuræ gloriæ hiſce verbis manifeſtet, quia prædixerat paſſiones huius temporis nõ eſſe ad eam condignas. eſt enim tanta filiorum gloria futura, vt creaturæ ceteræ eam etiam expectent. Mihi magis probatur connexio in commentario expoſita, nempe hanc ſententiam, cur futuram gloriam in nobis reuelandam Paulus dixerit, cauſam exponere.

Ambroſ.

Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens.

CVr creatura tam anxie, & ſolicite expectet reuelationem hanc, ſubiungit cauſam. ea autem eſt, quia vanitati eſt ſubiecta, non ſponte, ſeu non volens, quia creaturæ iſtæ non indulgent vanitati, nempe corruptionibus, & motionibus, ac miniſterijs iſtis, quaſi in eis propria eorum perfectio conſiſtat, nec earum appetitus in hæc quaſi in perfectionem ſuam feratur. nec enim cæli, ſol, luna, ſtellæ, elementa his operibus vacant. quaſi ſtatus eorum perfectus hic ſit, cum melior eis ſit poſt hominum reſurrectionem reſeruatus. Angelorum etiam naturalis appetitus in hæc hominum miniſteria non tendit; ideo dicuntur non ſponte ſubijci vanitati, quamuis de his non loquatur Paulus. Vanitatem appellat hæc opera ſeruilia, & has corruptiones, quibus creaturæ occupantur propter hominem.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIO XIX.

Orig. Athanaſ. Creatura ſubiecta vanitati q?

ORigenes, & Ambroſ. Epiſt. 21. etiam Angelos nomine creaturæ in hoc loco ſignificatos cenſent, vti diximus in annotatione 18. Theodoret. vero excludit, ideq. Chryſoſt. cui expoſitioni adhæſimus. *Auguſt.* Aug. autem hominem ipſum interpretatur, ſicuti in præcedenti ſententia. Illud (non volens) aliqui legunt, non ſponte, ſic enim legit Hilar. lib. 12. Trinit. & Hiero. *Hilar. Hieron.* Epiſt. ad Auitum, Quid cauendum ſit in libris Periarchon. & Aug. lib. 83. qq. cap. 67. Græce eſt. ἑκοῦσα nam ἑκὼν idem ſignificat quod vltroneus, ſeu voluntarius. idem eſt ſenſus, etiamſi legamus (non volēs) nam velle etiam inſenſibilibus accōmodatur, naturalem appetitum ſignificans, ſic eſt illud Ioan. 3. *Ioan. 3.* Spiritus vbi vult ſpirat. quod multi de vento exponunt.

Sunt autem hoc in loco duo attendenda, quæ aliqui Doctores in huius ſententiæ expoſitione docuerunt. *Chryſoſt.* Vnum eſt Chryſoſt. in hoc loco aſſerentis, creaturam, nempe, elementa, & cælum facta eſſe corruptibilia propter hominem, quia corruptibilis factus ipſe eſt propter peccatum, ideoq. expectant eius incorruptibilitatem, vt & ipſa facta ſint incorruptibilia. Exiſtimo corruptibilem appellari a Chryſo. ideſt corruptionibus, & mutationibus expoſitam; nam natura elementorum ex ſe corruptibilis eſt, & erit etiam poſt reſurrectionem. quamuis autem ſic intelligamus, adhuc hæc doctrina non eſt probanda. nam etiamſi homo non peccaſſet, immo etiam antequam peccaret, terra, & elementa corruptionibus erant ſubiecta: nam & animalia, & plantæ generanda erant, ac corrumpenda, quod non fit ſine elementorum corruptione. cæli etiam & planetæ eiſdem motionibus mota eſſent, immo Angeli hominibus adminiſtraſſent: non ergo hæc aduenerunt creaturæ propter hominis corruptionem, ſicut etiam animalia ipſa, etiamſi homo nō peccaſſet, morti ſubiecta eſſent; non enim illa donum immortalitatis acceperunt, ſicut accepit homo.

Alterum eſt Origenis, cuius doctrina hac in parte eſt omnino reprobanda, tamquam fidei Catholicæ, aduerſaria, quam tradidit lib. 1. Periarch. cap. 7. & lib. 2. cap. 9. & in Homi. 4. in Ezech. quam doctrinam in Origene cauendam admonet Hiero. epiſt. ad Auitum, Quid cauendum in lib. Periarch. & *Origen.* Epipha. hær. 64. de erroribus Origen. hic locum præſentem exponēs interpretatus eſt vanitatem hanc corpora, in quæ animæ prius extra corpus exiſtentes detruſæ ſunt, affirmauitq. cælos, & ſolem, ac lunam animas habere, quæ ante corpora etiam extiterunt, immo etiam terram ipſam, quas creaturas peccare poſſe affirmat, ſubituraſq. iudicium, ſicq. locum exponit, vanitati eſſe ſubiectam creaturam hanc, expectareque filiorum redemptionem, quando etiam ipſa liberabitur a ſeruitute corruptionis. *Epipha.*

Superfluum eſſet in huius doctrinæ impugnatione immorari, cum ſit iamdiu ab Eccleſia damnata, propter quam exiſtimo Auguſt. lib. *Auguſt.* 83. qq. cap. 67. vti ſuperius retulimus, dixiſſe hæreticos impia, & inepta

Digitized by Google

inepta in hoc capitulo iactaſſe. quiuis autem cum cõmuni expoſitione hanc ſententiam de creaturis cæteris intelligamus, non eſt neceſſe in hos errores labi. nam dicere poſſumus cælos, & elementa animabus carere, Paulumque proſopopeia vſum eſſe, vti diximus in eius expoſitionis explicatione. ſubiecta autem eſt creatura hiſce mutationibus, a quibus in hominum glorificatione vacabit, ſtatumq. quietum, & perfectionem ſortietur.

Sed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe.

COnnexa eſt hæc ſententia ſuperiori, vanitati, inquit, ſubiecta eſt creatura, non quidem ſponte, nec proprio naturali appetitu, ſed propter eum qui eam ſubiecit, nempe tali vanitati. In ſpe, ideſt futuram aliquando liberam a vanitate; ita enim Deus hanc creaturam vanitati ſubiecit, vt eam in libertatem aliquando transferendam decerneret. Spes hoc loco poſita eſt pro obiecto, & re ipſa ſperata, ſicut etiam fides aliquando pro re, quam credimus, accipitur. nec enim inſenſibilia ſperant; rem tamen; quæ ſperari poterat, participare & recipere poſſunt.

ANNOTATIO XX.

Auguſt. HÆc ſententia facere videtur pro ſententia Auguſt. nimirum vt creatura in hoc loco pro homine accipiatur. ſperare enim non eſt rerum inanimatarum. Tamen hoc non cogit nos cõſentire in eius expoſitionem. nam ſpes aliquando pro re ipſa futura, quæ ſperari poteſt, accipitur; ſicut & fides pro re quam credimus. in qua ſignificatione dictum eſt Pſal. 13. Quoniã Dominus ſpes eius eſt. Pſal. 141. Tu es ſpes mea. Hebr. 6. Qui confugimus ad tenendam ſpem. ſunt multa huiuſmodi teſtimonia. *Pſ. 13. & 141. Hebr. 6.* Ita nunc dicitur creatura ſub ſpe, quia liberationem accipiet; quæ, cum futura ſit, ſperari ſolet. Dicitur autem ſub ſpe, quia Deus ita ſubiecit eam vanitati, vt decerneret ſimul eam poſtea liberare, & perficere. nec eſt inſolitum in Scriptura ſpem tribui inanimatis rebus, aut etiam iis, qui ſpem talem habere non poſſunt: dicitur enim Pſal. 144. Oculi omnium in te ſperant Domine. vbi Dauid etiam de brutis loquitur, qui ſpem in Deum proprie non habent. Ioan. 14. lignum habet ſpem, ſi præciſum fuerit, rurſus vireſcit. *Pſal. 144. Io 14.*

Quia & ipſa creatura liberabitur a ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.

PArticula (quia) declaratiua eſt, exponens, quæ ſit ſpes, in qua ſubiecta eſt creatura vanitati; ea autem eſt liberatio a ſeruitute cor-

te corruptionis, vt iam amplius creatura non miniſtret homini in rebus his, & miniſterijs corruptibilibus, ad hominū neceſſitates ſubleuandas inſtitutis. liberabitur autem in libertatem gloriæ filiorum Dei, id eſt ad libertatem, & gloriam filiorum Dei. vt iam non ad corruptiones, ſed ad gloriam faciat: nam mundus hic renouabitur, & perficientur omnes vniuerſi partes: elementa, cæli, luminaria & ſtellæ ad gloriam hominum. ſicut ornatur domus in quam recipiendus eſt Rex, pro Regis gloria; ita totus hic mundus propter glorioſos Dei filios ornandus, ac perficiendus eſt. quamuis enim in cælis habitaturi ſint Sancti, tamen pars mundi inferior etiam ad ipſos pertinet, propter quos creatus eſt, ſicut etiam omnes domus partes ad regiam pertinent domum, quamuis in ſuperiori parte habitet Rex. ideo ergo a ſeruitute corruptionis transfe-retur ad libertatem gloriæ filiorum Dei. Libertas hoc in loco non arbitrij poteſtatem liberam, ſed a ſeruitute liberationem ſignificat.

ANNOTATIO XXI.

Quæ creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis?

DVo ſunt in ſuperiori ſentētia, vnum quidem contra Auguſt. expoſitionem, alterum pro ea faciens. illud tamen non tam facile diſſoluitur, quam hoc. Quod igitur contra Auguſt. ſententiam facit, & communem maxime confirmat. eſt illa particula (&) Quia & ipſa, inquit, creatura liberabitur. inſinuat enim alium a creatura hac etiam liberandum, quod ſecundū expoſitionem communem facile declaratur, nempe ipſa creatura quæ miniſterio hominum inſeruit, liberabitur ſicut & ipſe homo. Aug. autem per creaturam exponens hominem, non facile hanc difficultatem diſſoluit. ſenſit quidem ipſe Auguſt. lib. 83. qq. bap. 67. eam difficultatem, & ſic exponere conatur; per creaturam ſignificari homines nondum ad fidem cōuerſos, nec gratiam iuſtificationis aſſecutos. qui quidem ſicut & illi, qui iam conuerſi ſunt, liberabuntur a ſeruitute corruptionis. nam vocandi ſunt ad fidem, & efficiendi filij, vt poſtea libertatem gloriæ filiorum aſſequantur. Huic expoſitioni, præter quam quod violenta ſatis videtur, obſtat, quia in præcedenti ſententia creatura ſubiecta vanitati dicitur, quod omnibus hominibus cōmune eſt tam conuerſis, quam non conuerſis ſecundum Augu. expoſitionem, & de eadem creatura dicitur; quod liberabitur a ſeruitute corruptionis. generaliter ergo creaturæ vocabulum accipere oportet, cum hæ ſententiæ ſint connexæ, ſi autem generaliter accipiatur, non poteſt particula (&) accommodari ſecundum Aug. expoſitionem; iuxta communem autem planus eſt ſenſus.

Aug.

Quod autem pro Auguſt. contra communem expoſitionem facit, eſt illud verbum (in libertatem gloriæ fi-

riæ filiorum:) nam creaturæ inſenſibiles non habebunt gloriam filiorum, non ergo liberandæ ſunt in libertatem gloriæ filiorum. Hæc difficultas contra communem expoſitionem facilius diſſoluitur. ſunt autem aliquæ expoſitiones huius verbi, Primo quidem Theodoret. ita interpretatur; liberabitur a ſeruitute corruptionis in libertatẽ gloriæ filiorum Dei; ideſt, quando fuerit libertas gloriæ filiorum Dei, vt præpoſitio illa (in) tempus denotet, quæ expoſitio conueniens eſt. Secundo Chryſoſ. ad cauſam refert, nempe liberabitur a ſeruitute corruptionis creatura in libertatem gloriæ filiorum Dei, ideſt, propter libertatem gloriæ filiorum ipſa etiã creatura liberabitur: ſicut, inquit, nutrix pueri regij, quando puer principatũ obtinet, propter ipſum bonis etiam regijs participat, eſtq. hæc etiam expoſitio accommodata; nam particula (in) apud Latinos, & *εἰς* apud Græcos aliquando loco (ob) ſeu (propter) ponitur. Tertio exponi poteſt ſicut in commentario explicuimus. Hæc igitur particula non fauet expoſitioni Aug. tantum quantum aduerſatur illa prior, vti dictum eſt.

Theodor.

Chryſoſt.

Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc.

SEntentia hæc probat quod dictum eſt ſuperius (non ſponte, ſeu non volens) creatura ſubiecta vanitati. ideo eſt particula cauſalis, cauſam dicti, non rei exponens; quæ interceſſit enim ſententia ſpem creaturæ expoſuit, in qua ſubiecta fuit vanitati; nunc quod ſuperat verbum (non volens) confirmat, & explicat. Scimus enim, inquit, omnem creaturam ingemiſcere, & parturire vſque adhuc; ideſt vſque ad hunc præſentem diem, donec veniat ille. quando liberabitur a corruptione ad libertatem gloriæ filiorum Dei. ſi ſponte ſubiecta eſſet vanitati, & naturaliter eam appeteret, non ingemiſceret, & parturiret adhuc; at gemitus & parturitio à principio mundi vſque nunc, & vſq. ad tempus libertatis filiorum, & propriæ liberationis a ſeruitute, argumento eſt, ipſam non ſponte eſſe ſubiectam corruptioni, & vanitati, ſed propter eum qui ſubiecit, cuius imperio, & nutui omnia etiam inſenſibilia, & inanimata ſubduntur. Singula verba ſunt conſideranda (Scimus) inquit, quia enim gemitus hic, & parturitio creaturæ res eſt nota; idcirco dicit, ſcimus omnem creaturam ingemiſcere. Præterea vſus eſt vniuerſitate, nempe (omnis creatura) ad maiorem ſententiæ expreſſionem; nam in ſuperioribus ſententijs creatura vniuerſaliter accipiebatur, ſicut ſolet accipi ſermo indefinitus, tamen tacitè; propterea cauſam nunc illarum reddens ſententiarum vniuerſalitatem expreſſit, eadem tamen creatura intelligitur,

Creatura cur ingemiſcere dicitur & parturire.

Digitized by Google

ligitur, nempe primæ mundi partes quæ perpetuæ ſunt. Dicitur autem creatura inanimata ingemiſcere, & parturire, per quandã proſopopeiam, ad exprimenda duo, nempe vehementem appetitum, & rurſus continuas paſſiones creaturarum; nam elementa corruptiones multas ſecundum partes ſuas continue patiuntur; cæli etiam continuis lationibus non quieſcunt. Sunt autem Græce verba compoſita (congemiſcit & comparturit) ad ſignificandum conſenſum creaturarum; vna enim omnes gemunt, & parturiunt. Illud (vſque nunc) durationem & continuationem gemitus indicat; a principio enim conditionis creaturæ vſq. nunc gemit, nec deſiſtet vſq. ad liberationem a ſeruitute corruptionis, quando fiet libertas gloriæ filiorum Dei.

ANNOTATIO XXII.

Ambroſ. AMbroſ. Epiſt. 22. creaturam in hoc loco non ſolum ſenſibilia corpora, ſed etiam Angelos comprehendere cenſet, in quo cũ *Orig.* Origene conuenit; quamuis ab eo diſſentiat, quod creaturam in præcedentibus ſententijs, nimirum, ſubiecta eſt vanitati, & liberabitur a corruptione, exiſtimat non ad Angelos, ſed ad ſola corpora referri, & ſic explicat in ſerm. 82. at in hoc loco etiam ad Angelos extendit. Origenes vero in omnibus his locis generaliter exponit, vt Angelos etiam comprehendat. conſentit Theodoret. Ambroſio in hoc, *Theodor. Ambr.* quod hoc in loco creaturam ad Angelos etiam refert, non autem in duobus prioribus. Ante omnia autem cauenda eſt, aut declaranda doctrina Ambroſ. epiſt. 21. & Theodoreti, quæ fuit Origenis, qui creaturam in hoc loco Angelos etiam ſignificare credentes, affirmarunt Angelos, ſicut gaudent ſuper peccatores pœnitentiam agentes, ita dolere etiam in ipſorum malis & peccatis, ideoq. ingemiſcere nunc illos dici. quæ doctrina fuit vna ex cauſis, propter quas Aug. lib. 83. qq. *Aug.* cap. 67. ab hac communi expoſitione receſſit, & per creaturam interpretatus eſt hominem. Vti enim ipſe recte docet; Angeli, beati cum ſint, doloris aut gemitus ſunt incapaces. Quamuis autem in hoc recte ſenſerit Auguſt. non tamen propterea a communi expoſitione recedendum videtur. reiecta enim illa doctrina, multa dici poſſunt.

Quid nomine creaturæ ingemiſcentis comprehẽditur.

Primo quidem, Paulum nomine creaturæ ſenſibilia, & corporea ſignificaſſe, quæ ante omnium oculos verſantur; nempe corpora elementaria, & cæleſtia, quæ partes mundi ſunt præcipuæ. quam expoſitionem nos amplexi ſumus, eaque eſt etiam Chryſoſ. qui non ſolum in *Chryſoſt.* duabus prioribus ſententijs, ſed etiam in hac creaturam corporeã, & inanimatam exponit, qualia ſunt elementa, & cæli cum aſtris. Secundo, quamuis cum Theodoret. & Ambroſ. in hoc loco ſub creaturæ nomine Angelos cõprehenderemus, dici tamen poſſet eos ingemiſcere, & parturire dictos eſſe per quandã figuram, ad exprimendum vehemẽs deſide-

Digitized by Google

deſiderium, & continuam expectationem, quæ beatis non repugnat: nam animæ ſanctorum deſiderant vehementer corporum propriorum reſurrectionem, ſic Angeli deſiderant conſummationẽ ſæculi, quando erit perfecta ſocietas ciuium cælestium, cumque ipſorum ruinæ implebuntur, proptereaque dici poſſunt ingemiſcere, & tamen doloris non ſunt capaces, cum ſint beatæ; etiam enim Spiritus ipſe Sanctus dicitur poſtulare gemitibus inenarrabilibus, quod quidem per figurã intelligendum eſt. qua ratione Doctores illi interpretandi videntur; dolere enim dicuntur Angeli de peccatis hominum, quia impedire ea conantur; & poſtquam homines peccarunt, ſtudent maxime eos cõuertere; diſplicentq. eis peccata, quia nollent ea; non quod doleant, aut gemant, nam etiam Gen. 6. Deus ipſe dicitur tactus dolore intrinſecus, non tamen doloris eſt capax; ſunt enim locutiones figuratæ. non ergo eſt quod à communi expoſitione propter verba hæc, aut propter illam doctrinam recedamus. Inanimata autem dici gaudere, gemere, dolere, exultare per proſopopeiam, eſt frequens adeo in Scriptura, vt in citandis teſtimonijs non ſit immorandum.

Auguſt. *Ambroſ.* Adhuc in hac ſententia eſt vnum attendendum, Aug. nempe, & Ambroſ. ſolicite inquirere, cur Paulus nunc omnem creaturam dixerit, adiuncta vniuerſalitate. quamuis autem ſit vtriuſq. Doctoris vna & eadem inquiſitio, explicatio tamen diuerſa eſt: nam Auguſt. ſuam propriam, Ambroſ. communem ſequitur expoſitionem circa vocabulum creaturæ. Reſpondet ergo Auguſ. lib. 83. qq. cap. 67. dictam eſſe omnem creaturam ingemiſcere, quia homo ingemiſcens, omnis eſt creatura, quatenus omnis creaturæ naturã participat; intelligit. n. cũ Angelis, ſentit cũ animalibus, viuit cũ plantis, corpoream habet molem cum elementis & mixtis. quando ergo homo ingemiſcit, omnis creatura quodammodo ingemiſcit. an autem accõmodata ſit ſententiæ Paulinæ hæc expoſitio, conſiderandum lectori relinquo. mihi profecto nõ videtur, immo apparet ex hoc, Auguſtinum vix a communi expoſitione recedere potuiſſe; fatetur enim omnem creaturam ingemiſcere, & hunc eſſe Pauli ſenſum agnoſcit. ne autẽ huic expoſitioni cõſentiat, modũ quærit nõ ſatis propriũ, quo omnis creatura in homine inueniatur, vt ipſe ſolus gemere dicatur. Ambroſ. vero epiſt. 22. communem ſequens expoſitionem aliter hoc inquirit. quærit enim cur modo omnis creatura dicta ſit, cum in duabus ſententijs præcedentibus creatura ſine appoſita vniuerſalitate ſit dicta. reſpondet, id ea de cauſa factum, quia nõ omnis creatura ſubiecta eſt vanitati; ideo non omnis liberabitur a ſeruitute corruptionis, omnis tamen ingemiſcit; Angeli enim non ſunt vanitati ſubiecti, nec liberandi a ſeruitute corruptionis, quam non habent; ingemiſcunt tamen propter nos, & nobis ex charitate condolent, hac de cauſa omnis creatura dicta eſt gemere, non tamen omnis vanitati ſubiecta.

Mihi expoſitio Chry. quæ etiam eſt Oecumen. maxime probatur, in his omnibus locis creaturæ nomen ad inanimata referri, quales ſunt mundi primæ, & perpetuæ partes ſenſibiles. Paulus enim de ſenſibilibus loquebatur, vt pote notis omnibus, *Chryſoſ.* *Oecume.*

Digitized by Google

nibus, ſicut etiam Moyſes fecit in creatione deſcribenda vniuerſi. Eſſe autem in his ſententijs æqualiter creaturam accipiendam, & non in vna generaliter, & in altera minus generaliter, ratio probat. nam ſententia hæc cauſam cõtinet, cur creatura dicta ſit non volens ſubiecta vanitati. de eadem ergo creatura vtraq. ſententia exponenda eſt. & in hoc rectius philoſophatus eſt Origenes, qui etiam ad Angelos extendit nomen creaturæ tam in hoc loco, quam in illis. aliter enim connexio ſententiarum nulla erit. cum autem Angeli non poſſunt dici vanitati ſubiecti non volentes, nec liberandi a ſeruitute corruptionis, oportet creaturam in prioribus locis ad Angelos non referre, & conſequenter nec in hoc loco. Dicendum ergo, poſitam eſſe vniuerſalitatem ad maiorem expreſſionem ſententiæ. quod etiam tacite dixerat, expreſſius repetit.

Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes & ipſi intra nos gemimus.

NOn ſola creatura corporea gemit, appetens, & deſiderans liberationem a ſeruitute corruptionis, ſed nos ipſi homines, qui iam recepimus Spiritus Sancti primitias, nẽpe vitam ſpiritus, etiam gemimus quod deeſt, nempe corporis redemptionem expectantes. creatura quidem corporea nondum accepit futuræ ſuæ liberationis initium; tota enim ſeruit. at nos homines redempti a Chriſto Spiritus Sancti primitias, ac redemptionis futuræ principium habemus. viuimus enim Spiritu, quamuis corpus adhuc mortale, & paſſibile ſit, corruptioniq. inſeruiat. non ergo mirum eſt ſi ingemiſcit creatura, cum nos, qui partem, ac principium redemptionis, liberationiſq. accepimus, etiam ingemiſcamus propter futurum, quod deeſt. Gemimus autem intra nos, ideſt ex corde, & animo gemitum proferimus. Eſt autem ad emphaſim orationis facta repetitio illa (Et nos ipſi Spiritus primitias habentes, & nos, inquam, ipſi gemimus, ſicut & creatura;) quaſi diceret nos, nos inquam, qui maiora accepimus, adhuc geminus.

ANNOTATIO XXIII.

SEntentia proxime expoſita communem expoſitionem multum confirmat; ſi enim per creaturam ſignificatus eſſet homo, non diceretur; Non ſolum illa, ſed etiã nos. quibus aliud per creaturam, aliud per nos ſignificatum eſſe demonſtrat. Aug. tamen lib. 83. qq. cap. 67. in ſua perſeuerans expoſitione ſic præſentem ſententiam interpretatur; vt per creaturam tres hominis partes intelligantur, naturalis, ſen- *Auguſt.*

Digitized by Google

Homo cur dicatur in gemiſcere.

ſenſitiua,& rationalis; ratione quarum omnis creatura dicitur, & omnes ingemiſcunt; at quando dicitur,(nos) ſignificatur ſola pars rationalis,qui ſpiritus dicitur; anima ergo, corpus, & ſpiritus ſimul ingemiſcunt in afflictionibus corporis, nos etiam ipſi,ideſt Spiritus ipſi ingemiſcimus. Spiritus autem dicitur habere primitias Spiritus Sancti; quia ipſe Deo oblatus eſt,& viuit iam per Spiritum Sanctum, corpore mortali exiſtente. Hæc eſt expoſitio Auguſt. quæ quam violenter verbis Pauli, & locutionis, ac verborum proprietati accommodetur facile vnicuiq. conſtat.

Communis autem expoſitio facilis, & accommodata eſt; quamuis duæ ſint expoſitiones. vna eſt Ambroſ. epiſt. 22. eos enim qui primitias ſpiritus habent, Apoſtolos interpretatur, qui Euangelicæ gratiæ primas receperunt partes; hos enim ingemiſcentes & expectantes redemptionem corporis affirmat Paulus. quam expoſitionem Anſel. recipit. Altera eſt Chryſoſt. Theodoret. & communis; eos, qui primitias ſpiritus acceperũt,eſſe Chriſtianos,quorum ſpiritus gratia iuſtificationis accepta viuit, quæ gratia & vita primitiæ ſunt redẽptionis,cui ſuperueniet conſũmata gratia gloriæ, ac perfecta redemptio; his enim hominibus loquebatur Paulus,vt ex antecedentibus cõſtat, & hęc eſt legitima expoſitio. ſic etiã interpretatur has primitias Spiritus Cyril. lib. 14. Theſau. cap. 1.

Ambroſ. *Anſel.* *Chryſoſt.* *Theodor.* *Cyril.*

Adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis noſtri.

Connexa ſunt hæc verba præcedenti ſententiæ: eſtq. ſenſus; nos etiam gemimus afflictiones, perſecutiones, labores, & incommoda multa patientes. dum expectamus adoptionem filiorum Dei, redemptionem nempe corporis noſtri; vt corpus mortale, & paſſibile induat immortalitatem,& impaſſibilitatem, & perficiatur in eo redemptio. tunc enim conſummabitur adoptio filiorum Dei, cum hæreditatis poſſeſſio accipietur. dum hanc expectamus, gemimus in paſſionibus, & deſiderio eius angimur, & premimur. Huic ſententiæ,adiuncta præcedenti,ſimilis eſt illa, qua habetur 2. Cor. 5. In hoc ingemiſcimus habitationem noſtram, quæ de cælo eſt, ſuperindui cupientes; ſi tamen veſtiti & non nudi inueniamur. *2. Cor. 5.*

Adoptionis filiorũ effectus qui & quãdo apparebit.

Attende, in hoc ſæculo eſſe adoptionem filiorum quantum ad ſubſtantiam; quia filij Dei ſumus, iuſtificati per fidem Chriſti; tamen adoptionis effectum nondum participamus perfecte, ſed primitias quaſdam, & has non in corpore, ſed in anima; anima enim viuit vita gratiæ; corpus autem adhuc morti obnoxium eſt. in reſurrectione autem erit effectus adoptionis perfectus, & completus; tum quantum ad animam, quia perficietur gratia conſummata, &

Digitized by Google

gloria, vt non primitias, ſed totam meſſem recipiat: tum quantum ad corpus, quia glorificabitur, accipietq. ſimul primitias, & fructus integros; tum temporis adoptio implebitur quantum ad effectum. Simili modo eſt intelligenda redemptio, quantum ad effectum. redemptio enim quantum ad pretium, facta eſt per Chriſtũ; tamen quantum ad effectum, nondum corpus redemptionis habet fructum; & ſic expectamus redemptionem corporis a miſerijs, & corruptione. Eſt autem coniungendum illud (adoptionem filiorũ) cum verbo (expectantes) non autem cum præcedenti (gemimus) & illud (redemptionem corporis) declaratio eſt adoptionis, quam expectamus. nam adoptio iam eſt in hoc ſæculo, tamen quantum ad corporis redemptionem expectatur in futuro conſequenda. & ſic Chryſoſt. Ambroſ. epiſt. 22. & cæteri antiqui expoſuerunt.

Chryſoſ.
Ambroſ.

Spe enim ſalui facti ſumus, ſpes autem quæ videtur, non eſt ſpes, nam quod videt quis, quid ſperat?

NOs redemptionem corporis, cum qua gloria eſt filiorum Dei, expectare dixerat; interim tamen gemere dum ea caremus. cauſam adiungit; quia ſpe ſalui facti ſumus; ideſt, quia in hoc ſæculo ſalutem perfectã, ac redemptionem ſpe habemus, ac per ſpem conſecuturi eam ſumus. non autem re ipſa accipimus in hoc ſæculo ſpem ſalutis. in illo ſalus ipſa ſperanti datur; ideo nunc expectamus redemptionem corporis noſtri, quæ futura eſt. ſi autem ſalutis poſſeſſio in hoc ſæculo, & hæreditas capienda nunc eſſet, non ſpe, ſed re ipſa ſalui eſſemus. nec neceſſaria ſpes eſſet; nam ſpes non eſt eorum, quæ videntur, ideſt habentur, & poſſidentur. nemo enim ſperat, quod iam habet, at nos ſpe ſalutem, & perfectam noſtram liberationem habemus, & per eam conſecuturi ſumus. neceſſe ergo eſt, nos ea ſalute perfecta nunc carere, futuramque expectare. Illud (ſpes quæ videtur non eſt ſpes) idem ſignificat, ac, quod ſperatur non poſsidetur. vbi ſpes in priori loco ponitur pro re ipſa ſperata; ſpes autem in poſteriori loco pro virtute ipſa ſpei; eritq. ſenſus; res ipſa ſperata, ſi poſsidetur, non ſperatur, nec eius eſt ſpes.

Attende, Græce vltima verba explicatiora eſſe; ac ſi dicas, quod videt quis, cur & ſperat; ideſt, non eſt cur etiam ſperet, quod aliquis poſsidet. ſuperflua enim eſt ſpes, quando poſsidetur quod ſperabatur. Attende etiam, hiſce verbis, (ſpe ſalui facti ſumus,) ſignificari, non tantum nos non accipere in hoc ſæculo plenam ſalutem,

ſed

Digitized by Google

ſed etiam vt eam aſſequamur, ſperandam nobis eſſe. nemo enim ad ſalutem peruenit, niſi per ſpem eius in Deo, quæ ex fide procedit.

Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus.

CONcludit Paulus quod intendebat; nimirum eſſe compatiendum, vt glorificemut. ſi enim ſalutem nondum habitam ſperamus, neceſſe eſt, dum eam expectamus, eaq. caremus, multa pati incommoda, quæ patienter toleranda ſunt, vt quod ſperamus aſſequamur, ergo compatiendum eſt nobis, vt conglorificemur. Hebr. 10. Patientia vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſsionem. per patientiam expectare appellat, ſic ſperare ſalutem futuram promiſſam, vt ea omnia aduerſa ſuſtineamus, quæ nondum ſalutem perfectam poſsidentibus euenire neceſſe eſt; dum enim bonum differtur, malum inuadit, quod per patientiam ſuſtinendum eſt, ſine qua patientia expectare non poſſemus.

ANNOTATIO XXIIII.

Argumenta quibus hortatur Apoſtolus ad perferēdas tribulationes huius vitæ.

HIs omnibus ſententijs, quibus Paulus de iuſtorum paſſionibus, & afflictionibus tractat, multa inſinuat argumenta, quibus ad eas perferendas, & amplectendas exhortatur, & accendit, ſingulaq. verba argumenta ſingula ſunt. Primum igitur indicat verbum illud (compatimur.) multum profecto cōſolatur iuſtos in ſuis afflictionibus conſideratio hæc, ſe compati Chriſto. ipſe enim paſſus eſt pro nobis prior, ipſe præcedit, nos ſequimur. Matth. 10. Si patrem familias Beelzebu vocauerunt, quanto magis domeſticos eius. Ioan. 15. Si vos mundus odio habet, ſcitote quia me priorē vobis odio habuit. Secundum argumentum eſt in verbo (conglorificabimur) magnum profecto ſolatium eſt, gloriæ Chriſti eſſe participem; vna cum illo glorificari, vt ſicut communis eſt paſſio, communis etiam ſit gloria. Inſinuatur etiam magnitudo gloriæ, nā filiorum hæreditas dabitur nobis, quia cohæredes ſumus Chriſto. Tertium eſt in verbo (nō ſunt condignæ paſſiones) minimum eſt quod patimur, collatum mercedi ſperatæ, quis autem paruo pretio non emeret pretioſiſſimam gemmam? eſt autem maior exceſſus, & imparitas inter paſſiones noſtras, & gloriam futuram, quam inter viliſſimam monetam, & totum orbem. Quartum eſt in verbo (huius temporis) quo breuitas, & celeritas paſſionum exprimitur, ſi æternæ gloriæ durationi comparetur. non ſolum enim paſſiones inferiores ſunt futura gloria quantum ad magnitudinem, ſed etiam quantum ad durationem; illæ enim finem habent, hæc æterna eſt. Quintum argumentum eſt in verbo (reuelabitur in nobis) omnes creaturæ hanc noſtram gloriam, & paſſionū retributionem expectant, ab illaq. dependet totius orbis glorificatio, libenter ergo ferendę ſunt paſſiones

Matt. 10.

Ioan. 15.

Digitized by Google

hæ, quarum vtilitas in totius mundi vtilitatem redundat. Sextum eſt in verbo (filiorũ reuelationem) filij ſumus nunc, ad perfectum tamen, & decentem filiorum ſtatum nondum peruenimus. oportet prius pati, & per paſſionẽ eo peruenire: quantũ ergo eligibilis eſt ſtatus filiorum perfectus, tantum ſunt amplectendæ paſſiones, per quas aſſequendus eſt. Septimum eſt in verbo (omnis creatura ingemiſcit) non ſolum homo, ſed omnis creatura patitur. conſoletur ergo nos communis labor, & afflictio. Octauum eſt in verbo (vſque adhuc) prolixior eſt creaturarum paſſio & labor, quam noſter; illa enim a mundi principio vſq. nunc patitur, & patietur vſque ad finem; noſtra autem paſſio breuior eſt multo, quæ per particulam temporis paruam durat. Nonum eſt in verbo (redemptionem corporis expectantes) ſi corpus patitur, non mirum eſt, quia nondum redemptionis fructum habet, conſequetur autem illum, & impaſſibile, ac glorioſum efficietur. Decimum eſt in verbo (ſpe ſalui facti ſumus.) magnum eſt ſolatium afflictis ſpes certiſſima ſalutis; dedit enim nobis Deus ſpem, patientiam, & multa bona, & beneficia inſignia, quibus confortati paſſiones haſce perferamus. Hæc breuiter attigimus, vt Pauli verborum efficaciam aliqua ex parte explicaremus, qui ſententiarum ſenſu, & verbornm ſignificationibus pollet.

Similiter autem & ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram.

NOn dereliquit nos ſine adiutorio Deus hoc tempore, quo corporis redemptionem nondum habentibus multa inde incommoda pati neceſſe eſt. nam Spiritus Sanctus adiuuat infirmitates noſtras; ideſt, nobis eſt auxilio vt poſsimus tolerare ea; quæ ex infirmitatibus noſtris conſequũtur, & patimur. propter carnem enim corruptibilem tam intus, quam exterius multis modis affligimur. caro quidem infirma eſt, tamen Spiritus Sanctus iuuat nos vt fortes ſimus, & aduerſa patienter feramus.

Attende, particulam (ſimiliter) connectere ſuperiora, nimirum viuificabuntur mortalia corpora noſtra per Spiritum Sanctum inhabitantem. idem etiam ſpiritus filios Dei facit; qui enim Spiritu Dei aguntur, filij ſunt Dei. rurſus idem ſpiritus teſtimonium reddit, nos eſſe filios Dei; his annectens, inquit, ſimiliter ſpiritus iuuat nos vt Chriſto cõpatiamur, infirmitateſq. noſtras roborat vt aduerſa toleremus. multa enim & inſignia opera facit in iuſtis Spiritus Sãctus.

Illa autẽ particula (&) cõnectit proxime pręcedẽtia, ac ſi diceret; præter ſpem, & patientiã etiam ſpiritus adiuuat nos ad tolerãdũ, vt donis Spiritus San. & ipſomet Spiritu Sancto adiuti compatiamur, & infirmitates omnes, quæ maxime ex corpore nondũ redẽptionis fructũm

Digitized by Google

fructum perfectæ habente, procedunt, ſuperemus. Nouum aliud eſt hoc argumentum, præter omnia expoſita in ſuperiori annotatione; conſolationis in aduerſitatibus, & paſſionibus iuſtorum, nempe adiutorium habere Spiritus Sancti, & eum poſtulare pro ſanctis, vt in ſequentibus explicatur verbis.

ANNOTATIO XXV.

DVæ difficultates in præcedenti ſententia. Vna eſt de connexione, altera eſt de expoſitione verbi huius (ſpiritus). Quantum ad connexionem pertinet, obſcurum videtur, cui ſit illa particula (ſimiliter) connectenda, Origen. enim ad verbum ingemiſcendi refert, in hūc ſenſum, non ſolum omnis creatura ingemiſcit, ſed etiam nos primitias Spiritus habētes, ſimiliter etiā ſpiritus ipſe ingemiſcit: nam ſequitur (poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus). dura videtur connexio hæc, nam non dicitur, ſimiliter ingemiſcit; ſed ſimiliter adiuuat infirmitates noſtras. Anſelmus cōnectit aliter, nempe ſpes nos adiuuat, ſimiliter & ſpiritus. Nec hæc expoſitio, ſeu connexio videtur perfecta. nam ſunt duæ particulæ (ſimiliter) atq. (&) particula (&) refertur quidem ad id, quod dicit Anſelmus, ſpes enim & patientia nos iuuant; & ſpiritus etiam, tamen particula (ſimiliter) maneret otioſa, niſi ad ſuperiora referretur, vti diximus. cum enim multa opera narraſſet Spiritus Sancti, ſimiliter hoc facere in nobis docet, vt noſtras infirmitates adiuuet. Eſt autem Græce verbum pluralis numeri, nempe (infirmitates) & hæc de connexione dicta ſint.

Orig.

Anſel.

Altera difficultas eſt, quis ſit hic ſpiritus; qui noſtras dicitur adiuuare infirmitates; ſunt enim variæ expoſitiones Doctorum. Prima eſt communis, nempe hunc eſſe Spiritum Sanctum, qui nobis eſt adiutorio. ita exponunt Grego. Naz. orat. 5. Theodoret. Ambroſ. epiſt. 23. ad Horontianum. Chryſoſt. & Oecumen. cum alijs citandis in annotatione ſequenti 27. & ante omnes hos Origen. in præſenti. Secunda expoſitio eſt, per ſpiritum gratiam, quæ ipſius eſt Spiritus Sancti Donum, ſignificari. hæc enim eſt quæ nos dicitur adiuuare, ita exponit Theodore. Tertia expoſitio eſt Lyræ, qui Angelum cuſtodem interpretatur. hic enim adiuuare nos dicitur, quia dirigit nos in ijs, quæ ad Deum pertinent multis modis. Sed hæc violenta videtur expoſitio, nec ad ſenſum Pauli facit; qui de Spiritu ipſo Sancto, quo viuificanda ſunt corpora, & quo filij Dei ſumus facti, & quo viuit Spiritus noſter, loquitur. Prima ergo expoſitio eſt accommodata; quamuis enim per gratiam nos adiuuemur, tamen ipſe Spiritus Sanctus eſt qui præcipuus eſt adiutor, & prima cauſa, qui dicitur adiuuare infirmitates noſtras. cui expoſitioni contextus ſententiarum fauet, vti iam diximus, & articulus Græcus; dicitur enim (ipſe Spiritus).

Quis ſit Spiritus qui noſtras dicitur adiuuare infirmitates.

Gregor. Naz. Ambroſ. Chryſoſt. Oecum.

Theodor. Lyra.

Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus.

Cur Spiritus dicitur noſtras adiuuare infirmitates.

CAuſam reddit, cur ſpiritus dictus ſit noſtras adiuuare infirmitates, & cum multa potuiſſet Paulus opera Spiritus Sancti adducere in medium, quibus ab ipſo iuuamur, vnum ſolum exponit, nempe Spiritum Sanctum adiuuare nos in petendo, & orando, tum vt reſpondeat ſententia hæc præcedenti, nempe, gemimus expectantes, ſed gemitus ſunt cum infirmitate, quando neſcimus orare vt oportet; ideo Spiritus Sanctus in his nos adiuuare dicitur. gemitus enim petitiones orationeſque intenſæ ſunt, tum vt in eo intelligamus quanta ſit indigentia noſtra, & quam efficax illius auxilium. Senſus ergo eſt: adiuuat noſtras infirmitates; quia nos infirmitatibus circundati, nec valentes ferre, niſi diuino auxilio roborati, inuocantes, & petentes ipſummet Deum, ignoramus, & neſcimus quid ſit petendum, quod nobis vtile ſit; ſæpe enim petimus quæ nobis potius nocitura eſſent, ſæpe fugere, & liberari oramus ab ijs, quæ nobis proſunt; idcirco neſcimus orare ſicuti oportet, ideſt petere quæ petenda ſunt: in hoc autem maxime nos adiuuat Spiritus Sanctus, vt proxime ſequentibus verbis exponitur.

Aduerte ergo, his verbis ſignificari indigentiam noſtram; non enim poſſumus in infirmitatibus ſubſiſtere, niſi adſit nobis diuina virtus, quam neceſſe eſt petere, & ſuppliciter orare. rurſus, neſcimus, quando, & quomodo ſit iſta diuina virtus petenda, quia neſcimus quæ ſaluti proſint, magna ergo eſt indigentia noſtra, quia nec ſoli poſſumus reſiſtere, nec quomodo inuocandus ſit Deus, ſcimus. Significatur etiam hiſce verbis magnitudo auxilij Spiritus Sancti, qui nos dirigit, & iuuat in petendis ijs, quibus noſtris infirmitatibus ſubuenitur, nempe in petenda, & obtinenda diuina virtute. propterea Paulus adiutorium Spiritus Sancti in hac re maxime expoſuit; maxime autem quia de noſtris gemitibus, quæ petitiones ſunt, locutus erat.

ANNOTATIO XXVI.

GRæce, ſicut & Latine, ambiguum eſt, cui referatur illud verbum (ſicut oportet) an ad antecedentia; vt ſit ſenſus, neſcimus quid oremus, ſicut oportet orare & petere. an potius ad ſequen-

quentia; nempe, neſcimus ſicut ſcire oportet, quid ſit orandum. & quamuis idem fere ſit ſenſus, vtrouis modo referatur, & aliqui ad ſequens verbum referant, tamen communis expoſitio antiquorum ad verbum orandi antecedens refert, nempe neſcire nos orare, & petere, ſicut orare, & petere oportet: quia petimus multa, quę profutura putamus; contra vero liberari petimus a multis, quæ nocere exiſtimamus, cum tamen res ipſa multo aliter ſe habeat; idque exemplo ſuo Paulus nos docuit. 2. Corint. 12. a ſtimulo enim carnis liberari tamquam a re noxia petebat, cum tamen non ſic eſſet. ita Chryſoſt. Origen. cæteriq. antiqui Doctores explicuere.

2. Cor. 12

Chryſoſt. Origen.

Aliqui moderni exponendum ſic cenſent. hoc ipſum quod orare debemus vt oportet, ignoramus, vt articulus ad totam orationem referatur, moti illa particula (τι) tamen accommodatior eſt ſenſus, vt non ſic ad totam orationem referatur, ſed ad particulam (quid) & Græca phraſis talem etiam admittit ſenſum. articulus enim ſolet particulæ interrogatiuæ adiungi, quod aduertens Hilar. in Pſal. 53. ſic vertit, Quod enim quid oremus, qualiter oportet, neſcimus. Latine tamen illud (quod) ſuperfluit, quod tamen Græca phraſis admittit.

Spiritus Sanctus quomodo noſtras dicitur adiuuare infirmitates.

Chryſoſt.

Quantum autem attinet ad connexionem huius ſententiæ cum ſuperiori, maior eſt diuerſitas inter expoſitores etiam antiquos. Primo loco Chryſoſt. ſic connectit, Spiritus Sanctus adiuuat noſtras infirmitates: nam in facillimis rebus etiam nos iuuat, nempe in orando tanta eſt eius in nos cura. ſi ergo in his adiuuat, multo magis in grauioribus, & difficilioribus adiuuabit. Secundo loco Theodoret. connectit, ſupplendo ſententiam quandam ſic, ne petatis liberari ab hiſce infirmitatibus, quia neſcitis orare quod vtile eſt. hæc expoſitio eſt violenta; addit enim Paulo ſententiam nouam, quæ non conſequitur ex ipſius verbis. Tertio loco Oecumen. connectit ſic, adiuuat infirmitates noſtras. ne autem aliquis ſe non indigere putaret, addit, vere indigemus, nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus.

Conuenientior, & accommodatior videtur expoſitio, vt Paulus probet, & cauſam reddat, cur ſit dictus Spiritus Sanctus adiuuare infirmitates noſtras, quia, inquit, neſcimus quid in his infirmitatibus petendum ſit a Deo, quod nobis ſit vtile, & quod vere petendum ſit ſecundum Dei voluntatem. probatio autem ſumpta eſt ab hac re, non quia facillima eſt, vt dicit Chryſoſto. ſed quia de gemitibus noſtris locutus erat, quos in carnis infirmitate poſiti edimus. rurſus etiam, quia res hæc eſt generalior, & multa ſignificabantur, nempe, nos non poſſe in infirmitatibus ſubſiſtere, niſi adſit diuina virtus, hancque eſſe petendam a Deo, & nos eſſe adeo indigos, vt non ſolum nequeamus ſoli reſiſtere, ſed adhuc etiam neſciamus auxilium ipſum petere vt oportet, vti in commentario iam expoſitum eſt.

Digitized by Google

Sed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Connexa ſunt hæc verba ſuperioribus. expoſuit enim quod noſtræ erat infirmitatis, nempe neſcire orare ſicut oportet. explicat nunc quod eſt ipſius Spiritus Sancti adiutorij; & eſt ſenſus, cum nos neſciamus gemere, nec petere ſicut oportet, ipſe Spiritus Sanctus poſtulat pro nobis vt oportet, & ea quæ conueniunt & vtilia ſunt, & ſic fiunt petitiones noſtræ impetratoriæ, quod ſic fit; ipſe enim Spiritus Sanctus facit ſe auctorem noſtrorum gemituum, & petitionum, & in nobis pro nobis ipſis petit, & gemitus iſti, ac petitiones noſtræ, quæ non ſunt vt oportet, ſi vt a nobis ſunt, & quæ nobis videntur, conſiderentur, accipiunt, & induunt quandam rationem petitionis, quæ nobis non apparet, nec cognoſcitur, vt petentes ſæpe, quæ non conueniunt nobis, per eaſdem petitiones obtineamus ea, quæ conueniunt, etiam contraria ijs quæ petebamus; niſi enim Spiritus Sanctus nos adiuuaret, & per nos poſtularet, orationes, & gemitus ſæpe inutiles fierent; quia petimus quæ non cōueniunt, & ſic non impetraremus; at dum a Spiritu Sancto ſunt, & ipſe eſt qui per nos petit, & gemit, non fiunt inutiles, ſed impetrant ea quæ conueniunt, & nobis ſunt vtilia. quamuis nos ignorantes non ea petiuerimus. ideo dicitur Spiritus Sanctus gemitibus inenarrabilibus petere, quia nobis occulta ſunt ea, ad quæ Spiritus Sanctus dirigit petitiones noſtras.

Mirabile eſt profecto hoc beneficium, vt eadem oratio petens ſæpe, quæ vtilia non ſunt, impetret ea, quæ conueniunt. quia oratio hæc Spiritus Sancti in nobis, & per nos poſtulantis eſt. Hic eſt verus, & legitimus ſenſus Pauli, qui notandus eſt. poſtulat ergo Spiritus Sanctus non in ſe, ſed in nobis, & per nos, ſicut Matth. *Matt. 10*
10. dicitur: Non eſtis vos qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Gemitus autem hi in nobis a Spiritu San. editi, ſunt inenarrabiles, quia occultum eſt nobis, quid per ea Spiritus San. impetrare nos faciat, cum ſæpe ſint longe diuerſa ab his, quæ nos petere intendimus. Vt ergo res materiales, quatenus inſtrumenta ſunt Dei, faciunt multa ſupra virtutem ſuam propriam, & aliquando contraria, ſicut, quando luto Chriſtus viſum cæco reſtituit, ita per eaſdem orationes, quatenus a Spiritu Sancto ſunt, impetrant iuſti quod oportet, etiamſi ipſi ignari petant aliquando contraria.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIO XXVII.

Quis ſit ſpiritus, qui dicitur poſtulare pro nobis.

Aliquot examinanda occurrunt in ſuperiori ſententia. Primum eſt, quis ſit ſpiritus hic, qui pro nobis dicitur poſtulare; ſunt enim variæ expoſitiones. Prima eſt communis, eſſe nempe Spiritum ſan. ipſum, qui noſtras adiuuat infirmitates. ita exponunt Origen. in præſenti. Tertul. lib. de Trin. Greg. Nazian. orat. 5. Theolog. Hilar. in Pſal. 64. ibi, Et tibi reddetur votum in Hieruſalem. Ambroſ. epiſt. 23. ad Horont. Aug. epiſt. 121. de orando Deum, cap. 15. & Greg. lib. 3. Moral. cap. 22. Secunda expoſitio eſt, per ſpiritũ, non ipſam Spiritus ſan. ſubſtantiam, ſed ipſius gratiam ſignificari. hac enim moti, & agitati per petitiones obtinemus, quæ nobis vtilia ſunt, ita Theod. exponit. Tertia expoſitio eſt, ſpiritum hunc poſtulantem eſſe charitatem, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris. ita exponit Aug. tract. 6. in epiſt. Ioan. Charitas, inquit, ipſa gemit, Charitas ipſa orat, cõtra hãc aures claudere non nouit, qui illam dedit. Quarta expoſitio eſt, hunc ſpiritum eſſe miniſtrũ, qui pro populo orat, cui gratia precationis à Spiritu ſan. donata eſt; vt enim varia ſunt dona Spiritus ſan., nempe virtus miraculorum, gratia ſanitatum, donum linguarum, aliaq. diuiſa ſingulis, prout Spirit. ſan. vult, ita erat olim gratia orationis, & precationis, & cui hæc gratia data erat, pro toto vulgo, & cæteris ignaris petebat, cuius locum nunc Diaconus repræſentat. iſte eſt ſpiritus, qui, ſecundum Paulum, orat, & poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, quiq. interpellat pro ſanctis. ita exponunt Chryſoſt. & Oecum. Quinta eſt expoſitio quorũdam modernorum, qui totum hunc contextum de Angelo cuſtode interpretantur.

Tertul. *Gregor. Naz.* *Hilar.* *Ambroſ.* *Auguſt.* *Gregor.* *Theodor.* *Auguſt.* *Chryſoſt.* *Oecume.*

Multa poſſent contra has expoſitiones obijci, à quibus ſuperſedeo, quia facile erit vnicuique lectori iudicium in hac parte. Omnium accommodatiſſima ea videtur, quæ de Spiritu ſan. totum hunc contextum interpretatur; ipſe enim eſt qui adiuuat, qui poſtulat, qui interpellat, ſicut ipſe eſt, qui viuificabit corpora, ipſe qui filios Dei facit, & qui teſtimonium reddit conſcientiæ noſtræ.

Attende, verbũ Græcum ὑπερεντυγχάνει aliquos vertere intercedere; tñ conuenientius habet vetus verſio poſtulare; quod idem ſignificat ac alterius, ſeu propriam cauſam apud eum, qui præeſt, exponere, quod maxime Spiritui ſancto per nos petenti conuenit, cuius intentio ante Deum exauditur. Eſt autem verbum compoſitum, vt notat Oecum. ad ſignificandam vehementiam poſtulationis.

Quõ Spir. ſan. dicitur poſtulare, & gemere.

Alterum ergo examinandum eſt, quomodo Spiritus ſan. dicatur poſtulare, & gemere, cum hæc diuinitati non conueniant. Aug. epiſt. 121. de orando Deum, cap. 15. exponit hæc verba cauſaliter, nempe, quia poſtulare, & gemere nos facit, adducitq. illud Deuter. 13. Tentat vos Deus vt ſciat ſi diligatis eum, ideſt, vt ſcire vos faciat. eodem modo interpretatur Greg. lib. 2. Mora. cap. 22. & fateor verba aliquando hanc habere ſignificationem; eſt enim

Aug. *Deut. 13.* *Gregor.*

enim Hebraiſmus quidam; habet enim Hebręus quandam verbi coniugationem, in qua verba cauſalem habent ſignificationem, quod non eſt in Græco, aut Latino idiomate. Ideo Paulus Hebræos imitans, potuit vti verbis in ea ſignificatione. Tamen mihi non videtur in hac ſententia factum eſſe, nec ea expoſitio vim ſententiæ Paulinæ explicat. Ambroſ.epiſt.23. allegata verba hæc non cauſaliter exponit, ſed per figuram, & impropríetatem dicta, quomodo Deus dolere, & alia facere, quæ Deo non conueniunt, in Scriptura dicitur, ſenſum tamen hunc figuratum Ambroſius non explicat. *Ambr.*

Mihi autem accommodata expoſitio ea videtur, vt Spiritus ſanctus dicatur poſtulare, & gemere non in ſua perſona, ſed in nobis ipſis, quæ tamquam animata, & rationalia inſtrumenta ipſius ſumus. Quod autem per inſtrumentum fit, ipſi mouenti cauſę primę tribuitur. Ideo dicitur Spiritus ſanctus loqui in nobis, & poſtulare in nobis, non ſolum quia nos loqui, & poſtulare facit, ſed quia ipſe per nos, tamquam per inſtrumenta ſeparata operatur. Et hæc expoſitio multum ſenſum Paulinum exprimit, vt in commentario diximus; vt enim iuſti inſtrumenta ſunt Spiritus ſancti rationalia & libera, orationibus, & petitionibus impetrant ea, quæ non ſignificabantur eiſdem orationibus; petunt enim aliquando liberari ab afflictione, & obtinent confirmari in ea, quia hoc illis vtile eſt, non illud: Spiritus ſanctus autem, quod vtile, & ſecundum Deum eſt, intendit in iuſtorum orationibus.

Tertium eſt, cur gemitus hi dicantur inenarrabiles. Tertul.lib.de Trinit. legit ineloquaces. Ambroſ. epiſt.23.allegata, interpretatur inenarrabiles dictos, quia cæleſtes ſunt, cum ſint gemitus Spiritus ſancti. Aug.epiſt.121.allegata cap.15. dici gemitus inenarrabiles interpretatur, quia quod petimus, & deſideramus, quale illud ſit, ignoramus: quod enim ſperamus non videmus. Sequitur Auguſtinum Anſelm. accommodata tamen expoſitio ea videtur, dici nempe inenarrabiles gemitus, quia nobis ignotum eſt, quod Spiritus ſan. per noſtros gemitus nobis impetrat, cum ſæpe nos contraria petamus. Hinc conſtat cauſa, cur prius non dixerit, creaturam ingemiſcere inenarrabilibus gemitibus, nec etiam eos, qui primitias Spiritus habent, ſed Spiritum ſanctum in nobis, & per nos poſtulantem, cauſa ea eſt, vti diximus, quia Spiritus ſanctus efficit, vt noſtri gemitus ſint inenarrabiles, per eos obtinere nos faciens alia ab ijs, quæ petimus, ignorantes quid ſit vt oportet petendum. Origenes vero aduertit, hos gemitus dici inenarrabiles, non illos; cauſam tamen non expoſuit.

Cur gemitus dicuntur inenarrabiles. Tertul. Ambroſ. Auguſt. Anſel.

Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus.

CONnexa ſunt hæc ſuperioribus. dixit enim, Spiritum poſtulare gemitibus inenarrabilibus; ſubiungit, non quia gemitus hi inenarrabiles ſunt, ideo Deo occulti, & incogniti ſunt; nobis quidem

Digitized by Google

quidem ſunt inenarrabiles, quia ignoramus quid expediat, quidq. vtile ſit; at qui ſcrutator eſt cordium Deus, ſcit, & aperte cognoſcit, quid Spiritus ſanctus velit, & quid intendat in ijs gemitibus, & orationibus, ac poſtulationibus, quas in cordibus iuſtorum operatur, & per ipſa corda efficit. quamuis enim non exprimatur verbo, aut mente quod petitur à Spiritu, & vtile eſt, ſcit tamen quo cor ipſum fertur à Spiritu ſancto motum; ideo id facit, & in eo exaudit, quod Spiritus ſanctus intendit in cordibus, & per corda noſtra, quamuis nos ignoremus, & nobis ſit inenarrabile illud, quod Spiritus ſanctus intendit, & per nos poſtulat. Græce illud (Quod deſiderat) habetur φρόνημα, ideſt, ſcit ſenſum, intellectum, aut voluntatem ſpiritus.

ANNOTATIO XXVIII.

Auguſt. AVguſt. epiſt. 121. de orando Deum, cap. 15. legit: Quid ſapiat ſpiritus. quæ lectio in eundem tendit ſenſum. Præterea illud verbum (ſcit) *Anſel.* Anſel. exponit approbat. approbat enim Deus quod Spiritus intendit in petitionibus noſtris. *Ambr.* *Chryſoſt.* Ambroſ. autem, Chryſoſt. & communis expoſitio Doctorum verbum hoc ad cognitionem refert; idq. verbum præcedens indicat. quia enim ſcrutatur corda, nouit, & ſcit quid intendat Spiritus corda mouens. connexio etiam cum præcedentibus id confirmat. vti enim diximus, verbum illud Pauli (inenarrabilibus) exponit, nempe nobis inenarrabiles eſſe, non Deo, qui ſcrutator eſt cordium. & ideo ſcit ſenſum Spiritus in poſtulationibus per nos factis ab ipſo.

Quis ſit ſpiritus poſtulans gemitibus inenarrabilibus.

Chryſoſt. Occum. Aliter tamen Chryſoſt. & Oecumen connectunt, & exponunt. nempe Spiritus, ideſt, homo ille ſpiritualis habẽs ſpiritum precationis, poſtulat pro nobis, hic non eſt datus, vt Deum quaſi ignorantem doceat, ſed vt doceat nos orare, & quæ Deo placita ſunt petere, quia ſecundum Deum poſtulat, ſeu intercedit pro nobis; Deus enim, qui eſt cordium ſcrutator, non indiget petitione, vt ſciat: ſed fit hæc petitio propter noſtram inſtructionem. Dura profecto, & vix verbis accommodabilis eſt expoſitio, & connexio, cum legitima connexio, & ſenſus, facilia, & conſona verbis ſint. Dixerat enim, gemitibus inenarrabilibus Spiritum ſanctum poſtulare pro nobis, ne, quia inenarrabiles dixerat, non eſſe à Deo cognitum quid peteretur, ſuſpicaremur, adiunxit: Qui corda ſcrutatur, ſenſum, & voluntatem ſcit Spiritus ſanctus in his gemitibus inenarrabilibus; ſunt enim nobis, non ipſi Deo inenarrabiles. Hac etiam ſententia vtitur Chryſoſt. ad probandum non poſſe intelligi verba præcedentia de Spiritu ſancto, quando dictum eſt: Spiritus poſtulat pro nobis, &c. ſed de illo, qui habet donum precationis; & orat pro populo; inquit enim: ſi de Spiritu ſancto ipſo ſermo eſſet, oportebat dicere, qui Spiritum nouit, ſcit quid Spiritus deſideret. At dum dicitur; Qui

ſcrutator

ſcrutator eſt cordium, ſcit quid deſideret Spiritus: ſignificatur de homine ſpirituali eſſe hæc intelligenda.

Hæc obiectio Chryſoſt. non videtur efficax, primo quidē reſponſio facilis eſt; ſi Spiritus ſanctus ipſe in ſeipſo poſtulaſſet, dictum eſſet, qui nouit Spiritum, at Spiritus ſanctus in ſeipſo nō poſtulat, qui Deus vnus eſt cum Patre, & Filio, cui poſtulatio fit; non autem ipſe poſtulat, at Spiritus ſanctus in noſtris cordibus., & per noſtra corda poſtulat, tamquam per viua inſtrumenta ab ipſo mota, & excitata. ideo dictum eſt: Qui corda ſcrutatur, ideſt, ſcit quando corda à Spiritu ſancto mota ſint. Quando vero, non à Spiritu ſancto, ſed à propria voluntate, & concupiſcentia. ſcit etiam quo ferantur corda, ſiue à Spiritu ſancto, ſiue ab alio ſint mota; non ergo obiectio efficax eſt. Secundo, eiſdem ſuis verbis Chryſoſt. expoſitio impugnatur: nam ſi de illo homine ſpirituali orāte pro populo ſermo eſſet, non dicerentur gemitus eius inenarrabiles, quia publice & palam petebat, & preces fundebat, ſicut modo ſacerdos facit in officio publico. Rurſus, non diceretur: Qui ſcrutatur corda, nam ille homo vocales, & manifeſtas orationes faciebat, quæ ſingulis, aut multis cognitæ erant.

Tertio etiam impugnatur eadem expoſitio, nam ipſe Chryſoſt. prima illa verba (Spiritus adiuuat infirmitates noſtras) de Spiritu ſancto intelligit, & exponit. cum ergo ſequentia ſint probatio præcedentium, dum dicitur (nam ſpiritus poſtulat, &c.) profecto de eodem Spiritu exponenda ſunt, cum ſint connexa, & ad eundem ſenſum pertineant. ergo omnia hæc de ſpirituali homine intelligenda ſunt, aut de gratia, aut de Angelo cuſtode, aut de charitate, vt exponunt cæteri, aut de Spiritu ſancto, vt vere exponendum eſt, nam diuidere, vt diuidit Chryſoſt. violentum videtur.

Quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis.

Poſtulare ſecundum Deū quid ſit.

DEclarat ſenſum hunc, φρόνημα, Spiritus ſan. ſeu quod deſiderat Spiritus, nempe eſſe vt oportet; poſtulare enim ſecundum Deum, idem eſt ac poſtulare vt oportet; eſt autem totus ſenſus hic, nos neſcimus poſtulare vt oportet, Spiritus ſanctus autem poſtulat pro nobis vt oportet gemitibus inexplicabilibus, & nobis inenarrabilibus. At qui ſcrutator eſt cordium Deus, ſcit ſenſum, & voluntatem Spiritus ſancti poſtulantis, nouitq. cum poſtulare vt oportet, & quæ Deo placent, non pro omnibus, ſed pro ſanctis, in quorum corde, & per quorum corda orat. nos quidem ſcimus hoc in generali, Spiritum ſanctum nempe petere vt oportet, & ſecundum Deum ſemper. quæ autem illa in particulari ſint, ignoramus; ſcit autem ille, qui ſcrutator eſt cordium, omnia diſtincte. Sanctos appellat eos, quos ſtatim in ſequenti ſententia vocat Diligentes

Deum,

Digitized by Google

Deum; horum enim corda Spiritus ſancti inſtrumenta ſunt, & in his, & per hæc poſtulat vt oportet.

ANNOTATIO XXIX.

MVlta occurrunt adnotanda circa proximam ſententiam. Primum eſt illa particula (quia) *Anſel.* Anſel. exponit in ſenſu cauſali, vt reddat cauſam præcedentis ſententiæ in hunc ſenſum, qui ſcrutatur corda, approbat quod Spiritus deſiderat, cauſa autem approbationis eſt, quia ſecundum Dei voluntatem *Chryſoſt.* poſtulat. Chryſoſt. etiam in ſignificatione cauſali exponit; ſed in alium ſenſum longe diuerſum; nimirum homo ille gratiam, & ſpiritum precationis habens, poſtulat pro nobis, non quia Deus ignoret, quid expediat, ſed quia docet nos poſtulare ſecundum Deum, eiuſq. voluntatem. Accommodatior tamen expoſitio eſt, ſi particula ſit declaratiua, non autem cauſalis; frequentiſſime enim in ea accipitur ſignificatione. Erit ergo ſenſus, Qui ſcrutatur corda, ſcit ſenſum, & voluntatem Spiritus poſtulantis, cuius ſenſus, & voluntas ſemper eſt ſecundum Dei voluntatẽ, & vt oportet. nos autem non ſic facimus; ſed ſæpe petimus, quæ non ſunt ſecundum Dei voluntatem, & eius placitum, ignorantes quod expedit, & oportet.

Alterum adnotandum eſt illud, (ſecundum Deum) dupliciter exponitur; vno modo, vt, poſtulare ſecundum Deum, ſit petere quæ ſunt ſecundum diuinum beneplacitum, *Chryſoſt. Ambroſ. Theodor.* & Dei voluntatem. ita Chryſoſt. Ambr. Theodoret. & alij communiter exponunt, quam expoſitionem ſecuti ſumus tamquam legitimam; reſpondet enim hoc verbum illi (vt oportet;) qui enim petit vt oportet, ſecundum Deum petit, ideſt, poſtulat quæ Deo grata ſunt, & quæ ſunt poſtulanda. quod ſemper ſpiritus facit. Altero modo exponit Origen. nempe, Spiritum *Orig.* petere ſecundum Deum, ideſt, ſecundum ſuam diuinitatem; vt à Chriſto diſtinguatur, qui ratione humanitatis ſuæ, noſter factus eſt redemptor. at Spiritus ſanctus non aſſumpſit carnem, ſed in ſua ſola manet diuinitate. ideo ſecundum Deum poſtulat, non ſecundum hominem, quia homo non eſt factus. Violenta videtur expoſitio, & parum accommodata, prior eſt amplectenda.

Tertium adnotandum eſt, illud verbum (poſtulat) Græce idem eſſe verbum cum ſuperiori, quando dictum eſt (poſtulat gemitibus, &c.) ſed prius eſt compoſitum, hoc autem ſimplex eſt. Aug. epiſt. 121. cap. *Auguſt.* 15. & Ambr. epiſt. 23. legunt, inter- *Ambr.* pellat; alij autem, intercedit: Aug. autem in eadem epiſt. ſic exponit, Interpellat pro ſanctis; ideſt, interpellare facit ſanctos, quæ expoſitio eſt Anſelmi, & aliorum multorum. *Anſel.* Mihi tamen dura viſa eſt; illud enim (pro nobis) ſeu (pro ſanctis) potius ſignificare videtur, ſanctos eſſe pro quibus poſtulat Spiritus ſanctus. Senſus igitur accommodatior eſt, vt Spiritus ſanctus dicatur poſtulare per ſanctos, quorum corda mouet, & excitat, ac regit. Petit autem pro ipſis, & per eos poſtulat pro eiſdem, illa, quæ conueniunt, & quæ poſtulanda ſunt.

Et ſic

Digitized by Google

Et ſic Chryſoſt. Oecum. & alij exponunt hoc verbum (pro ſanctis) nempe, vt ſancti ſint, pro quibus oret, & poſtulet Spiritus. Qui autem vertunt (interpellat) aut (intercedit) vix illam priorem expoſitionem ſuſtinere poſſunt, nempe interpellat, & intercedit pro ſanctis, id eſt, facit ſanctos intercedere; cum ipſe potius intercedat pro illis per eoſdemmet, qua parte moti ſunt ab ipſo. Hac ergo ratione Spiritus ſan. aduocatus dici poteſt ſanctorum; non quod per ſeipſum aduocatus ſit, aut interceſſor, qui Deus eſt, apud quem interceſſio fit, ſed per homines ipſos, qui ipſius inſtrumenta ſunt, per quos loqui, petere, & poſtulare dicitur. Hic ſenſus accōmodatior, & magis legitimus eſt.

Qui ſint ſancti, pro quibus ſpiritus poſtulat. *Oecum.* Quartum adnotandum eſt, qui ſint hi ſancti, pro quibus Spiritus poſtulat. Oecum. qui Spiritum expoſuit hominem gratiam precationis habentem, hanc vocem (ſanctis) interpretatur omnes eos eſſe, pro quibus orat ſpiritualis hic homo. Quos tribus de cauſis ſanctos dictos eſſe affirmat, aut quia per precationem ſpiritus huius ſanctificantur; aut quia ipſi ſanctificari deſiderant; aut quia pro ijs petuntur ſancta, & Deo placita. Origen. aliter interpretatur; ponit enim differentiam inter Spiritum ſanctum, & Chriſtum redemptorem. Vterque quidem noſtram ſalutem operatur; tamen Chriſtus pro impijs mortuus eſt, Spiritus ſan. vero pro redemptis ex impietate intercedit, & poſtulat. Sanctos ergo appellat homines, qui ex impietate per Chriſtū liberati ſunt, pro quibus Spirit. ſan. poſtulat. Ambr. epiſt. 23. eodem modo exponit, dicens: Pro quibus Chriſtus paſſus eſt, & quos ſanguine mundauit ſuo, pro ijs interpellat Spiritus. *Ambroſ.*

Auctor. Mihi ij videntur dicti ſancti, pro quibus Spiritus poſtulat, qui ſequēti ſententia dicūtur diligentes Deū ſecundum propoſitum vocati. Eſt enim ſententia ſequens coniuncta cum hac præſenti. poſtulat ergo pro ſanctis, ideſt, ijs, qui diligunt Deum ſecundum propoſitum vocati, hoc tamen perfecte explicabitur in ſequentis ſententiæ expoſitione.

Scimus autem quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

HActenus ſpiritum noſtras adiuuare infirmitates docuit, ſimiliter modum adiuuandi expoſuit, nempe, dum pro nobis poſtulat, vt oportet, cum nos id neſciamus, oſtendit, etiam Deum ſenſum Spiritus percipere, & cognoſcere. rurſus etiam ſpiritum dixit poſtulare pro ſanctis. poſt hæc omnia nunc addit, non eſſe has ſpiritus poſtulationes inefficaces, & infructuoſas, ſed vtiliſſimas; exaudiriq. ipſum à cordium ſcrutatore Patre Deo. ſenſus ergo eſt: Poſtulat pro ſanctis ſecundum Deum. Scimus autem, & res eſt indubitata, ſanctis, & Deum diligentibus omnia, ſiue proſpera, ſiue aduerſa cedere in bonū, & ad ſalutem illis prodeſſe, ſiue fiat quod petunt, ſiue negetur; vtrouis modo quod illis eſt vtile, & ad ſalutem expediens fit. argumentum hoc eſt, ſpiritum exaudiri pro eis,

& eius

Digitized by Google

& eius poſtulationem eſſe efficacem, qui ſemper petit pro ſanctis, quod bonum illis eſt, & quod ad ſalutem confert, etiam quando ipſi petunt quæ vtilia non ſunt, ſed potius noxia: ſic ceſſit in bonum Paulo Angeli illius colaphizatio, quamuis ipſe neſcius peteret ſibi auferri. Argumentum hoc eſt etiam magnæ conſolationis iuſtorum in tribulationibus, & aduerſitatibus, cum ſciant omnia cedere illis ad bonum, & cooperari, adiuuareq. eos ad ſalutem.

ANNOTATIO XXX.

Qui ſint ſancti, quibus oia cooperantur in bonum.

OMnes fere proximam ſententiam à præcedēti diſiungunt: propterea eis difficile eſt accommodatam inuenire connexionem, mihi autem videtur non diſiungenda, ſed connectenda ſic; vt in ea oſtendatur Spiritus poſtulatio efficax eſſe, & exaudiri; non enim id Paulus in præcedentibus docuerat, ſed tantum ſpiritum poſtulaſſe pro ſanctis. docendum ergo erat, an efficax eſſet poſtulatio; idq. hiſce verbis tradit; & ex ipſo effectu probat; quia omnia nimirum ſanctis, & diligentibus Deum, pro quibus ſpiritus poſtulat, cedunt in bonum, ſiue fiat quod ipſi petunt, ſiue negetur, ſiue auferantur aduerſa, ſiue permittantur, cum ergo ſemper fiat, quod illis vtile eſt, & ad ſalutem proficit, Spiritus ſan. profecto pro eis poſtulat, exauditurq. in eis, & per eos. nam ſpiritus, quæ ſecundum Deum ſunt, & ad ſalutem conducunt, petit. Hic ſenſus, & connexio mihi videntur legitima.

Auguſt.

Auguſt. lib. de correc. & gratia, cap. 9. hanc ſententiam adeo generaliter intelligit ex vna parte, vt etiam peccata concludat, quæ, ſi quando Deus permittit prædeſtinatum in ea cadere, illi ad ſalutem proficiunt, & in bonum cooperantur. nam occaſio illi ſunt humilitatis maioris, & cautelæ. nam ipſo caſu humiliores, doctiores, & feruentiores ſurgunt; hanc enim ſententiam Auguſt. reſtringit ex parte altera ad prædeſtinatos, & electos, qui ſaluandi ſunt, quibus omnia in bonum cedunt. Et quamuis vera ſit doctrina, tamen Paulus maxime hoc in loco de aduerſitatibus, & afflictionibus, quibus Chriſto compatimur, loquitur, quæ non minus quàm proſpera cedunt in bonum diligentibus Deum. non tamen excludit, quin etiam cætera omnia in bonum cooperentur. quod autem Auguſt. de prædeſtinatis hæc verba intelligit, recte & vere ſe habet, vt in ſequenti ſententia idem exponit Paulus, vbi hoc declarabitur.

Iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.

LImitat verbum ſuperius poſitum, ac ſi diceret; non omnibus diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; ſed ijs, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, nempe electis & prædeſtinatis; non enim omnes, qui diligunt Deum de præſenti, in ea permanent dilectio-

dilectione.ſed cadunt,& retrocedunt; & ij non ſunt ſecundum propoſitum vocati,ſed qui dilectionem vſque ad mortem conſeruant: illis non omnia cooperantur ad bonum, & ad ſalutem. Græce non habetur illud (ſancti) nec Aug.lib.de correct.& gratia cap.9.legit, tamen ſenſus idem eſt,ſiue legatur, ſiue non. maiorem huius loci explicationem in annotatione require.

ANNOTATIO XXXI.

PRo exactiori ſuperioris ſententiæ intelligentia,& declaratione,aduertendum eſt,Deum ab æterno prę̨uidiſſe hominem,quem creare decreuerat, in peccatum ruiturum,totamq.poſteritatem in eo inficiendam,ſtatuiſſeq. & propoſuiſſe apud ſeipſum,multos horum efficaciter ſaluare,& à peccato liberatos glorificare; ad hoc autem filium ſuum carnem ſumere, & morte ſua mundum redimere conſtituit, vt in ipſo,& per ipſum ſaluarentur,& efficaciter gloriam conſequerentur. Elegit ergo,& ſaluare voluit, quos elegit, & ſalutem dare decreuit in

Epheſ. 1. Chriſto. Epheſ.1. Elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti,& immaculati.Quod autem ab æterno decreuit,poſtea in tempore impleuit, & executus eſt,mittens filium ſuum in carnem, & vocans homines, quos ſaluare decreuit iuſtificans, & tandem glorificans eos. Hæc æterna Dei voluntas multis nominibus à Paulo ſignificatur; dicitur enim bona voluntas,quia per eam bonum hominibus facere,& cōferre voluit. Philip.2. Dabit velle, & perficere pro bona voluntate ſua. & Luc.1. dicitur etiam bona voluntas. Pax hominibus bonæ voluntatis. Dicitur etiam conſilium, quia medium elegit ſaluandi, & faciendi, quod intendebat.

Voluntas Dei, ſaluandi homines,quibus nominibus ſignificetur

Phil.2.

Luc.1.

Epheſ. 1. Epheſ.1.Operatur omnia ſecundum cōſilium voluntatis ſuæ, quia occultum fuit conſilium, & quamuis poſtea magna ex parte manifeſtatum per Scripturas,& per aduentum Chriſti, tamen adhuc multa ignorantur; qui enim ſint ſaluandi, cauſas etiam, ac rationes diuinæ voluntatis, modosve ipſius neſcimus.Ibidem etiam dicitur beneplacitum;quia hæc voluntas non fuit propter merita hominum præuiſa; omnes enim in peccato præuidit ſine merito,& cum demerito, idq.ſine obligatione vlla,aut neceſſitate; ſed gratis, ſponte, ac libere voluit. Tit.3. Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. ſic Luc.20. dicitur,Complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Matth. 10. Sic placitum eſt ante te. Quamuis enim gloria detur pro meritis,tamen merita dantur à Deo gratis. Dicitur etiā hæc voluntas propoſitum,quia firma,& ſtabilis,cuius executio impediri nō poteſt. 2. Thim. 1. Qui nos liberauit,& vocauit vocatione ſua ſancta; non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam,quæ data eſt nobis in Chriſto ante tempora ſecularia.hoc eſt propoſitum, de quo in præſenti eſt ſermo. dicuntur ergo hi vocati ſecundum

Tit.3.

Luc.20.

Matt.1

dum propoſitum, ſeu vocati ſancti; ideſt, ad ſanctitatem ſecundum propoſitum; quia à Deo ſunt electi ab æterno, vt accipiāt efficaciter ſalutem, ſecundū gratiā, non ex debito. Multi vocantur ad ſanctitatem, non tū omnes ſunt vocati ſecundū propoſitum, ſed ij, qui in ea ſunt perſeueraturi, quos prædeſtinatos appellamus. & ſic Auguſt. lib. de correc. & gratia. cap. 9. hunc locum exponit. ijs ergo omnia cooperantur in bonum, pro ijsq. Spiritus efficaciter poſtulat, & obtinet. Hęc in explicationem dicta ſint huius ſententiæ.

Auguſt.

Orig. Chryſoſt. Theodor. Occume.

Aduertendum autem eſt Origen. Chryſoſt. Theodor. & Oecum. hunc locum multo aliter exponere; interpretantur enim propoſitum hoc non Dei, ſed hominum vocandorum, vt illi dicantur ſecundum propoſitum vocati, qui ea de cauſa vocati ſunt, quia Deus eorum propoſitum pręuidit, nempe quia conſenſuri erant ſibi vocanti, eiusq. prædicationi. quorum ergo propoſitum præuidit, hos vocauit, & iuſtificauit. iuxta quam expoſitionem iſta ſententia non limitat ſuperiorem, vt in commentario affirmauimus, ſed exponit: vt ſit ſenſus; Omnia cooperantur in bonum diligentibus Deum; ij autem diligunt Deum, quorum propoſitum, & bonam voluntatem præuidens Deus, vocauit ad fidem, & ad ſe. Origen. autem adnotat, limitantem eſſe hanc ſententiam, ſed in hunc ſenſum, nempe quia multi ſunt vocati, qui non ſecundum propoſitum ſunt vocati. Qui enim ſpiritum ſeruitutis habent, vocati ſunt. Non ergo limitat hæc ſententia ſuperiorem, quaſi non omnes diligentes ſint vocati ſecundum propoſitum; ſed limitat vocatos ipſos, quia non omnes vocati, ſunt ſecundum propoſitum vocati.

Qui dicū-tur vocati ſecundum propoſitū.

Orig.

Quidquid ſit de doctrina hac, quo ad materiam prædeſtinationis examinandā pertinet, hæc expoſitio non poteſt ſuſtineri; propoſitum enim hoc non hominum, ſed Dei ipſius eſt, Deusq. ſecundum propoſitum ſuum, non ſecundum propoſitum hominum vocare dicitur; id quod Paulus aperte docuit cap. 9. ſequenti. Vt ſecundum, inquit, electionem propoſitum Dei maneret. & 2. Thim. 1. Qui nos liberauit, & vocauit vocatione ſua ſancta, ſecundum propoſitum ſuum. Ecce ſecundum Dei propoſitum vocatio fit. & Epheſ. 1. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ. Huius ſententiæ, nomine tacito, meminit Auguſt. lib. 2. con. duas epiſt. Pelagian. cap. 9. & refutat, propoſitum hoc eſſe hominis, probatq. id eſſe Dei propoſitum, vti expoſitum eſt. Vnde conſequitur vt prædicta ſententia ſit limitans ſuperiorem, vt expoſitum eſt.

Propoſitū vocationis Dei quod ſit.

Epheſ. 1.

Aug.

Ambr. Hieron.

Ambroſ. autem, & Hieron. in hoc commentario propoſitum hoc ex parte Dei exponunt, tamen aliter interpretantur, quam Auguſt. & quam nos explicuimus; propoſitum enim hoc affirmant eſſe Dei voluntatem, ſecundum quam decreuit vocare ad fidem iuſtificantem eos, quos credituros præuidit; quotquot enim credituros ſua prouidentia prænouit, vocauit ad fidem. Secundum quam expoſitionem iſta ſententia non limitat, ſed exponit ſuperiorem; diligentes enim Deum ij ſunt, quos Deus ſecundum propoſitum ſuum vocauit. Hæc expoſitio, qua parte propo-

Digitized by Google

ſitum Dei explicat, voluntatem, qua vocare decreuit, quos futuros credētes præuidit, quaſi diuinæ vocationis detur cauſa aliqua ex parte hominum. conuenit cum Chryſoſt. Oecumen. & Origen. contradicit tamen Auguſt. qui propoſitum Dei ſecundum gratiam, nulla ex parte hominis cauſa data, aut præuiſa, exponit; vt videre eſt in multis locis, præſertim tamen lib. 1. de prædeſt. ſanct. vt idem ſit propoſitum, ac gratuita voluntas Dei, nulla hominis præuiſa cauſa. Qua parte vero neceſſe eſt illos fateri hanc ſententiam eſſe declaratiuam ſuperioris, facile impugnatur. nam non omnibus diligentibus, & qui ad fidem ſecūdum tale propoſitum vocati ſunt omnia cooperantur in bonum, cum experientia doceat, multos perſecutionibus fractos, & aduerſitatibus impulſos, aut proſperitatibus abductos, à fide retroceſſiſſe, & à gratia cecidiſſe, & in damnationem æternam lapſos fuiſſe. His profecto nec aduerſa, nec proſpera cooperata ſunt in bonum, quamuis fuerint aliquo tempore de numero diligentium. neceſſe ergo eſt fateri, non omnibus diligentibus omnia cooperari in bonum; nec omnes diligentes eſſe ſecundum propoſitum Dei vocatos; ſed eos, qui ad ſalutem efficaciter perueniunt, & ſaluantur, quos prædeſtinatos appellamus, his omnia cooperantur in bonum, tam aduerſa, quàm proſpera.

Chryſoſt. Oecum. Origen. Auguſt.

Eſt igitur iſta ſententia limitans ſuperiorem. vnde conſequitur vt propoſitum Dei hoc non ſit voluntas, qua credituros ad fidem vocare propoſuit, ſed qua efficaciter aliquos ſaluare decreuit, cui expoſitioni conſonant quæ ſequuntur. An tamen aliquid ſit ex parte hominis, quod ſit vel cauſa, vel motiuum, vel aliquid cooperans ad propoſitum hoc, vt ſentiunt Ambroſius, Hieronymus, Chryſoſtomus, & reliqui citati, an vero ſit ex pura, & ſola gratia Dei, nullo non ſolum merito (nam hoc certum eſt non eſſe in homine) ſed nec vt cauſa, vel motiuo, quod præuiſum à Deo cooperatum ſit ad hanc voluntatem Dei abſolutam, vt vult Auguſtinus, nec Paulus ſignificat, nec eſt noſtri inſtituti id in præſenti diſcutere. Hoc ſolum adnotare velim, quamuis aliquam cauſam eſſe affirmemus ex parte hominis, propter quam hos Deus ad fidem, & gratiam vocare voluerit, & propoſuerit, non autem illos, non propterea tolli rationem gratiæ diuinæ; huic enim opponitur meritum, quod ex iuſtitia eſt. qui autem ponunt cauſam ex parte hominis, ſi non affirmant eſſe meritum, & iuſtitiam, ſed diuinum beneplacitum, quia ea ex cauſa voluit, & propoſuit vocare, non propterea ſequitur, eos negare rationem gratiæ; longe enim differunt meritum, & cauſa, ſine qua non; quando cauſa hæc voluntaria eſt ex parte dantis, & vocantis Dei, quia ſic ei placuit; non enim deſinit eſſe beneficium, & gratia, quādo aliquis donat pecunias manum porrigenti, quia manum porrigit.

An ex parte hominis ſit aliquid cooperans ad propoſitū Dei.

Differentia inter meritum, & cauſam ſine qua non.

Nam

Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.

PRobat ſuperiorem ſententiam, nempe, Diligentibus Deum, qui ſecundum Dei propoſitum vocati ſunt, omnia cooperari in bonum. & ſimul exponit quod ſit hoc propoſitum. Tota autem ſententia continetur non in ſolis verbis propoſitis, ſed etiam ſequentibus. erit ergo totus integer ſenſus iſte; ac ſi diceret: Omnia cooperantur in bonum vocatis ſecundum propoſitum. nam Deus hos, antequam eſſent, præſciuit, & præſcitos deſtinauit ab æterno, vt eſſent conformes filij ſui imagini, tamquam fratres ipſius poſteriores. prædeſtinatos autem vocauit in tempore, vocatos iuſtificauit à peccatis, ſibiq. reconciliauit, iuſtificatos tandem glorificauit, & ad regnum cæleſte perduxit. His ergo hominibus omnia in bonum cedunt; ſiue enim aduerſa impellant, ſiue proſpera alliciant, nihil impedire poterit, quominus tales vocentur, iuſtificentur, & ſaluentur. Hoc igitur eſt propoſitum; nempe prædeſtinatio, decretum, & voluntas Dei æterna, vt fiant conformes imagini filij ſui; quos enim tales præſciuit, & voluit ab æterno, poſtea vocantur in tempore, & dicuntur vocati ſecundum propoſitum. Hic eſt totus ſenſus.

Omnia cooperari in bonum quibus cōuenit, & de quibus.

Ad ſingula nunc deueniendum eſt verba. Quos, inquit, præſciuit. hoc relatiuum (quos) refertur ad præcedens, nempe ad eos, de quibus dictum eſt, vocatos eſſe ſecundum propoſitum, hos enim Deus ab æterno præſciuit, antequam eſſent. Quos quidem præſcitos, & præcognitos magno eſt proſecutus beneficio; prædeſtinauit enim ab æterno eos, vt eſſent conformes imagini filij ſui. Hanc conformitatem alijs verbis expoſuit Paulus Epheſ. 1. Qui prædeſtinauit, inquit, nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum. Eſt autem prædeſtinari in adoptionem filiorum per Chriſtum, prædefinire, & proponere facere eos filios adoptionis, perficereq. in eis adoptionem, nempe vt ſint filij, & hereditatem filiorum conſequantur. Hoc autem per ipſum Chriſtum filium Dei naturalem faciendum prædefiniuit Deus, & poſtea fecit, & tandem complebit, quando corpora noſtra ſuſcitabit. Hæc ſignificat nunc Paulus, dicens, Prædeſtinauit eos, vt ſint conformes imagini filij ſui, ideſt, vt eſſent conformes Chriſto filio ſuo, qui imago eſt Patris, vt ſint filij, ſicut & ipſe eſt filius, ac habeant filiorum hereditatem, ſicut &

ipſe habet: non quidem ſecundum æqualitatem. nam Chriſtus filius eſt naturalis, nos adoptionis. Quod declarans adiunxit: Vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Ecce qualis eſt hæc conformitas, nempe vt ſint filij Dei, ſicut & ipſe, ſintq. fratres ipſius, tamen non eodem modo; ipſe enim primogenitus eſt, quia filius naturalis, nos adoptionis per ipſum effecti, & in filiationem promoti ſumus. vnde Cyril. lib.10. Theſau. cap.4. Quando natura, inquit, Deus, homine aſſumpto, factus eſt frater noſter, tunc ipſe primogenitus factus eſt in multis fratribus, quia multos filios Dei per gratiam effecit. Loquitur Paulus de Chriſto Deo, & homine, quia ratione humanitatis primogenitus dicitur inter multos fratres. Particula (vt) vim habet declarandi, ac ſi dictum eſſet: Prædeſtinauit conformes fieri imagini filij eius, ita vt ipſe ſit primogenitus inter multos fratres; non enim ad æqualitatem facti ſunt conformes, ſed ad imitationem quandam. De primogeniti, & vnigeniti nominibus multa diximus ſuper Ioan.1.

Cyrill.

Ioan. 1.

ANNOTATIO XXXII.

Præſcientia an pertineat ad intellectū, an ad voluntatem.

DVo ſunt in hac ſententia adnotanda. Primum eſt, verbum illud (præſciuit) non ad voluntatem, ſed ad intellectum pertinere, nec ad approbationē, aut dilectionem, ſed ad cognitionem pertinere. quamuis enim aliquando ad voluntatem pertineat, quale illud eſt Pſal.1 Nouit Dominus viam iuſtorum. & illud Matth.25. Neſcio vos. in hoc tamen loco ad cognitionem refertur; aliqui enim moderni exiſtimant ad voluntatem pertinere, quod etiam Origen. ſentire videtur, eo moti argumento, quia ſi ad cognitionem pertineat, non videtur ſententia vera, nempe, quos præſciuit, prædeſtinauit, cum præſciuerit multos, qui prædeſtinati non ſunt. Quod argumentum nullius eſt ponderis. nam illud relatiuum (quos) refertur ad præcedentes, nempe: Qui vocati ſunt ſecundum propoſitum. Hos præſcitos, & præcognitos, antequam eſſent, prædeſtinauit. Eadem reſponſione reijcitur quod alij etiam dicunt, inter quos eſt Anſelmus. ſic enim ordinat, & connectit verba, Quos præſciuit conformes futuros imagini filij, prædeſtinauit tales fore; quæ connexio violenta eſt. Si autem referamus illud relatiuum, vti diximus, ad antecedentia, ceſſat omnis difficultas; non enim omnes præſcitos dicit eſſe prædeſtinatos, ſed exponens quod præceſſerat, omnia cooperari in bonum diligentibus Deum, non omnibus, ſed ijs, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt; adiunxit in probationem: quia hos tales Deus præſciens, prædeſtinauit, vt eſſent conformes imagini Filij eius. Et

Pſal. 1.
Matt. 25
Orig.
Anſel.

hæc eſt legitima connexio, & expoſitio, ſicq. Oecumen. relatiuum ad præcedentia referendum docuit.

Quæ ſit imago filij cui cõformes ſunt prædeſtinati.

Alterum aduertendum eſt, quæ ſit imago hæc filij, cui conformes ſunt prædeſtinati. ſunt enim multæ, ac variæ expoſitiones Doctorum. Origenes duas adfert expoſitiones. Vna eſt: imaginem hanc eſſe filij, ratione diuinitatis; ipſe enim eſt imago Patris inuiſibilis. conformes autem eſſe imagini illius exponit id eſſe, quando nobis ſapientia, iuſtitia, veritas, cæteraq. virtutes communicantur, per quas ſimilitudinem quamdam ipſius diuinitati accipimus.

Altera expoſitio eſt, vt non ipſe filius ſit imago hæc, ſed anima aſſumpta ab ipſo. nam imago hæc dum dicitur filij, videtur diſtincta eſſe ab ipſo, anima ergo eius dicitur imago ipſius, quia ipſa accepit ſuper omnem creaturam virtutes, & perfectiones à diuinitate communicatas; huic animæ, quæ imago eſt filij, cõformes facit ſanctos ſuos Deus in virtutibus, & donis communicatis. prædeſtinantur ergo vt ſint iuſti, recti, ſapientes, cæteriſq. ornati virtutibus, ſicut anima illa Chriſti ſanctiſſima, iuſta, recta, innocens, virtutibuſq. plena eſt. iuxta illud Epheſ. 1. Elegit nos vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius. de qua imagine, & conformitate dictum eſt. 1. Corinth. 15. Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis.

Epheſ. 1. *1. Cor. 15*

Theodor. Tertia expoſitio eſt Theodoret. qui imaginem hãc filij exponit corpus eius glorioſum, cui imagini erunt conformia prædeſtinatorum corpora, vt ſit ſenſus horum verborum idem cum illo Philip. 3. Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.

Hieron. Ambroſ. Quarta expoſitio eſt Hieron. & Ambr. in præſenti, vt hæc imago ſit gloria humanitatis ipſius; & conformes eſſe imagini ipſius, ſit præmium, & gloriã accipere. Quos ergo præſciuit conformes in vita, prædeſtinauit vt ſint conformes in præmio.

Athan. Quinta expoſitio eſt Athan. in epiſt. ad Serapionem de Spiritu ſancto, & in altera epiſt. ad eundem, Spiritum ſanctum non eſſe creaturam. & Baſil. lib. 5. con. Eunom. exponunt enim hanc imaginem eſſe Spiritum ſanctum, quem dicunt imaginem eſſe filij, & eo argumento probant, Spiritum ſanctum eſſe Deum; non enim imago eſſet filij, qui Deus eſt, niſi Deus eſſet. Erit ergo ſenſus: Prædeſtinauit eos conformes eſſe Spiritui ſancto, qui eſt imago filij, nempe vt ſint ſancti, puri, immaculati; ſic enim Spiritui ſancto ſimiles efficiuntur. Cyril. lib. 13. Theſau. cap. 1. Spiritum ſanctum imaginem filij eſſe affirmat, non tamen hoc loco Pauli vtitur, ſicut vtuntur Athanaſ. & Baſilius. Omnes hi fere Doctores imaginem à Filio diſtinguunt, quia non dictum eſt, conformes fieri filio, ſed Conformes imagini filij.

Baſil. *Cyril.*

Hæ tamen expoſitiones difficile accommodantur ſequentibus verbis, nempe, vt ſit primogenitus in multis fratribus; ſignificant enim hac verba eſſe talem conformitatem, vt per eam prædeſtinati efficiantur Chriſti fratres; ſic enim ipſe inter multos primogenitus ſit: ideo expoſitio, quæ poſita eſt in cõ-

 mentario,

mentario, & quam videtur ſequi Chryſoſt. eſt accommodatiſſima; vt hæc ſit filiatio Dei, idq. ſit conformari imagini filij, nempe filiorum adoptionem perfectam recipere, quæ & iuſtitiam huius ſeculi, & futuri gloriã complectitur. Conformes ergo prædeſtinantur futuri imagini filij, ideſt, prędeſtinantur in filiorum adoptionem.

Chryſoſt.

Cur prædeſtinati dicuntur cõformes fieri imagini, non autẽ filio.

Supereſt vnum exponendum, cur non dicitur, conformes fieri filio, ſed imagini filij. Reſpondeo, ſi diceret Paulus conformes fieri filio; non exprimebat, in qua re eſſet hæc conformitas; dum autem dicit, conformes fieri imagini filij, indicat ſimilitudinem eſſe in filiatione, vt ſint filij, ſicut & Chriſtus filius eſt, non tamen eodem modo, vti diximus, nam filius ideo imago Patris eſt, quia filius eius naturalis eſt; conformari igitur imagini filij eſt effici filium, ſimilemq. eſſe ei in eo, quod filius, & imago patris eſt.

Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.

PRoſequitur, & complet ſuperiorem ſententiam. omnia autem hæc ad executionem pertinent; quod enim ab æterno diſpoſuit, medijs poſtea in tempore opere compleuit, & ad effectum finemq. perduxit. Prædeſtinauit ergo ab æterno illos, de quibus dixerat omnia cooperari in bonum. quos autem ab æterno præſciuit, & prædeſtiuauit in filiorum adoptionem perfectam, hos in tempore efficaciter ad fidem, & ſui nominis cognitionem vocauit. vocatos iuſtificauit in hoc ſeculo, remittendo peccata, & ſibi reconciliando, & ad implenda omnia neceſſaria ad ſalutem auxilium præſtando. iuſtificatos autem glorificauit, æternam vitam conferendo; & ad immortalitatem animæ & corporis promouendo. Verbis vtitur in præterito, quamuis nondum omnia exhibita ſint, vt certitudinem & infallibilitatem ſignificet more Prophetarum. Ecce qui ſint vocati ſecundum propoſitum. quibus omnia ſiue aduerſa, ſiue proſpera cedunt in bonum; quia optimo medio, & fine concluduntur. vocantur enim, iuſtificantur, & glorificantur efficaciter ſiue per aduerſa, ſiue per proſpera.

Cur potius in prę terito dicat, iuſtificauit, quã iuſtificaturus eſt, in futuro.

Quid ergo dicemus ad hæc?

APplicat prædicta omnia intentioni ſuæ; Intendebat enim Paulus probare, omnia cooperari in bonum vocatis ſecundum propoſitum. vt autem probet hoc, exponit, qui ſint vocati ſecun-

ſecundum propoſitum, & quæ, ac quanta Deus cum ijs faciat, quibus enarratis infert: Quid ergo dicemus ad hæc? ideſt, cum hæc quæ enarraui talia ſint, conſequitur, nihil opponi poſſe contra veritatem illam; Omnia cooperari vocatis ſecundum propoſitum in bonum. Eſt ergo aptioribus verbis argumentum hoc tale; quos dixi vocatos ſecundum propoſitum, præſciti ſunt à Deo, prædeſtinatiq. conformes imagini filij ſui vocati, iuſtificati, & glorificati; ergo nihil cedet in malum, ſed omnia in bonum finem, & optimum cedent, ſiue aduerſa, ſiue proſpera, nihilq. in contrarium eſt, quod huic veritati opponi poſſit.

Si Deus pro nobis, quis contra nos?

PRoſequitur eumdem ſenſum; ſi Deus vocatos ſecundum propoſitum in bonum conducit, quis poterit eum impedire? ſi Deus omnia in bonum vertit illis, quis in contrariam partem conuertet? nemo profectò. Loquitur autem Paulus in prima perſona plurali, electos & prædeſtinatos ſignificans; conditionali vtens argumento. ſi nos tales ſumus, quis erit qui præualeat contra nos? Eſt etiam, non pura conditio, ſed affirmatio quædam; nempe, cum ſit pro nobis Deus, quis contra nos? tales enim debemus cenſere eos, qui Chriſtiane viuunt, donec aliud reueletur. Illo autem verbo (quis) comprehendit Tyrannos, Reges, & Imperatores, & quoſcumque, ac qualeſcumque perſecutores, quorum nemo impedire poteſt ſalutem electorum, protegente eos Deo, cuius collatione omnes creaturæ in nihilum reputantur. Eſt autem magnum argumentum hoc conſolationis iuſtis in afflictione poſitis.

Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?

COnfirmat eandem ſententiam, omnia nempe in bonum cooperari diligentibus Deum, vocatis ſecundum propoſitum. Eſt autem confirmatio ex nouo beneficio diuino; non ſolum enim Deus prædeſtinauit, vocauit, & iuſtificauit electos, ſed adhuc proprio filio ſuo non pepercit pro eorum ſalute. Quid autem ſit non pepercisse, exponit: ſed pro nobis omnibus tradidit illum; miſit enim Filium ſuum in carnem, vt homo fieret; hominem autem fa-

Digitized by Google

ctum tradidit morti vt nos liberaret. Qui ergo ſuo naturali filio non pepercit, ſine dubitatione vlla credendum eſt, cum illo omnia nobis donaſſe, & donaturum quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem noſtram, vt nec proſpera, nec aduerſa nobis nocere, nec ſalutem efficaciter impedire valeant. Argumentum eſt à minori affirmatiue, vt Logici appellant; ſi quod minus videbatur faciendum, factum eſt pro nobis, ergo etiam quod magis faciendum videtur. minus profecto faciendum videbatur, Deum proprio filio non parcere, quàm cæteris omnibus beneficijs nos afficere: illud autem factum eſt; ergo & hoc fiet; qui enim quod maius eſt donauit, donabit etiam quod minus eſt. Argumentum magnum afflictis Paulus hiſce verbis adminiſtrat.

ANNOTATIO XXXIII.

GRæca exemplaria illud (donauit) habent in futuro; Latina verò de præterito, quamuis Ambroſius legat futurum, & ſenſus id videtur confirmare. *Ambr.* nondum enim omnia accepimus à Deo, quæ cum Chriſto donare decreuit; partem enim recepimus, partem recepturos eſſe ſcimus. non tamen eſt alienus ſenſus, quamuis in præterito legamus; donaſſe enim dicitur omnia, quia id decreuit, & definiuit, ſuo tempore tamen accipienda; dat enim ea, quæ pro vnoquoque tempore conueniunt. *Hilar.* Hilar. lib. 6. Trin. recte ex hoc loco Chriſtum eſſe Dei filium naturalem, non adoptionis deducit; Paulus enim magnitudinem dilectionis Dei volens exprimere, dixit: Qui pro nobis proprio filio non pepercit. profecto non exprimitur hæc magnitudo, niſi quia pro filijs adoptionis naturali filio non pepercit.

Quis accuſabit aduerſus electos Dei?

HActenus Paulus oſtendit, electis aduerſa, & mala omnia, quæ ab aduerſarijs, & perſecutoribus inferebantur, non impeditura eorum ſalutem, ſed omnia conuertenda à Deo in bonum. Excludit nunc aliud impedimentum, quod Chriſtianis inferebatur à perſecutoribus; accuſabantur enim tamquam rei, & criminoſi, damnationiſq. ſententiam ferebant in eos: propterea oſtendit nunc Paulus, hæc iudicia, accuſationes nempe, & condemnationes hominum nihil electis nocituras. vnde nec vis illata, nec iudiciorum forum impediet electos à ſalute ipſorum aſſequenda. Eſt ergo ſenſus: Quis accuſabit, & criminis conuincet electos Dei, ideſt, quos Deus elegit? nemo profecto; ſi enim Deus ſua electione dignos cenſet, vana eſt hominum accuſatio, & criminatio

natio falſa, ac cæca. Orige. hæc dicta propter Diabolum dicit, cuius accuſatio cōtra electos nullius eſt efficaciæ, idq. verum eſt, nam Pauli verba generalia ſunt, excluduntq. omnem accuſatorem, & condemnatorem contra electos, occaſio tamen ſumpta eſt a Paulo, propter iudicia hominum perſecutorum contra electos Chriſti.

Deus, qui iuſtificat; quis eſt, qui condemnet?

IVdicia & accuſatione, & damnatione perficiuntur. excluſa eſt iam accuſatio hominum aduerſus eos, qui electi ſunt a Deo, reijcitur nunc condemnatio. Deus, inquit, eſt qui iuſtificat; ideſt pronunciat iuſtos electos; quos enim ipſe iuſtos facit, eos approbat, & ſua ſcientia iuſtos declarat, ac pronunciat. quis ergo eſt qui cōtrariam proferat ſententtam, & damnet? nemo profecto. hominum ergo, & quorumcumq. accuſationes, & damnationes nihil nocere poſſunt ijs, quos eligit Deus, & dignos ſua electione facit, & quos ſua ſententia iuſtos pronunciat, & declarat. Iuſtificandi verbum in hoc loco in ea ſignificatione accipitur, quæ eſt oppoſita antitheto; nempe condemnationi, vt idem ſit in hoc loco iuſtificare, ac iuſtum pronunciare, ſicut iudex ſua ſententia innocentem abſoluit, & pronunciat. qua in ſignificatione accipitur etiam in multis Scripturæ locis. Iſa. 5. Iuſtificatis impium pro muneribus. Iſa. 43. Narra ſi quid habes, vt iuſtificeris. Matth. 12. ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Sunt multa huiuſmodi teſtimonia.

Iſa. 5. *Iſai. 43.* *Matt. 12*

ANNOTATIO XXXIV.

Aug. HÆ duæ proximæ ſententię non eodē modo leguntur, connectuntur, & exponuntur. Aug. lib. 3. de doctr. Chri. cap. 3. ſic interpretatur, & connectit. Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus, qui iuſtificat? vt prior pars ſit percontatio; poſterior interrogatio habens ſenſum negantem. erit ergo ſenſus; Quis accuſabit aduerſus electos? Deuſne, qui iuſtificat eos? nequaquam Deus accuſabit, qui eos potius iuſtificat. Illud autem (quis eſt qui condemnet?) connectit ſequentibus, nempe Chriſtus Ieſus, qui mortuus, &c.) vt prior ſit pari modo percontatio, poſterior interrogatio. Chryſoſt. autem connectit, & legit ſicut in commentario legimus, & eodem modo connectere videtur Hila. lib. 10. Trinit. vt ſententia terminetur in illis verbis (Quis accuſabit aduerſus electos Dei? nemo profecto.) & ſtatim ſequantur alia duo; Deus, qui iuſtificat, quis eſt, qui condemnet. & eſt vera & legitima lectio, & cōnexio: nam in illa ſententia (Quis *Chryſoſt.* *Hilar.*

accu-

accuſabit aduerſus electos Dei?) latet verbum ſimile ſententiæ ſequenti; ac ſi dictum eſſet; Quis accuſationem aduerſus eos proferet, cum Deus ſit,qui eligit. Vt autem Paulus declaret eos, de quibus loquebatur, vſus eſt eo nomine (Electos Dei) ſenſus ergo apertus eſſet, ſi ita dictum eſſet; Quis accuſabit? Deus eſt,q. eligit.Deus eſt qui iuſtificat, quis condemnabit? aut ſi ita etiam dictum eſſet, Quis accuſabit aduerſus electos Dei,quis condemnabit iuſtificatos a Deo? varia locutio in cauſa eſt obſcuritatis; tamen ſenſus legitimus is eſt, quem expoſuimus. Aliqui moderni connectunt cum Auguſtino has ſententias,ſed poſteriores non per interrogationem dictas interpretantur in hunc ſenſum; Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus eſt,qui iuſtificat. iterum, Quis condemnabit? Chriſtus eſt, qui mortuus eſt &c. accómodata tamen cónexio, & expoſitio ea eſt, quam diximus.

Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui & eſt ad dexteram Dei; qui etiam interpellat pro nobis.

SEntentia hæc interrogationem habet expreſſam,tacitam autem negationem, referturque ad duas præcedentes ſententias;nempe,Quis accuſabit? quis eſt, qui condemnat, ſi Deus eligit, & iuſtificat; ſubiungit,Chriſtus Ieſus non accuſabit, aut condemnabit, qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui & ſedet ad dexteram Dei, qui & interpellat pro nobis. ſenſus eſt,nequaquam Chriſtus accuſabit, aut damnabit, cum ipſe pro nobis mortuus ſit, immo iam reſurgens, & ſedens ad dexteram Dei, ſuamq. gloriam adeptus pro nobis poſtulat, & interpellat, non ergo accuſabit aut damnabit, qui tanta pro nobis in hoc ſæculo fecit, & modo in ſuo regno adhuc noſtri curam agens facit, poſtulans pro nobis. Illud (immo) auget orationem, & cauſam non accuſandi,nec damnandi, Ne enim aliquis diceret, quando paſſibilis erat, pro nobis eſt mortuus; at modo poſt reſurrectionem, & gloriam maieſtatis acceptam non ſic ſe habet. Hoc excludens Paulus, dicit; Pro nobis mortuus eſt; immo magis adhuc modo,quando in ſua eſt gloria, & ad dexteram Dei ſedet,nobis fauet; poſtulat enim pro nobis: non ergo accuſabit, aut damnabit electos Dei.

Attende,Paulum hanc ſententiam addidiſse,quia duarum perſonarum meminerat. Spi. Sanctus enim adiuuat infirmitates, & poſtulat pro electis, Pater filio ſuo non pepercit, non ergo Spiritus Sancti, aut Patris erit accuſare,aut damnare electos. ſupererat Filius ipſe, ideo excludit etiam eum ab hac accuſatione & damnatione, cum ipſe filius tanta pro electis fecerit, & adhuc faciat.cum

ergo

ergo tota Trinitas protegat, defendat, tueatur electos, nihil eis nocebit, nihil a ſalute, ad quam electi ſunt, impediet, aut retardabit. Vſus eſt autem Paulus artificioſe nomine integro (Chriſtus Ieſus) vt vel ex nomine ipſo, quod eſt nomen ſalutis conferendæ confirmaret, eum non accuſaturum, nec damnaturum electos.

ANNOTATIO XXXV.

ALiqui ſuperiorem ſententiam ſic exponunt; vt illud (nobis) referatur ad omnia verba præcedentia, ſitq. ſenſus; Immo qui & reſurrexit pro nobis, qui & ſedet ad dexteram pro nobis, & interpellat pro nobis. Senſus tamen accommodatior eſt, vt ad vltimum tantũ verbum referatur. reliqua autem, nempe Reſurrexit, & ſedet ad dexteram Dei, in eo dicta ſint ſenſu, vt comprobent Chriſtum non accuſaturũ, nec condemnaturum electos, quia pro eis mortuus eſt, & modo reſurgens, & in gloria ſuæ maieſtatis exiſtens, tantum abeſt vt electos accuſet, vt pro eis interpellet. & huic ſenſui conſentit Chryſoſt. Verbum autem (interpellat) Græce idem eſt cum illo ſuperiori (Spiritus poſtulat pro ſanctis) ita nunc Chriſtus dicitur poſtulare pro nobis.

Chriſtus quomodo dicitur interpellare & orare pro nobis. Eſt autem difficultas, quomodo interpellare, & orare dicatur nunc Chriſtus pro nobis. variæ autem ſunt reſponſiones, & explicationes interpretum. Primo loco Chryſo. *Chryſoſ.* negat Chriſtum preces fundere pro nobis nunc apud Deum Patrem; & hanc poſtulationem ſic interpretatur, vt nihil aliud ſit, quam quędam demonſtratio, & oſtenſio vigoris dilectionis ſuæ, qua nos proſequitur apud Patrem. Secundo loco Theodoret. *Theodor.* ſic explicat, vt interpellare ſit oſtendere apud Patrem primitias carnis noſtræ ab ipſo ſuſceptas ab omni labe alienas; ipſius enim innocentiæ, & ſanctitatis repręſentatio quædam eſt poſtulatio. Tertio loco Oecume. hanc interpellationem interpretatur eſſe ſuſceptionem humanitatis pro nobis; pro nobis enim hominem eſſe factum, eſt poſtulare pro nobis. *Oecum.* Quarto loco Cyril. apud eundem Oecumen. *Cyrill.* dicit hanc poſtulationem eſſe illam, quam in hoc mundo edidit. Ioan. 17. *Ioan. 17.* Pater ſerua eos, quos dediſti mihi; hæc enim oratio, & preces apud Patrem durant & efficaciam habent. Quinto loco Rupertus *Ruper.* lib. 9. de diui. offi. cap. 3. nimis in hac re tractanda ſolicitus, & omnino negans, Chriſtum nunc preces fundere, explicat hanc interpellationem eſſe victimam, & ſacrificium oblatum in cruce, cuius efficacia ſemper durat, & eſt pſens apud Deum, & continuo clamat pro nobis. Sexto loco Ambroſ. in præſenti exponit iuxta vocabuli propriam ſignificationem, vt modo preces fundat Chriſtus pro nobis apud Patrem, vt homo eſt. ſic enim de Chriſto nunc loquimur. nã vt Deus eſt, nemo Catholicus affirmat orare, aut poſtulare, cum ſit eiuſdem eſſentiæ cũ Patre, & idẽ quod Pater intelligit, vult, ac facit, eadem prorſus intellectione, voluntate, & actione. Vltima hæc expoſitio eſt legitima, & vera doctrina, quam Greg. Naz.

orat.

Gregor. Naz. Origen. orat. 4. Theolo. & Orige. hom. 7. Leuit. tradunt. quamuis Origenes excedat veritatis limites. orat enim nunc Chriſtus Patrem vt homo, ſed non cum luctu, lachrymis, & alijs quæ ad humilitatem huius ſæculi pertinebant. non quod neceſſaria ſit oratio hæc ad redemptionem noſtram, nam nec oratio, quam in hoc ſæculo fecit ſic fuit neceſſaria, ſed ad ſuperabundantiam dilectionis, & curæ, ac prouidentiæ erga ſuos. Nec eſt cur ab illo ſæculo æterno preces excludamus, dum Eccleſia militat, cum ſancti etiam in gloria eas fundant. De hac re diximus ſuperius Ioan. cap. 16. ideo nunc a reliquis ſuperſedemus, cum hæc ad explicationem præſentem ſatis ſint.

Quis ergo nos ſeparabit a charitate Chriſti?

Stabilitas firmitas & immutabilitas dilectionis Dei erga prædeſtinatos ſiue electos notanda.

STabilitatem, firmitatem, ac immutabilitatem dilectionis diuinæ erga electos ex ſuperioribus ſententijs facile deducit, & colligit Paulus, ac ſi diceret; ſi Deus ſuos electos, quos prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui, vocat, iuſtificat, glorificat, ſi nemo contra eos poteſt præualere, pro quibus Deus eſt, ſi nemo accuſare damnareve poteſt, pro quibus Spir. San. poſtulat, pro quibus Pater proprio Filio nõ pepercit, pro quibus ipſe Filius mortuus eſt, reſurgenſque, ac ſedens ad dexteram Dei poſtulat, & interpellat; ergo nemo poteſt electos ſeparare à dilectione Chriſti, ideſt à dilectione, qua eos Deus diligit per Chriſtum mediatorem, nemoque impediet quin diligantur, & opera dilectionis diuinæ erga eos recipiant. Vtitur autem Paulus interrogatione vim negationis habente, ad maiorem locutionis efficaciam exprimendam. eſt enim frequens Paulo hæc loquendi phraſis. Poſſunt hæc verba inferri ex proximis verbis, Chriſtus mortuus eſt; & interpellat pro nobis, quis ergo nos ſeparabit a dilectione, qua à Deo in Chriſto, & per Chriſtum diligimur? idem ſignificat dilectio Chriſti, & quod paulo poſt dicitur (a dilectione quæ eſt in Chriſto;) loquitur enim Paulus de dilectione, qua Deus electos diligit, quæ immutabilis eſt; & inde fit vt omnia illis cedant in bonum, nullumq. eis eſſe poſſit efficax impedimentum ſalutis, ad quam ex dilectione Dei ſunt electi. non diſſimilis eſt ſententia illa Ioan. 10. Non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.

ANNOTATIO XXXVI.

COmmunis eſt expoſitio Doctorum, interpretantium hanc dilectionem, non qua Deus diligit electos, ſed qua electi diligunt Deum,

vt ſit

vt ſit ſenſus, quis ergo efficiet, ne Deum diligamus, quo tot ac tanta accepimus beneficia. ita exponunt in hoc loco Origen. Chryſoſt. Theodoret. Ambroſ. & Anſel. quæ expoſitio eſt etiam Baſil. reg. breui reſp. 157. & 209. Athana. Apolog. de fuga ſua. Hilar. in Pſal. 118. litera heth. Portio mea Domine Cypri. in Epiſt. 8. & 26. & Hiero. epiſt. ad Algaſiam q. 9. Tamen textui etiã accommodata eſt expoſitio data, vt ſermo ſit de dilectione, qua Deus nos diligit per Chriſtum mediatorem, nam Paulus hoc probare intendebat, nimirum electis omnia cooperari in bonum, nihilq. eos poſſe retardare a ſalute conſequendã.

Orig. Chryſoſt. Theodor. Ambroſ. Anſel. Baſil. Athan. Hilar. Cypria. Hierony.

Fateor quidem, accommodari etiã poſſe priorem expoſitionem, quam ſi ſuſtinere volumus, hoc modo eſt ſententia connectenda. Dixerat ſuperius, Diligentibus Deũ omnia cooperari in bonum, & multa alia beneficia huius occaſione narrata ſunt; infert nunc, cum tot, ac tanta Deus præſtet diligentibus, quid poterit nos ſeparare à charitate, qua Deum diligimus, cum dilectio hæc tam fructuoſa ſit? At, vti diximus, altera expoſitio accommodatior eſt, & ad mentem Pauli, vt verba ſequentia illa (Propter eum qui dilexit nos) confirmant, vt in eorum explanatione dicemus.

Tribulatio? *an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius; ſicut ſcriptum eſt. Quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis?*

ENumerat Paulus illa, quæ a charitate, & dilectione hac ſeparare poſſe videri poterant; vt concludat, nihil eſſe ſeparare potens; anguſtia tribulationem ſuperat; ea autem eſt, quando ita mala & aduerſa hominem inuadunt, & circumſtant, vt euadendi locum præripere videantur. Gladius mortem ſignificat, quæ terminus eſt malorum temporalium, omnia ea excedens, allegatque Pſal. 43. qui de Machabæorum preſſura tractat, & ſic connecti debet, Separabit ne nos anguſtia, fames, gladius &c. etiam ſi ſint tanta, quanta ea quæ præſcripta ſunt de Machabæis, de quibus dictum eſt, Tota die propter te occidimur, ideſt propter nominis tui confeſſionem expoſiti ſumus morti, ſicut oues, quæ in macello detinentur, occaſioni, ſeu mactationi deſtinatæ: & hoc, tota die; ideſt, quotidie, ſiue toto tempore, vt exponit Irene. lib. 2. cap. 38. Tacite hac allegatione inſinuat conſolationem quandam iuſtis in afflictione poſitis; ſi enim illi, antequam Chriſtus mortuus eſſet, propter Deum tanta ſunt paſsi, profecto nos debemus non minora ſuſtinere, cum Chriſtus iam ſit paſſus pro nobis. Rurſus etiam ſignificare voluit, propter hoc, ſicut illos ea omnia non ſepararunt a charitate Dei, ita nec nos ſeparabunt. De proſperis non meminit

Quæ poterant nos à charitate Dei ſeparare.

Pſal. 43.

Iren.

nit Paulus quia ſermo eſt de malis, quæ iuſti patiuntur, per quæ videri poterant non diligi a Deo, aut ſeparare eos poſse ab hac dilectione, & tamen non ſeparant, immo tunc magis diliguntur à Deo, cum maiora pro eo ſuſtineant aduerſa.

Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.

CОnnexio hæc eſt, non ſolum ſeparant nos illa omnia à dilectione Dei, qua nos dilexit, ſed potius ipſa dilectio facit vt ea omnia aduerſa ſuperemus propter eum, ideſt, per eum; ſeu, virtute illius qui nos dilexit, quæ virtus ex eius dilectione datur, fit vt non ſolum ea patienter ſuſtineamus, ſed ſuperemus, maioraque ſuſtinere poſsimus, quam perſecutor, & inimicus inferre valeat, tantum ergo abeſt vt hæc nos ſeparent a dilectione Dei, vt ipſa dilectio Dei efficiat in nobis virtutem omnia hæc ſuperandi & euincendi. Ex hac ſententia confirmatur illa expoſitio ſuperior; non enim dicitur, Propter eum, quem nos diligimus, ſed Propter eum, qui nos dilexit, vt ſignificaret, ſe ſuperius de dilectione Dei, qua nos per Chriſtum diligit, locutum fuiſse.

ANNOTATIO XXIIII.

ILlud (ſed) Græce ἀλλά verti poteſt (immo) & tunc connectitur ſic, hæc omnia enarrata non ſeparabunt nos à charitate, immo Dei charitas erga nos efficit vt ea ſuperemus. *Ambr.* Ambroſ. illud (propter) tanquam cauſam finalem exponit in hunc ſenſum, hæc omnia ſuperamus, conſiderantes dilectionem illam immenſam, qua nos Deus dilexit: propter eum ergo hæc ſuſtinemus, & vincimus, tamen Oecumenij expoſitio eſt accõmodatior, vt (propter) cauſam efficientem ſignificet loco (per) nam præpoſitio Græca vtramq. habet ſignificationem. Erit ergo ſenſus: Hæc ſuperamus, non virtute noſtra, ſed per eum, & virtute eius, qui nos dilexit: dilectio ergo eſt cauſa vt nos ſuperemus omnia hæc; quia enim nos dilexit Deus, virtutem talem impartitus eſt nobis. & huic expoſitioni conſentire videtur Chryſoſt. *Chryſoſt.* & ita etiam exponit Baſil. lib. de *Baſil.* Spi. San. cap. 8. Aug. autem lib. 22. *Auguſt.* Ciui. cap. 23. & lib. 4. doctr. Chriſt. cap. 20. legit etiam ſic, Per eum qui dilexit nos. Illud autem (ſuperamus) Græce. (ſuperuincimus) energiam habet quandam, quam Chryſoſt. ſic exponit, ſuperuincimus, quia non ſolum ea vincimus, ſed cum omni facilitate ſuperamus, ita vt ſimus admirationi, quod experientia docuit. Ibant enim Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quia digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Martyres etiam ſine timore vllo, & cum gaudio ſubibant tormenta, & mortes. Baſil. autem hom. in Pſal. 114.

Dilexi,

Dilexi, quoniam exaudiet Dominus. ſic hoc verbum explicat. In his, inquit, omnibus ſuperuincimus propter eum, qui dilexit nos. vincit is, qui neceſſitate quapiam illatis non cedit, nec frangitur, at ſuperuincit, qui ſua ſponte ad ſe quoque accerſit dolores præmoleſtos, & acres, quo ſuæ edat ſpecimen patientiæ. hæc Baſil. quam expoſitionem amplexi ſumus in cõmentario; ſuperuincit enim is, qui maiorem habet virtutem ad ſuſtinendum, quam ſit malum illatum, ideo ſponte nouos ſibi accerſit dolores. cuius exemplum eleganter adnotat Orige. lib. 2. in Iob. Hic enim ſibi nouos accerſijt dolores, & mala intulit vltra à dæmone illata, veſtimenta enim ſua ſcidit, & ſaniem vulneris dura teſta radebat, vt vires gratiæ ſuperiores eſſe omni dæmonis tentatione ſignificaret; ideo non ſolum vincebat, ſed ſuperuincebat, & ſuperabat. Hinc eſt vt qui ſuperuincit, facilem ſe in ſuſtinendis malis exhibeat, quod Chryſoſt. dixit. *Chryſoſt.*

Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, neq. angeli, neque principatus, neq. virtutes, neq. profundum, neq. creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino Noſtro.

Concludit dilectionis diuinæ erga electos immobilitatem, cauſam adiungens prioris ſententiæ; dictum enim eſt, nec tribulationem, nec anguſtiam, neq. alia narrata ſeparare poſſe electum a dilectione, ſed eum omnia iſta ſuperare. Certus enim, inquit, ſum, nec dubitatio vlla mihi eſt, quia fides me ita docet, nullam creaturam ſeparare poſſe electos à dilectione, qua Deus eos diligit in Chriſto, & per Chriſtum dominum noſtrum. Ad amplitudinem ſententiæ, & efficaciam ſermonis multa enumerat. Neque mors, inquit, nec vita; ſiue enim viuat, ſiue moriatur, dilectio Dei erga eum perſeuerat. Rom. 14. Siue viuimus, ſiue morimur, *Rom. 14.* Domini ſumus. ita, ſiue viuit, ſiue moritur electus, à Deo diligitur; dilectio enim Dei non eſt ſicut humana, qua viuos diligunt homines, mortuorum autem obliuiſcuntur. Neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, ideſt, nulla virtus ſpiritualis, ſi id aggrederetur, quod quidē non erit, id poterit efficere, multo minus virtus dæmonis. propterea autem numerat Angelos, virtutes, & principatus, quia virtus, & vis Angelica hiſce nominibus exprimitur. tempus etiam, quod omnia conſumit, nihil efficiet in hoc: nam neque inſtantia, & præſentia, neque futura id poterunt, neq. fortitudo, aut potentia tyrannorum, & perſecutorum, neque altitudo, ideſt proſperitas, nec profundum, ideſt aduerſitas, denique

nulla

nulla creatura poterit ſeparare electos a dilectione Dei, quãuis omnia mala, aduerſa, & omnis virtus, & poteſtas inſurgant in eos. Omnia ergo in bonum cooperantur ijs, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt. Addit; In Chriſto Ieſu domino noſtro, ideſt, qua nos proſequitur Deus per Chriſtum dominum noſtrum ſalutis mediatorem: dilectionis enim fundamentum Chriſtus eſt Ieſus, qui ſuper omnem eſt creaturam. Hæc etiam ſententia magis confirmat, de dilectione actiua Dei, qua diligit electos, Paulum loqui.

ANNOTATIO XXXVIII.

Vnde proueniat quod nulla creatura poſſit nos ſeparare à charitate Dei.

GRæca nunc exemplaria nõ habent (neq. fortitudo) nec etiã habetur apud Auguſtinum lib. de gratia. & lib. arb. cap. 17. tamen legitur a Hiero. epiſt. ad Algas. q. 9. vbi quod legimus (certus ſum) habet (confido) & pro (altitudo) excelſa. Quantum ad ſenſum ſpectat, exponunt hanc ſententiam illi præfati Doctores de charitate, qua diligitur Deus, a qua creatura nulla ſeparare poteſt finaliter electum. quamuis in hoc ſint varij Doctores: nam Chryſoſt. & Hiero. loco citato videntur hæc ad ardentiſſimam charitatem Pauli referre. Ambroſ. vero & alij ad electorum dilectionem in generali, a qua nulla creatura ſeparare eos poteſt. Hæc etiã enarrata non eodem modo interpretantur; Anſel. enim Angelos, virtutes, & principatus tam ad bonos, quam ad malos extendit. Hiero. & Chryſoſt. ad ſolos bonos referunt, & per quandam exaggerationem dictum hoc interpretatur, ſicut & illud Gala. 2. licet nos aut Angelus de cælo euangelizat, præterquam euangelizatum eſt, anathema ſit. (vita etiam & mors) Hierony. ad metum mortis incuſſum, & ſpẽ vitæ promiſſam refert, quod perſecutores faciebãt. Chryſoſt. autem vitam, & mortem æternam interpretatur, & per exaggerationem dicta exponit, etiamſi illa promitteretur, hanc autem aliquis cõminaretur, vt ſepararet electum a charitate, nihil efficeret. Theodoret. idem dicit, & illa duo, profundum, & altitudinem, eadem ſignificare affirmat, nempe gehennam, & regnum cæleſte. Oecumen. autem proſperitatem, & aduerſitatem, ſeu glorioſa, & humilia exponit. hæc omnia denique varie interpretantur Doctores, ſequentes illam expoſitionem de dilectione, qua electi diligunt Deum, nos vero dilectionem, qua electi a Deo diliguntur, expoſuimus, vt dictum eſt in commentario.

Chryſoſ. Hiero. *Ambroſ.* *Anſel.* *Hier. Chryſoſt.* *Gal. 2.* *Theodor.* *Oecum.*

CAPVT

CAPVT NONVM.

VEritatem dico in Chriſto, non mentior: teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu Sancto: quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa: quorum patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Amen. Non autē quòd exciderit verbū Dei. Non.n.omnes qui ex Iſrael ſunt, ij ſunt Iſraelitæ: neq. qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemē: id eſt, non qui filij carnis, hi filij Dei: ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimātur in ſemine. Promiſſionis.n.verbum hoc eſt: Secundū hoc tempus veniā: & erit Saræ filius. Non ſolum autem illa: ſed & Rebecca ex vno concubitu habens, Iſaac patris noſtri. Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, (vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Abſit. Moyſi enim dicit: Miſerebor cuius miſereor: & miſericordiam præſtabo cuius miſerebor. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam: & vt annuncietur nomen meum in vniuerſa terra. Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis reſiſtit? O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in cōtumeliam? Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quae praeparauit in gloriā. Quos & vocauit nos non ſolum ex Iudaeis, ſed etiam ex Gentibus, ſicut in Oſee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam. Et erit: in loco, vbi dictum eſt eis: Non plebs mea

vos : ibi vocabuntur filij Dei viui. Iſaias autem clamat pro Iſrael: Si fuerit numerus filiorum Iſrael tamquam arena maris, reliquiae ſaluae fient. Verbum enim conſummans, & abbreuians in aequitate: quia verbum breuiatum faciet Dominus ſuper terram: & ſicut praedixit Iſaias: Niſi Dominus ſabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus. Quid ergo dicemus? Quòd gentes, quae non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam: iuſtitiam autem, quae ex fide eſt. Iſrael verò ſectando legem iuſtitiae, in legem iuſtitiae non peruenit. Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offenſionis, ſicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali: & omnis, qui credit in eum, non confundetur.

ANNOTATIO I.

HIs tribus ſequentibus capitulis de Iudæorum reiectione, & Gentium vocatione tractat Paulus: in hoc autem nono tria maxime docet; vnum eſt, Iudæorum repulſam ab Euangelij gratia, & iuſtitia non eſſe contra diuinas promiſſiones eiſdem factas. Alterum eſt, non eſſe iniuſtitiam vllam apud Deum, eo quod eos repulerit. Tertium eſt cauſa vna, propter quam Euangelij iuſtitiam non ſint aſſecuti. Traditurus autem doctrinam Iudæis odioſam, Gentibus autem creditu difficilem, conciliat ſibi fidem, eximium ſuum erga Iudæos amorem exponens, vt non in ipſos odio, aut inuidia, ſed veritatis zelo ſe loqui demonſtret; hacque de cauſa iuramento vtitur in huius dilectionis confirmationem, non propter ipſius dilectionis oſtenſionem ſolam, ſed propter doctrinam tradendam. huius enim dilectionis fides habita, veritati doctrinæ capiendæ Iudæos, & Græcos maxime præparabat. ab hac ergo dilectionis manifeſtatione incipit. Vnde in quatuor partes caput diuidi poteſt, quarum prima eſt, hæc dilectionis ſuæ erga Iudæos oſtenſio.

Veritatem dico in Chriſto Ieſu, non mentior.

SEnſus eſt, me veritatem dicere in hoc quod ſubiungam, Chriſtum teſtem facio, ſeu teſtis mihi Chriſtus eſt, me veritatem dicere. Addit autem (non mentior.) hebraiſmus eſt, quo Hebræi vtuntur ad maiorem veritatis confirmationem, & expreſſionem, nempe quod affirmatione dictum eſt, iterum negatione replicare. ſic Ioan. 1. Confeſſus eſt, & non negauit. & iterum: *Ioan. 1.*

Omnia

Digitized by Google

Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. & 1. Reg. 3. Indicauit ei Samuel vniuerſos ſermones, & non abſcondit ab eo.

Teſtimonium mihi perbibente conſcientia mea in Spiritu Sancto.

QVia ille mentitur, qui contra mentem loquitur, aliter profeferens exteriùs, quam ſentiat interiùs. ideo Paulus conſcientiæ ſuæ teſtimonium adfert; & eſt ſenſus, non mentior, nec aliter quam ſentio loquor; ſic enim mea mihi conſcientia teſtatur, cuius conſcientiæ teſtem facio Spiritum Sanctum; vt enim veræ locutionis Chriſtum; ita propriæ conſcientiæ teſtem facio Spiritum Sanctum.

ANNOTATIO II.

Hierony. HIerony. epiſt. ad Algaſi. q. 9. & epiſt. ad Hedibi. q. 10. ſuperiora verba (Teſtimonium perhibente mihi conſcientia in Spir. Sancto) exponit vti dictum eſt in commentario, nempe teſtem facio Spiritum Sanctum meæ conſcientiæ; ita enim ſentio vt loquor. *Phot.* Photius apud Oecumen. ſic interpretatur, Teſtis eſt mihi cõſcientia mea, vna cum Spiritu Sancto. Totam autem hanc ſententiam, tam priora, quam poſteriora verba eſſe iuramentum quoddam, aſſerit Hiero. locis citatis. Qua verò de cauſa tam vehementi confirmatione, ſeu iuramento Paulus vtatur, non eodẽ modo explicant omnes. Origen. eam cauſam adducit, nimirum quia paulo ante dixerat, nullam creaturam poſſe eum à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto, ſeparare. Dubitaret autem aliquis, quomodo qui tantæ charitatis eſt erga Deum & Chriſtum, nunc affirmat ſe optare anathema eſſe, & ſeparari a Chriſto pro fratribus ſuis? Ideo iuramento & confirmatione hac vtitur. *Chryſoſt.* Chryſoſ. aliam cauſam adfert, nempe quia incredibilem dilectionem erat affirmaturus, vt anathema eſſe à Chriſto optarit. Aliqui moderni aliam cauſam adducunt, quia tãquã hoſtis Iudæorũ reputabatur Paulus, nemo q. eũ Iudeos ita diligere crederet.

Paulus qua de cauſa iuramẽto firmauerit ea, quæ dicebat.

Auctor. Mihi aliter videtur dicendum, nimirum, Paulum confirmaſſe iuramento hanc dilectionem erga Iudæos, non ſolum quia difficile crederetur, ſiue quia dilectio mirabilis erat, ſiue quia Iudæorum hoſtis ab ipſis reputabatur, ſed etiã propter doctrinam, quam tradere volebat, ad quam perſuadendam multum faciebat, ſi Iudæi, & Gentes cognoſcerent, eum erga Iudæos eſſe valde affectum, & non ex inuidia, ſed ex zelo veritatis loqui. Hic finis, nempe doctrinæ arduæ confirmandæ, iuſtam facit cauſam tam vehementis confirmationis & iuramenti, in quo tres teſtes ponit, Chriſtum, pro-

priam. conſcientiam, & Spiritum Sanctum ipſum, doctrina enim tradenda grauiſſima, neceſſaria, & creditu difficillima erat, & doctorem omni inuidia liberum poſtulabat.

Quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo.

EXponit veritatem, quam ſe in Chriſto dicere, & cuius conſcientia teſtimonium præbet, Spir. Sancto conſcientiæ teſte inuocato. ea autem eſt, ſe magna affici triſtitia, ex cordeq. continuò, & perſeueranter dolere. Triſtitia ad animam, dolor magis ad corpus ſpectat, vtrumque exprimit Paulus, quia tanta animi eius triſtitia erat, vt vſq. ad corpus ſe diffunderet, cordique dolorem quendam incuteret, eumque non ad horam, ſed iugem, ac permanentem: quod fit in maximis, & continuis triſtitijs. Particula (quoniam) non cauſam, ſed declarationem ſignificat loco (quod) ac ſi diceret. Iuro, & affirmo me, magna triſtitia, & cordis continuo dolore affici. Artificioſe nondum exprimit cauſam, nempe repudium Iudæorum, vt prius fidem animi ſui beneuoli erga Iudæos conciliet, ſeq. ab omni inuidia expurget.

Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis.

QVam triſtitiam, & dolorem per teſtes affirmauit, eandem nūc ratione, & argumento confirmat. eſt autem argumentum hoc. Ego enim ipſe, qui nunc ſum Apoſtolus Chriſti, & ipſum prædico, annuncio, & ſequor, olim, antequam illuminatus eſſem, optabam reputari maledictum, & execratio, & inſignis eius perſecutor à Chriſtianis, pro meis fratribus Iudæis; zelus enim quamuis cæcus erga ipſos, ne deciperentur, & in errorem laberentur, me adeo tunc vexabat, & ſtimulabat, vt publicus eſſem Chriſtianorum inſectator, & ab eis anathema, & velut maledictum, & execratio haberi vellem; ſi ergo tunc hæc pro fratribus meis Iudæis feci, talemque me exhibui, profecto credendum mihi nunc eſt ex corde dolere, & magna me eſſe affectum triſtitia, quando cognita veritate eos video errare, & incredulos perire. qui enim prius ſolicitus eram de eorum ſalute, nunc veritate detecta ſolicitior ſum, & continuo premor dolore. Anathema eſſe a Chriſto, ſignificat ita eſſe a Chriſto alienum & ſeparatum, vt maledictis, & execrationibus afficeretur, tamquam perſecutor eius nominis; anathema enim, vt inquit Hiero. Gala. 1. extremæ execrationis, & maledicti nomen erat apud Iudæos. Hebraice חרם quam ſignificationem habet

ad Ga-

Digitized by Google

ad Gala. 1. ſi ego aut Angelus de cælo euangelizauerit vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit, ideſt doctrinam talem tamquam maledictam, & deteſtandam, & execrandam repellite.

ANNOTATIO III.

QVantum ad voces attinet, duo ſunt aduertenda, vnum eſt illud) optabam) Grece eſſe ηὐχόμην quod eſt præteritum imperfectum indicantis, non optantis modi, vt ali qui legunt, quod Latine dicimus cupiebam, ſeu optabam: eſt autem ſignificatio vehementior in verbo optandi, quam in verbo volendi, vt notat Photius; optamus enim quæ interius volumus. Aliqui moderni loco ſubiunctiui modi poſitum putant, ac ſi dictum eſſet, cum optarem. id tamen particula (enim) non admittit. Non vtitur autem verbo præſentis temporis opto, cupio, aut volo, vt deſiderium hoc ad tempus præcedens referretur.

Anathema quid ſignificet. Alterum adnotandum eſt circa vocabulum anathema, quod Græcis Ἀνάθημα, ſeu ἀνάθεμα dicitur, quamuis aliqui diſcrimen inter hæc duo ponant, cum tamen communis vſus vnum pro altero vſurpet, cuius *Chryſoſt.* ſignificationem Chryſoſt. recte exponit, vt idem ſignificet quod ſeparatum, ſeu ſepoſitũ; licet aliqui moderni aliter ſentiant, quorum auctoritas in hac parte omnino poſtponenda eſt Chryſoſt. & *Photh.* Photio Græcis, & illuſtriſſimis doctoribus. Dicitur ergo anathema quaſi ſeparatum, & ſepoſitum, & hanc ſignificationem illud adiunctum (a Chriſto) comprobare videtur. Hebræis eſt Vox חרם. Ex hac primæua ſignificatione factum eſt, vt quæ Deo erãt conſecrata, dicerentur anathema, quia remota, & ſeparata erant, & quæ auferre, & in vſus profanos diſtrahere non licebat. Rurſus quę occidebantur in Dei honorem, dicebantur etiã anathema; quia Deo in ſacrificium ſemota, & ſeparata erant. Rurſus quæ tamquam mala, & aduerſa repellebantur a communi conſortio dicebãtur, anathemata. Rurſus qui occidebantur vt iniqui, & malefici dicebantur anathema. Hinc anathema occiſionem in Scriptura ſignificare oſtendit Hieronym. epiſt. ad Algaſi. q. 9. hinc *Hierony.* etiam Anathema nomen eſt execrationis, & maledictionis, vt notat Hiero. Gala. 1. quos etiam ab Eccleſiæ conſortio eijciũt prælati, dicuntur anathema, quaſi ſeparati, & quibuſcum conuerſari non liceat. Omnia hæc ſignificata ex illa radice proueniunt, qua anathema ſignificat idem quod ſeparatum, ſeu ſepoſitum. de hoc vocabulo multa inuenies apud Budæum.

ANNOTATIO IIII.

QVantum autem ad rem ipſam attinet hic locus multipliciter exponitur a ſacris Doctoribus. cum enim huiuſmodi deſiderium videretur metam iuſtæ rationis excedere; nemo enim ſalutem ſuam poſtponere aliorum ſaluti, nec vnum peccatum admittere, nec gratia Dei velle priuari propter alios debet; id enim facere,

cere, aut velle nō eſſet bonum, quod in Paulo nequaquam eſt admittendum; ideo quæſierunt Doctores vias quibus id rectificarent. varia autem, & multiplicia dixerunt, interpretantes, hoc anathema a Chriſto, quod optabat Paulus eſſe pro fratribus. Primo igitur loco Hiero. epiſt. ad Algaſi. q. 9. & epiſt. ad Hedibi. q. 10. hoc anathema, ſeu deſideriū, quo anathema eſſe optabat, ad tempus præſens, quando Apoſtolus Chriſti erat, refert, interpretatur autem anathema mortem corporis. optabat ergo Paulus ſecundum Hieronymi expoſitionem corpore perire, vt Iudæi fratres ſalutem æternā conſequerentur, ſimileq. deſiderium hoc eſſe affirmat illi Moyſis, dicentis: Dele me de libro vitæ, aut parce huic populo. idē Hiero. Ionæ. 1. hanc eandem inſinuat expoſitionem, dicens, Paulum optaſſe ſe ſolū perire, vt cæteri ſaluarentur. Vocem autē hanc, anathema, ſignificare aliquando occiſionē affirmat Hiero. & Scriptura ipſa confirmat, nam חרם quod ſolet anathema verti ponitur pro occiſione, ſeu interfectione. 3. Reg. 20. Dimiſiſti virum dignum morte. Miche. 7. Vir quærit fratrem ſuum ad mortē. ita Hier. exponit hoc deſideriū Pauli. eodem modo interpretatur Eucherius in quæſt. noui teſtam. perire inquit, optat Apoſtolus in carne, vt Iudæi ſaluentur in ſpiritu. Hęc ille. Quod Sanctiſſimum, & dignū eſt Paulo; ſi enim bonus paſtor ponit animam ſuam pro ouibus, quanto magis deſiderat ponere? Huic expoſitioni multum obſtat illud (a Chriſto) ſi enim anathema interfectionem corporis ſignificaret, ſuperfluum eſſet, & inaccommodatum addere (a Chriſto.)

Anathema quod erat quod optabat Paulus fieri pro fratribus.

Mich. 7. Hieron.

Expoſitionem hanc non admittit Chryſoſt. eo argumento, & verbis etiam acerbis vtens, Quidam, inquit, neq. Pauli appellationem audire digni ſunt, tamque ab illius vehementia longe, remoteq. conſiſtunt, vt illum de temporali morte putent iſta dicere, quos non magis dixerim Paulum agnoſcere, quam cæcos radium ſolarē, immo multo etiam minus; qui enim quotidie moriebatur, quiq. tot periculorum fluctibus iactatus dixit; Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? fames? perſecutio? neq. præſentibus hiſce cōtentus, ſed ipſum cælum tranſcendens, ſupernaq. omnia percurrens; quomodo poſt illa omnia velut magnū quid dicens temporalis mortis recordaretur? non eſt inquam quod illi putant, vermium eſt in infimo latitantium iſta ſuſpicio. hæc & alia Chryſoſt. contra hanc interpretationē, & Hieronymi expoſitionē, quæ verba maiorē amplitudinem locutionis, quam argumenti energiam habent. non enim dilectio qua mors temporalis negligitur ita vilis eſt vt Chryſoſt. affirmat, cum dictum ſit a Domino Ioan. 15. Maiorem dilectionem nemo habet, vt animā ſuam ponat pro amicis. & Ioan. 10. Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis. audiamus ergo quid ipſe Chryſoſt. ſentiat.

Chryſoſt.

Ioan. 15.

Io. 15.

Secundo ergo loco idem Chryſoſt. & Photius apud Oecumen. ad idem tempus, nempe, quando Apoſtolus erat, referentes, ſic exponunt. affirmant primo, hoc anathema, & hanc ſeparationem eſſe æternam perditionem quantum ad pœnam; deſiderabat enim priuari a gloria & fruitione Dei, non tamen ab eius dilectione, & gratia, ſed vt in æter-

Chryſoſt. Phot.

æternum periret cum Dei dilectione, ſi fieri poſſet. affirmant ſecundo, hoc deſiderium non fuiſſe pro Iudæorum ſalute, ſed pro Dei gloria, ne blaſphemaretur ab inimicis: Gentes enim audientes Deum priuaſſe Iudæos hæreditate, & regno, qui hactenus ipſum coluerant, & ex quibus Chriſtus erat ſecundum carnem, quibuſq. teſtamentum, & promiſſiones factæ ſunt, blaſphemabāt Deum ipſum. Paulus ergo ex vehementi dilectione, & amore erga Deum, deſiderabat ſolus ipſe perire potius quam Iudæi perirent, & excluderentur, non propter ipſos, vt ſalutem conſequerentur, ſed propter Deum, ne blaſphemaretur ab inimicis. affirmant tertio, dictum eſſe (pro fratribus meis) ideſt Iudæis, quia propter illos blaſphemabatur Deus, quia eos repudiauerat. ideoq. deſiderabat potius ſe perire, quam illos, vt blaſphemia ceſſaret. In his dictis tota expoſitio Chryſoſtomi conſiſtit. erit ergo ſenſus, Optarim ego ipſe Paulus in æternum perire, citra tamen amiſſionem dilectionis erga Deum, vt Iudæi ſalutem conſequerentur, & hoc ne Deus blaſphemaretur in illis, & propter illos. Hanc dilectionem maxime commendat Chryſoſ. tamquam vehementiſſimam, & dignam Paulo.

Aduerſus quam expoſitionem nonnulla vrgent, primo quidem. quia de tali blaſphemia nullum verbum a Paulo nec in hoc loco, nec in alio habetur. ſecundo quia dicitur (optabam eſſe anathema pro fratribus meis) non autem dicitur, pro Dei gloria; dilectio ergo hæc fratrū erat, non pura, & ſola dilectio Dei, nec reſponſio Chryſoſt. ſatisfacit. Dicit enim, modeſtiæ cauſa non eſſe dictum, pro Deo, ſeu eius gloria, nē ſuam dilectionem erga Deum multum commendare videretur. Hæc reſponſio inefficax eſt, etiam ſecundum Chryſoſtomi expoſitionem; qui enim dixerat, nec mors, nec vita, nec Angeli, nec vlla creatura poterit me ſeparare à charitate Chriſti, vt exponit, & amplificat Chryſoſt. non erat cur immodeſtiam timens non diceret, anathema eſſe optarē pro Dei gloria. tertio quia intentio Pauli eſt expurgare ſe ab omni inuidia, & odio erga Iudæos, vt ex zelo veritatis eorum repudiū manifeſtare videretur; cui intentionī facit dilectionis erga illos oſtenſio. quarto quia ſi æternam perditionem voluiſſet ſignificare, potius dicendum erat, Anathema a Deo, quam Anathema a Chriſto. Quinto quia quamuis vnuſquiſq. teneatur eligere potius æternam pęnam, quam Deum offendere, & peccare, ſi optio daretur, quæ re vera numquam dabitur, tamen non tenetur eligere æternam pœnam potius, quam quod alij peccent, & Deum offendant; diuinæ enim dilectionis eſt, vt homo ſic Deum diligat, vt omnia ei præponat, potius quàm ſit præparatus perire citra peccatum in æternum, quàm Deum offendere, & in ipſum peccare; tamen hæc dilectio non poſtulat vt potius velit homo perire, quā quod alij peccent & Deum offendant. vitam quidem temporalem pro aliorum ſalute ſpirituali exponere, quādo neceſſitas poſtulat, obligat charitas, ſed non vitam ſpiritualem propriam, ſed potius debet permittere vt alij pereant peccata committentes, quamuis ſint offenſa Dei, quam ſuæ propriæ ſalutis iacturā facere; peccata enim Deo ipſi

non nocent in ſe, qui immutabilis eſt. Ideo non vult Deus nos velle potius perire, quam quod alij peccent;non ergo ita certũ eſt, vt Chryſoſt. ſupponit,eſſe maximæ dilectionis erga Deum, quod Paulus optarit potius perire in æternum,quàm quod alij in Deum blaſphemarent. Sexta quia Chryſoſ. fatetur hoc deſiderium eſſe commendandũ,quando fit pro Dei gloria, non autẽ pro proximorum ſola ſalute,& ſic cogitur detorquere illud verbum (pro fratribus) eſſe modeſtiæ cauſa dictum.quæ expoſitio eſt contra verba ipſa, vt in annotatione decima declarabitur. Hæc de Chryſoſt. expoſitione dicta ſint.

Occum. Tertio loco eſt expoſitio, cuius meminit Oecumen. vt anathema hoc idem ſignificet,ac Chriſtianum non eſſe,nec Chriſtum recepiſſe; nõ quod Paulus abſolute optarit anathema eſſe a Chriſto, ſed ad tẽpus; in hunc ſenſum; optarim me nondũ eſſe à Chriſto conuerſum,ſed adhuc eſſe anathema a Chriſto, ſi hoc ad fidem,& conuerſionem fratrũ meorum conferret; non arbitremini me vos,o Iudæi, vocare ad Chriſtum, quia ego ipſe prior venerim; eligerem enim potius nondum veniſſe, ſi vos ad fidẽ ſic conuertendi eſſetis. Violenta videtur hæc expoſitio,primo quidem quia Iudæos a conuerſione ad Chriſtum non retardabat Pauli prior,ſeu anterior conuerſio, vt deſideraret ipſe nondũ ſe eſſe cõuerſum. Secundo ſicut non licebat anathema eſſe a Chriſto, ideſt ad Chriſtum non conuerti, ita nec licebat differre conuerſionem. Ideo non eſſet iuſtum deſiderium velle adhuc non ſe conuertiſſe ad Chriſtum, hoc enim erat deſiderare adhuc in peccato permanere,& abhuc perſequi Eccleſiam Chriſti. Tertio quia non dicit ſe optare adhuc eſſe anathema, ſed ſimpliciter eſſe anathema.

Quarto loco aliqui moderni,anathema à Chriſto, interpretantur ſenſibilem à Chriſto abſentiam,quã iuſti in hoc ſæculo ſuſtinent, vt ſit ſenſus; optarem diutius manere in hoc ſæculo, & differri meam fruitionem, vt fratribus meis prodeſſem, iuxta illud Philip. 1. Deſideriũ habens diſſolui, & eſſe cum Chiſto; multo magis melius; permanere autem neceſſarium propter vos. Hæc expoſitio parum eſt accommodata. nam verbum (anathema à Chriſto) in malã partem accipitur: præterea quia permanentia Pauli in hoc ſæculo non efficiebat, quin Iudæi repulſi eſſent a Deo.

Quinto loco Grego. Nazianz. orat. in ſanct. Penteco. exponit aliquid perpeti tamquam damnatum, nihil aliud explicat. *Gregor. Nazi.*

Sexto loco Anſel. hoc anathema refert ad tempus ante conuerſionem; ſimul etiam deſiderium illud, vt ſit ſenſus. olim, antequam conuerterer, optabam eſſe anathema à Chriſto, quærens perſequi Chriſtianos, & hoc pro fratribus meis ne ipſi conuerterentur; putabam enim in errore, & ignorantia mea, non eſſe verum Chriſtum. Hæc expoſitio quamuis quantum ad connexionem non mihi probetur, tamen qua parte hoc deſiderium ad tempus refert ante conuerſionem, mihi legitima videtur,idq. verbum præteriti temporis indicantis modi ſatis confirmat. Cæteræ ſunt violentæ expoſitiones, vt recte intuenti facile apparebit. Lectoris arbitrio relinquo electionem: ego qui accommendatior viſus eſt, *Anſel.*

ſenſum

ſenſum expoſui. propter hæc mihi expoſitio, quam in commentario explicui, viſa eſt accommodata, & quæ minus eſt obiectionibus expoſita, quam repetere, ſuperfluum eſt.

Qui ſunt cognati mei ſecundum carnem.

NOmen fratris multiplex eſt, ideo Paulus exponit, vt pro quibus doluerit, & doleat manifeſtet. Qui, inquit, ſunt mei conſanguinei, nempe Iudæi, Hoc verbum duo indicat; Vnum eſt, cauſa propter quam Iudæos tunc dilexerit, & nunc etiam ita diligat, vt de eorum errore multum contriſtetur, nimirum, quia mei fratres, & conſanguinei ſunt, quod ad naturalem affectum pertinet, à quo non omnino homo exuitur per gratiam, ſed potius perficitur. Alterum eſt, quod adnotat Hieron. epiſt. ad Algaſi. qu. 9. nempe hoc verbo inſinuari eos à Spiritu eſſe alienos, vtpote incredulos, & à vera fide & religione auerſos.

ANNOTATIO V.

Baſil. BAſil. reg. breu. reſp. 190. tradit doctrinam hanc, nimirum, neminem debere magis miſereri, quantum ad ſalutem ſpiritualem, eorum, qui longe ſunt à Deo cognatorum, quam eorum, qui ſanguine coniuncti nō ſunt, ſed æquam debere eſſe miſericordiam, & æqualiter omnium miſerendum. Cum autem locus hic Pauli eius doctrinæ contradicere videretur, reſpondet Paulum miſertum eſſe Iudæorum magis, quàm Gentium, non ratione cognationis carnalis, ſed quia Iſraelitæ erant, & quia tot ac talibus beneficijs à Deo affecti erant, nempe quorum eſt adoptio, & gloria, & teſtamentum, &c. Hæc expoſitio non videtur accommodata, quia non ſolum dicitur; Quorum eſt adoptio, gloria, & qui ſunt Iſraelitæ, ſed etiam pro fratribus meis, cognatis ſecundum carnem; tacite enim cauſam vnam inſinuat, quia nempe fratres mei, & ſecundū carnem cognati erant. ideo doleo, & optarim anathema. ſimul etiā quia Iſraelitæ, quia adoptio filiorū, & gloria, & promiſſiones ipſorum ſunt, vt paulo poſt explicabimus. doctrina etiam hæc non eſt improbanda, nam affectus naturalis per charitatem infuſam non deſtruitur, ſed perficitur. rurſus ipſa etiam in charitate ordo eſt, nec ſunt omnes æqualiter diligendi etiā ſecundum Deum, ergo nec eſt æqualiter miſerendum, & qui conuerſioni parentum ſuorum magis incumberet, quam conuerſioni externorum infidelium, rectum, & quod debitum eſt, faceret. 1. Thim. 5. Si *1. Thī. 5.* quis ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Triſtitia ergo hæc, & dolor Pauli, & deſiderium anathematis à Chriſto, non fuit ex ſola dilectione Dei, vt putat Chryſoſt. nec ex dilectione ſola fratrum, ſed ex vtraque; diligebat enim fratres Iudæos vehementer, vt dicit Anſel. ſed dilectio ſola fratrum non ſufficeret tantum, ac talem dolorem, ac deſiderium efficere in Paulo, niſi ſimul eſſet Deus in ipſis dilectus; dilectio enim proximi

non

Digitized by Google

non excludit, immo includit Deum propter quem diligitur proximus, ſed ordinate, vt non æqualiter ſint omnes diligendi.

Qui ſunt Iſraelitæ.

ACcumulat cauſas, cur eos dilexerit, & adhuc diligat, & ex conſequenti doleat, & contriſtetur, olimq. anathema eſſe optauerit pro eis. prima autem cauſa erat ex affectu naturali proprio, quia conſanguinei ſunt. altera eſt ex affectu nobiliori. Qui, inquit, ſunt Iſraelitæ, & ab illo inſigni, & honorando, ac Deo dilecto patriarcha Iacob, qui nomen Iſrael à Deo obtinuit, originem ducunt. Momen hoc erat apud Iudæos honorificum, vt conſtat 2. Corinth. 11. Iſraelitæ ſunt, & ego. Attende, Iudæos non ab Abraham, nec ab Iſaac nomen accepiſſe, vt Abrahamitæ, & Iſaaccitæ dicerentur, ſed à Iacob; & cauſa eſt quia Abraham, & Iſaac habuerunt alios filios, quorum progenies non erat inter Iudæos computata, Iacob autem habuit duodecim filios, quorum omnium proles ad populum Iudæorum pertinebat. Ruſus non à Iacob, ſed ab Iſrael nomine dicti ſunt Iſraelitæ; tum quia nomen Iſrael dignius erat, tãquam à Deo ipſo impoſitum, & donatum, tum propter ſignificationem inſignem. nam Iacob ſupplantatorem, Iſrael vero præualentem aduerſus Deum ſignificat; dicitur enim Gen. 32. Nequaquam appellabitur Iacob nomen tuum, ſed Iſrael. quia ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines. tum demum quia hoc nomen maxime ſignum erat, de eius progenie Chriſtum venturum. ob id femur Iacob tunc emarcuit, & claudicauit, futurum indicans myſterium. propter hæc tria nomen Iſraelitæ plurimi factum eſt apud Iudæos.

Iudæi quare potius à Iacob dicti ſunt Iſraelitæ, quàm ab Abraham vel Iſaac.

2. Cor. 11

Geneſ. 32

Quorum eſt adoptio filiorum.

PRoſequitur cauſas eaſdem; & quæ ſequuntur, ad beneficia inſignia, quibus populus ille affectus eſt à Deo, pertinent; ac ſi diceret: Anathema olim optabam eſſe, & nunc doleo, & contriſtor ſuper ruinam populi, non ſolum quia meus conſanguineus eſt, non tantum quia nobiliſſimam originem ab illo Patriarcha trahit, ſed quia à Deo dilectus fuit, & plurimis non vulgaribus, ſed eximijs affectus beneficijs, quorum vnum eſt, adoptio filiorum; ſortitus. n. eſt dignitatem magnam populus hic, vt dicerentur, & eſſent

filiorum

Digitized by Google

filiorum Dei appellatione decorati. Exod. 4. Filius meus primogenitus Iſrael. & iterum: Dimitte filium meum vt ſeruiat mihi. & Deut. 14. Filij eſtote Domini Dei veſtri. Matth. 15. Non eſt bonum ſumere panem filiorum. Exod. 4. Deut. 14. Matt. 15

ANNOTATIO VI.

Filiatio Dei dupliciter olim conueniebat Iudęis

ADuertendum eſt maxime, olim in Iudaico illo populo duas fuiſſe filiationes Dei; Vna erat vmbra & figura, nempe ratione legis & cultus illius; populus enim ille quia inter omnes nationes mundi verum Deum colebat; illiq. ſacrificia, cultumq. exhibebat, & leges ab ipſo ei latas ſeruabat, obtinuit à Deo appellationem filiationis Dei; erat enim populus ille appellatus filius Dei. Sed hæc filiatio vmbra erat, ſicut & lex ipſa & cultus, nempe futuri Euangelij, & veræ filiationis per gratiam, per quam filij veri, & heredes regni cæleſtis efficiendi erant. & de hac, quæ vmbra eſt, & figura, loquitur nunc Paulus. Et de eadem ſunt intelligenda loca allegata in commentario, quæ cōmunis erat & iuſtis, & bonis cultum veri Dei ſeruantibus, & de numero populi illius exiſtentibus. Altera erat vera filiatio, ſed imperfecta, & non propria illi populo, quæ erat ex fide venturi Chriſti, & gratia, quæ ex venturi fide tunc dabatur; hæc iuſtis ſolis inerat, non in lege ſolum, ſed etiam ante legem exiſtentibus, quæ ad Euangelium pertinebat, cuius virtute etiam antequam aduenirct, hæc filiatio dabatur; ſed erat imperfecta. quia iuſti adhuc erant in ſtatu ſeruitutis, donec per aduentum Chriſti, & Euangelium eius in ſtatum libertatis promouerentur. de qua filiatione dictum eſt, Galat. 4. Quamdiu filius paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cum ſit dominus omnium, &c. de qua nunc Paulus non agit, ſed de illa, quæ illi populo communis erat, etiam ijs, qui poſtea repulſi ſunt, & hæc diſtinctio filiationis eſt valde obſeruanda pro vera, & legitima intelligentia multarum ſcripturarum. Vide multa, quæ diximus in commentarijs ſuper Ioan. cap. 1.

Gal. 4. Ioan. 1.

Et gloria.

ALterum beneficium, quia ipſorum eſt gloria. appellat gloriam arcam Domini, quæ Dei præſentiam repræſentabat, ideo dicebatur gloria Domini. 1. Reg. 14. Tranſlata eſt gloria ab Iſrael, eo quod capta eſt arca Dei. & templum vbi erat arca dicebatur habitatio gloriæ Dei. Pſal. 26. Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Cherubim etiam, qui erant ſuper arcam, dicebantur Cherubim gloriæ. de hac igitur gloria dicitur nunc, Iſraelitarum eſſe gloriam, nempe arcam, ſuper quam Deus reſponſa dabat. 1. Reg. 14 Pſal. 26.

AN-

ANNOTATIO VII.

Chryſoſt. CHryſoſt. hanc gloriam exponit eam eſſe, vt de cunctis nationibus Iſraelitæ electi ſint in populum peculiarem Dei, quem tot, ac tantis beneficijs affecerit, cui expoſitioni adhæret Anſelmus. *Theodor.* Theodoretus vero aliter interpretatur, nēpe quia ex miraculis multis, & magnis, quæ Deus pro illo populo fecit, clarus, celebris, & glorioſus populus euaſit inter omnes Gentes. Pſal. 125. Tunc dicent inter Gentes, magnificauit Dominus facere cum eis, magnificauit facere nobiſcum. Vtraque expoſitio eſt ſatis conueniens. accommodatior tamen mihi viſa eſt, quam in commentario explicuimus; niſi omnia ſimul coniungere velimus. Cyprianus lib. 2. con. Iudæos, cap. 6. legit loco gloriæ, claritatem, ſenſus idem eſt. *Pſal. 125* *Cypr.*

Quæ fuit gloria Iudæorum.

Et teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa.

PRoſequitur enumerare beneficia. Eſt autem ordine tertium; (teſtamentum) Græce in plurali numero habetur, & ſic Hieron. epiſt. ad Algaſi. qu. 9. & Anſelmus legunt, per, teſtamenta autem, ſeu fœdera, tabulas duas teſtamenti, ſeu fœderis, intelligit in quibus decalogi præcepta digito Dei erant ſcripta; ſic enim dictæ erant tabulæ fœderis, ſeu teſtamenti Deuter. 9. & ad Hebr. 9. ideo Paulus numero plurali vſus eſt (teſtamenta) per methonimiam quandam, partē ſumpta pro toto. Lex ergo moralis hoc nomine ſignificatur; cui conſonant duo, quæ ſequuntur, nempe quartum, & quintum beneficium. legislatio enim ad legem iudicialem refertur, de qua Pſal. 147. Iudicia ſua non manifeſtauit omni nationi. & Pſal. eodem. Qui annunciat iuſtitias, & iudicia ſua Iſrael. Per iuſtitias, legem moralem, quæ erat in tabulis; per iudicia iudicialem ſignificat legem, quam nunc appellat legislationem. Quintum eſt (obſequium) ſeu cultus. Græce λατρεία, quo nomine ſacrificia, & cetera ceremonialia ſignificantur. tota ergo lex quantum ad omnes partes his tribus exprimitur. Inſigne profecto Dei beneficium; dedit enim præcepta, & leges morum, & iudiciorum, & cultus illi populo Iſraelitico. Addit ſextum, nempe promiſſiones factas. quæ ad vetus, & nouum pertinent teſtamentum.

Beneficia collata populo Iudæorum. *Hieron.* *Anſel.* *Deut. 9.* *Hebr. 9.* *Pſ. 147.*

ANNOTATIO VIII.

Hieron. HIeron. epiſt. ad Algaſ. qu. 9. teſtamentum interpretatur duo teſtamenta, vetus, & nouum; illud in litera, hoc in ſpiritu, & ſignifica-

Theodor. gnificatione, ac figura Deus illi dedit populo. addit etiam Theodor. nouum datum eſſe populo illi etiã in promiſſione. eodem modo Chryſoſt. Ambroſ. & Anſel. interpretantur. accommodatior tamen videtur expoſitio poſita in commentario, tum quia ſequenti verbo (promiſſiones) hæc teſtamenta ſignificantur, nec diſtinguere teſtamentum in ea ſignificatione à promiſſione facile poſſumus; tum etiam quia hæc tria multum ſibi cohærent, per quæ tota lex exprimitur. cum enim cultum, ideſt, cæremonialia à legiſlatione diſtinxerit, quæ pars legis ſunt, conſonum eſt, etiam diſtinxiſſe à legiſlatione etiã moralia, quæ ad tabulas pertinebant, quas fœdera, ſeu teſtamenta appellauit. Cypr. loco (obſequiũ) legit (famulatus) eadem eſt ſignificatio; per vtrumque enim cultum, qui in cæremonialibus continebatur, exprimitur. Aduerte, promiſſiones diuinas factas quidem eſſe illi populo, etiam myſteriorum futurorum in Euangelio, ſed non pro illo ſolo: nam Iudęo promiſſa eſt ſalus etiam Gẽtium: longe ergo aliud eſt promiſſa eſſe illorum, quia pro illis ſolis eſt facta promiſſio. illud verum eſt, & intelligendus eſt ſic Paulus; non autem hoc, quia multa fuerunt promiſſa, quæ ad vniuerſalem etiam gentium pertinebant ſalutem. fuit tamen magna dignitas illius populi, quod illi ſunt factæ promiſſiones etiam bonorum, quæ Gentibus erant communicanda.

Chryſoſt. Ambr. Anſel.

Teſtamentum collatum populo Iudæorum quid denotet.

Cypr.

Quorum patres, ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, amen.

Præcipuũ beneficiũ populi Iudæorum, vt ex eorum ſemine Chriſt. naſceretur.

SEptimum & vltimum beneficium illi populo collatum, id eſt, quod patres, ex quibus Chriſtus ſecundum carnem eſt progenitus, fuerunt de illo populo. at ne parum videatur Chriſtum carnem ſumpſiſſe ex illo populo, neue aliquis Chriſtum, vt vnum ex cæteris purum hominem exiſtimaret, quia dictum eſt, ex patribus illorum eſſe ſecundum carnem; vt etiam explicaret, quare ſecundum carnem, & non abſolute ex illis eſſe dixerit; propter hæc tria, addit: Qui eſt Deus, non ſolum homo; Deus autem non quolibet modo, vti multi in Scriptura Dij appellati ſunt, ſed Deus ſupra omnia benedictus in ſecula. amen, vox eſt affirmantis. Magnum profecto & inſigne donum populus ille accepit, nempe Deum ſuper omnia benedictum, carnem, ſecundum quam homo factus eſt, ex eo ſumpſiſſe. Ecce explicitas habet cauſas, cur Paulus doleat vehementer ſuper Iudæorum repudium; tum quia cognati & fratres illius ſecundum carnem; tum quia inſignibus, & peculiaribus beneficijs à Deo decorati ſunt; maxime enim dolendum eſt, populum, cui omnia hæc collata ſunt, cecidiſſe, & ab eo, quod potiſſimum erat, eiectum eſſe, nempe ab Euangelio. Duo ſunt hic in declarationem

Digitized by Google

tionem aduertenda. Vnum eſt ex Hieron. epiſt. ad Algaſi. q. 9. illud (benedictus in ſecula) additum à Paulo, quaſi confirmante diuinam ſententiam, & iudicij ſeueritatem laudante, in illorum repudio; ita enim dolet, & contriſtatur, vt diuinum probet beneplacitum & iudicium. Alterum eſt, meminiſſe diuinitatis, non ſolum ob tres cauſas allegatas, ſed maxime vt Iudæos incredulos Chriſto redargueret, non in hominem purum, ſed in Deum ipſum incredulos eos eſſe oſtendens. vnde Athan.orat.2. con.Arian.Paulum, Iudæos hoc verbo redarguiſſe, affirmat. *Hieron.* *Athan.*

ANNOTATIO IX.

Nota præcipuum, & omniũ ſupremũ Iudæorũ beneficiũ.

MVlta adnotanda ſunt circa proximam ſententiam. Primum eſt, quod ad verba ſpectat, aduerte, Græca exemplaria diſtinguere duo illa (quorum patres, ex quibus Chriſtus:) ſic enim habent: (Quorũ patres, & ex quibus Chriſtus) vt duo ſint: Vnum, quod patres illi inclyti, & inſignes, qui mira ediderunt, de ipſius ſunt proſapia. Alterum eſt omnium ſupremum, quod ex ipſis, & ex ipſorum ſtirpe Chriſtus eſt genitus ſecundum carnem. quam lectionem non ſolum Græci, ſed etiam Latini multi ſequuntur; nimirum Tertul. lib. de Trinit. & Iren. lib. 3. cap. 18. & Hilar. lib.8.Trinit. Ambr. & Aug. lib.2.Trinit. cap.13. & Anſelmus. Cyprian.autem lib.2. con. Iudæos, cap.6. & Greg.hom.8. in Ezech. & homi.etiam 15.legunt ſine illa coniunctione, ita vt videantur Græca exemplaria varia fuiſſe; Doctores enim hi Latini veteres exemplaria Græca ſequebantur; vtraque lectio accommodata eſt.

Græci. Tertul. Hilar. Ambroſ. Auguſt. Anſel. Cypria. Gregor.

Attendendum eſt alterum etiam quantum ad verba Iren. lib.3. cap. 18. legere (omnes;) at Hilar. lib.8. Trinit. & Ambr. lib. 1. de Spiritu ſan.cap.3. & Hieron. epiſt. ad Algaſ. qu.9. legere (omnia:) & hæc eſt lectio veritati accommodatior: Deus enim Chriſtus non ſolum ſuper omnes illos patres, ſed ſuper omnia eſt. Notat autem Ambr.ſub voce (omnia) non intelligi Spiritũ ſanctum, ſicut neque Patrem: ſunt enim idem Deus, qui non clauditur numero (omnium) ſed dicitur ſuper omnia, quæ extra Deum ſunt. & Greg. hom. 8. Ezech. notat, ideo non inter omnia, ſed ſuper omnia dicit, vt verus Deus ſignificetur. Aliqui moderni legunt (in omnibus) ſed ſine fundamẽto vllo, cum Græca expoſitio, ſenſus, & Patres omnes verſioni noſtræ faueant.

Iren. Hilar. Ambr. Hierony. *Gregor.*

Tertium eſt aduertendum, errare aliquos modernos, exiſtimantes non eſſe in textu illud (Deus) quia apud Hilar. in Pſal.122. non legitur, nec apud Cypr.lib.2.con. Iudæ. cap. 6. cum re vera ſit legendum (Qui eſt Deus) Hilar. autem non citauit integrum teſtimonium, quia in eo loco conſiderabat illam particulam (ex quibus) tamen lib. 8. Trinit. quando opus erat diuinitatem Chriſti probare, legit integrum teſtimonium (qui eſt Deus.) Cypriano autem deeſt; ſunt.n. exemplaria nonnulla antiqua, in quibus le-

Hilar. Cyprian.

bus legitur. Eſſe autem legendum, probant antiquiſſimi Patres Græci, & Latini, qui ita legunt. præter allegatos omnes, ita etiam legit Athanaſ. orat. 2. con. Arian.

Nota apertum teſtimonium diuinitatis, & humanitatis Chriſti.

Quartum eſt aduertendum, hanc ſententiam eſſe apertum teſtimonium Chriſti diuinitatis, & humanitatis, vt verus ſit homo, qui ſit ex hominibus ſecundum carnem progenitus, & qui ſit Deus ſuper omnia benedictus in ſecula. Vnde optimo iure ſacri Doctores hoc teſtimonium oppoſuere hæreticis, negantibus Chriſti diuinitatem, aut humanitatem. Athanaſius epiſt. ad Epictetum, oppoſuit hunc locum negantibus humanitatem, & veram carnem Chriſti, contra quos eſt, quia dicitur (Ex quibus eſt ſecundum carnem) Hilarius lib. 8. Trinit. oppoſuit contra negantes diuinitatem, ſimiliter & Tertul. lib. de Trinit. & Auguſt. lib. 16. con. Fauſt. cap. 15. dicitur enim Deus ſuper omnia. Iren. autem lib. 3. cap. 18. oppoſuit negantibus vtrumque, & ſeparantibus Ieſum à Chriſto, quaſi vnus ſit Ieſus, alter ſit Chriſtus, nec ſit Deus homo. Contra quos facit, quod ille, qui eſt ſecundum carnem ex Patribus, ille idem eſt Deus ſuper omnia.

Hilar.

Tertul.
Auguſt.

Ex his omnibus ſequitur, quod quinto loco eſt aduertendum, nimis erraſſe modernos quoſdam, qui iſtam ſententiam ſic diſtinxerunt: (Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem;) vt ſtatim ſequatur; qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, non quod referatur ad Chriſtum, ſed ad Deum; ac ſi diceret: Deus, qui eſt ſuper omnia, ſit benedictus in ſecula. quod ſi referatur ad Chriſtũ; illud (qui eſt ſuper omnia) diſtinxerunt, Deus benedictus in ſecula, non referentes ad Chriſtũ, quod ſit Deus benedictus. Certe tamẽ qui iſta fingunt contra omnes Catholicos Patres, fideiq. noſtræ fundamenta eneruãt, neſcio quo nomine eos nuncupem; corrumpunt enim diuinum ſermonem. affirmãtes, quæ nec illi antiqui Hæretici, diuinitatem Chriſti oppugnantes, auſi ſunt proferre, nec vllus antiquorum Patrum vel ſomniauit. Abeant ergo iſti cum ſuis corruptelis & fictionibus.

ANNOTATIO X.

Chryſoſt.

Adhuc in his omnibus beneficijs à Deo huic populo collatis eſt adnotandum; Chryſoſtomum in ſua perſeuerantem ſententia ſuperius expoſita, de deſiderio Pauli illo, quo anathema eſſe optabat à Chriſto pro fratribus, ſic omnia hæc interpretari; quaſi ſint à Gentibus blaſphemantibus dicta, vt ſit ſenſus: Vellem eſſe anathema à Chriſto potius, quàm quod Deus à Gentibus blaſphemaretur propter repudium Iudæorum factum. Eſt autem blaſphemia talis; dicunt enim: cum Iudæi ſint Iſraelitæ, & ipſorum ſit adoptio filiorum, gloria, teſtamenta, promiſſa, patres, & ex eis Chriſtus; iniquum eſt eos repellere, & promiſſa hereditate priuare. Nomine ergo Gentium blaſphemantium hæc dicta cenſet Chryſoſtomus. Cuius expoſitio difficile accommodatur. Vt vel ex hoc interpretatio illa de anathemate, de qua ſupra dictum eſt, non videatur admodum legitima. Coactus enim eſt Chryſoſt. ſic exponere, quia non videbatur iuſtum deſiderium

Anathema eſſe à Chriſto, quod Paulus optabat, quõ intelligatur.

Digitized by Google

Baſil. derium Pauli, quo optabat æterna gloria priuari, niſi id optaſſet pro gloria Dei, & ne blaſphemaretur nomen eius. Aliter Baſil.reg.breui. reſp.190. hæc exponit, nimirum vt cauſas exprimat, cur doleat & contriſtetur propter Iudæorum repudium. nimirū quia Iſraelitæ erant, quia ipſorum adoptio, gloria, teſtamentum, &c. idem etiam Hier. epiſt. ad Algaſ.qu.9. & Ambroſius cum alijs multis. tamen in hoc Baſilius diſſentit, quod inter cauſas huius doloris non annumerat, quod fratres, & cognati eſſent ſecundum carnem, cum tamen etiam hoc inter cauſas ſit. de qua re annotatione quinta ſuperiori egimus. *Hieron. Ambr.*

Non autem quod exciderit verbum Dei.

Nota verbi Dei firmitatem, quo non excidat.

HAec eſt ſecunda pars capitis, in qua verbi Dei ſtabilitatem, firmitatem, & veritatem oſtendit, ne quis ex incredulitate, & repudio Iudæorum Deum ſuis promiſſis non ſtetiſſe exiſtimaret, quod tantum abeſt à veritate, vt potius hac Iudæorum incredulitate, & reiectione, & loco eorum Gentium vocatione facta, ipſum verbum Dei confirmetur, veraxq. deprehendatur. Senſus autem & connexio propoſitæ ſententiæ ſic ſe habent. Ego quidem contriſtor, & doleo pro fratribus meis, eorum conſiderans incredulitatem, & reiectionem, cum fratres mei ſint, totq. ac tantis à Deo inſigniti olim beneficijs. At fieri non poteſt, quod verbum Dei exciderit; neceſſe eſt impleri quod Deus prædixit, & decreuit, nec meo dolore, aut triſtitia mutari verbum Dei antiquum à ſua veritate poteſt; multo enim ante ſuo verbo Deus propoſitum ſuum, & electionem declarauit, quibus non ſecundum carnem ſemen Abrahæ, in quo benedictiones implendæ eſſent, ac promiſſa, accipiendum eſſe ſignificauit: Hoc non poteſt excidere, nec prætermitti quin impleatur. Attende, quantum ad verba, illud (non autem) ſic debet exponi; At non fieri poteſt, ſeu, at non eſt poſſibile; particula enim illa (autem) Græce (δε) eſt particula aduerſatiua, loco (at, ſeu tamen, aut autem) poſita. illa etiam negatio (non) ſenſum facit hunc, non eſt poſſibile, aut non poteſt fieri; habetur enim Græce dictio (οἷον) quæ ſignificat poſſibile. Senſus ergo eſt: non poteſt fieri quin verbum Dei impleatur, ſeu non poteſt excidere verbum Dei. Similem ſenſum habet hoc in loco ſententia iſta, quem habet illa Thob.14. admonens enim filios ſuos vt fugiant, & deſerant ciuitatem Niniue, inquit, Verbum Dei numquam excidit. ideſt, impleri neceſſe

Digitized by Google

ceſſe eſt verbum Dei, quo Niniue ruinam, & deuaſtationem prædixit: hic eſt legitimus ſenſus, & connexio huius ſententiæ.

ANNOTATIO XI.

IN lectione, connexione, & ſenſu ſuperioris ſententię varij ſunt Doctores. Vetus interpres legit (non autem quod exciderit) alij autem legunt (non ſic autem) omittunt autem dictionem Græcam (οἷον) quam Photius interpretatur, ſic; non autem velut exciderit verbum Dei; habet enim talis particula eam ſignificationem. Mihi tamen omnium accommodatiſſima lectio viſa eſt, ſcilicet; (Non poſſibile autem) particula enim οἷον, etiam ſignificat idem quod poſſibile, ſeu fieri poteſt, & quamuis frequentiſſime in ea ſignificatione ſequatur particula τε, tamen aliquando etiam ſi non ſequatur, eamdem habere ſignificationem probant periti huius linguæ, & maxime Bud. in ſuis commentarijs. Quamuis aliqua mihi ſuſpicio orta ſit loco τε ſcriptorum negligentia poſitum δε, eſt enim facilis permutatio vnius literæ in aliam. Quamuis autem retineamus particulam δε, eadem eſt ſignificatio, ac ſi dictum eſſet. non fieri poteſt autem. Vetus interpres omiſit illud (fieri poteſt) & tranſtulit, non autem, vt ſit ſenſus. non eſt autem, ſeu, non eſt autem poſſibile. hæc de lectione.

Budæus.

Verbum Dei, quo non exciderit, ſi Iudæi repulſi ſunt.

Quantum autem ad ſenſum, & connexionem, omnes interpretantur, vt Paulus ſignificare velit hiſce verbis: quamuis multi Iudæorum repulſi fuerint; non propterea verbum Dei irritum fuiſſe, aut ſuum non habuiſſe complementum. nam Iudæis ſecundum carnem promiſſiones factæ non ſunt. Hunc ſenſum communiter ſequuntur interpretes, quamuis non eodem modo connectant, Chryſoſt. ſic connectit. non hæc dico quod verbum exciderit. Theodoretus autem ſic, quamuis Iudæi contradicant, & exciderint, non tamen excidit verbum Dei. aliqui recentiores ſupplent aliud, nempe non ex hoc, quod Iudæi repulſi ſint, ſequitur quod exciderit verbum Dei. Phot. apud Oecumenium, particulam οἷον, ponderat, & exponit; non hæc dico, quod velut exciderit verbum, non ſolum enim non excidit, ſed nec velut, aut prope excidit. Omnia hæc probabiliter dicta ſunt. Mihi nec ſenſus, nec connexio accommodari ſatis apte videntur; connexio enim hæc eſt. doleo, & contriſtor ob ea, quæ dicta ſunt, (non autem) ideſt, at non poteſt fieri, quod verbum Dei exciderit. Senſus autem hic eſt, neceſſe eſt impleri verbum; non enim poteſt cadere à ſua veritate; Iudæorum autem repulſio & caſus non ſolum non tollit verbi Dei veritatem, ſed potius confirmat, impleri enim oportet quod prædictum eſt, & à Deo pronunciatum. Idem eſt ſenſus huius ſententiæ, & illius Luc. 24. Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt. Aliqui noſtro tempore

Chryſoſt. *Theodor.* *Phot.* *Auctor.* *Luc. 24.*

Gg verbum

verbum excidendi in hunc ſenſum interpretantur: non hæc locutus ſum, quod oblitus ſim, aut ex memoria mea exciderit verbum Dei; Scio enim & recordor, verbo ſuo Iudæorum prædixiſſe repulſam, & incredulitatem. Sed hæc expoſitio parum eſt probabilis.

Non enim omnes, qui ex Iſrael ſunt, ij ſunt Iſraelitæ.

Ex Iudæorum incredulitate, & repulſa verbum Dei ſtabiliri.

Deus benedicens populo Iſrael non reſpexit ad generationem ſecundum carnem.

PRobat, Iudæorum incredulitate, & repulſa verbum Dei ſtabiliri, non autem excidere, ſed potius confirmari. quia, inquit, non omnes, qui ſunt ex Iſrael, ideſt, ex Iacob deſcendunt, ſecundum carnem, ſunt Iſraelitæ, aut populus Iſrael iuxta Dei verbum. verbum enim Dei ſemen eligens Abrahæ, & benedictiones ſuas promittens, non ad filios, & generationem ſecundum carnem reſpexit. ideo multi ſecundum carnem nati ex Iacob, non ſunt de ſemine à Deo electo, & prænunciato. multi vero, etiam ſi ſecundum carnem nati non ſint, quales ſunt gentes, ſunt de numero Iſraelitarum, ſeu de populo Iſrael, ſecundum Dei verbum. non ergo mirum ſi multi Iudæorum excidant nunc, & increduli exiſtant, ac repellantur à populo Dei. non enim ſunt de numero filiorum Iacob, & Iſrael iuxta Dei verbum. dicit (non omnes) quia multi etiam ſecundum carnem progeniti ex Iſrael, ſunt etiam à Deo electi, & ſimiliter de numero vero, & electo Iſrael.

ANNOTATIO XII.

Non omnes qui ex Iſrael ſunt ij ſunt Iſraelitæ quo intelligatur.

GRæce non habetur verbum (Iſraelitæ) ſed (Iſrael) Iſrael enim erat nomen illius Patriarchæ Iacob, & populi illius, qui ex eo deſcendebat, & progenitus erat. in priori loco accipi poteſt pro Iacob; in poſteriori vero pro populo, vt ſit ſenſus, non omnes, qui ſunt ex Iſrael, ideſt, ſecundum carnem progeniti ſunt à Iacob; ſunt Iſrael; ideſt, pertinent ad populum Iſrael verum, & verbo Dei ſignificatum. & ſic multi exponunt. Poteſt etiam in vtroque loco accipi pro populo: eritq. ſenſus, non omnes qui ſunt de populo Iſrael ſecundum carnalem generationem, ſunt populus Iſrael, verbo Dei electus, & pronunciatus. Hanc diſtinctionem Iſrael, ſeu Iſraelitarum inſinuauit Dominus illo verbo Ioan. 1. Ecce verus Iſraelita, in quo dolus non eſt: verum Iſraelitam eum appellauit; quia de numero eorum erat, quos Deus in ſemen electum Abrahæ & Iacob vocauerat, & pronunciauerat. Hoc autem paulo inferius explicabitur.

Neque

Digitized by Google

Neque qui ſemen Abrahæ, omnes filij.

PRoſequitur ſententiam eandem, explicans verbum, quod non poteſt excidere. non etiam, inquit, omnes, qui ſemen Abrahæ ſunt, & ab eo carnalem originem ducunt, ſunt filij, nempe eius, quantum ad Dei verbum; ſunt enim multi ex carnali eius ſemine progeniti, qui filij eius non cenſentur ſecundum Dei verbum, nec de numero eorum ſunt, quos Deus illi in ſemen electum conceſſit, cui ſalus & benedictio promiſſa eſt. Deus enim non ſecundum carnalem generationem filios Abrahæ vocauit, in quibus ſua impleret promiſſa.

ANNOTATIO. XIII.

Phot. IN Græcis exemplaribus, quæ nunc habentur, loco (qui) legitur (quia) neque quia ſemen Abrahæ, omnes filij, & ſic Photius apud Oecumen. interpretari videtur. accommodatior autem videtur lectio noſtra; tum quia ſi legeremus (quia) ſuperfluum eſſet poſtea addere (omnes) cum ſatis eſſet dicere, neque quia ſemen Abrahæ, ſunt filij; tum etiam quia ſimilitudo eſt inter hanc, & præcedentem ſententiam; non omnes qui ex Iſrael ſunt, ij ſunt Iſraelitæ. Siue ergo vno, ſiue altero modo legamus, ſenſus idem perſeuerat. Theodoretus illud (filij) refert ad Dei filios, ſic enim putat id conſonare verbo ſequenti (non qui filij carnis, hi filij Dei) Photius tamen apud Oecumenium refert ad Abraham, vt ſit ſenſus, non qui ex Abraham, omnes filij eius. & iſta eſt accommodatior expoſitio, quam ſequitur Anſelmus, & nos in commentario, quamuis ſi rem ipſam ſpectes, iidem ſunt filij Dei, & filij Abrahæ veri. de quibus dicitur Ioan. 8. Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. quaſi diceret: non poteſtis filij Abrahæ eſſe, cum opera eius non faciatis. *Ioan. 8.*

Filij Abrahæ, & Iſraelitæ duplices. Pro intelligentia ergo huius ſententiæ, & ſequentium. Attendendum eſt, duplices eſſe filios Abrahæ, & Iſraelitas. Quidam ſunt ſecundum carnem, qui nimirum ex eius ſemine ſunt progeniti. de quibus 2. Corinth. 11. dicitur: ſemen Abrahæ ſunt, & ego; Quidam ſunt ſecundum imitationem, qui nempe fidem eius viuam imitantur, de quibus dicitur Galat. 3. Qui ex fide ſunt, ij ſunt filij Abrahæ. Hi plures ſunt, quam illi. nam ſub horum numero multi, qui etiam ſecun- *Gal. 3.*

Digitized by Google

dum carnem ſunt, comprehenduntur; innumeri etiam, qui carnalem originem non habent ab eo, filij eius ſunt imitatione, quales Gentes ad Deum conuerſæ, hi ſunt filij Abrahæ, & veri Iſraelitæ, quibus benedictiones, & promiſſiones ſalutis factæ ſunt; de quorum numero non erant futuri plurimi Iudæorum, propter ipſorum incredulitatem: ipſis tamen excidentibus, & reiectis, verbum Dei manet, & impletur, quod verbum ſtatim exponit Paulus. Hi etiam filij dicuntur promiſſionis, ob cauſas exponendas in annotatione decima ſexta.

Sed in Iſaac vocabitur tibi ſemen.

EXponit verbum Dei, quod non excidit, ſed manet & completur in reiectione Iudæorum incredulorum, & gentium vocatione. Eſt autem hæc ſententia altera pars, complens ſuperiorem ſententiam; ac ſi dictum eſſet, non qui ſemen Abrahæ, omnes ſunt filij; ſed quos vocauit Deus Abrahæ in ſemen iuxta verbum ſuum, quando dixit: In Iſaac vocabitur tibi ſemen. Paulus autem breuitatis amator non tot vſus eſt verbis, ſed ipſum teſtimonium, & verbum Dei exprimit in oppoſitam partem ſuperioris ſententiæ. Senſus tamen & verborum connexio accipienda eſt, vti iam diximus. teſtimonium ſumptum eſt ex Gen. 21. huius tamen in annotatione ſequenti exactiorem require declarationem. Gen. 21.

ANNOTATIO XIV.

In Iſaac vocabitur tibi ſemẽ, qũo intelligatur, de benedictione ſpirituali, nõ autem carnali.

SEnſus literalis, & cortex teſtimonij citati hic eſt. Abrahæ duo erant filij, quando hæc Dominus illi locutus eſt. Vnus dictus Iſmahel ex ancilla; Alter dictus Iſaac ex vxore propria libera. ille erat virtute, & conſuetudine naturali ortus, hic vero ex diuina promiſſione, & virtute; nam quando hic conceptus eſt, Abraham corpus præ ſenectute emortuum, & imbecille erat, Saræ autem muliebria ceſſauerant; quæ duo impedimenta effecerant, vt naturali virtute filium habere non poſſent; Deus autem promiſerat quidem prius Abrahæ filium ex Sara. Tunc tamẽ impleuit promiſſum, quando

naturali

naturali virtute concipi non poterat, vt à Deo ſibi eſſe donatum agnoſceret; ideo filius promiſſionis dictus eſt. Cum ergo hi duo filij Abrahæ eſſent, factum eſt ei verbum Domini hoc, in Iſaac vocabitur tibi ſemen; ideſt, poſteritas tua cenſebitur per Iſaac, non per Iſmahel, & ille erit heres tuus, non autem hic. Senſus quantum ad corticem iſte eſt; tamen alterum intendebat Deus ſenſum, vltra hunc; Et is eſt, quem Paulus conſiderat, & qui per corticem illum ſignificabatur; nimirum, quemadmodum poſteritas, & hereditas carnalis computabatur Abrahæ, non ex Iſmahele, qui filius erat carnis, ideſt, ſola naturali virtute genitus, ſed ex Iſaac, qui erat virtute, & diuina voluntate donatus; ſi poſteritas illa, cui diuina benedictio, & ſalus per Chriſtum efficienda, & ſpiritualis hereditas communicanda promittebatur, non erat ſecundum carnalem generationem æſtimanda, ſed ſecundum diuinum beneplacitum, vt ij futuri eſſent de numero, & ſemine Abrahæ quantum ad ſpiritualem benedictionem, quos Deus ſua electione, & voluntate donaret; ſicut etiam, quem Deus temporaliter donauit, nempe Iſaac, is in poſteritatem temporalem eſt electus. Hi ergo ſunt filij Dei, quos Deus adoptauit Abrahæ in ſpirituale ſemen, & quos voluit per fidem accipere diuinas promiſſiones, & quos elegit non ſolum ex Iudæis, ſed etiam ex Gentibus, iſtique ſunt veri Iſraelitæ. Hic eſt ſenſus huius ſententiæ (in Iſaac vocabitur tibi ſemen) præcipuus, & à Deo primo intentus. Ad cuius ſignificationem elegit Iſaac filium promiſſionis, reiecto Iſmahele filio carnis ab hereditate temporali.

Vbi aduerte, Iſmahelem, & eius poſteritatem eiectos quidem ab hereditate, & poſteritate Abrahæ temporali, ſed non ab hereditate, & poſteritate ſpirituali. nam de eius ſemine multæ extiterunt Gentes vocatæ ad fidem, & ſalutem; ſicut etiam de Eſau, vt dicemus in teſtimonio ſequenti. Paulus ergo ita allegat teſtimonium hoc, vt in eum ſenſum exponat, qui à Deo præcipue intentus eſt, & ſic expoſitum verbum aperte ſignificat carnalium Iudæorum reiectionem à ſemine vero Abrahæ, & gentium vocationem per fidem. Hoc adhuc in ſequentis ſententiæ expoſitione declarabitur.

Ideſt, non qui filij carnis, hi filij Dei.

EXponit Paulus ſenſum præcipuum teſtimonij citati, ipſo cortice literæ ſignificatum, proptereaq. vtitur particula illa (id eſt) ac ſi diceret, hoc verbum Dei Abrahæ pronunciatum, ſignificat, non qui filij carnis ſunt, eos eſſe Dei filios, nec qui ſecundum carnem ex Abraham geniti ſunt, eos eſſe filios adoptionis Dei, quos Deus adoptauit, & promiſit Abrahæ, vt in eis ſuas promiſſiones

ſpirituales, & ſalutis benedictiones impleret. Attende aũt, quando dictum legis, non qui filij carnis, ij ſunt filij Dei; ne exiſtimes omnes filios ſecundum carnem excludi; ſunt enim multi Iudæorum ſecundum carnem ad fidem vocati, & de numero filiorum Dei effecti: ſed ſenſus eſt; non ſecundum carnalem generationem eſſe accipiendam poſteritatem filiorum Dei Abrahæ promiſſam. Vnde fit, vt qui non aliter ab Abraham deſcendunt, nec aliam poſteritatis rationem, quam quæ ſecundum carnem eſt, habent, excludi à diuinis promiſſionibus, & à vera Abrahæ poſteritate, quales erant, & ſunt Iudæi increduli. Tota hæc ſententia maxime à Paulo ipſo explanatur, ad Galat. 4. Scriptum, inquit, eſt, quoniam Abraham duos habuit filios, vnum de ancilla, alterum de libera; ſed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt; qui autem de libera, per repromiſſionem; quæ ſunt per allegoriam dicta, & cætera. Hoc idem nunc dicit Paulus; in Iſaac vocabitur tibi ſemen; idem eſt cum illo (Abraham duos habuit filios, &c.) quod autem dicit eſſe per allegoriam dicta, hoc nunc exprimit per particulam (ideſt) quæ ſenſum facit, quaſi diceret, allegoria huius ſermonis Dei citati eſt, non qui filij ſunt carnis, eos eſſe Dei filios. Hæc eſt legitima huius ſententiæ expoſitio.

Qui filij ſunt carnis, q̃uo nõ ſunt filij Dei.

Gal. 4.

Sed qui filij promiſſionis æſtimantur in ſemine.

Filij promiſsionis q̃uo æſtimati in ſemine Abraham.

HAec ſententia cauſam mihi continere videtur allegoriæ, & expoſitionis factæ à Paulo, quamuis conciſa ſit locutio, amator enim breuitatis Paulus, & maxime Hebræorum morem ſequens, ſolet prætermittere aliqua verba, quæ facile ab vnoquoque deprehenduntur. Sententia tamen hæc eſt, cum non filij carnis, ſed filij promiſſionis æſtimentur in ſemine Abrahæ. Totus autem ſimul ſenſus ex ſuperiori, & proxima ſententia coniunctus talis eſt. Hic ſermo, in Iſaac vocabitur tibi ſemen, ſignificat, non qui filij carnis, eos eſſe Dei filios, cum nõ filij carnis, quales erant Iſmahel, & eius poſteritas, ſed filij promiſſionis, quales Iſaac, & eius poſteritas, æſtimati ſint à Deo, & computati in ſemen Abrahæ, cui & nomen, & hereditas ipſius temporalis contingere deberent. Si autem illa particula (ſed) Græce ἀλλά cauſaliter accipiatur, loco (enim) poſita, vt aliquando apud Græcos vſurpatur, tunc ſenſus, &

ſus, & locutio aperta ſunt, nec ſupplere aliquid opus eſt, quaſi diceretur: filij enim promiſsionis æſtimantur in ſemine. Et forſan in hac cauſali ſignificatione accipitur Ioan. 16. Abſque ſinagogis facient vos; ſed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo; ideſt, eijcient vos a ſinagogis, quia venit hora, vt qui vos interfecerint, arbitrentur ſe obſequium Deo præſtare; ideo tamquam homines ſacrilegos, & Deo aduerſarios eijcient vos a ſinagogis, in quibus ſe Deum venerari putant, & quæ loca ſacra, & Deo dicata cenſentur.

ANNOTATIO XV.

CAeteri interpretes connectunt proximam ſententiam ſuperiori in hunc modum, non qui filij carnis, ij ſunt filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine. Sed connexio non poteſt accommodari. dicendum enim erat; non qui filij carnis, hi ſunt filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſſionis, ſunt filij Dei; aut ſic: non qui filij carnis, æſtimantur in ſemine; ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine; alias non habet locum illa particula (ſed) coniuncta ſuperiori ſententiæ, indicans partem, quæ ſequitur, eſſe illi oppoſitam. Adde, ſenſum non eſſe plenum, cum ſit ſine probatione, ſeu explicatione; nec etiam verbum ſequens, & teſtimonium quod additur, apte coniungi. propterea mihi viſa eſt diſiuncta ſententia, & cauſam ſuperioris expoſitionis ſatis accommodate exprimere, & hac ratione omnia conſonare; particulam autem (ſed) in ſenſu cauſali expoſuimus; aut ſi dictio aduerſaria eſt, ſupplendum eſt quod in commentario diximus.

Promiſſionis enim verbum hoc eſt; ſecundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius.

Iſaac non naturali virtute, ſed Dei dono, ac promiſsione genitũ.

TEſtimonio comprobat Scripturæ, Iſaac eſſe filium non naturali virtute, ſed diuino dono, & promiſsione genitum; ſenſus enim a Paulo expoſitus, & verbi allegoria huic maxime innitebatur fundamento; nempe Iſaac non naturali, & conſueto modo genitum, ſed diuina promiſſione. ideo hoc probat Scripturæ auctoritate; ſumptum eſt autem teſtimonium ex Geneſi 18. vbi Deus Abrahæ, antequam conciperetur Iſaac, lo- *Geneſ 18*

 quens,

quens, ſic dixit. Hoc eodem tempore veniam, & Sara habebit tunc iam filium ex te: id eſt, anno deuoluto, hac eadem temporis ſtatione, in qua nunc tibi loquor, veniam ad te, & tunc Sara filium ex te natum habebit. Hæc verba, inquit Paulus, promiſsionis diuinæ, & ſponſionis ſunt. Igitur Iſaac filius eſt promiſsionis, & ſignificat filios veræ promiſſionis diuinæ, quibus hereditas ſpiritualis promittebatur. illud (ſecundum tempus) poſitum eſt pro (hoc eodem tempore.) accedat, illo tempore, quando Deus id loquebatur, corpus Abrahæ præ ſenectute imbecille, & impotens ad generandum eſſe factum; & Saræ ceſſaſſe muliebria; vt magis conſtet, filium non naturali virtute, ſed diuina promiſſione eſſe donatum. Paulus autem non omnia allegat, quia hiſtoria erat notiſsima Iudæis, & ſatis erat, vnum, aut alterum attigiſſe verbum. Attende, Iſaac eſſe etiam filium ſecundum carnem; quia carnaliter fuit genitus; tamen quia non naturali virtute & conſueta, ſed ſupernaturali Dei dono, & virtute genitus eſt, dicitur filius ſecundum promiſsionem: ſignificans eos, qui non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo per fidem nati, & in Abrahæ filios adoptati ſunt, vt in eis ſalus, & promiſsio implerentur.

ANNOTATIO XVI.

Verbum Dei non dicitur excidere, ex eo, quod benedictio non comprehenderit oēs filios Iſrael, ſed tantū quibus promiſsio facta eſt in Iſaac.

ALiqui recentiores, hoc teſtimonium de Abraham, & quod ſequitur de Iſaac in eum ſenſum exponunt, vt velit Paulus oſtendere, verbum Dei non excidiſſe, quamuis multi Iudæorum repulſi fuerint. ſit autem probatio ſumpta ab exemplis duobus. Vnum eſt, quod hactenus explicuimus de Abraham. Alterum, quod ſequitur, de Iſaac. Quæ ſic interpretantur: Dominus enim promiſit Abrahæ, antequam filios haberet, in eius ſemine omnes gentes benedicendas, & tamen non eſt impletum, niſi in vno ex filijs, nempe Iſaac; nec dicimus excidiſſe verbum Dei; ita etiam non excidit verbum Dei de ſalute promiſſa Iudæis, quamuis multi illorum repulſi fuerint. Simile eſt in Iſaac, in quo benedictio facta eſt, cum tamen non in Eſau obtinuerit benedictionem, ſed in Iacob; nec propter hoc verbum Dei excidiſſe affirmamus. Hæc eſt expoſitio iſtorum, quæ præterquam quod eſt longe diuerſa

uerſa

Digitized by Google

uerſa à communi Patrũ expoſitione, eſt omnino aliena a Pauli mente, & à ſenſu totius huius contextus, non ſolum quia, vti diximus paulo ſuperius, Paulus in illis verbis (non autem quod exciderit verbum Dei) non intendit ſenſum eũ, quem hi doctores exiſtimant; ſed etiam quamuis is eſſet ſenſus, qui non eſt ab eo, quem diximus, valde diuerſus, contextui, & verbis Pauli accommodari talis expoſitio non poſſet. Si enim id Paulus intendiſſet, non erat cur diſtingueret filios carnis à filijs promiſſionis, nec cur in ſequenti ſententia de propoſito Dei ſecundum electionem ſermonem faceret. Paulus autem maxime vrget, eo quod non filijs ſecundum carnem, ſed filijs ſecundum promiſſionem & electionem eſt hæreditas promiſſa. Si autem nihil aliud docere voluiſſet, quàm non exNidiſſe verbum, quia non omnes filij Abrahæ, aut Iſaac ad eorum hereditatem pertinent, ſuperfluũ erat ponderare promiſſionis aut electionis verba. Senſus ergo legitimus potius eſt cõtrarius huic expoſitioni. Paulus enim probat, Iudæos incredulos ſecundum verbum Dei, à ſalute promiſſa eſſe excluſos, & in hoc verbum Dei factum non eſſe irritum, nec excidiſſe, ſed potius completum eſſe: & probatio nõ eſt ab exemplis ſumpta, ſed à ratione ipſa & cauſa, nempe quia filijs, & Iudæis carnalibus non eſt promiſſa ſalus, nec verbum Dei erat in eis implendum, ſed in filijs & Iudæis, qui ſunt ex promiſſione & electione Dei. quod Paulus ex Scriptura probat, & declarat duobus factis. nempe Abrahæ, & Iſaac, quibus Deus hoc ipſum ſignificauit. nam repellens Iſmahelem ab hæreditate paterna, qui erat ſecundum carnem genitus, & acceptans Iſaac, qui erat Dei virtute procreatus, ſignificare voluit, Abrahæ poſteritatem, cui ſalus & benedictio ſpiritualis erat communicanda, non eſſe ſecundum carnalem generationem conſiderandam, nec computandam, ſed ſecundum diuinam electionem; quæ in eo poſuit hãc poſteritatem, per quod Abraham Iſaac conſecutus eſt. credens enim diuinæ promiſſioni, meruit a Deo filium promiſſum recipere. illi ergo, qui fidẽ eius ſectati fuerint, poſteritas eius ſunt, ad recipiendam hereditatem ſpiritualem; ideo dicuntur filij promiſſionis; tum quia tales ei Deus promiſit, & adoptauit pro volũtate ſua filios ſub figura Iſaac, qui à Deo illi donatus eſt, omni naturali ſpe deficiente; tum quia per fidem ſimiles ſunt ei, qui promiſſioni diuinæ credens filium obtinuit. Tota hæc doctrina ſumpta eſt ab eodem Paulo ex Gala. 3. vnde huius ſententiæ Paulinæ petenda eſt declaratio. Non ergo excidit verbum Dei non ea ratione; quia in nonnullis eſt impletum, licet non in omnibus, vt prior modernorum expoſitio tradit; ſed quia nõ eſt promiſſio facta illis, qui defecerunt à fide, nec pertinent ad poſteritatem Abrahæ aut Iſaac. hęc enim eſt cauſa, cur Paulus ſtatuit veritatem illam, non omnes, qui ex Iſrael ſunt, eſſe Iſraelitas; nõ omnes qui ex Abraham, eſſe filios eius. Si ſenſus eſſet, quem recentiores iſti affirmant, non erat neceſſarium, immo ſuperfluum eſſet id dictum. nam etiam ſi omnes eſſent Iſraelitæ, & filij Abrahæ, non erat irritum verbum, nec exciderat, ſi non in omnibus implebatur, ſed in nonnullis.

Gal. 3.

non

non ergo is eſt ſenſus Pauli, ſed qui expoſitus eſt.

Simile eſt exemplum, nam credentibus in Euangelio ſalus æterna promiſſa eſt, Ioan. 3. Vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam, multi verò credunt & damnantur; certum tamen eſt, verbum Domini non excidiſſe, nõ quia in multis eſt impletum, ſed quia re vera credentibus, qui damnantur, non eſt promiſſum; nec hi de numero ſunt eorum, quibus ſalus eſt promiſſa, nam promittitur ſalus credentibus, & vitam ſecundũ fidem & profeſſionem agentibus cũ perſeuerantia; ideo verbum in omnibus impletur, quibus eſt promiſſum. Ita nunc docet Paulus, non ſecundum carnem genitis ex Abrahã aut Iſaac eſſe benedictionem ſpiritualem, & ſalutem promiſſam in Abraham, ſed ijs, qui eum imitantur in viua fide; per quam filium promiſſionis ille conſecutus eſt, ſiue ſint ſecundum carnem geniti, ſiue non. & hoc Paulus docet Deum ſignificaſſe & docuiſſe in eo, quod filium ſecundum carnem repulit ab hæreditate temporali paterna, & elegit filium promiſſionis, quem Pater eius obtinuit per fidem.

Non ſolum autem illa, ſed & Rebecca ex vno concubitu habens, patris noſtri Iſaac.

Filios Abrahæ non ſecundum carnalem generationem, ſed ſecundum diuinam promiſſionem eſſe cenſendos in ſemine.

ALterum teſtimonium producit Paulus ad eandem veritatem confirmandam. In hoc autem teſtimonio magis apparet, nõ ſecundum carnalem generationem, ſed ſecundum promiſſionem & electionem Dei eſſe filios Abrahæ & Iſraelitas, in quibus benedictio eſt implenda, computandos. multa enim obijci poſſent à Iudæis contra primum teſtimonium. Vnum eſt, Iſaac & Iſmahelem non ex vna, ſed ex duabus matribus eſſe genitos; ideo vnum repulſum, alterum eſse filium liberæ, Iſmahelem autem filium ſeruæ; ideo hunc eſse repulſum, illum autem vocatum ad ſemen & hæreditatem. Tertium eſt, ſe eſse dicendos filios promiſſionis, & filios Dei electos, quia deſcendunt ex Iſaac filio electo & promiſſionis & libero. Hæc & plura repelluntur poſteriori hoc exemplo. Ecce enim Iacob & Eſau erant ex vna matre & patre, immo ex vno concubitu; erant enim gemelli; ambo ex libera; ambo ex Iſaac filio promiſſionis; & tamen Eſau repudiatur, Iacob recipitur: ergo filij Abrahæ non ſecundum carnalem generationem, ſed ſecundum diuinam promiſſionem & electionem ſunt in ſemen Abrahæ & Iſraelitas cenſendi. Alias etiam excuſationes tollit Paulus, quas in expoſitione ipſa verborum explicabimus.

Quantum autem ad ſuperiorem ſententiam pertinet, attende Paulum paucis vſum verbis, & ſententia imperfecta; quia hiſtoria erat notiſsima Iudæis, ad quos præcipue hæc dirigebantur, ſatiſq.

tuit

Digitized by Google

fuit Paulo, eam vno aut altero verbo inſinuaſſe. Senſus tamen perfectus iſte eſt. Non ſolum autem Abrahæ promiſſionis illud verbum dictum eſt (veniam, & erit Saræ filius) quod ſignificabat filios promiſsionis eſſe æſtimandos in ſemine: ſed etiam Rebecca ex vno patre noſtro Iſaac concipiens, & in vtero adhuc habens; ſupple; accepit diuinum verbum, quo hoc idem ſignificaretur, vt conſtaret, non ſecundum carnalem generationem, ſed ſecundum diuinam electionem eſſe recenſendos filios Abrahæ, quibus eſt ſalus, & benedictio promiſſa. meminit autem Rebeccæ, non autem Iſaac, ſicut ſuperius meminerat Abrahæ, quia Abrahæ dicta ſunt verba allegata (vocabitur tibi ſemen, & ſecundum hoc tempus veniam) quæ vero modo allegantur, dicta ſunt non Iſaac, ſed Rebeccæ. Cætera in annotatione require.

ANNOTATIO XVII.

SVnt aliqua adnotanda quantum ad verborum explicationem. Primum eſt, Græce non haberi particulam (illa) ſed abſolute (non ſolum) quod ad præterita refertur, nimirum, non ſolum Abrahæ dictum eſt, vocabitur tibi ſemen; & verbum illud promiſſionis; veniam, & erit Saræ filius, ſed etiam Rebecca accepit reſponſum diuinum: eſt enim vſitata hæc forma locutionis in Paulo, ſuperius cap. 5. non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus; & iterum; non ſolũ autem, ſed & gloriamur in Deo. ita nunc dicitur, non ſolum autem, ſed & Rebecca.

Rebecca quomodo ex vno cõcubitu duos habuit.

Rom. 5.

Secundũ eſt, recentiores aliquos exiſtimare eſſe corruptam dictionẽ ab impreſſoribus, loco enim (concubitu) legendum affirmant in caſu accuſandi, nempe (concubitum habens) Græce enim illud (ex vno) eſt maſculini generis, & concordat cum ſequenti (patris noſtri Iſaac) eſt enim vtrumq. in gignendi caſu, illud autem (concubitu) eſt fœminini generis, & in caſu accuſandi, ac ſi diceret, Rebecca vnius patris noſtri Iſaac concubitũ habens. Sed non exiſtimo ita eſſe dicendum. nã Irene. lib. 4. c. 38. Hiero. Malach. 1. Ambroſ. Auguſt. lib. 1. qq. ad Simplici. q. 2. & epiſt. 105. ad Sixtum. & Anſel. ita legunt, nec vllus textus inuenitur, in quo non ſic legatur; potius iudicarẽ, interpretem non verba, ſed ſenſum vertiſſe. putauit enim Paulũ ſignificare voluiſſe illis verbis, Rebeccam vno concubitu duos concepiſſe; ideo his verbis vſus eſt, & ſic exponit verba Græca Theodor. vno, inquit, tempore ambos concepit. idemq. ſenſus eſſe poſſet, ſi legeremus, concubitum habens, Græca enim vox κοίτης cubile, & concubitum ſignificat. mihi tamen accommodatior ſenſus viſus eſt, & qui ſequentibus cohæret, ſi exponamus concubitũ, ſeu cubile habens, ideſt concipiens, & adhuc in vtero retinens ſemen & conceptum: κοίτην enim appellat cõceptum, antequam oriatur, quaſi quod in cubili & lecto accepit: ſupponit autem Paulus hiſtoriam notam

Iren. *Hieron.* *Ambroſ.* *Auguſt.* *Anſel.*

Theodor.

Digitized by Google

Geneſ. 25. tam Geneſ. 25. vbi dicitur, dedit Deus conceptum Rebeccæ, qui cõceptus fuit duorũ, vt ibi dicitur, nã duos ſimul concepit. Et hoc eſt, quod nũc Paulus ſignificare voluit. Laborant autem aliqui, inquirentes, quid ſit ſupplendum; nam oratio imperfecta eſt. Irenęus autem loco citato mihi maxime placet in hac parte, qui ſic ſupplet, Rebecca accepit diuinum reſponſum. hoc conſonat antecedentibus, in quibus dictum eſt Abrahæ, accepiſſe verbum & reſponſum diuinum: conſonat etiam ſequentibus: nam dicitur, Dictum eſt ei. ſenſus ergo eſt. Rebeccæ adhuc in vtero habenti & concipienti ex Iſaac duos, dictum eſt, maior ſeruiet minori. Aliqui recentiores illud (ex vno) non ad Iſaac referunt, ſed ad Iacob, vt ſit ſenſus, Rebecca ex vno, nempe Iacob, non ex Eſau habuit promiſſionem, ſed expoſitio violenta videtur. Ambroſ. legit, ex vno concubitu habens Iſaac patrem noſtrum. ſed videtur ſcriptoris vitium loco (Iſaac patris noſtri.)

Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, maior ſeruiet minori.

EXponit Paulus, quod Rebeccæ dictum eſt, & adiungit aliqua, vt propoſito accommodet. Eſt autem obſcura verborum connexio, tamen conſtructio dilucida hæc eſt: cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, non ex operibus, ſed ex vocante, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, dictum eſt illi, nimirum Rebeccæ, maior ſeruiet minori. Senſus autem hic eſt. Prætulit Deus ex duobus fratribus vterinis minorem maiori; non ex operum merito aut demerito: cum enim nondum tunc nati eſſent, nihil mali aut boni egerant; nec ex natiuitatis dignitate; quia non maior minori, ſed minor maiori prælatus eſt; ſed ex voluntate Dei, qui ſemen Abrahæ vocauit, vt propoſitum eius, quod erat ſecundum electionem, ideſt, quo pro ſua voluntate, ſemen illis, quos, repulſis quibuſdam, elegerat, firmum maneret & ſtabile; nec accederet ſemini aliquis, quem ipſe non elegiſſet, nec excluderetur aliquis ab ipſo electus. Ideo ergo Eſau à poſteritate & hæreditate Abrahæ repellitur, quia non erat de numero eorum, quos Deus propoſuerat, & elegerat vocare Abrahæ in ſemen; præfertur autem Iacob, quamuis minor, quia erat de numero electorum à Deo in ſemen. Habes ergo ex hoc facto non carnalis generationis, ſed Dei electionis, & propoſiti in poſteritate Abrahæ acceptanda rationem haberi, cum ex vno Iſaac, in quo vocandum erat ſemen Abrahæ, duo ſunt nati, immo ex vno concubitu, &

Maior quare deberet ſeruire minori ex filijs Rebeccæ.

Eſau quare ab hæreditate Abrahæ repellitur.

Digitized by Google

tu, & tamen vnus reprobetur à poſteritate, & hæreditate Abrahæ, alter acceptetur; & hoc non propter opera, nec dignitatem perſonarum, cum hæc facta ſint, antequam nati eſſent, & minor ſit maiori prælatus. Hic eſt ſenſus. illa autem particula (enim) non præcedentium, vt multis viſum eſt, ſed ſequentium cauſam adfert, nempe, cur non ex operibus maiori ſit prælatus minor, nempe quia tunc nondum nati nihil boni, aut mali egerent. Teſtimonium hoc, maior ſeruiet minori, ſumptum eſt ex Geneſ. 25. in ſequentibus annotationibus hæc ſententia exactius dilucidabitur.

ANNOTATIO XVIII.

Deum Elegiſſe gentes nō ex operibus Eſau & Iacob ſed ex ſua gratia & voluntate.

ATtendendum eſt, Paulum hiſce verbis occurrere voluiſſe Iudæorum obiectioni. Dicere enim poterant; nos ſumus ex Abraham & Iſaac; nos habemus legē à Deo; gentes autem non ſunt ex Abrahā, nec legem habuerunt à Deo, immo idololatræ, & multis ſceleribus inuolutæ ſunt. Qua ergo ratione elegit Deus gentes, & per fidem vocauit poſteritatem? videtur iniquitas quædam. propter hoc Paulus ſtatuit, Deum non ex operibus Iacob & Eſau diſtinxiſſe, ſed pro ſua voluntate; vt in hoc ſignificet, etiam gratiam Dei, quæ gratis; non ex debito ſalutem attulit. Inquiret autem aliquis, cum dictum eſſet, antequam nati eſſent, quid opus fuit addere, aut boni aliquid aut mali egiſſent, cum ſatis id ſignificatum eſſet in eo, quod dictum erat, eos nondum eſſe natos? Reſpondeo, duplici de cauſa id adiectum eſſe; Vna eſt, quia vt ex hiſtoria conſtat, duo hi etiam in vtero exiſtentes, mutuo pugnabant; & in natiuitate vnus plantam alterius apprehendit: ne igitur ob huiuſmodi opera factam eſſe hanc diſtinctionem aliquis exiſtimaret, Paulus id remouens, docuit, nihil mali aut boni in illis fuiſſe operibus, vt propterea vnus alteri prælatus eſſet. Altera eſt, vt adnotaret Deum ſua voluntate diſtinxiſſe eos, non ex eorum meritis.

August.

Recte ex hoc loco Auguſt. lib. 2. de peccato originali contra Pelagium, & Cæleſti. cap. 31. collegit animas ante corpora non habuiſſe liberum arbitrium, nec bona aliqua, aut mala opera egiſſe, vt aliqui Platonici affirmarunt, ſed ſimul ſunt cum ipſo corpore. nec arbitrium liberum, antequam naſcantur, quantum ad actum habent.

Electionē & ſeparationem inter duos fratres eſſe factam nō ex præuiſis meritis ſiue operibus, ſed ex vocante.

Grauis autem dubitatio occurrit in hac Pauli ſententia. nam ad oſtendendum, non ex operibus, ſed ex vocante, electionem ſeu ſeparationem eſſe factam inter illos duos, verba ſua apponit dicens; cum nondum nati eſſent, aut aliquid boni, aut mali egiſſent, quaſi diceret, non ex operibus factum eſt, vt maior minori ſeruiret; quia cum nondum nati fuiſſent, talia opera habere non potuerunt. poſſet aliquis obijcere, quamuis tunc opera non habuerunt, tamen Deus

omnium

Digitized by Google

futurorum præſcius prænouit futura illorum opera diuerſa; ideo ex præuiſis operibus factum eſt, vt maior ſeruiret minori. illius enim opera mala, huius bona futura erant, ergo quod nondum tunc nati eſſent, aut boni aliquid vel mali egiſſent, non impedit, quominus ex operibus dictum ſit, maior ſeruiet minori. Quod ſi admittas ita eſſe, & ex præuiſis operibus eam fuiſſe diſtinctionem factam, talis aſſertio contradicet verbo ſequenti, nempe (ex vocante;) quod enim ex vocante eſt, non ex operibus eſt. Fateor eſſe grauem hanc difficultatem, quæ ſic mihi ſoluenda videtur; Illud enim verbum (maior ſeruiet minori) non fuit ſola prophetia eorum, qua futura erant, ſed etiam ad tempus præſens refertur: vt ſit ſenſus: ex nunc præfero maiori minorem, & vnum ſub alterius poteſtate facio, vt maior ſit minoris ſeruus; & ipſe cum ſua poſteritate ſeruiat minori, & eius poſteritati; in hoc ſenſu, ecce vnus alteri de facto præfertur, vbi opera non ſunt. Si autem ad futurum tantum tempus verba referrentur, tunc procederet obiectio. nam diceret aliquis; propter futura opera, prædicta eſt futura diſtinctio, at cum de præſenti ſit etiam, quia antequam operarentur, etiam maior minori ſeruit, quia ſub eo collocatur, & ex tunc in ſemen Abrahæ, & Iſaac, ac illius hereditatem recipitur, conſtat, non ex operibus, ſed ex vocante id eſſe factum. Adhuc in hac ſententia ſuperſunt aliæ difficultates, quas in ſequentibus annotationibus require.

ANNOTATIO XIX.

Propoſitũ Dei ſecũdum electionem quid ſit.

Theodor.

GRauior difficultas eſt in examinando & exponendo, quod ſit hoc propoſitum Dei ſecundum electionem. De quo Doctores non idẽ ſenſerunt. Primo loco Theodoret. hoc propoſitum exponit hominum voluntates à Deo præuiſas; electionem autem, diuinam electionem, qua quoſdam probat, quoſdam reprobat iuxta ipſorum varia propoſita præuiſa. dicitur ergo propoſitum ſecundum electionem, ac ſi dictum eſſet, hominum propoſita & voluntates à Deo præuiſa, propter quæ electio Dei iuſta eſt; dignos enim acceptat, indignos reijcit, etiam antequam operentur. Hæc expoſitio non poteſt accommodari verbis, immo eſt ipſis contraria. nam dicitur, vt propoſitum Dei maneret, non ergo ad hominum propoſita, ſed ad ipſius Dei conſilium, & voluntatem referendum eſt. & ita Chryſoſt. & Photius apud Oecumen. & Ambroſ. & cæteri antiqui interpretantur.

Chryſoſt. Photh. Ambroſ.

Secundo igitur loco Chryſoſt. & Photius, & Ambroſ. hoc propoſitum Dei, decretum, & voluntatem, quibus Iacob acceptauit, & Eſau reiecit, exponunt, ſimiliter quoſdam homines ſaluare, quoſdam à ſalute repellere decreuit: verbum tamen (ſecundum electionem) ſic declarant, hoc propoſitum & decretum Dei eſſe ſecundum electionem, quæ electio ſupponit præſcientiam diuerſarum voluntatum hominum, antequam ſint. præuidens enim Deus quorundam bonas

nas, quorundam malas voluntates, elegit quoſdam, alios repulit. ideo propoſitum hoc Dei, quo ſaluare decreuit, & aliquos probauit, eſſe dicitur ſecundum electionem. Conuenit quidem hæc expoſitio cum priori in doctrina, in verborum tamen declaratione diſcordat. Exiſtimant enim doctores, non poſſe eſſe electionem ſine aliqua diſtinctione in electis. niſi enim aliqui diſſimiles alijs futuri præuiſi fuiſſent, non poſſet eſſe electio inter eos, vt aliqui probarentur, alij repellerentur: & ita affirmant Iacob electum, non autem Eſau, non quidem ex operibus, ſed ex vocante Deo, præuidente malam vnius voluntatis affectionem, bonam verò alterius: propter quas vnus dilectus, alter odio habitus eſt.

Auguſt. Tertio loco Auguſtinus lib. 1. ad Simplician. q. 2. conſentit explicationi verborum factæ, nimirum propoſitum ſecundum electionem dici, quo proponitur, & decernitur aliquid, quod ex electione fit. Fatetur ergo, electionem fieri non poſſe inter multos, niſi aliqua diſtinctio præuiſa ſit in ipſis futura; tamen quia Auguſtinus ipſe in doctrina diſſentit à prædictis doctoribus, & tenet, Deum ex nullis prę uiſis non ſolum operibus, ſed nec ex bonis voluntatibus, aut hominum propoſitis, aut ex eorum futura fide, ſiue conſenſu ad fidem, vt ſupra diximus in capitæ octauo, ſed ex ſua mera, & ſimplici voluntate aliquos ſaluare voluiſſe, non alios, & Iacob dilexiſſe, non Eſau, ideo prædicta verba connectit ad antecedentia in hunc ſenſum contrarium illorum doctorum ſenſui; nempè; cum nondum nati eſſent, aut boni aliquid, aut mali egiſſent, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, quaſi diceret, ſi nati eſſent, & boni aliquid aut mali egiſſent, propoſitum Dei ſecundum electionem manſiſſet; ideſt, eſſet ſecundum præuiſam eorum diſtinctionem futuram; ideo ergo antequam nati eſſent, & boni aliquid, aut mali egiſſent, dictum eſt: maior ſeruiet minori, ne propoſitum Dei ſecundum electionem eſſet. Hæc eſt Auguſtini expoſitio.

Auctor. In hac parte mihi aliqua videntur reſpondenda. Primum eſt, propoſitum hoc non eſſe hominum voluntates præuiſas, ſed ipſum conſilium, & voluntatis diuinæ decretum, quo decreuit, quod faciendum poſtea erat, & in hoc conſentio cum communi expoſitione, & textus ipſe aliam interpretationem non admittit.

Alterum eſt, non eſſe neceſſarium ad electionem, vt diſtinctio præcedat, aut præcognoſcatur in electis. Hoc eſt contra ſententias prædictorum Doctorum. quorum doctrinam in hac parte non probo: nam in agentibus liberis, & maxime in Deo electio fieri poteſt inter duo omnino æqualia, ex ipſa voluntate libera, quæ vnum acceptat, alterum renuit, quia vult. Certum enim eſt, Deum quàm plurimos mundos creare potuiſſe. cur autem hunc, non alium creare voluerit, nulla eſt ex parte ipſorum ratio, ſed ex ſola diuina voluntate, quia ſic voluit. Ecce electio, qua vnus creandus, alij non creandi acceptantur; & tamen ex ſola eſt diuina voluntate. Potuit etiam facere æquales alios ſoles, ſtellas, cœlos, animalia, omni æqualitate ſeruata, & tamen non voluit: ne-

gari

gari ergo non poteſt, electionem ſtare poſſe, nulla diſtinctione ex parte electorum poſita. Ita ergo quamuis Iacob acceptauerit in ſemen & hereditatem Abrahæ, non autem Eſau, etiam nulla eorum præuiſa diſtinctione; & quamuis ſaluare aliquos, non alios, nulla inter eos præuiſa differentia, potuit eſſe electio ex ſola libera Dei voluntate. quod Auguſt. Epiſt. 105. ad Sixtum docuit & affirmauit.

Hinc ſequitur tertium, connexionem Auguſtini non eſſe neceſſariam. Timens enim, ne, ſi propoſitum Dei ſecundum electionem diceretur, conſequeretur ipſum eſſe ex præuiſa diſtinctione ex parte hominum, coactus eſt verbum hoc connectere præcedentibus in eum ſenſum, quem expoſuimus: tamen id non conſequitur, vt probatum iam eſt.

Quartum eſt, connexionem Auguſtini, & ſenſum eſſe violentum, nec ad mentem Pauli; illud enim verbum (maneret) ideſt, ſtabile, & firmum propoſitum Dei eſſet, non poteſt accommodari connexioni, & expoſitioni Auguſtini, vt facile intuenti conſtabit. ideo ipſe Epiſtol. 105. in ſententiam oppoſitam ſe conuertit, quam nos ſequimur. Vera connexio autem & ſenſus hæc ſunt; vt propoſitum Dei, quo decreuit Abrahæ ſemen dare, & hoc ſecundum electionem, non enim omnes, qui ex eo carnaliter propagandi erant, in ſemen acceptare voluit; repulit enim Iſmael; & in Iſaac etiam reiecit Eſau, quia non erat de numero eorum, quos propoſuerat vocare in ſemen; vt ergo propoſitum hoc electiuum maneret, & firmum eſſet, Iacob acceptauit, non Eſau, & hoc ſignificat verbum illud (vocante;) refertur enim ad id, quod ſuperius dixerat, in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Ab eo ergo, qui vocauerat ſemen Abrahæ, & propoſuerat vocare non omnes, vt tale propoſitum ſtabile & firmum permaneret, dictum eſt, maior ſeruiet minori.

Auguſt.

Verbum illud (ex vocante) quid denotet.

Quintum eſt, doctrinam, & expoſitionem Chryſoſt. & cæterorum non poſſe accommodari verbis Pauli, & in hac parte recte & legitime loquitur Auguſtinus. nam ſi ex præuiſis bonis & malis voluntatibus Iacob & Eſau electio facta eſt, & dictum eſt, maior ſeruiet minori, non recte colligit Paulus, non ex operibus, ſed ex vocante; non enim ſequitur, non ex operibus, ideſt, non propter opera prælatus eſt minor maiori, ergo propter vocantem. nam dici poterat, quamuis non ex operibus facta ſit diſtinctio, ſuperſunt vnius bona, alterius mala voluntas: & propter has præuiſas, non ex vocante dictum eſt, maior ſeruiet minori. Oportet ergo in verbo (non ex operibus) intelligere & opera, & voluntates, & affectus eorum; tunc enim rectum eſt antithetum verbi (non ex operibus) illud, (ſed ex vocante.) quod ſi dicas excludi opera, quia nondum tunc erant, reſpondebo, etiam excludi voluntates bonas aut malas, quia nec tunc etiam erant. Si autem iterum dicas, præuiſas eſſe voluntates, iterum reſpondebo, etiam præuiſa opera fuiſſe. Qua ergo ratione vnum, eadem alterum excludendum eſt; aut ſi ex præuiſis voluntatibus facta eſt diſtinctio, etiam erit ex præuiſis operibus. Hoc autem dici nulla ratione poteſt: tunc enim corrue-

Chryſoſt.

corrueret tota ſententia Pauli, nempe de nondum natis, aut boni aliquid, vel mali agentibus dictum eſſe: non ex operibus, ſed ex vocante, maior ſeruiet minori, vt propoſitum Dei maneret; poſſet enim dici, etiam ſi nati eſſent, & opera feciſſent, & ex operibus dictum eſſet, propoſitum Dei manebat. vere ergo Paulus intendit hanc ſeparationem factam ex electione diuinæ voluntatis, nulla diſtinctione in ipſis præuiſa, quæ cauſa eſſet, cur maior alteri ſeruiret. Et vt hoc ſignificaret, Deus inter duos ex eodem Patre, & Matre natos, immo ſimul cōceptos, & ambos ex Abraham per Iſaac deſcendentes, & adhuc in vtero exiſtentes, ſeparationem, & diſtinctionem hanc fecit. idq. ſequens ſententia confirmat. Quid, inquit, dicemus, nūquid iniquitas eſt apud Deum? Si Pauli ſenſus in præcedenti ſententia fuiſſet, ex præuiſa bona voluntate Iacob, & mala voluntate Eſau factā fuiſſe diſtinctionē, & prælationē inter eos, vtique non erat, cur obijceret ſibi: nunquid iniquitas eſt apud Deum? cum non eſſet, vnde ea apparere poſſet. Obiectio ergo talis indicat, & demonſtrat, in ſuperiori ſententia ſignificatum aliquid, ex quo videri alicui poterat iniuſtitia; quod non alia de cauſa eſt, niſi quia inter Iacob, & Eſau facta eſt ſeparatio ex ſola voluntate, & beneplacito Dei; non ex operibus, aut ex voluntatibus eorum, aut exiſtentibus, aut præuiſis. An tamē ex hac ſententia ſic expoſita ſequatur doctrina Auguſtini de prædeſtinatis ex ſola diuina voluntate, in annotatione xxi. examinabitur.

Sicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau odio habui.

ALlegat Paulus teſtimonium Malachiæ 1. qui longo poſt tempore fuit ab Eſau, & Iacob, tum vt confirmet, impletum eſſe, quod prædictum fuit antequam illi naſcerentur, nimirum maior ſeruiet minori, tum etiam vt explicet, & exponat ſenſum illorum verborum, maior, inquit, ſeruiet minori, ſicut factum fuiſſe habemus in Propheta longo tempore poſt illos exiſtente, & dicente, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Non ad ſolas perſonas ipſas, ſed etiam ad poſteritatem earum hæc verba referuntur. Ex Eſau enim fuit Idumæorum populus, ex Iacob autem populus Iudæorum: dicitur autem Eſau ſeruiſſe Iacob, quia populus illius fuit ſubditus populo Iudæorum: terra autem promiſſionis, quæ erat terra Chanaam fertilis, & abundans, hæreditas erat Abrahæ, non Idumæis, ſed Iudæis ex Iacob data eſt. Idumæis autem, & poſteris Eſau loca ſaxoſa, & ſterilia, vt habetur Malach. 1. ideo dicitur Deus Eſau odio habuiſſe, Iacob autem dilexiſſe; & eum illi antepoſuiſſe. Omnia enim, quæ Paulus in hac collatione, & cōparatione narrat, ad temporalia pertinent, quantum ad literam; vt per ea probet, quæ ſpiritualia ſunt; nempe filios, & poſteritatem Abrahæ, in quibus be-

Eſau quare dicitur ſeruiſſe Iacob.

Malac. 1

Digitized by Google

nedictio, & ſalus per Euangelium futura promiſſa eſt, non ſecundum carnalem Abrahæ generationem, ſed ſecundum diuinam electionem eſſe accipiendam; quæ omnia in ſequentibus annotationibus explanantur.

ANNOTATIO XX.

Hieromy.

Maior ſeruiet minori, quomodo intelligitur.

HIeronymus Malach. 1. illud verbum (ſicut ſcriptum eſt) refert ad librum Geneſis, vnde allatum eſt teſtimoniũ præcedens (maior ſeruiet minori) & ad librum Malachię, ex quo ſequens profertur teſtimonium, ſed non videtur accõmodata expoſitio hæc; cum, ſi verborum contextum obſeruamus, ad librum Malachiæ referatur; illud enim (dictum eſt) ad Geneſis librũ refertur, dictum eſt nempe in libro Geneſis à Deo, maior ſeruiet minori: ad exponendum autem, & confirmãdum hoc teſtimonium, adiunxit, ſicut ſcriptum eſt, nempe in libro Malachiæ, Iacob dilexi, Eſau odio habui: niſi velis Hieronymum ſic interpretari, nempe, referri ad librũ Geneſis illud verbum (ſicut ſcriptũ eſt) quia teſtimonium ſequens ſcriptum in libro Malachiæ, productũ eſt ad exponendum teſtimonium ex libro Geneſis. Hoc tamen recte adnotat Hieronymus; teſtimoniũ Prophetæ non ad perſonas Eſau, & Iacob ſolas referendum, ſed ad poſteritatem etiam eorum; & hoc ipſum dicendum eſt de teſtimonio Geneſis. Quod quidem conſtat ex ipſis verbis Scripturæ; nam Geneſ. 25. dicitur. Duo populi ex ventre tuo diuidentur, populuſque populũ ſuperabit, & maior ſeruiet minori. Ad populum ergo, & poſteritatem verba referenda ſunt. hoc etiam conſtat ex ſubiunctis verbis Malachię, vt recte Hieronymus exponit, non ſolum ergo Eſau ſeruire dicitur Iacob, quia primogenitura ad Iacob peruenit, & factus eſt Eſau ſub Iacob, ſed poſteritas etiam eius ſeruiuit, quia ſub Iudæorum poteſtate Idumæi fuerunt. Eſau etiam odio habitus eſt, quia pars, & hæreditas pręcipua Iſaac, & Abrahæ ad Iacob & poſteritatem eius tranſlata fuit, vt in commentario diximus. Hoc adnotaſſe iuuat, ad intelligentiam eorum, quæ in proximis annotationibus dicenda ſunt.

Geneſ. 25.

ANNOTATIO XXI.

Hieron.

Deus quomodo intelligitur dilexiſſe Iacob, & odiſſe Eſau.

ATtendendum maxime eſt, pro recta, & legitima intelligentia huius loci Pauli, quẽ in hac epiſtola præcipuam habere difficultatem affirmat Hier. epiſt. ad Hedib. q. 10. duo hæc teſtimonia, nẽpe (maior ſeruiet minori) & (Eſau odio habui, Iacob dilexi) ad literam intelligenda eſſe de temporali hæreditate Abrahę, quæ non Eſau, nec eius poſteritati, ſed Iacob data eſt; de ſeruitute etiam tẽporali, ac bonis huius ſæculi, in quibus poſteritas Iacob poſteritati Eſau prælata eſt. Atq; in hoc ſenſu loquitur Paulus, dicens: non ex operibus Iacob prælatum Eſau fratri maiori, nec hunc ab hæreditate excluſum, illum vero ad

miſſum,

Digitized by Google

miſſum, ſed ex Dei voluntaria electione. Quo etiã modo teſtimoniũ ſuperius de Abraham (in Iſaac vocabitur tibi ſemen) & (ſecundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius) ad literam de repulſa Iſmael ab hæreditate, & acceptatione Iſaac intelliguntur. Dicitur autem Deus odiſſe Eſau, quia ab hæreditatẽ Abrahæ eum repulit, ac ſolum Iacob in illius ſemen computauit, maioribuſq; beneficijs huius poſteritatem affecit, vt conſtat ex Malach. 1. Hæc autem omnia aliud præcipuũ ſignificabant, nempe poſteritatẽ ſpiritualẽ, quã Deus vocauit Abrahæ per fidẽ Chriſti Saluatoris, in quo tali poſteritati hæreditas lõge maior ſpiritualis dãda erat, & in huiuſmodi ſenſũ à Paulo teſtimonia prædicta allegãtur, vt Paulo etiã inferi⁹ in hac eadẽ annotat. exponemus.

Attendendum rurſus eſt, his duobus teſtimonijs Paulum id velle probare, & ſtatuere, nempe haſce promiſſiones, & benedictiones per Chriſtum futuras, non eſſe implendas in Abrahæ ſemine ſecundum carnem, ſed ſecundum modum electum à Deo pro ſua voluntate, nempe fidem; & non ſolum in Iudæis, ſed etiam in gentibus; quam poteſtatẽ Deus dedit, & promiſit Abrahæ; quia voluit, & ſibi ita placuit, nõ ob merita aliqua eligendorum. Nec etiam repulit carnalem generationem ob demerita, ſed quia ipſe voluit eligere generationem, & poſteritatem aliam. Si ergo dicat Iudæus, quare noluit Deus ſuas promiſſiones gratiæ implere in ſemine ſecundum carnem? reſpondendum eſt, quia voluit, & id ſibi placuit; quare etiam ſemen elegit non carnale, ſed ſecundum fidem? iterum reſpondendum, quia voluit; nec enim propter demerita, nec propter merita hominum noluit carnalem poſteritatem in ſemen reputare, & quæ eſt ſecundum fidem tam in Iudæis, quam in gentibus acceptare, ſed quia voluit; ſicut Eſau ab hæreditate auita repulit, & Iacob elegit, quia voluit, & per eos hoc ipſũ, quod futurum erat, de poſteritate ſpirituali ſignificauit. Hoc ergo teſtimonio Iacob, & Eſau ſignificatũ eſt, poſteritatem Abrahæ, cui promiſſio per Chriſtum ſalutis, & benedictionis facta eſt, nõ eſſe ſecundum carnem accipiendã, ſed modo quodam à Deo inſtituto, nempe per fidem; & ad eam poſteritatem pertinere non ſolos Iudæos, ſed etiam gentes credituras, & ab ea repellendos incredulos, etiam ſi carnaliter ab Iſaac, & Abraham, & Iacob deſcenderint; & hoc quia ita voluit Deus, non propter merita, neq. demerita. Cur autem hi credant, illi vero non, & cur non omnibus fides annuncietur, curq; inter credentes hi ſalutem, non illi cõſequantur, deniq; cur ab æterno hos ad æternam ſalutem prædeſtinauerit, non illos, nos in præſenti diſcutere nolumus, maxime cum alijs in locis copioſe omnia hæc tractauerimus.

Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? abſit.

HAEc eſt tertia capitis pars, in qua Dei iuſtitiam tuetur in hac Iudæorum carnalium repulſa. Hactenus enim veritatem comprobauit, mendacem in ſuo verbo non fuiſſe oſtendens; ſenſus autem eſt, inferemus ne ex prædicto facto, & dicemus, ſi non

ex operibus Iacob dilexit, Eſau autem odio habuit, maiorq; ſeruiuit minori, ergo iniuſtus eſt Deus ? abſit, inquit Paulus, ideſt, nulla ratione audeat aliquis id inferre, nec Deum iniuſtitiæ arguere; quamuis pro ſua voluntate, non ex meritis, aut demeritis Iacob elegerit, Eſau vero repulerit, ac maior fuerit ſub minori (abſit) negatio eſt cum acrimonia, quaſi deteſtabile, & impium ſit, id affirmare. (ergo) conſequentiam indicat ex præcedentibus, vt expoſitum eſt; nimirum, dicemus, & deducemus ſic; non ex operibus Iacob dilexit, & Eſau odio habuit, ergo iniquitas, & iniuſtitia eſt apud Deũ; ſtatim deductionem negat, & abominatur, dicens. Abſit; eſt enim frequens Paulus in hoc genere locutionis, quæ per interrogationes ſit.

Moyſi enim dixit, miſerebor, cuius miſerebor; miſericordiam praeſtabo, cuius miſerebor.

TEſtimonio Moyſis, cuius auctoritas apud Iudæos magna erat, probat, nõ eſſe iniuſtitiam vllam apud Deum in eo, quod propria voluntate, & non ex operibus Iacob elegerit, & Eſau reiecerit, ſimiliterque, quod carnalem generationem à promiſsione excluſerit; admiſerit autem credentes tam ex Iudæis, quàm ex gentibus. Senſus igitur eſt; abſit, iniuſtitiam vllam eſſe apud Deum. Nam Moyſes ipſe Deum ita loquentem inducit; miſerebor, ideſt, afficiam beneficijs, cuius miſerebor, ideſt, quem afficere voluero; & miſericordiam præſtabo, ideſt, liberabo à miſerijs, cuius miſerebor, ideſt, quem voluero liberare. Ecce Moyſes ipſe Deum pro ſua voluntate affirmat miſereri, & benefacere, hos ad miſericordiam, & clementiam, non autem illos recipiendo; & tamen iniuſtus nõ eſt;
Exod.33. ita & nunc ſentiendũ eſt. Teſtimoniũ eſt ſumptũ ex Exod. 33. Inſinuat Paulus his verbis, vbi debitũ non eſt, iniuſtitiam nõ eſſe; Deus autem nemini debet, omneq. bonum ex diuina miſericordia procedit, & gratia; quod enim hic diues, ille pauper; hic Dominus, ille ſeruus, & huiuſmodi alia fiant, iniuſtitia nulla eſt. eodẽ modo peccata remittere, gratiã præſtare, ſalutis benedictionẽ impertire, gratia, & miſericordia omnino eſt, nemini debita, etiamſi peccatũ nullũ eſſet; nõ ergo iniuriam facit Deus, ſi ad gratiã hanc, & ſalutẽ hominibus, & peccatoribus indebitã, & Abrahæ promiſſam vocat, non per carnalẽ generationem, ſed per fidẽ; & admittit nõ ſolos Iudæos, ſed etiã gẽtes, ac repellit incredulos, acceptatq. credẽtes; miſericordiæ

enim

Digitized by Google

enim opus eſt hoc, non iuſtitiæ; ideo iniquitas nulla eſt in carnalium Iudæorum repulſa, & credentium acceptatione; quod enim ex gratia eſt, pro dantis voluntate menſuratur, ſine vlla iniuſtitia. In annotatione hoc magis explicabitur.

ANNOTATIO XXII.

Miſerebor cui miſerebor quomodo intelligatur, & an referatur ad voluntatem Dei meram, & abſolutam.

ALiqua ſunt erga ſuperiorem ſententiam adnotanda. Primum eſt, in Hebræo duo eſſe verba, ſicut & in Græco ſermone, ac ſi Latine diceremus, miſerebor, cuius miſerebor; & miſerabor, quem miſerabor. prius verbum eſt חנן, quod gratia ac fauore proſequi ſignificat: poſterius eſt רחם, quod miſereri Latine dicimus; vt vtrumque ſignificaretur, nimirum donare, & bona conferre, atq. à malis, & miſerijs liberare; vtrumq. enim gratia eſt Dei, & ex voluntate eius, non ex debito procedit. Sunt autem in Hebręo verba futuri, quamuis Græce ſit vnum præſentis, alterum futuri, nempe miſerebor, cuius miſerebor.

Alterum eſt, hãc geminationem; miſerebor, cuius miſerebor, & miſericordiam præſtabo, cuius miſerebor, phraſim eſſe Hebræam idem ſignificantem, ac ſi Latine diceretur; miſerebor, cuius miſereri voluero. & ita Hieronym. in ſua verſione Exod. 33. eſt interpretatus, & hic ſenſus accommodatur contextui, & menti Pauli in præſenti. Vnde expoſitio Anſelmi non videtur apta; inquit enim, miſerebor, vt credat; cuius miſerebor, vt vocem; ſeu miſerebor, vt operetur, cuius miſerebor, vt credat; ſeu clarioribus verbis, quem per miſericordiam vocabo, per miſericordiam faciam, vt credat; & quem per miſericordiam vocaui ad fidem, per miſericordiã faciam, vt recte operetur. Vera eſt doctrina, ſed phraſis non facit hunc ſenſum; ſed, miſerebor, cuius miſereri voluero, aut cuius miſereri voluntate mea decreui, iuxta illud 2. Reg. 15. eo, quo iturus ſum, ideſt, quo ire decreui.

Hieron. *Anſel.* *2. Reg. 15*

Tertium eſt, Origenem, hæc verba, & ſequentia vſq. ad illa (ò homo tu quis es?) exiſtimare citata eſſe à Paulo, non in perſona ſua, ſed in perſona contradictoris: Hieron. autem epiſt. ad Hedib. q. 10. eadẽ verba affirmat propoſita à Paulo, tamquam quæſtionem quandam conſertam ex teſtimonijs Scripturarum occaſione illius dicti: non ex operibus Iacob dilexi, Eſau odio habui. Sed particula illa cauſalis (enim) non admittit has expoſitiones; reddit enim hæc ſententia cauſam, & probationem præcedentis. nimirũ abſit, iniquitatem eſſe apud Deum ex eo, quod Iacob dilexit, Eſau autem odio habuit, non ex operibus, ſed ex vocãte. Cauſa autẽ, & probatio eſt ſumpta ex teſtimonio Moyſis, qui ſimile de Deo retulit, nec tamen Moyſes propterea Deum iniuſtitiæ vllius arguit. Sic nimirum in perſona Pauli hanc ſententiam interpretantur reliqui interpretes.

Orig. *Hierony.*

Quartum eſt: hanc ſententiam, & teſtimonium etiam in perſona Pauli dictum non eodem modo interpretari Doctores: Chryſoſtomus quidem affirmat, hoc teſtimonium à Paulo in hunc ſenſum eſſe adductum; vt probet, non eſſe noſtrũ quęrere occultas cauſas, & Deo ſoli cognitas, cur Iacob dilexerit,

Chryſoſt.

Eſau autem reiecerit, curq; vnum eligat, alterum reprobet; probat autem ſic, quia Deus hoc idem Moyſi reſpondit; peccauerāt enim Iudæi adorantes vitulum, & communi exiſtente peccato, quorundā eſt miſertus, quorundam vero non, nam multos puniuit morte, Moyſi dicens: miſerebor, cuius miſerebor, ideſt, ò Moyſes, tuum non eſt ſcire occultas cauſas, & qui miſericordia mea digni fuerint, qui vero non. Chryſoſtomus enim ſic exponens perſeuerat in ſua opinione, exiſtimans, Deum vnum eligere, alterum non, ex eo, quod præuidit in vno aliquid boni, quod non in alio. Non eſt etiam diſſimilis interpretatio Hieronymi in preſenti; interpretatur enim ſic; miſerebor, cuius miſerebor, ideſt, illius, quem per meā præſcientiam nouero promereri debere miſericordiam; Auguſtinus autem, & qui eius ſequuntur doctrinam, ad ſolam voluntatem Dei referunt. Et re vera hæc expoſitio legitima eſt. Expoſitio vero Chryſoſtomi, nec quantum ad contextum, nec quantum ad doctrinam accommodari poteſt verbis Pauli. non quidem quantū ad contextum; nam particula illa (enim) cauſam reddit, cur iniquitas non ſit apud Deum ex voluntaria electione Iacob, & repulſa Eſau; cauſa autem non eſſet, ſi Chryſoſtomi expoſitionem ſequeremur. Quantum ad doctrinam autem, quia tūc non erat vlla difficultas, nec locus vlli dabatur obiectioni, ſi Paulus vellet docere cauſas eſſe ex parte hominum diuinæ electionis; nobis tamen ignotas, nemo enim ex hoc obijceret, ergo iniquitas eſt apud Deum. Præterea, quæ ſequuntur, huic expoſitioni non conſonant.

Hieron. *Auguſt.* *Chryſoſt.*

Author. Exiſtimo ergo, legitimum ſenſum eſſe, vt hæc ad diuinam voluntatem referantur. pro cuius rei explicatione, ſit Quinto adnotandum, nempe verba citata ex Exod. non eſſe intelligenda de temporali punitione, qua non omnes, qui peccauerunt in adoratione vituli, Deus puniuit, quamuis omnes digni eſſent punitione; ſed quos pro ſua voluntate punire voluit; alijs vero pepercit, prout voluit, neq; in eo vlla interfuit iniuſtitia, aut iniquitas. Sic exponunt Chryſ. & Theodor. ſed ſi ita teſtimonium intelligeretur, non eſſet accommodata probatio præcedentis ſententiæ; diceret enim Iudæus; illi adoratores peccauerunt, & digni morte fuerunt; ideo non fuit iniuſtitia punire multos; remittere autem, gratia aperta fuit: at tu ò Paule dixiſti, non ex operibus, & antequam quicquam mali aut boni egiſſent, vnum dilexit, alterum odio habuit. Huic non videtur ſimile eſſe, quod ex Moyſe relatum eſt. Dico ergo, verbum Exod. abſolute intelligendum, vt ex ipſo contextu patet; Deus enim his bona, illis mala temporalia infert, prout vult, immo ſignificabat Deus hiſce verbis futuram gētium vocationem per fidem, & Iudæorū carnalium repulſam. Hac ratione hoc teſtimonium accommodatur electioni, & reiectioni Iacob, & Eſau ad temporalem hæreditatem Abrahæ, vti expoſitum eſt, & vtrūque electioni populorum credentium, & repulſæ carnalis poſteritatis, quod ex ſola Dei voluntate factū eſt; voluit enim Deus credentibus ſiue ex Iudæis, ſiue ex gentibus ſalutem dare, & poſteritatem Abrahæ per fidem ſaluare, non per carnalem generationem; huius autem

Maior quod ſeruiet minori, non de temporali tantum hereditate, ſed ſpirituali intelligēdum.

Digitized by Google

cauſa non alia eſt, niſi diuina voluntas, quia ſic placuit ei; cum enim ſalus nemini eſſet debita, potuit, pro vt voluit, eam in fide collocare, ſicut poterat in carnali generatione; potuitq. vocare ad eam gentes, ſicut ad hæreditatem temporalem Abrahæ vocauit Iudæos carnales. Poſita autem hac diuina voluntate, ſi quis quærat, cur hunc ſaluat, illum verò non, cur hic ad fidem, ille non vocatur, ad prædeſtinationem particularem pertinet, de qua Paulus non loquitur in præſenti, nec eius ſententiæ ad vnam, aut alteram partem trahi poſſunt.

Igitur non volentis, neq. currentis, ſed miſerentis eſt Dei.

INfert ex citato teſtimonio Moyſis intentum ſuum. Senſus eſt, ſi Deus miſeretur, & fauore proſequitur, prout vult, igitur non ex operibus, ſed ex Deo eſt, quod vnus à malo liberetur, alter non; & quòd vnus fauorem obtineat à Deo, alter non. Paulus non ſoluit difficultates, ſed teſtimonijs vtitur Scripturæ; cum enim difficultatem, & quæſtionem de Dei iuſtitia ex electione, & repulſa duorum fratrum excitaſſet, non aliter eam ſoluit, quàm Scripturam adferendo, per quam conſtat, Deum pro ſua voluntate diſtinguere inter homines. Non enim Iudæus audebit vnquam negare veritatem Scripturarum, nec propter ea, quæ in eis continentur, arguere Deum iniuſtitiæ: ac ſi diceret, ò Iudæe ne putes, nec affirmes me Deum facere iniuſtum, quando doceo, non ex operibus, ſed ſecundum propoſitum ſuum elegiſſe Iacob, repuliſſe autem Eſau, nam Scripturæ ipſæ, quas tu confiteris, ſimilia prædicant de Deo. Nam Paulus humanas rationes, aut ſolutiones non quærit, ſed fidem, quoniam agit cum fidelibus, & fidem ſtatuere intendit. Attende autem quantum ad verba ſpectat, Paulum alludere ad factum Iacob Geneſ. 27. quando obtinuit benedictionem; dixit enim ei mater eius: pergens ad gregem affer mihi hædum; & ille pergens abijt, & attulit, antequam reuerſus eſſet Eſau de venatione. Poſſet alicui videri, propter hanc diligentiam obtinuiſſe benedictionem. dicit ergo Paulus, non eſt volentis, neque currentis, ideſt, non propter voluntatem, nec propter diligentiam Iacob, nimirum, quia volens, & currens cito attulit hædum, benedictionem eſt conſecutus, ſed quia Deus ita voluit, & miſertus eſt eius, non autem Eſau.

Quomodo non ex operibus, ſed ſecundum propoſitum.

Geneſ. 27

ANNOTATIO XXIII.

Origen. Hieron. ORigen. & Hieron.epiſt.ad Hedibi.q.10. vt in ſuperiori annotatione meminimus, hæc verba in perſona contradicentis, aut per modum obiectionis à Paulo prolata cenſent, contextus tamen ratio eam expoſitionem nō facile admittit. *Anaſt.* Anaſtaſius quæſt.59. dictū cenſet propter Eſau, non volentis eſt, neque currentis; voluit enim accipere patris benedictionem, & cucurrit in campum ad venandum, vt cum comediſſet pater, benediceret ei, at Deus Iacob miſertus eſt. *Chryſoſt. Theodor.* Chryſoſt. & Theodor. in perſona ſua Paulum hęc loquentē inducunt; ſed quaſi volentem nō ſoluere quæſtionem propoſitam, ſed potius augere. Mihi tamen accommodata expoſitio viſa eſt; ſi dicamus, Paulum ſoluere quæſtionem; nimirum iniuſtitiam nō eſſe apud Deum, eo, quod Iacob elegerit; ita tamen ſoluere, vt non rationibus agat, ſed Scripturis; ac ſi diceret: Deus dicit, miſerebor, cuius voluero miſereri, ſequitur ergo nō ex operibus, ſed ex Dei voluntate eſſe, vt vnus bonum conſequatur, non alter: nec eſſe volentis, neq. currentis, ſed Dei miſerentis; & tamen nemo dicet Iudæorum, propter hoc iniuſtum eſſe Deum. Sunt enim verba hæc deducta ex teſtimonio Moyſis; illo enim tempore Iudæi maiorem fidem dabant Moyſi, quàm Paulo; ideo Scriptura, & teſtimonio Moyſis ſuam confirmat doctrinam.

Aug. Epiſt. 105. ad prędeſtinationem ſingulorum hæc accommodat verba, quæ non ex operum præuiſione, ſed ex ſola Dei voluntate eſt; Photius apud Oecumē. etiā de prædeſtinatione exponens; & huius nō ſolam diuinam voluntatem, ſed etiā hominis voluntatem, cum alijs Gręcis exiſtimans, exponit hæc verba ſic: non eſt volentis, neque currentis tantum, ſed etiam Dei miſerentis; quæ expoſitio non poteſt accōmodari. nam dictum eſt; non ex operibus; & antequam quicquam boni, aut mali egiſſent. Mihi autem videtur Pauli intentum eſſe, agerę de vocatione populi credentium. Quòd enim Iudæi carnales reijcerentur, & populus ex Iudæis, & gentibus per fidem in poſteritatem Abrahæ reciperetur, non fuit niſi ex ſola Dei voluntate. Vt enim diximus in annotatione XVIII. Paulus hoc argumētum tractauit de excludendis operibus, ne Iudæus conquereretur, Gentilē admiſsū ad poſteritatem, & benedictionem promiſſam; Iudæum autem carnalem excluſum. Simul etiam, vt doceat, & prædicet ſalutem hominis, quantum ad remiſſionem peccati, & reconciliationem cum Deo, gratis eſſe datam; non enim ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. Tit. 3.

Dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuerſa terra.

ALterum teſtimonium profert ex Exod. 9. Eſt autem connexio cū præcedentibus hæc; dixerat enim duo, nēpe Iacob dilectū, *Exod. 9.*

Eſau

Digitized by Google

Eſau autem odio habitum; vnum acceptum, alterum reiectum: vtrumq; autem non ex operibus, ſed ex vocantis arbitrio & electione. volens hiſce verbis ſignificare reiectionem populi carnalis, & vocationem populi credentium voluntariam, & ſecundum Dei propoſitum. Priorem quidem partem de acceptatione confirmauit teſtimonio priori, (miſerebor, cuius miſerebor.) Poſteriorem partem de repulſa & reiectione, hanc nempe etiam eſſe voluntariam, altero teſtimonio comprobat, idq; illa particula cauſalis (enim) indicat. Reddit namque cauſam poſterioris partis, ſicut præcedens teſtimonium cauſam, & probationem dicti prioris continebat. Teſtimonium autem allegatum eſt verbũ, quod Dominus Pharaoni per Moyſem protulit: cuius ſenſus hic eſt. In hunc finem, eaq; de cauſa ego volui vt eſſes, & in regnum eueheretis, teq; permiſi in populum meum inſurgere, vt eſſes occaſio mihi manifeſtandi potentiam, ac fortitudinem meam. dum enim tua pertinacia non vis obedire mihi, & populum detinere perſeueras, ego mira opera diuinitatis meæ prodo: & tandem opus faciam mirabile, quo te, & tuos in mari ſubmergam, ex quo fiet, vt nomen meum celebre & venerabile fiat in gentibus; hac de cauſa excitaui te. Simile illud eſt Ioan. 9. Non peccauit hic, neque parentes eius, vt cæcus naſceretur, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo. Sicut hic cæcus natus eſt, vt per cæcitatem eius Dei filius ſuam manifeſtaret diuinitatem, cum luto illuſtrando; ita excitatus eſt Pharao homo nequam, & permiſſus eſt obſiſtere Deo iubenti, vt in eo diuina potentia manifeſta fieret populis & gentibus; vti factum eſt.Glorioſe enim magnificatus eſt in Pharaone impio & obdurato.

Ratio quare Deus reiecerit Eſau.

Ioan. 9.

ANNOTATIO XXIIII.

TEſtimonium eſt Exod. 9. & verbum Hebræum eſt עמד quod ſignificat ſtare, & in tertia coniugatione, facere ſtare, ſeu conſtituere: quaſi diceret, ſtare te feci, Septuaginta verterunt διετηρήθης id eſt ſeruatus es, noſtra verſio habet, poſui te, at Paulus vſus eſt verbo Ἐξήγειρα quod ſignificat, excito. licet autem in eundem ſenſum tendant verba hæc, maior tamẽ fides debetur Pauli verſioni. Quis vero ſit ſenſus huius ſententiæ (in hoc ipſum excitaui te) non omnes eodem modo exponunt. Primo loco Photius apud Oecumen. ſic declarat. Euexi te in regnum. Secundo loco Chryſoſt. ſic interpretatur: ad hoc ſeruatus es, & permiſſus diu viuere. Tertio loco Ambr. cũ Chryſoſt. ſentit, ad hoc nẽpe ſeruatus es; addẽs aliã interpretationem, iuxta noſtrã lectionẽ, nimirũ ad hoc ſuſcitaui te, cum.n. eſſet corã Deo mortuus Pharao, ideſt dignus morte propter peccatũ, permiſſus ẽ adhuc viuere, vt in

Deus quare excitauit, & commouit Pharaonem.

Phot.

Chryſoſt.

Ambr.

eo

eo diuina virtus oſtenderetur; ideo dicitur excitatus, ſeu ſuſcitatus. *Anſel.* Quarto loco Anſelmus ſic explicat; non, inquit, feci te malum, ſed cum malus eſſes, excitaui te quaſi ſopitũ per mea ſigna & opera, quæ feci, excitaui autem te in eandem malitiam, vt deterior fieres. Quinto loco, alij ad ipſam referunt creationẽ; nempe ad hoc te feci, & creaui, quamuis te malum futurum ſciuerim, vt in te oſtenderem meam virtutem, & potentiam. Sexto loco, poſſet exponi verbum hoc ſic; excitaui te, ideſt commoui & prouocaui, vt inſurgeres in meum populum; ſecundum quam ſignificationem dictum eſt. 2. Paralip. 36. *2. Par. 36* Suſcitauit Deus ſpiritum Regis Perſarum. vbi hoc idem Grecum verbũ habetur. Dicitur autem Deus excitaſſe & commouiſſe Pharaonem, non per ſigna facta, vt dicit Anſelmus, ſed quia reliquit eum in ipſius pertinacia, & mala voluntate contra populum Dei. Ex his omnibus, quæ dicta ſunt in commentario, viſa ſunt mihi accommodatiora. Illud tamen annotandum eſt, hoc in loco (virtutem) non poſitam eſſe pro virtute, quæ contra vitium diſtinguitur, ſed pro potentia & fortitudine Dei, quod conſtat ex verbo Hebræo Exo. 9. & ex ipſomet ſenſu. Vnde non eſt accommodata expoſitio Oecumen. nempe virtutem hanc eſſe longanimitatem Dei, qua diu malos tolerat.

Ergo cui vult, miſeretur, & quem vult, indurat.

EX vtroque teſtimonio concludit Paulus, quod intendebat probare; nimirum, non ex operibus, ſed ſecundum propoſitũ ſuæ electionis, Deum Iacob dilexiſſe, Eſau repuliſſe; & conſequenter Dei voluntariam populi carnalis repulſam, & populi credentiũ vocationem. *Deus quomodo indurat.* ex illo enim teſtimonio, (miſerebor, cuius miſerebor) infert; ergo, cui vult miſeretur: ex hoc vero (ad hoc ipſum excitaui te) colligit, ergo quem vult indurat; & ſic vtraque pars de Iacob, & de Eſau confirmata manet. Dicitur autem Deus indurare, quando permittit hominem in ſua malitia perſeuerare, & ſecũdum eam agere, ipſo enim non permittente, nemo malus male, ac peruerſe ageret: non igitur emollire cor hominis, nec a malitia retrahere eſt indurare hominem: ſic indurauit Deus cor Pharaonis, quem ſiuit & reliquit in populum Iudæorum inuehi, ipſumq; affligere; tot etiam ac tantis ſignis editis non credere, nec moueri, vt populum dimitteret.

ANNOTATIO XXV.

Hieron. HIeronymus Epiſt. ad Hedib. q. 10. & Origen. hæc verba ſicuti ſuperiora, nõ in perſona Pauli dicta cenſent, vt ſuperius annotauimus; contextus tamen non admittit hanc expoſitionem, immo quæ ſequun-

quuntur verba, hoc idem confirmant; obiectionem enim nomine aliorum ponens Paulus, vſus eſt verbo (dices mihi) ſignificare volens, præcedentes interrogationes & ſententias nomine proprio eſſe prolatas. Adde, cum nihil abſurdi contineant, non eſt cur nomine Pauli dictas eſse negemus. Chryſoſtomus id concedit; affirmat tamen nō ſoluiſse Paulum illam primam obiectionem (nūquid iniquitas eſt apud Deum?) ſed nouas addidiſse difficultates ex Scriptura, ne noui quid dicere viſus eſset, quando docuit, non ex operibus Iacob dilectum, Eſau autem reprobatum. Hoc quidem verum eſt, nempe Paulum eam non ſoluiſſe humana ratione; reiecit tamen illam, Deumq; iniuſtum non eſſe alijs teſtimonijs Scripturarum, quæ apud Iudæos firmioris auctoritatis reputabantur confirmauit: fidelibus enim & credentibus Scripturæ teſtimonia maioris ſunt auctoritatis & efficaciora, quàm humanæ rationes, oportet enim multa credere, quamuis non intelligātur. Illud tamen non videtur probandum, quod Chryſoſtomus hanc ſententiam exponens exiſtimat, nimirum eſſe nouā quæſtionem hanc (cuius vult, miſeretur, & quē vult, indurat) quæ cōnexio non videtur accommodata; eſt enim hæc ſententia illatio & deductio ex ſuperioribus duobus teſtimonijs, vt in commentario expoſitum eſt.

Chryſoſt.

Dicis itaque mihi. Quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis reſiſtit?

OBiectio eſt aliorum nomine contra concluſionem & deductionem ſuperiorem, ſenſus eſt: ſi quē vult, indurat, & Deus ipſe excitauit Pharaonem, & indurauit, vt virtutem & fortitudinem ſuam in eo oſtenderet, & hoc pro ſua voluntate, quia ſic voluit, cur ergo ſuccenſet, & iraſcitur contra Pharaonem, & cōtra inique agentes, vt per Prophetas conſtat, cum nemo poſsit Dei voluntati reſiſtere? non enim illi puniendi videntur, qui obdurati ſunt, dum inique agunt, quia voluntati Dei reſiſtere nemo poteſt. Sumpta eſt obiectio ex Scripturæ teſtimonio. Iſa. 47. Non reſiſtet mihi homo. Illud (adhuc) id ſignificat, ac ſi diceret, cum ipſe Deus induret, quare iraſcitur contra induratum, cum non valeat reſiſtere ipſi volenti in eo oſtendere potentiam ſuam? *Iſai. 47.*

ANNOTATIO XXVI.

ALiqui ex ignoratione Græci ſermonis verbum (quæritur) interpretati ſunt, inquiritur, quaſi à verbo (quæro) cum diphthongo; cum tamen ex Græco ſermone conſtet eſſe a verbo (queror) vt ſit ſenſus, cur conqueritur, aut ſuccenſet? Attende rurſus, quantum ex reſponſione Pauli acri conſtat, hæc obiectio facta videtur illo tunc temporis ab aliquibus maxime ex Iudæis, cauſam ſuæ incredulitatis in Deum iactan-

Digitized by Google

iactantibus, quæ res etiam antiqua fuit, vt conſtat ex Salomo. Prouer. 19. Inſipientia, inquit, viri violat vias eius, Deum autem cauſatur in corde ſuo.

Prou. 19.

O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo.

SVperbam & impudentem iniquorum & obduratorum obiectionem refringit. O, inquit, homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? quaſi diceret, cum homo ſis, nempe terreus, corruptibilis, & finitus, quomodo audes te opponere Deo infinito, & creatori tuo, ipſumq; arguere iniuſtæ querelæ, & iræ, quaſi non deberet iraſci, nec conqueri, nec ſuccenſere cōtra peccatores, & malos? vel nomen ipſum, nempe homo, argumento eſt, quod Deo reſpondere non debeas. Greg. lib. 9. mora. c. 8. hæc verba adducens, inquit, reſpondere Deo non poſſe conuincitur, qui homo nominatur, qui per hoc, quod de humo ſumptus eſt, iudicia ſuperna diſcutere dignus non eſt. Illud (reſpondeas) Græce eſt verbum compoſitum; quaſi diceret, ex aduerſo, ſeu contrario reſpondeas, quod adnotat Chryſoſtomus. Monet nos Paulus hac reſponſione, non ſuperbe, nec curioſe, ſed cum fide & humilitate ſecreta diuina tractare; non enim dogmata Chriſtiana, ratione, ſed fide accipienda ſunt; nec Deus intelligentiam, ſed credulitatem, & obedientiam a nobis petit; humanum enim ingenium finitum comprehendere non valet, quæ Deus ſua infinita prouidentia diſponit, nec rationes valet attingere ſingulorum.

Homo nō debet Deo reſpōdere.

Gregor.

Chryſoſt.

ANNOTATIO XXVII.

ATtende, interpretem omiſiſſe particulam Græcā μενοῦνγε id-eſt, atqui, ſeu quinimmo, ò homo tu quis es. quæ particula auget ſententiam, ac ſi dicat, o homo tibi eſt reſpondendum potius, & tecum contendendum, non Deo; & ſic reſpondeo ego, quis es tu, qui Deo reſpondeas? Attēde rurſus, Photium apud Oecumen. aliter interpretari hanc ſentētiam, quam cæteros expoſitores; nimirum, tu quis es, qui reſpondes Deo? an oppugnas voluntatem eius, an non? ſi oppugnas, quomodo dicis, voluntati eius quis reſiſtit? tu enim reſiſtis oppugnando: ſi nō oppugnas, quomodo cōtradicis, & ex aduerſo reſpondes? Hæc expoſitio ſimilis eſt ei, quā Hieronymus adfert, de qua dicemus in annotatione ſequenti, legitima autem ea eſt, quam ſecuti ſumus in cōmentariō.

Phot.

Attende etiam, Aug. lib. 83. qq. q. 68. referre tria. Vnum eſt, quoſdam hæreticos affirmaſſe, Paulum in ſoluenda quæſtione defeciſſe, & obiurgaſſe quærentes, quia non poterat, quod quærebatur, exponere: proptereaq; dixiſſe, o homo, tu quis es? & cætera. Alterum eſt, alios hære-

Aug.

Digitized by Google

hæreticos negaſſe, hæc verba prædicta eſſe Pauli, ſed interpoſita ab aliquo, non autem à Paulo prolata. Tertium eſt, quoſdam bona & pia mente Scripturas legentes, inquirere, quid in hac quæſtione poſſit vel maledicentibus, vel calumniãtibus reſponderi. Hæc tria refert Auguſtinus. Ad quæ ipſe reſpondet. Ad primum; nos doctrinæ Apoſtolicæ ſalubriter inhærere debere: nempe non ex ignoratione quæſtionem nõ ſoluiſſe, ſed quia ita reſpondendum eſſe conueniebat. Ad ſecundum, non debere nos exiſtimare, libros, quos Catholica diſciplina cuſtodit, eſſe falſificatos. Ad tertium, illis, qui Scripturas calumniantur, aut latebras ſuorum peccatorum quærunt, vt præcepta vitæ contemnãt, non aliter eſſe reſpondendum, quã, o homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? nec debere nos margaritas ante porcos proijcere; eis enim, qui nondum ſunt in charitate radicati, nec poſſunt diuina comprehendere myſteria, non debemus ea aperire, donec credant, & ex luteis, & terrenis hominibus regenerẽtur in Dei filios. Non ergo, vt ipſemet Auguſtinus dicit, prohibuit ab inquirendo, & inueſtigando nos qui credimus, & ſpiritum Dei habemus, ſed luteos, & terrenos homines. Hæc Auguſtinus.

Si autem verba Pauli conſideramus, facile ſenſum deprehẽdemus, non enim hæc reſponſio data eſt inquirentibus ſcire humiliter myſteria, ſed obmurmurãtibus & oblatrantibus, ac dicentibus; quid autem conqueritur? hanc impudentiam & impiam audaciã reprimit Paulus ea reſpõſione; nõ tam enim illi inſtruendi, quàm reprehendẽdi, & confundendi erant: ita adnotauit Origen. addens, ſi fidelis & prudẽs ſeruus interroget, volens intelligere, & admirans ſapientiam Dei, nõ audiet, nec accipiet reſpõſum, o homo tu quis es? quod Paulum ſeruaſſe dicit. Vbi enim nõ habuit ſuperbum contradictorem, diſtincte cauſas aperuit vaſorum diuerſorum. 2. Thim. 2. In magna, inquit, domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia, & quædam ad honorem, quædam in contumeliam: ſi quis autem emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem. De hac tamen re in ſequenti ſententia dicendum eſt.

Orig. | *2. Tim 2.*

Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?

PRoſequitur eandem impudentem contra Deum reſponſionem reprimere; confirmans, hominem Deo ex aduerſo reſpondere non debere, conditione hominis, & Dei conſiderata. Deus enim factor eſt, & creator; homo autem factura, & creatura ipſius. Vim autem rationis huius ex metaphora accipit; figmentum enim non poteſt reſpondere figulo, etiam ſi ratione & ſermone vteretur, ac dicere, cur me feciſti ſic? cuius cauſam ſubdit, dicens: nam figulus poteſtatem habet ex eadem maſſa vnum facere vas in honorem, alterũ in

Cõtra Deũ impudẽs reſponſio reprimitur.

Digitized by Google

in contumeliam; nec vas in contumeliam factum obijcere iuſte poteſt, aut dicere fictori ſuo, cur me tale feciſti? quia figulus poteſtatem habet pro arbitrio vaſa faciendi. Cum igitur ſit Deus factor multo perfectioris conditionis, quam figulus, quia ex nihilo omnia fecit, quamuis ex eadem natura & maſſa faciat homines, quibus iraſcatur, & in quos furorem exerceat, & quoſdam quos deprimat, quoſdam vero quos exaltet, non habent illi, quod conqueri aut reſpondere Deo debeant, quia factor cum ſit, poteſtatem habet in omnem ſuam facturam.

Nota verbum (ex eadem maſſa) auget enim poteſtatem figuli. ſi enim ex maſſa inæquali diuerſa faceret vaſa, cauſa diuerſitatis in materiã referretur; at non ſic eſt, ſed ex æquali & eadem maſſa vnũ in honorem, alterum in contumeliam facit, quia hæc eſt poteſtas eius; multo ergo magis id Deo competit. Hæc metaphora figuli, & ad hoc propoſitum ſumpta eſt ex Scriptura veteri, vt per hoc magis conuincat Iudæos incredulos, apud quos Scriptura vetus auctoritatem habebat. Eſt autem in Iſai. 45. Væ, inquit, qui contradicit factori ſuo, teſta de ſamijs terræ: numquid dicit lutũ figulo ſuo, quid facis? & opus tuum abſq; manibus eſt. Eſt etiam Hierem. 18. Numquid ſicut figulus iſte non potero vobis facere domus Iſrael? ait Dominus: ecce ſicut lutum in manibus figuli, ſic vos in manu mea domus Iſrael. Eſt etiam eadem metaphora ante hos à Salomone vſurpata. Sap. 15. cuius verba ſunt; Figulus de eodem luto fingit quæ munda ſunt vaſa, ſimiliter & quæ his ſunt contraria; horum autem vaſorũ quis ſit vſus, iudex eſt figulus. Iſaias autem, & Hieremias, & Paulus Deo hanc figuli metaphorã applicuerunt. Hæc loca Paulus inſinuat, cõuincens cõtradictores, nempe quãuis Deus ſuccenſeat, indignetur, puniat, deſtruat, & vaſtet pro libito ſuo quos voluerit, iuſtã nõ eſſe vllius querelã; nec reſpondere debere, cũ ſit factor, nos aũt factura ipſius. In annotatione exactiorẽ inuenies explicationẽ.

[Margin: Nota metaphoram figuli. — Iſai. 45. — Hiere. 18 — Sap. 15.]

ANNOTATIO XXVI.

[Margin: Cur Deus ſuccẽſet, & conqueritur contra induratos.]

NOn modica difficultas eſt in huius ſentẽtiæ explicatione; videtur enim non cohærere ſuperioribus. Primo quidem obiectio facta hoc continebat, nempe cur queritur, & ſuccenſet Deus, ſi induret eos, in quos iraſcitur? cui obiectioni non videtur accommodata reſponſio, quia figulus habet poteſtatem faciendi vas vnum in honorem, alterum in contumeliam. nam dicerent contradictores, nos non obijcimus, nec opponimus, quod vnum induret Deus, non alterum. hoc enim eſt facere vas in contumeliam, aut in honorem; ſed opponimus, cur, ſi indurat ipſe, poſtea in illum induratum indignatur, & ei

succen-

ſuccenſet, ac furorē exercet? Secundo, quia exemplum videtur potius fauere contradictoribus: figulus.n. facit quidem vas in contumeliam, ſed non ſuccenſet poſtea contra vas contumelioſum: Deus autem hominem excitat, quem indurat, & in eo virtutem oſtendit, & tamen ei ſuccenſet, & ipſum punit. Tertio, quia non videtur accommodari illud, cur feciſti ſic? Deus enim facit homines, ſed non ſic, nempe malos, & contumaces, ac rebelles, ac in contumeliam. ſi.n. tales faceret, nō ſuccenſeret eis. Propter hęc difficile videtur exemplum, & metaphoram hanc accommodare. Quid Doctores in huius rei explicatione ſentiāt, ante oīa conſiderandū eſt, poſtea quid mihi videtur proponam.

Hierony. Primo igitur loco Hieron. epiſt. ad Hedib. 9. 10. multo aliter hanc ſententiam interpretatur, quam hactenus interpretati ſumus. Exponit enim in hunc ſenſum: nempe, ò homo, eo ipſo, quod reſpondes Deo, & de ſcripturis tanta perquiris, vt loquaris contra ipſum, & iuſtitiam voluntatis eius incuſes, oſtendis te eſſe liberi arbitrij, & faciendi quid vis; loquendi, aut tacendi te habere libertatem. ſi autem putas te tanquam vas fictile eſſe factum, & non poſſe reſiſtere eius voluntati, conſidera, quia vas fictile non dicit figulo, cur me ſic feciſti? tu autē reſpondes Deo. Præterea figulus habet poteſtatem ex eadem maſſa faciendi vnum vas in honorem, alterum in contumeliam; Deus autem æquali ſorte cunctos generauit, & dedit arbitrij libertatem, vt faciat vnuſquiſque, quod vult, ſiue bonum, ſiue malum.

Exemplū figuli ad quid Paulus adducit.

Theodor. Ita Hieronymus interpretatur, quæ expoſitio eſt etiam Theodoreti. Iuxta quam expoſitionem Deus non comparatur figulo, nec homines figmento & luto, aut vaſis; ſed potius in contrariam partem hæc dicta ſunt, vt nimirū oſtēdat, Deum non facere nobiſcum tanquam figulum, nec nos eſſe vt lutum, aut tanquam vaſa lutea. Quæ expoſitio, ſi vera eſt, tollit omnes difficultates propoſitas, ſed videtur violenta, & quæ verbis Pauli vix poteſt accommodari. Vnde Hieronymus ipſe cogitur multa verba ex ſuo ingenio adiungere, vt ſenſum hunc cōpleat. Præterea quia ſumpta ſunt hæc ex Scriptura, vti diximus, in qua vere Deus vt figulo confertur, qui habet poteſtatem faciendi in nobis, quod placuerit, ſicut facit figulus in vaſis ex luto. Ideo cæteri aliter intellexerunt, metaphoram figuli Deo ipſi accommodantes, & ſic nos expoſuimus.

Secundo loco Auguſt. Epiſt. 105. & 106. & lib. 83. qq. q. 68. & multis alijs in locis ita hanc ſententiam interpretatur, vt ad prędeſtinatos, & reprobos referat, quos Deus ex eadem maſſa peccato originis infecta, & vitiata diſtinxit, vt hos per miſericordiam vaſa fecerit in honorem, illos per iuſtitiam reiecerit in vaſa contumeliæ; tota enim maſſa infecta, damnatione digna erat, & iuſte reprobari poterat. Quod autem aliqui eligātur, reliqui in damnatione relinquantur, ad miſericordiā pertinet & iuſtitiā Dei; miſericordiam erga electos; iuſtitiam erga reiectos. Hæc expoſitio non tollit, immo auget difficultates factas, vt facile vnicuique eſt videre, ſi ſingulas conſideret. *Aug.*

Tertio loco Chryſoſt. hoc exemplum figuli ad hoc inductū cenſet, vt doceat Paulus, neminem debere *Chryſoſt.*

reſpon-

reſpondere Deo,ſicut nec figmentũ reſpondet figulo, cur ſic me feciſti, quamuis factum ſit in cõtumeliam, nec plura eſſe in hac metaphora, ſeu exemplo requirenda. Pro intelligentia huius expoſitionis, attẽde, Chryſoſtomum hanc ſententiam de prædeſtinatione, & reprobatione, ſicut Auguſtinum interpretari; tamen multo aliter, putat enim Chryſoſt. cauſam ex parte hominũ dari, vt ſuperius diximus, nempe malas,aut bonas voluntates hominum præuiſas;idcirco affirmat,hoc exemplum figuli tãtum ad hoc inductum eſſe, vt oſtẽdatur,homines non habere, quod reſpõdeant Deo, ſicut nec figmentum reſpondere poteſt figulo. Auguſtinus plura in exẽplo conſiderat, nimirum ſolam figuli voluntatem diſtinguere in eadẽ maſſa vaſa diuerſa: Chryſoſtomus hoc non conſiderat, nec id conſiderandum in exemplo iſto cenſet, cuius opinioni, ſeu expoſitioni id aduerſatur, quia ſi Paulus non aliud ſignificare voluiſſet, quam quod Chryſoſtomus dicit, non erat cur ad ſolam poteſtatem figuli vaſorũ diſtinctionem retuliſſet, propterea rem hanc Photius conſiderans, aliter explicuit.

Quarto ergo loco, Photius apud Oecumen. ſic interpretatur. Diuidit enim partem illam priorem (numquid figmentum dicit ei, qui ſe finxit,cur ſic me feciſti) à ſequenti ſentẽtia de figulo: & exponit priorem,ſicut & Hieronymus, nempe figmentum non reſpondet, cur me ſic feciſti? tu vero reſpondes Deo; oſtendis ergo, te non eſſe ſicut figmentum libero arbitrio carens. Poſteriorem autem partem (an non habet poteſtatem, &c.) aliud argumentum eſſe exiſtimat;tale,etiamſi ita eſſet, quòd Deus ſine vlla cauſa ex parte hominis ſuccẽſeret,& vnũ repelleret, alterum reciperet, non eſſet iuſta cauſa conquerendi: non quidem, quod Deus ita faciat, vt ſine cauſa ex parte hominum, vnũ recipiat,alterum repellat:ſed quod etiam ſi ita faceret, non eſſet Deo reſpondendum, nec de eo conquerendum, quia eſt ſicut figulus habens poteſtatem faciendi ex eadem maſſa, quod ei libet, ſine cauſa ex parte vaſorũ. Cæteri Doctores non diuidunt has duas ſententias,ſed in vnam coniungunt,vt vnicum ſit argumentũ, & in hoc rectius ſentiũt.

Vt tamen rem hanc exactius diſcutiamus, & declaremus, ſunt aliqua adnotanda. Primo,iure dominij, & poteſtatis ſuæ in hominem, & in quamcumque creaturã,poſſe Deum ſine vlla iniuſtitia quidquid placuerit ſiue boni, ſiue mali facere,& exercere:ſi enim homo dominus ligni aut lapidis, poteſt ex ligno, & lapide facere quidquid placet ei,aut comburere, aut comminuere,aut ſtatuam vilem,aut honorificã conficere, multo magis Deus id poteſt,cuius dominium eſt plenũ & abſolutum. Atque etiam ſicut nõ eſt iniuſtitia vlla, quod in vſum hominum animalia occidenda mille modis tradiderit, Nec rurſus eſt iniuſtitia, quod inter homines,vnum pauperem,alterũ diuitem;vnũ infirmum,alterũ ſanum; vnũ breuioris vitæ, alterum longioris faciat: ſic eodem modo poteſt plagas quaſcumque infligere homini pro ſuo libito,etiamſi nullum ineſſet homini peccatum. nam omnia hæc mala etiam animalia patiuntur ſine peccato. ſatis eſt voluntas domini omnium,maxime ſi in eius honorẽ aliquid tale cedat. Hinc eſt, quod cæcus ille

Dominiũ Dei ſupra homines notandũ.

Ille natus ſit, non ob culpam, aut peccatum, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo. Hinc infantes innocentes & ſine peccato occidi permiſit pro nominis ſui manifeſtatione. deniq. diſponere poteſt de homine, & de quacumq. creatura pro libito & beneplacito ſuæ voluntatis, nec iuſta poteſt eſſe vllius creaturæ querela. Hinc eſt Iſmahelem ab hæreditate Abrahæ; Eſau à primogenitura; carnalem generationem a benedictione iuſte expellere, etiam ſi nullum interueniſſet peccatum, iuſte potuiſſe.

Secundò adnotandum eſt, obiectionem & reſponſionem incredulorum fuiſſe hanc; nimirum, ſi Deus miſeretur, & indurat quos vult; & pro libito & voluntate Iacob acceptauit, Eſau vero repulit; gentes vocauit, carnales iudæos reiecit; cur ſuccenſet, & iram infert hiſce repulſis & obduratis? huic obiectioni duas Paulus adhibet reſponſiones: vna eſt reprimens impudentiam & audaciam hominis Deo reſpondentis, eumq. accuſantis. Hæc autem reſponſio ſumitur à Dei poteſtate & dominio abſoluto; ac ſi diceret, ò homo, etiamſi ità eſſet, vt tu dicis, quod Dei voluntati nemo poſſit reſiſtere, & pro ſua voluntate Deus induret, non eſt Deo reſpondẽdũ. omnes enim homines ſunt Deo, ſicut figmentum figulo. vt ergo figmentum, quamuis factum ſit vas vile & contumelioſum, non poteſt cõqueri de figulo, quia figulus poteſtatem habet de maſſa facere, quod libet. ſiue ergo faciat vas vile, ſiue ſtatuam turpem, ſiue ſine manibus aut pedibus, non poteſt eſſe iuſta querela contra figulum; ita etiam & potiori iure Deus poteſt huic pœnas & mala quæcũq. inferre, iramq. in eo & potentiam oſtendere pro ſua voluntate: illi autem miſericordiam præſtare bona conferẽdo, nec propter hoc iuſta eſt contra Deum querela. potuit ergo Pharaonem ſubmergere cum Ægyptijs, in oſtẽſionem potentiæ ſuæ, & multa alia mala intuliſſe hominibus pro libito ſuo; nec habent hi, quod Deo reſpondeant, quia dominus & factor & creator eſt hominum, & omnium cæterarum creaturarum.

Impudentia hominis Deo reſpondentis quomodo reprimatur.

Altera reſponſio eſt pro credentibus, & humilibus; nempe, Deum iram non intuliſſe ſine culpis & demeritis hominum, de qua in ſequenti ſententia dicemus.

Tertio adnotandum eſt, Paulum ad hoc vſum eſſe exemplo figuli, vt oſtenderet, poſſe Deum quæcumq. mala, aut bona hominibus facere pro libito ſuo, etiam nulla cauſa in eis præcedente, iure dominii & poteſtatis ipſius in illos, ſicut figulus vaſa facit aut vilia, aut honorifica pro beneplacito ſuo. Per vaſa autem in contumeliam, ſignificat eos, quibus Deus mala, & pœnas infert; per vaſa vero in honorem è contrario eos, quibus bona confert; & hęc eſt legitima expoſitio. Ex qua facile ſoluuntur propoſitæ difficultates; Ad primam enim reſpondeo, vas in honorẽ, aut cõtumeliã appellari eos, quibus Deus irã infert, & quos malis afficit. hoc.n. eſt vas eſſe in contumeliam, Deũ iram exercere in aliquẽ, & ſic ſoluitur ſecunda obiectio. Ad tertiã autẽ dico, vas in contumeliã non ſignificare peccatores, ſic.n. Deus non facit vas in cõtumeliã, ſed vti diximus, eos, qui malis afficiuntur, & in quos iram Deus exercet; exemplum enim hoc de figulo nihil aliud ſignificat, quàm quod expoſitum iam eſt.

Vaſa in honorem & contumeliam quid denotent.

Digitized by Google

Quòd ſi Deus volens oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ aptata in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiae, quae praeparauit in gloriam.

Qua ratione Deus dicitur obdurare, & quibus de cauſis id faciat.

EIdem obiectioni adhibet Paulus reſponſionem poſteriorem, qua rem ipſam declarat & manifeſtat; nimirum qua ratione Deus obdurare aliquos dictus ſit: ſimiliter etiam quibus de cauſis id faciat. Tria autem docet, vnum eſt modus indurandi; ſuſtinuit, inquit, in multa patientia vaſa iræ aptata in interitum, ideſt, malos & iniquos ira dignos, & aptatos in interitum, nempe quorum finis eſt damnatio, Deus pertulit patientia vtens, differens damnationis pœnam. Non quidem fecit Deus eos, tales, ſed ipſi ſe tales fecerunt, per arbitrium ſuum peccantes, & ſcelera patrãtes, ſeq. interitui æterno aptos efficientes; Deus autem pertulit, & patienter peccare permiſit, differens diu ſupplicium, ſicq. induraſſe eos dicitur. Alterum eſt, cauſa vna huius ſententiæ & indurationis, nempe, vt in eis Deus notam faceret iram & vindictam, & per talem vindictam manifeſtaret potentiam ſuam. dum enim Pharaonẽ ſubmerſit cum toto exercitu, & in eo vindictam, & iram exercuit, ipſius Dei fortitudo & potentia declarata eſt, & meritò. Exiſtimabat enim Pharao, Dei patientiam, per quam non punit, impotentiã eſſe. Ecce ergo cur Deus induret, nempe, vt ſuam manifeſtã faciat potentiam. Tertium eſt, altera cauſa eiuſdem obdurationis, nempe vt manifeſtet etiam diuitias gloriæ ſuæ; ideſt, magnitudinem gratiæ in vaſis miſericordiæ, ideſt in ſuis electis & iuſtis, quos ipſe aptauit & præparauit in gloriam. Ex pœna enim & graui vindicta malorum, nota fit magnitudo gratiæ & gloriæ electorum. nam multi ex eis peccarunt, quos, ſi voluiſſet Deus, iuſte etiam induraſſet.

Interitui opponit Paulus gloriam. aptati enim in interitum obdurantur; præparati vero in gloriã magnitudinem gratiæ recipiũt. Hæc eſt reſponſio Pauli, ex qua obiectio ſuperior ſoluitur. Indurat quidem Deus, & quos indurat punit, ſed non indurat, niſi malos, qui ſe interitui aptarunt, & dignos morte effecerũt; indurat autem non efficiendo duritiem & pertinaciam, ſed permittendo patienter, & diu tolerando eorum iniquitates, vnde merito puniuntur, & in eos indignatur. Hoc autem Deus facit propter bonum; ex eorum enim malitia Deus elicit bona; nimirum oſtenſionem potentiæ ſuę, & manifeſtationem magnitudinis gratiæ in iuſtis & electis ſuis.

Perpen-

Digitized by

Differẽtia inter aptatos in interitũ & preparatos ad gloriam.

Perpende autem, non eſſe dictum, quæ aptauit in interitum, ſicut dictum eſt, quæ præparauit in gloriam, aut è contrario, præparata in gloriam, ſicut aptata in interitum, ſed differenter de malis, & bonis locutus eſt; mali enim ſuamet opera & arbitrio aptarunt ſe in interitum; & bonos Deus præparat in gloriam: malum enim ex ſolo homine eſt, at bonum ex Deo. homo ſolus peccare poteſt, & peccat; Deus autem à peccato liberat. hic eſt legitimus ſenſus.

Attende, quod ad verba ſpectat, eſſe quandam reticentiam ſermonis, ac ſi diceret; quamuis nulla ex culpa hominis Deus omnia mala inferret, cõqueri non poſſet, nec reſpondere Deo, quia figmentum eſt homo, Deus autem velut figulus; quòd ſi non ſic eſt, ſed homo ipſe ſe in interitum aptauit, & Deus patienter tulit iniquitatem eius; & hoc adhuc propter bonum, ceſſat profectò omnis querela & reſponſio contra Deum.

ANNOTATIO XXIX.

Hieron. *Luc. 11.*

QVantum ad litteram attinet, particula (quòd ſi) Græce Εἰ δὲ Hierony. vertit, ſin, in Epiſtol. ad Hedibi. q. 10. noſter interpres (quod ſi:) vtramq. ſignificationem habere, cõſtat ex Luc. 11. vbi ter ponitur. Si autem Sathanas in ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit Regnũ eius? Iterum, ſi autem ego in Beelzebu eijcio dæmonia, filij veſtri in quo eijcient? Iterum. porro ſi in digito Dei eijcio dœmonia, peruenit in vos Regnum Dei. In his locis eadem particula ter repetitur: idem autem eſt dicere, (ſi autem) & (quod ſi). In vltimo loco, potius ſignificat (ſin autem:) eſt tamen particula ſuſpendens ſententiam, & verbo aliquo compleri debet, vt in teſtimonijs ex Luca citatis conſtat, ex quo locus præſens Pauli ſuſpenſus videtur, cum non appareat verbum complens ſententiam. qua de cauſa varie interpretes exponunt.

Quare Deus peccantes punit, iuſtos beneficio afficit.

Theodor.

Primo loco Theodoret. terminandum cenſet & diſtinguendum ſic: Quòd ſi. & ſupplendum, quòd ſi deſideras ſcire, quare cum multi peccent, hos punit, illos beneficio afficit, ſcito, quod Deus volens oſtendere iram ſuam, &c. quaſi diceret ſcito, non eſſe Deum architectum iniquitatis, ſed vtitur patientia cũ iniquis. Secundo loco, alij etiam ſubdiſtinguendum eodẽ modo exiſtimant; ſed in alium ſenſum interpretantur, nimirum (quod ſi vero) cuius ſenſus eſt, quis Deo reſpondebit, ipſumve accuſabit, ſi volens oſtendere iram, ſuſtinuit in multa patientia, &c. Tertio loco, alij etiam diſtinguunt particulam à ſequentibus, ſic legentes, quid, nempe, dicetis, ſi Deus volens oſtendere irã, &c. Quarto loco alij coniungunt particulam ſequentibus, ſic, quod ſi Deus volens oſtendere iram, &c. & ſupplẽt, quid dicetis, aut quid reſpõdebitis? ſic Anſel. exponit. Quinto loco alij nihil ſupplent, ſed totã hãc ſententiam Scripturarũ teſtimonijs protenſam coniungunt cum inferioribus

Digitized by Google

rioribus verbis, quid ergo dicemus, & tunc perfecta eſt, etiam nullo facto ſupplemento. ſed ſententiæ Pauli iuxta hanc expoſitionem non inter ſe conſonant. idcirco ſimul connecti non poſſunt. accommodatior ergo eſt expoſitio poſita in commentario. Attende, in multis Græcis exemplaribus haberi particulã καὶ diſtinguentẽ cauſas, nimirũ (& vt oſtenderet diuitias, &c.) ſiue autem legatur, ſiue non, ſubintelligenda eſt; duas enim cauſas ſuſtinentiæ Dei Paulus expreſſit.

Quos & vocauit nos, non ſolum ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus.

Vaſa miſericordiæ non ſolum ex Iudæis ſed etiam ex gentib' Deus præparauit.

EXponit vaſa miſericordiæ eos eſſe, quos Deus non ſolum ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus vocauit, & congregauit, non habita ratione carnalis generationis, ſed propoſiti electionis ſuæ voluntatis. Attende verba, illud (quos) refertur ad vaſa miſericordiæ. quamuis enim genera ſint diuerſa, tamen conſiderans Paulus rem ipſam, nempe homines, vſus eſt relatiuo maſculino; & hic eſt Hebraiſmus vnus. Alter autem eſt, quia repetijt, ſeu addidit aliud antecedens (nos) ſic enim ſolent Hebræi facere. Luc. 19. Ab eo autem, qui non habet, & quod habet aufertur ab eo. Aliqui appoſitiue dictum putant ſic; quos vocauit, nempe nos, ex Iudæis, & gentibus. Attende præterea, fuiſſe quidem præparata vaſa miſericordiæ, antequam homines creati eſſent, vocata tamen fuiſſe à Deo & congregata, poſtquam facti ſunt; quos enim prædeſtinauit, hos & vocauit. Hi ſunt quos Iſaac, & Iacob præ cæteris electi ſignificarũt.

Sicut in Oſee dicit. vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam; & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam. & erit in loco, vbi dictum eſt ei, non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui.

Vocatio gentium cur & quomodo à Deo facta ſit.

ELectum populum ex Iudæis & gentibus vocatũ dixerat: vtrãq. partem probat teſtimonijs ſcripturarum, & incipit more Hebræorum a poſteriori loco poſito, nempe a gentibus, duoq. adfert teſtimonia ex Oſea Propheta ad oſtendendam gentium vocationem; vnum eſt ex cap. 2. gentes enim, quæ non erant prius de populo Dei, vt potè cultu & religione ac fide veri Dei carentes, vocatæ ſunt per Euangelij gratiã ad populum electũ Dei, & in numero dilectorum, & miſericordiam conſecutorum poſitæ. Alterum teſtimonium eſt ex eodem Propheta cap. 1. in regionibus enim gentium

Oſe. 1.

Italia, Gallia, Hiſpania et alijs infinitis locis, vbi prius dicebatur,

Digitized by Google

batur, non eſt Dei populus in hoc loco, dictum eſt per Euangelij gratiam, hi ſunt filij Dei viui. Et attende dignitatem Euangelij. non enim ſolum facit homines de plebe & populo Dei, hoc enim lex faciebat, ſed filios Dei viuit. Ioan. 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ijs, qui credunt in nomine eius. in citando teſtimonio priori, nõ tam verba, quàm ſenſum Paulus citauit. nam Oſeas facto quodam ſuo id ſignificauit, vt conſtat ex eius lectione, & ſic Irenæ. adnotat lib. 4. cap. 37.

Ioan. 1. *Iren.*

Iſaias autem clamat pro Iſrael, ſi fuerit numerus filiorum Iſrael tanquam arena maris, reliquiae ſaluae fient.

Vocatio ex Iudæis vbi demõſtratur, & quomodo reliquiæ ſaluæ fiẽt.

PRobat priorem partem de vocandis ex Iudæis, alijs duobus teſtimonijs ex Iſaia ſumptis; ita autem probat Iudæorum vocationem, vt ſimul oſtendat eorum maiori ex parte reiectionem; vt ex his conſtet, quod ſupra dixerat, non poſſe excidere verbum Dei. Teſtimonium prius eſt ex Iſa. 10. Iſaias, inquit, clamat pro Iſrael, clamat autem, ideſt audacter, & liberè loquitur, nec timet pronunciare palàm, quamuis contra Iudæos ſermo ſit, & eorum ruinam, ac paucitatem ſaluandorum prænunciet. Si fuerit, inquit, numerus filiorum Iſrael tamquam arena maris, reliquiæ ſaluæ fient, ideſt quamuis filij Iſrael ſint numero pænè infiniti, & innumerabiles, ſicut arena maris, pauci ſaluabuntur, velut reliquiæ. quod enim reliquum eſt ex menſa, vel ex aliqua re peracta, paucum eſt.

Ioan. 10.

Decem tribus ductæ in captiuitatem, ex quibus pauci redierunt quid ſignificent.

Attende, Iſaiam ſub hiſtoria decem tribuum Iſrael, quæ ductæ ſunt in captiuitatem, & pauciſſimi ex illis ab ea redierunt, ſignificare voluiſſe etiam in ſenſu litterali multitudinem innumeram Iudæorum, qui tempore Chriſti aduentus in incredulitate perituræ erant, & in dæmonis captiuitatem trahendi, credituris paucis ex illis. In Hebræo legitur. reliquiæ conuertentur ex eo, nempe Iſrael. Senſus idem eſt. Aliqui loco (pro) legunt (ſuper) quia hoc potius contra Iudæos dicitur, quàm pro illis. reiectio enim eorum ſignificatur; Græca tamen locutio potius indicat vertendum eſſe (pro;) nam præpoſitio ὑπὲρ quando coniungitur cum caſu gignendi, vt nunc fit, ſignificat (pro) & ita legit & exponit Hierony. Epiſt. ad Alga. q. 10.

ANNOTATIO XXX.

IN hebræo, & apud Septuaginta legitur, ſi fuerit populus Iſrael. Paulus autẽ ſenſum cõſiderans dixit, ſi fuerit numerus filiorum

 Iſrael:

Euſeb. Caſ. Promiſſiones duæ factæ Abrahæ.

Iſrael. Euſeb. Cæſar. lib. 2. de demonſtr. Euang. cap. 40. notat duas promiſſiones factas Abrahæ; nēpe quod poſteri eius futuri eſſent ſicut ſtellæ cœli, & ſicut arena maris; ſtellis comparari dicit Prophetas, Apoſtolos, cæteroſq. fideles; arenis autem maris incredulos, & terrenis deditos, quorum multitudo peritura prænunciatur. Origen. hunc locum Pauli exponens hoc idem annotat, illos per vaſa miſericordiæ, hos per vaſa iræ & contumeliæ interpretans, qui ſunt arenæ maris collati.

Verbum autem conſummans, & abbreuians in aequitate.

Verba hæc eiuſdem Iſaiæ ſunt, ſuperioribus connexa; quibus eorundem cauſam exponit; nempe cur tam pauci in tanto numero ſaluandi ſint; quia, inquit, quando legem, quam vocat verbum, conſummauerit, eiq. finem impoſuerit, & ad breuitatem Euangelij redegerit, quod factum eſt in Chriſti aduentu, in iuſtitia id faciet & æquitate; quia incredulos Iudæos propter eorum incredulitatem, perfidiam, & malitiam repellet, & à ſe abijciet, quorum numerus futurus erat maximus. Iſa. 1. poſt enumerata Iudæorum peccata, concludit, relinquetur filia Syon vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas quæ deuaſtatur. Matth. 21. Ideo auferetur à vobis regnum Dei. Illa duo participia locum verbi habent more Hebræorum, ac ſi diceret; conſūmabit, & abbreuiabit; verbum autem eſt in accuſandi caſu. non autem exprimit perſonam conſummantē, & abbreuiantem, quia in ſequenti ſententia explicat, nempe Deum ipſum. particula illa (autem) græce eſt, γὰρ cauſalis, & ſic etiam habetur apud Septuaginta, quaſi reddat cauſam præcedentis ſententiæ.

Ex captiuitate cur tam pauci ex Iudæis redierint. *Iſai. 1.* *Matt. 21*

ANNOTATIO XXXI.

Consūmatio abbreuiata cur dicitur inūdans iuſtitia.

Aduerte, in Hebræo aliter legi; nam ad verbum ſic habetur, conſummatio abbreuiata inundans iuſtitia. Senſus duplex eſſe poteſt; Vnus talis eſt, iuſtitia inundans, & obruens malos, cauſa erit conſūmationis, & ruinæ, & abbreuiationis tātæ multitudinis, vt tam maximus numerus ad tantam decreuerit credentium & ſaluandorum paucitatem, cæteris ob eorum infidelitatē reprobatis & pereuntibus. At Septuaginta in alterum ſenſum inclinarunt. nam hanc conſummationē & abbreuiationem non retulerunt ad multitudinem populi, ſed ad legem ipſam; vt ſit ſenſus; cū conſummabitur, & abbreuiabitur lex, iuſtitia Dei inundabit contra Iudæos; ideo pauciſſimi permanebunt. ſermo autem eſt præcipue de ruina & ſalute ſpirituali. Hunc ſenſum amplexus eſt Paulus, citans Septuaginta, & optime cōuenit cum Hebræo ſermone. Nec ſunt audiendi illi, qui verbū abbreuiandi, quod apud Hebræos eſt חרק interpretantur pro verbo decernendi, vt ſit ſenſus: conſum-

Hieron.

ſummatio decreta & deciſa, in hoc.n.maior eſt fides habenda Septuaginta, quos etiã Hiero. imitatus eſt, vt tale verbum etiam ſignificet abbreuiare. nec enim peritiſſimi Hebræi ſermonis in hoc errare potuerunt, vt ſignificationem vnius verbi ignorarent. Hinc collige, Septuaginta ſenſum magis ſecutos fuiſſe, quàm verba. cætera in annotatione xxxiij. leges.

Quia verbum abbreuiatum faciet Dominus ſuper terram.

Dominus quomodo conſũmabit & abbreuiabit legem in iuſtitia.

PRoſequitur eandem Iſaiæ ſententiam. Sunt autem hæc verba confirmatio præcedentiũ, quaſi diceret; conſummabit, & abbreuiabit legem in iuſtitia, quia Dominus abbreuiaturus eſt legem ſuper terrã; ideſt pro toto orbe, vt, illa antiqua conſummata, quæ vni populo data erat, alteram breuem condat, non vni populo, ſed toti terræ conducentem, vt iam non vna gens ſola, ſed totus orbis Deo inſeruiat, & ab eo legem ſalutis accipiat.

ANNOTATIO XXXII.

IN Hebræo legimus ſententiam præcedentem ſic (quia conſũmationem & abbreuiationẽ facit Dominus Deus exercituum in medio vniuerſæ terræ) apud Septuaginta autem habetur aliter, nempe: quia verbum abbreuiatum faciet Dominus Deus, &c. omiſerunt enim illud (conſummationẽ) vel quia forſan nõ habuerunt in ſuo textu, vel quia ſenſum, non ſingula verba ſequentes, ex præcedentibus intelligendũ putarunt. Paulus autem, vt notat Baſil. in commentarijs in Iſaiam, adhuc non omnia refert verba Septuaginta; omiſit enim illa (Deus exercituum) cauſa breuitatis, quia ſenſum non mutant, & quæ probare intendebat, ſufficienter ex ijs verbis habebat. Eſt autem Euangelium verbum conſummatũ, & abbreuiatum; conſummatũ quidem, quia in ipſo lex eſt conſummata, & completa, & finita: abbreuiatum, quia reciſſis legis oneribus multis, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, ſuauiter, breuiter, & efficaciter continet.

ANNOTATIO XXXIII.

Anaclet.

Verbum cur dicatur abbreuiatum, & quid ſit.

VArie Doctores interpretantur hanc ſententiam ex Iſaia sũptam. In primis Anacletus epiſt. 2. hæreticos, in erroris ſui confirmationem, quod filius ſit minor Patre, hanc ſententiam attuliſſe refert, nẽpe Verbum dici abbreuiatum: ipſe autem Anacletus reſpondens, affirmat, Verbum abbreuiatũ dici propter carnis diſpenſationem, ſecundum quam dicitur minoratus à Patre. Admittit autem hoc Verbum eſſe filium Dei, qui propter Incarnationem dicitur abbreuiatus. cui expoſitioni conſentire videtur Hierony. Epiſt. ad Algaſi. q. 10. & Cypr. lib. 2. contra Iudæ. num. 3. qui hoc verbum Chriſtum interpretatur. *Hierony.*

Secundo loco, quidam, verbum hoc, doctrinam euangelicam; qui

Digitized by Google

autē conſummat & abbreuiat, Chriſtum interpretantur; vt ſit ſenſus; veniet qui conſummet & abbreuiet ſermonem & verbum in æquitate, nempe Chriſtus; ſic Cyprian. de orat. Domini. & Auguſt. tract. 16. in Ioan. exponunt, dicentes, Chriſtū conſummaſſe & abbreuiaſſe ſermonem, quia præcepta & doctrinā ad epilogum redegit, oſtendens, ex duobus præceptis diligendi, Deum, & proximum, totam pendere legē, & Prophetas. Addit Cyprian. etiā fidei feciſſe compendium, redegiſſeq. ad breuitatem credenda, vnde in lib. de Symb. iterum hoc verbum abbreuiatum doctrinam Chriſti intelligit propter cōpendium, & breuitatem. cui expoſitioni adhæret Origen.

Cypr. Auguſt. *Orig.*

Tertio loco quidam alij, hoc verbum, etiam euangelicam doctrinā explicant, quam conſummatam, & abbreuiatam dicunt, quia præcepta illa legis, cærimoniæ, & iudicialia reiecta ſunt, & quæ ad mores pertinebant, retenta. ita ſentiunt Tertul. lib. 4. aduerſus Marcion. in principio, & Euſeb. lib. 2. de demonſt. Euang. c. 40.

Tertul.

Quarto loco Chryſoſt. & Theodoret. & Aug. lib. 1. ad Simplic. q. 2. etiam de Euangelio intelligunt hoc verbum, quod abbreuiatum dicitur, quia illa legis veteris prolixa præcepta reſecta ſunt. addunt autem, dici conſummatum in iuſtitia, quia quam iuſtitiam lex non potuit adferre, hanc Euangelium impartitur.

Chryſoſt. Theodor.

Quinto loco Photius apud Oecumen. etiam de Euangelio intelligit, addens, dici conſummatū, quia non ſuccedet Euangelio alterum Euangelium, aut lex, ſicut legi veteri ſucceſſit Euangelium.

Photh.

Sexto loco, alij verbum hoc interpretantur, legem, & Prophetas, ſicque Chriſtus cōſummauit, & abbreuiauit verbum, quia impleuit legē, & Prophetas, & ad compendium redegit eorum doctrinam. ſic interpretatur Procop. in Iſaiam, & Ambroſ. in præfat. Epiſt. ad Gala. exponit etiam (conſummans verbum) ideſt finiens legem. lib. autem de Thobia cap. 20. cōſummaſſe verbum aliter explicat, quia nempe abbreuiatis legis illius præceptis, conſummationem attulit peccatorum.

Procop. *Tob. 20.*

Septimo loco Baſil. in expoſitione Iſaiæ, verbum hoc abbreuiatum ad Euangelium refert, quod, reſectis legis illius mandatis, breue cōpendium continet: tamen aliter exponit, nempe vt ſit ſenſus, ille ſaluus fiet, & erit de numero reliquiarum, qui conſummauerit opere, & abbreuiauerit verbum Dei, & doctrinam euangelicā. qui enim conſummat & implet, quod abbreuiatum eſt, ille iuſtitiam conſequitur. abbreuiare ergo dicitur, qui abbreuiatum implet, ideo ſubdit, quia verbum abbreuiatum faciet Dominus ſuper terram. Conueniunt omnes fere Doctores, ad Chriſtum, & Euangelium hoc verbum referri.

Baſil.

Vltimo loco, recentiores aliqui ad conſummationē & abbreuiationem multitudinis Iudæorum hanc referunt ſententiam, qui ad extremā ſunt paucitatem redacti, nimirum, quando decem Tribus in captiuitatem ductæ ſunt, ex ijs pauci reuerſi ſunt. quæ conſummatio & abbreuiatio in æquitate dicitur, quia iuſto id Dei iudicio factum eſt, quo facto ſignificata eſt paucitas ſaluādorum Chriſti aduentu. hæc ſunt, quæ ſentiunt Doctores, ex quibus vix

Recent.

Digitized by Google

vix eſt vnus, qui hanc ſententiam totam exponat, & connectat, vt omnia verba ſibi conſonent, immo pauci inter ſe in ea exponenda in omnibus conueniunt; maxima tamen eorum pars ad Euangelium hæc verba refert, quo lex finita, & abbreuiata eſt; varie tamen connectunt, & interpretantur. Quibus nos in illo conſentimus; quamuis ſenſum alium, qui nobis accommodatior viſus eſt, propoſuimus in commentario; noluimus enim à ſeptuaginta Interpretũ verbis diſcedere, cum & Paulus ita legerit, conatiq. ſumus concordare eorum lectionem cum Hebræa.

Et ſicut praedixit Iſaias, niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus.

Quare ex Iudæis nõ oẽs perierunt, & pauci ſalui facti ſunt.

HOc idem altero teſtimonio confirmat ex eodem Iſaia cap. 1. Iſai. 1. Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ideſt, paucos Iudæos, qui conuerterentur, & velut ſemen paucum aliquos multiplicarent, omnes Iudæi eſſemus ſicut Sodomorum & Gomorrhæorum populi, qui funditus perierunt. Ecce habes & Iudæos vocatos, & ad populum Dei pertinentes; multitudinem tamen eorum reiectam, & repudiatam; loco cuius multitudo gentium poſita eſt. nam populus ipſe, qui ante miſericordiam non erat conſecutus, factus eſt dilectus, & Dei populus, & miſericordiam conſecutus.

Quid ergo dicemus? quod Gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam; iuſtitiam autem, quae ex fide eſt; Iſrael vero ſectando legem iuſtitiae, in legem iuſtitiae non peruenit.

Iudæus cur fuerit reiectus ab Euangelij iuſtitia, & gẽtilis aſſecutus ſit.

HAec eſt quarta pars capitis, nempe, cur Iudæus ab Euangelij iuſtitia fuerit reiectus; hæc autem pars ſic connectitur ſuperioribus. Ex Prophetarum enim teſtimonijs allegatis duo colligit, & deducit Paulus. Vnum eſt, Gentes, quæ iuſtitiam non ſequebantur, quia ſtudio virtutum deditæ non erant, nec verum cultum, nec religionem habebant, conſecutæ ſunt iuſtitiam, non legis Iudaicæ, ſed Euangelicæ, quæ datur & recipitur per fidem; & quæ eſt vera & perfecta iuſtitia, liberans à peccatis, & Deo reconcilians. hoc ex teſtimonio Oſeæ allegato conſtat. Alterum eſt, Iſraelitas & Iudæos carnales, qui ſectabantur legem iuſtitiæ, quam per Moyſem à Deo acceperunt, & in hoc melioris erant conditionis, quàm Gentes, non perueniſſe, nec aſſecutos eſſe legem iuſtitiæ, quæ eſt per fidem, & Euangeliũ; hoc .n. eſt, quod Iſaias prædixit; paucos nẽpe ex Iſrael cõuertendos, multitudine corũ in infidelitate,

litate, & captiuitate remanente. Concluſio hæc eſt, quā probandam ſuſcepit; non ex operibus Iacob electum, Eſau vero repulſum. quibus ſignificatur gentium vocatio, & Iudæorum reiectio: non enim gentes ex operibus vocatæ ſunt, cum iuſtitiam non eſſent ſectatæ.

Attende verba; illud, Quid ergo dicemus? idem ſignificat, ac ſi diceret, ergo dicemus & aſſeremus, gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, &c. illatio enim eſt ex præcedentibus teſtimonijs; Gentes autem dicit non ſectatas eſſe iuſtitiam, quia nec legem habebant à Deo, nec opera legis faciebant; Iudæos autem non dicit ſectatos eſſe iuſtitiam, ſed legem iuſtitiæ, quia nec opera legis habebant, ſed peccatis indulgebant, legem tamen à Deo iuſtitiæ acceperant, & profitebantur. qui dicuntur non apprehendiſſe, nec perueniſſe ad legem iuſtitiæ, quia non ſolum non acceperunt iuſtitiam, ſed nec etiam receperunt Euangelium, quo iuſtitia acquirenda erat. Et conſideranda eſt vis verbi (peruenit) acceperat enim Iudæus Euangelium in figura, per quam quodammodo veniebat ad iuſtitiam; ſed non peruenit; quia veritatem ipſam non eſt conſecutus, ſed in fine defecit; quem enim venturum credebat, & ſperabat, & vmbris præfigurabat, venientem repulit.

Quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus.

Iudæus cur ad iuſtitiam nō peruenerit.

CAuſam, cur ad iuſtitiam non peruenerit, exponit, quia, inquit, non quæſierunt iuſtitiam ex fide, ſed exiſtimarunt, ſibi legis opera ad iuſtitiam coram Deo ſufficere, ideo lege contenti, fidem Euangelij ſpreuerunt. Hoc in capite ſequenti clarioribus verbis repetit Paulus. Ignorantes, inquit, Dei iuſtitiam, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti; ſi enim cognouiſſent, ſe non ex legis operibus iuſtificatos eſſe in legis ſtatu, ſed ex fide venturi, non ita negligentes fuiſſent in acceptanda fide Chriſti venientis. ſua tamen lege confiſi fidem ſpreuerunt, ideo ad iuſtitiam non peruenerunt. Græce habetur, quaſi ex operibus legis.

Offenderunt enim in lapidem offenſionis.

Iudæi quō offenderunt in lapidem.

CVr non aſſecuti ſint iuſtitiam ex fide, cauſa eſt, quia, inquit, offenderunt in lapidem offenſionis; id eſt, ceciderunt à fide, non recipientes verum Chriſtum, in quem venturum credebant.

ideo

ideo enim lapis dicitur Chriſtus offenſionis, quia occaſio illis fuit ruinæ in fide. legis ergo operibus contenti fidem venientis Chriſti repulerunt, in qua iuſtitia vera & perfecta erat; idcirco non peruenerunt ad iuſtitiam; gentes autem credentes in eum apprehenderunt iuſtitiam Dei. Attende metaphoram, ſicut qui in via ambulans alio oculos conuertit, offendit in lapidem, & cadit, ita Iudæi ad iuſtitiam, quæ ex lege eſt, conuerſi, & non reſpicientes ſcopum, & iuſtitiam, quæ ex fide eſt, offenderunt in auctorem fidei & iuſtitiæ.

Sicut ſcriptum eſt; Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali; & omnis, qui credit in eum, non confundetur.

Caſus Iudæorum, & iuſtitia credentiũ

TEſtimonio Scripturæ probat & caſum Iudæorum non credentium Chriſto, & iuſtitiam eorum, qui per fidem eum receperunt. Eſt autem teſtimonium ſumptum ex Iſaia, conſertum autem ex duobus locis, nempe cap. 8. & 28. Prima enim & vltima verba (ecce pono in Sion) & (omnis qui credit in eum, non confundetur) ſunt ex cap. 28. media autem ex cap. 8. Lapis hic Chriſtus eſt poſitus in Eccleſia; Iudæis quidem incredulis lapis offenſionis, & petra ſcandali ex ipſorum malitia; credentibus autem tam ex Iudæis, quàm ex gentibus certæ iuſtitiæ, & ſalutis cauſa; ideo dicitur; Omnis, qui credit, ſiue Iudæus, ſiue Gentilis, non confundetur, quia iuſtitiam accipiet, certamq. ſalutem, nec ſua vmquam fruſtrabitur ſpe.

Iſai 8. & 28.

ANNOTATIO XXXIV.

Chriſtus cur dictus lapis offenſionis, & petra ſcandali.

ATtende, Chriſtum prædictum eſſe lapidem offenſionis, & petram ſcandali Iudæis incredulis futurum. Sunt autem hæc duo maxime diſtincta, quamuis omnes fere pro eodem accipiant vtrumque. Chriſtus autem dicitur lapis offenſionis per metaphoram. Vt enim offendiculum in via inconſiderate ambulantibus occaſio eſt ruinæ, & caſus, ita Iudæis Chriſtus aduenions occaſio fuit ruinæ ſpiritualis, ceciderunt enim à fide. cum enim fideles eſſent credendo in venturum, amiſerunt fidem non credendo venienti. Hoc autem non culpa lapidis, aut Dei ponentis lapidem, ſed ipſorum Iudæorum, qui ſigna à Deo data aduẽtus Chriſti non conſiderarunt.

Vbi attende duo. Vnum eſt, ſicut offendiculum non ſolet eſſe lapis magnus, ſed paruus, qui præ paruitate non facile aduertitur, ita Chriſtus aduenions in humilitate, paupertate, & paſſibilitate, comparatus eſt offendiculo, & lapidi paruo: tamen ſi lapidem ponens admoneret am-

Chriſtus cur comparatus lapidi paruo, ſiue offendiculo

Digitized by Google

ret ambulantes offendiculi, is non eſſet in culpa caſus & ruinæ, ſed negligentia ambulantium; ita nec Deus eſt in culpa, quia huius paruitatis, & eorum quæ futura erant, per Prophetas præmonuit Iudæos; immo ipſomet aduentus tempore miſit lucernam, & indicem lapidis huius Ioannem Baptiſtam, vt teſtimonium perhiberet, ne caderent.

Alterum eſt, ſicut offendiculum eſt in via, ambulantibus in ea, ita Chriſtus Iudæis fuit offendiculum, quia ipſi in via ambulabant, fidem, & religionem veram habentes. gentibus autem, quæ extra viam erant, & potius iacebant in morte peccati, non dicitur lapis offenſionis, quamuis multæ earum non crediderint. qui enim non ſtat, non dicitur cadere. ideo 1. Corinth. 1. dicitur: Prædicamus Chriſtum crucifixum Gentibus ſtultitiam, Iudæis autem ſcandalum. intellige de Iudæis, qui non crediderunt, ſic enim expoſitum eſt 1. Pet. 2. Non credentibus, inquit, lapis offenſionis, & petra ſcandali. Hac igitur de cauſa dicitur lapis offenſionis.

Petra autem ſcandali dicitur alia de cauſa longe diuerſa; nimirum, quia temporaliter puniuit incredulos Iudæos per Romanos, propter illorum incredulitatem. de qua punitione dicitur Luc. 19. Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, & ad terram proſternent te, &c. eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ. Hoc eſt eſſe petram ſcandali. ſignificat enim petra ſcandali petram ruentem, & cadentem ſupra hominem, ſicut euenit ex ruina alicuius domus. Grauius autem percutitur homo, quando ſaxum magnum ruens cadit ſuper eum, quàm quando offendit in lapidem, & cadit. Sic grauior fuit pœna, quando puniti ſunt in hoc ſeculo, & in futuro, propter primum caſum ex lapide offenſionis, nempe infidelitatem. Fuit ergo lapis offenſionis incredulis, quia ceciderunt à fide, & fracti ſunt: at petra ſcandali fuit illis, quando propter incredulitatem vindictam ſumpſit, temporali, & æterna eos pœna puniendo. hoc ſignificauit Dominus Matth. 21. & eſt locus notandus: Qui ceciderit, inquit, ſuper lapidem iſtum, confringetur; ſuper quem vero ceciderit lapis, comminuet eum. Hoc idem ipſe Iſaias ſignificauit, exponens hæc eadem duo verba. Poſtquam enim dixit, erit in lapidem offenſionis, & in petram ſcandali, adiunxit; & offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur. Nota, offendent, & cadent, quia lapis eſt offenſionis; conterentur autem, quia petra eſt ſcandali. Hoc idem ipſa nomina denotant: nam dicitur petra; apud Græcos autem πέτρα, non quamuis petram, ſed magnam, & ſaxum ſignificat ingens: nemo autem offendit in petrã magnam, ſed hæc eſt, quæ cadit ex ruina aliqua; lapis autem offenſionis dicitur Græce λίθος, quod lapidem communem ſignificat, etiam paruum. Quæ differentia eſt etiam in nominibus Hebræis; nam אבן lapidem ſignificat quemcumque, etiam paruum; at צור ſignificat ſaxum magnum, & dicitur מכשול à verbo כשל quod ſignificat ruere, & cadere. inde nomen, quod caſum, & ruinam ſignificat, & aliquando offendiculum, quod eſt cauſa ruinæ, quod Septuaginta verterunt πτῶμα, ideſt, caſum, quaſi petra caſus, actiue, petra cadens: & hoc ſignificat petra

ſcandali

Luc. 19.

Petram ſcandali eſſe quid ſignificet.

Mat. 21.

Digitized by Google

ſcandali. Quibus ergo, fuit lapis offenſionis Chriſtus propter eorum incredulitatem, fuit poſtea petra ſcandali per punitionẽ. Et perpẽde adhuc maiorem ſignificationem. quando lapis fuit Chriſtus, id eſt, in ſua humilitate, & paſſione, tunc offenderunt Iudæi, & illis fuit lapis offenſionis; at factus Petra magna, nempe poſt reſurrectionem, & aſcenſionem, eius iam gloria manifeſtata, tunc fuit petra ruinæ, caſus, & ſcandali ſuper eos, quando minus cogitabant, & ſibi eſſe iam ſecuri, Chriſto occiſo, videbantur; petra enim ſcandali opprimit eos, qui minus ruinam præuident. Hæc eſt legitima explicatio huius prophetiæ adductæ à Paulo, quam præſentit Auguſt. ſerm. 40. de verb. domi. dicens; Iudæos offendiſſe in Chriſtum, quando parua fuit petra in hoc mundo, at factus magna petra in die iudicij cadet ſuper eos. idem in Pſal. 45.

Auguſt.

Pſal. 45.

ANNOTATIO XXXV.

Qui crediderit nõ confundetur quõ intelligitur.

ADhuc in ſuperiori ſententia adnotandum eſt, illa verba (qui crediderit, non confundetur.) in Hebræo haberi, qui crediderit, non feſtinabit, eſt enim futurum יחש à verbo חוש quòd feſtinare ſignificat. Vnde Hieronymus vertit, non feſtinet. Pro huius autem intelligentia aduertendum eſt, dictũ eſſe per metaphoram, nõ feſtinabit; feſtinant .n. qui de effectu futuro incerti ſunt, timentq. ne occaſionem amittãt, neve ab aliquo impediantur, quominus, quod intendunt, aſſequantur. qui autem credit, dicitur non feſtinare, quia certa eum ſalus manet, nec impediri ab aliquo poteſt, ſi in fide vera permaneat. Septuaginta autem, qui ſæpe ſenſum conſiderarunt, optime verterunt, qui crediderit, non confundetur, quia certa eſt eius ſpes, non fallax, nec habet, cur feſtinet; non ergo eſt diſcrepantia aliqua, ſed declaratio, quod enim per metaphoram Hebræus ſermo ſignificat, hoc per proprietatem Septuaginta verterunt. Aliqui putant Septuaginta legiſſe nõ יחוש ſed יבוש à verbo יבש, quod ſignificat confundere, inde participium paſſiuum, quod poſitum eſt loco futuri, & ſignificat cum negatione, non confundetur. nec eſt improbabile hoc. nam certum eſt Septuaginta aliquando aliter legiſſe, quàm nunc nos legimus.

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

FRatres, voluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad Deum, fit pro illis in ſalutem. Teſtimonium enim perhibeo illis quòd æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Ignorantes enim iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Finis enim legis, Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti. Moyſes enim ſcripſit, quoniam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, viuet in ea. Quæ autem ex fide eſt iuſtitia, ſic dicit: Ne dixeris in corde tuo: quis aſcendet in cælum? id eſt, Chriſtum deducere: Aut quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt, Chriſtum à mortuis reuocare. Sed quid dicit Scriptura? Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus. Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Dicit enim Scriptura: Omnis, qui credit in illum, non confundetur. Non enim eſt diſtinctio Iudæi, & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo vero prædicabunt niſi mittantur? ſicut ſcriptum eſt: Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Sed non omnes obediunt Euangelio. Iſaias enim dicit: Domine quis credidit auditui noſtro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed dico: Numquid Iſrael non cognouit? Primus Moyſes dicit: Ego ad aemulationem vos adducam in non gentem: in gentem inſipientem, in iram vos mittam. Iſaias autem audet, & dicit: Inuentus ſum à non quaerentibus me: palam apparui ijs, qui me non interrogabant. Ad Iſrael autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.

A N-

ANNOTATIO I.

OCcaſione illius ſententiæ præcedentis capitis,(quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus) nimirum Iudæos non perueniſſe ad iuſtitiam Dei conſequendam, quæ in remiſſione peccatorum,& reconciliatione cum Deo conſiſtit, quia eam non ex fide, ſed ex operum legis virtute & efficacia ſe eam habere putabant, in hoc decimo capite tres conſtituit & confirmat veritates, maxime ad Euangelium pertinentes, contra tres errores Iudæorum, quibus detinebantur, ne Euangelium reciperent.

Errores Iudæorum cur Euangeliũ non reciperẽt, & veritatis Euangelij amplitudo.

Prima veritas eſt: præter iuſtitiam legis eſſe iuſtitiam fidei, & hanc eſſe veram & perfectam, per quam ſalus eſt. Errabant Iudæi, exiſtimantes lege ſe cõſequi iuſtitiam apud Deum, ideo fidem & Euangelium tamquam inutile ſpernebant, quem errorem multis in locis Paulus eos dedocere ſtudet, oſtendens & probans, non lege, ſed fide eam iuſtitiam datam ſemper fuiſſe, vt patet Rom. 4. Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum; ſed quid dicit Scriptura: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. ad Galat. etiam hoc idem multis verbis docet. idq. etiã in præſenti proſequitur.

Veritates iuſtitiæ fidei.

Rom. 4.

Gal.

Altera veritas eſt: hanc iuſtitiam veram & perfectam, quæ ex fide, non Iudæis ſolis, ſed etiam Gentibus eſſe propoſitam, ad eamq. recipiendam omnes vocari, neminemq. repelli. Errabant etiam in hoc Iudæi, arbitrantes, Gentes in præputio iuſtitiam habere non poſſe. In quo errore erant à principio nonnulli diſcipuli. Act. 10. Petrus enim videns vas plenum animalibus immundis, & iuſſus comedere, reſpondit, abſit Domine, quia numquam manducaui omne commune, & immundum; poſteaque miſſus ad Cornelium gentilem conuertendum,& myſterium intelligens, protulit ſententiam hanc; In veritate comperio, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt, & Act. 11. Cum aſcendiſſet Petrus Hieroſolymam, *Act.* 10. dixerunt illi ex Iudæis conuerſi: quare introiſti ad viros præputium habentes; reſpondente autem Petro,& exponente viſionem, quam habuit ſupra Cornelium, illi glorificauerunt Deum, dicentes, quia & Gentibus dedit Deus pœnitentiam ad vitam. iuſtitia ergo, quæ ex fide eſt, & quam annunciat Euãgelium, communis eſt. Hanc veritatem multis in locis Paulus docet contra Iudæos incredulos, Rom. 2. Non *Rom.* 2. qui in manifeſto eſt Iudæus, nec quæ in carne eſt circumciſio, ſed quæ in occulto. & circumciſio non litera, ſed ſpiritu. Rom. 3. An Iudæorum tantum Deus? nonne & *Rom.* 3. *&* 4. Gentium? Rom. 4. Abrahæ reputata eſt fides in iuſtitiam, non in circumciſione, ſed in præputio. Hanc eandem veritatem hoc in loco confirmat.

Tertia veritas eſt, quæ ex proxima conſequitur, nempe prædicandam eſſe fidem, & Euangelium etiam Gentibus præputiatis. errabant etiam in hoc Iudæi, arbitrantes Chriſtum miſſum eſſe, aut mitti debere pro ipſis ſolis, & non pro Genti-

Digitized by Google

Gentibus præputium habentibus, nec eſſe eis prædicandum Euangelium, niſi circumciderentur. quem errorem improbat Paulus ad Gal. 2. reprehendens Petrum ſimulationis. Hæc tria impedimento erant Iudæis incredulis acceptandi Euangelium, nempe, quia iuſtitiam non ex lege, ſed ex fide prædicabat, & hanc communem Gentibus etiam in præputio faciebat, & omnibus ſine diſtinctione annunciabat. Paulus ergo, qui in præcedenti capite gentes ad poſteritatem Abrahæ pertinere, & iuſtitiam apprehendiſſe, Iudæos autem repulſos eſſe docuit, & repulſæ cauſam aperuit, quia non ex fide, ſed ex lege inſtitiam quærebant, in hoc iam decimo capite, hanc iuſtitiam fidei contra legis iuſtitiam iuxta Iudæorum opinionẽ, confirmat, eamq. communem, & prædicãdam omnibus comprobat.

Fratres, voluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad Deum ſit pro illis in ſalutem.

IVdæos iterum obiurgaturus, & eorum errores extirpaturus, beneuolentiam conciliat, vt illi obiurgationis eius verba non ex odio, aut inuidia, aut contentione, ſed ex ſtudio, & cura ipſorum ſalutis, & veritatis zelo procedere agnoſcant. Ad conuerſos igitur ex Iudaiſmo, de ijs, qui increduli adhuc erant loquens, inquit, Fratres, voluntas mei cordis, & obſecratio ſit pro illis in ſalutem. ideſt, vehementer deſidero, & Deum maxime obſecro, vt illi ſalutem conſequantur. Qui ergo tanto deſiderio ſalutis eorum teneor, qui preces ad Deum pro eis fundo, non ex odio aliquo, ſed ex affectu charitatis, & veritatis ſtudio eos obiurgare reputandus ſum.

ANNOTATIO II.

Voluntatis acceptio duplex.

VOluntas Græce εὐδοκία eſt, aliqui vertunt, propenſam voluntatem; ſignificat enim beneuolentiam & affectumvoluntatis gratuitum. hoc tamen in loco magis ſignificare videtur deſiderium vehemens. & ita Chryſoſtomus, Theodoretus, & Oecumenius exponunt. hoc enim erat Pauli, non abſolute velle ſalutem Iudæorum, id enim Dei eſt, ſed deſiderare. Additur autem (cordis) ad ſignificandam magnitudinem voluntatis, & deſiderij huius. Obijciet aliquis, ſi prædicta eſt Iudæorum repulſa, & reliquiæ ſaluandæ erant, multitudine reiecta, cur orat Paulus, curq. deſiderat ſalutem eorum? Reſpondeo, reiectos eſſe eorum culpa, & quemadmodum non excuſantur à peccato illi non credentes, quia credere potuerunt, ita etiam Paulus orat pro eis; non enim prædictio neceſſitatem imponit, ſed quod futurum eſt prænunciat. Sic etiam nos rogamus, & oramus pro Iudæorum conuerſione.

Teſti-

Digitized by Google

Teſtimonium enim illis perhibeo, quod æmulationem Dei habent: ſed non ſecundum ſcientiam.

HAnc animi & cordis ſui voluntatem, & ſtudium erga ſalutem Iudæorum incredulorum probat ab effectu; hoc ſignificat particula illa (enim) quæ cauſam præcedentis dicti exponit, teſtor, inquit, & conſtanter affirmo, illos habere quidem æmulationem & zelum Dei, tamen non ſecundum ſcientiam, ideſt quæ faciunt, bona intentione faciunt, Euangelio enim reſiſtunt, putantes ſe Dei honorem defendere, dum eius legem tuentur; & hoc ex ſe aliqua eſt laude dignum: ſed errant, quia vere contra Dei honorem agunt: & hoc eſt non ſecundum ſcientiam facere, quod maxime eſt reprehenſione dignum. Hunc eundem zelum expertus eſt in ſeipſo Paulus nondum conuerſus, vt conſtat Gal. 1. Perſequebar, inquit, Eccleſiam Dei, & expugnabam illam, abundantius æmulator exiſtens paternarum mearũ traditionum. & Philip. 3. Secũdum æmulationem perſequens Eccleſiam Dei. Simile illud eſt Ioann. 16. Qui interficit vos, arbitrabitur ſe obſequium præſtare Deo, ſed hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem neque me. In cuius expoſitione Aug. tract. 93. hunc locum Pauli tanquam ſimilem allegat. non ergo illi Iudæi in hoc malitia, ſed ignorantia peccabant; a graui tamen culpa non excuſabantur, quia veritatem facile poterant, & debebant agnoſcere, & in hoc reprehenſione digni erant. Laudi Paulus vituperationem coniunxit, vt inquit Theodo. veluti quadam eſca hamum celans, vt poſſit orationis ſuæ lucrum in eis obtinere.

Pauli voluntas & ſtudiũ circa ſalutem Iudæorum.

Philipp. 3

Ioan. 16

Auguſt.

Theodor.

Ignorantes enim iuſtitiam Dei, *& ſuam quaerentes ſtatuere, iuſtitiae* Dei *non ſunt ſubiecti.*

QVomodo zelum Dei habeant, & qualiter zelus hic non ſit ſecundum ſcientiam, exponit, & præcedentis ſententiæ cauſam reddit. illi, inquit, ignorantes Dei iuſtitiam, ideſt neſcientes per fidem homines coram Deo iuſtificari, iuſtitiamque, qua homo remiſsionem peccati, & reconciliationem cum Deo habet, per fidem dari non intelligentes; ſtudent & quærunt legis iuſtitiam ſtabilire & tueri, ac defendere, quæ quidem iuſtitia humana eſt, quia non facit iuſtos coram Deo, ſed coram hominibus. hæc igitur eſt cauſa, cur non ſunt ſubiecti iuſtitiæ Dei, ideſt fidem & Euangelium noluerunt recipere. Quod ergo ſuam iuſtitiam ſtatuere quærant,

Iudæi quærũt iuſtitiã legis tueri, non autem fidem recipere.

Digitized by Google

id eſt legem tueantur, zeli eſt; quod autem hoc ex ignoratione iuſtitiæ veræ, quæ per fidem eſt, faciant, eaque de cauſa non ſint ſubiecti Dei iuſtitiæ, nec fidem agnoſcant, nec Euangelio obediant, id non ſecundum ſcientiam eſt, ideo zelum habent, ſed non ſecundum ſcientiam.

Attende verborum efficaciam, quibus & ſi Iudæos ex parte propter ignorationem excuſet, culpam tamen auget, iuſtitiæ enim Dei, id eſt fidei, ſuam, id eſt legem præponunt. Appellat autem iuſtitiam Dei, fidem, quia per ipſam &, Euangelium, vti diximus, iuſtitiam apud Deum habemus, quæ in remiſſione peccatorum, & reconciliatione cum Deo conſiſtit; legem autem illam appellat iuſtitiam ſuam, id eſt, humanam, quia, ſecluſa fide, lex etiam, ſi obſeruari poſſet, non facit iuſtos apud Deum, ſed apud homines: iuxta illud ſuperius cap. 4. Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habeat gloriam, ſed non apud Deum. & Philip. 3. ſecundum iuſtitiam, quæ ex lege eſt, conuerſatus ſine querela. nota (ſine querela) nempe apud homines. & iterum, in illo inueniar habens nō meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti, quæ ex Deo eſt. Eſt autem denominatio ab effectu, nam iuſtitia Dei effectus eſt fidei & Euangelij; humana autem effectus eſt legis. Grauis autem culpa eſt, iuſtitiam Dei poſtponere iuſtitiæ hominum. Præterea, dum dicit ſuam iuſtitiam, inſimulat eos ſuperbiæ, quaſi velint gentes à iuſtitia excludere, nec aliam eſſe iuſtitiam, quàm eam, quæ apud eos eſt. Præterea verbum (quærunt) vt notat Chryſoſtom. ambitionem & contentionem inſinuat illorum, qui omni ſtudio quærebant hanc ſuam præponere iuſtitiam. Præterea verbum (ſtatuere) ſignificat illorum conatum, volentium extirpare Euangelium & fidem, vt firma lex illorum maneret. De hac ignorantia Paulus in ſuamet perſona teſtatur. 1. Thimoth. 1. dicens. Prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus, ſed & miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate. Quærebat tunc Paulus ſuam ſtatuere iuſtitiam. His verbis duos errores Iudæorum notatos habes, quorum in annotatione prima meminimus, nempe non eſſe aliam iuſtitiam, præter eam, quæ legis eſt, hacque eos iuſtificari coram Deo. Rurſus hanc iuſtitiam propriam eſſe ipſorum, non gentium præputium habentium.

Rom. 4.
Philip. 3.
Chryſoſt.

AN-

ANNOTATIO III.

Iuſtitia legis cur dicatur propria Iudæorum.

CErtum eſt, iuſtitiam, quæ ex lege ſola erat, fide ſecluſa, appellari à Paulo (ſuam, ſeu propriam illorum.) cur autem propria illorũ, ſeu ſua dicta ſit, non eodem modo oẽs interpretantur. Theod. & Oecumeni. propriam appellari affirmãt, quia iam lex ceſſauerat, & eius obſeruãtia erat illorũ, non Dei. Chryſoſt. duas reſponſiones adfert. Vna eſt, dici illorum iuſtitiam, quia illi non poterant legem implere: ſine fide enim tota lex impleri non poteſt, vnde iuſtitia eorum imperfecta erat & humana, quam ipſi ſuis viribus habere poſſe putabant. hæc expoſitio eſt Aug. tract. 26. in Ioan. & Anſelmi. Altera eſt, quia illa iuſtitia legis laboribus, & ſudoribus acquirebatur; iuſtitia autem fidei facilis eſt, vtpote à Deo donata. Alij aſſerunt, iuſtitiam appellari illorum, quia erat traditionum obſeruantia contra mandata Dei, de quibus dicitur Matt. 15. Vos tranſgredimini mãdata Dei propter traditiones veſtras. Nulla tamen harum expoſitionũ ad rem facere vr̃. nam Paulus intendit legi cõferre, & pręponere fidem, ac Euangelium, cõtra illos, qui zelo ignorantiæ legẽ pręferebant. ideo ab effectu eas appellat. iuſtitia autẽ legis totius etiam ſi obſeruari poſſet ſecluſa fide, quod vere non fuit, quamuis a Deo lex illa eſſet, non dabat remiſſionẽ peccati, nec reconciliabat cũ Deo, ſed iuſtũ efficiebat hominem apud homines, vt in commentario diximus ad Rom. 4. ideo humana dicta eſt, & ſua illorum; at fidei iuſtitia vera eſt apud Deũ, quæ peccata remittit, & Deo recõciliat. ideo dicitur iuſtitia Dei, non ſolum quia a Deo eſt, nam lex etiam à Deo eſt, ſed quia apud Deum facit hominem iuſtum. propter hoc ergo dicta eſt lex illorum propria. Adde, hoc nomine inſinuatam eſſe ſuperbiam illorum, volentium a iuſtitia excludere gentes in præputio, vti expoſitum eſt.

Auguſt. — *Math. 15* — *Rom. 4.*

Finis enim legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti.

Chriſtus cur finis legis, & quo modo.

CAuſam exhibet, cur qui ſolã legis iuſtitiã ſtatuere quærũt, iuſtitiæ Dei non ſint ſubiecti, nec eam habeant. ea autẽ eſt; quia finis legis Chriſtus eſt, ideſt ſcopus totius legis eſt Chriſtus ad iuſtitiam propoſitus, non operanti legem, ſed credenti; non huic, vel illi, ſed omni, tàm Iudæo, quàm Græco. ac ſi clarius diceret: tota lex ad hoc tendebat, non vt iuſtificaret, ſed vt pædagogus eſſet, indicans, & demonſtrans Chriſtum, cuius virtute iuſtitia datur per fidem omni credenti: non ergo lex eſt, quæ iuſtificabat, aut iuſtificat coram Deo, ſed is, qui ſcopus eſt legis; & hoc non per legem, ſed per fidem, cuius iuſtitia non Iudæo propria, ſed gentili etiam eſt, & fuit communis. qui ergo ſolam legis iuſtitiam ſtatuit, Dei iuſtitiam non habet, nec ei ſubiectus eſt; hæc enim non vi legis, ſed virtute Chriſti per fidem omni credenti cõicatur. Sententia hæc eſt cõtra duos errores Iudæorũ ſupra memoratos, non. n. fidei iuſtitiam

Digitized by Google

ſed ſolius legis agnoſcebant,& hanc iuſtitiam ſibi propriam, non autem communem præputium habentibus faciebant.

ANNOTATIO IIII.

VAria eſt expoſitio apud doctores ſuperioris ſententiæ,idque prouenit,quia multis modis ſecundum rei veritatē Chriſtus eſt finis legis;non tamen ad propoſitū Pauli omnes hi modi facere videntur. In primis Cyril.lib.9. cōtra Iulian. hunc locum ſic exponit,vt Chriſtus finis legis dicatur, quia ipſam terminauit,& ceſſare fecit,implens ea, quæ in lege ſignificata erāt. cui expoſitioni adhærere videntur Aug. lib.2.contra Aduerſarium Legis, & Prophetarum cap.7.& Greg.hom. 16.in Ezech.& re vera ita eſt; Chriſtum nempe finem legis fuiſſe.tamē non videtur hoc ad mentem Pauli; reddit enim hiſce verbis cauſam, cur iuſtitiæ Dei non ſint ſubiecti,in eo autem ſenſu expoſita ſententia, non videtur cauſa accommodata. Secundo loco Chryſoſt. & Photius apud Oecumen. interpretātur,Chriſtum finem eſſe legis, id eſt perfectionem legis, quia quod lex non potuit perficere,nempe iuſtum hominem facere, id Chriſtus effecit per fidem. quæ expoſitio accommodata eſt, & veram continet doctrinam.Tertio loco Theodoret.Chriſtum finem legis explicat,quia ſcopus eſt legis, in quem omnia, quæ legis ſunt,tendunt,vt qui Chriſtum per fidem non habet, legem ſine fructu ſortiatur; inutilis enim eſt res ſine ſuo ſcopo & fine; quam expoſitionem ſecuti ſumus tamquam accommodatiorem. Quarto loco Anſelm. finem exponit legis, Chriſtum, quia ſine fide Chriſti lex impleri non potuit,nec poteſt. Vera doctrina hæc eſt; tamen non facile contextui accommodata:

Cyril. *Aug.* *Gregor.* *Chryſoſt.* *Phot.* *Theodor.*

Moyſes enim ſcripſit, quoniam iuſtitiam, quae ex lege eſt, qui fecerit homo, viuet in ea.

PRimum errorem Iudæorum verbis ſuperioribus reprobatum, nempe quod non diſtinguebant iuſtitiam fidei à iuſtitia legis, teſtimonio Scripturæ repellit; reddens cauſam proximæ ſententiæ; nimirum per fidem Chriſti eſſe iuſtitiam coram Deo, non autem per legem. hoc autem non vno, ſed multis locis Scripturæ efficit; ex quibus ſimul coniunctis hæc veritas confirmatur. Primum teſtimonium, & locus Scripturæ eſt ex Leui. 18. in quo de legis iuſtitia eſt ſermo,& ſic habetur: Cuſtodite leges meas, atque iudicia mea, quæ faciens homo, viuet in eis, id eſt,qui obſeruauerit leges meas,& iudicia,euadet mortis ſuppliciū,quod trāſgreſſoribus infligendum eſt:lex.n.illa morte corporali multas tranſgreſsiones vindicabat;aut etiā viuet in eis,quia obſeruātibus legē lōgæua erat vita promiſſa.Hūc locū citat Paulus,& eſt ſenſus.dixi vobis,iuſtitiā verā eſſe

Iuſtitia quomodo per fidem Chriſti,nō per legē.

eſſe per fidem Chriſti, non autem per legem; quia hæc legis iuſtitia humana erat: atque in confirmationem huius veritatis, quid Moyſes dicat, audite, hic enim de vtraque iuſtitia meminit; de illa enim, quæ legis eſt, ſic pronunciauit; homo qui fecerit iuſtitiam, quæ ex lege eſt, & obſeruauerit legis mandata, viuet in ea iuſtitia, ſeu in ipſis mandatis; ideſt, vitam corporalem conſeruauit per talem obſeruantiam. nam nec incurret mortis temporalis ſupplicium, & longius vita eius protrahetur. videte legis iuſtitiam, & eius fructum. quod autem Moyſes non hanc iuſtitiam ſolam, ſed etiam eam, quæ ex fide eſt, nouerit, & ſignificauerit, audite aliud teſtimonium eius ſequens. Hic eſt ſenſus & contextus. illa particula (quoniam) Græce ὅτι declaratiua, non cauſalis eſt.

ANNOTATIO XXVII.

GRæce illa particula (quoniam) non in eo loco, ſed inferius habetur, ſic Moyſes ſcribit, iuſtitiam quæ ex lege eſt, quoniam qui fecerit ea homo, ac ſi diceret. Moyſes de iuſtitia legis ſcribit, quòd qui fecerit legis mandata, viuet in eis. Rurſus non dicitur (in ea) ſed (in eis) quia præceſſit, qui fecerit ea. nẽpe legis mandata, viuet in eis. Rurſus verbum eſt præſentis ſcribit, ideſt, deſcribit iuſtitiam legis. Senſus tamen idem eſt, quamuis dilucidior eſt apud Græcos. Aug. lib. de ſpiritu & littera. c. 29. legit ſicut nos habemus, Ambr. autem lectionem ſequitur Græcam, Quantum autem ad explicationem & connexionem pertinet, varie ſentiũt doctores: aliqui hanc vitam ſalutem ſpiritualẽ interpretantur in hunc ſenſum, qui fecerit legis mandata, ſalutem conſequetur, at quia nemo potuit omnia perficere, nec legem implere, excidit illa iuſtitia, & inutilis facta eſt, ideoq; per fidem Chriſti iuſtitia datur, quæ ſine tot laboribus & ſudoribus eſt, vt in ſequenti ſententia dicitur. ſic Chryſoſ. & Oecum. exponunt. Alij de vita temporali interpretantur, quæ promiſſa eſt implentibus legem illam, aut quia iudiciũ mortis trãſgreſſoribus inflictæ euadebant: Sic Theodor. Ambr. & Anſelmus explicant, vt ſit ſenſus, iuſtitia illa legis a ſupplicio temporali liberabat: Erit ergo connexio iuxta hos doctores talis, vt Paulus probet, diſtinctam eſſe iuſtitiam legis a iuſtitia fidei, Moyſemq; vtramq; diſtinxiſſe, & diuerſimode de vtraque locutum eſſe: Priori autem loco de legis iuſtitia; poſteriori de fidei iuſtitia teſtimonium profert, & hæc eſt vera & legitima expoſitio. his enim duobus Moyſis teſtimonijs ſolum probat Paulus, aliam eſſe iuſtitiam fidei a iuſtitia legis, & iuſtitiæ legis fructum temporalem eſſe, nempe a ſupplicio liberare; iuſtitiæ autem fidei fructum longe alium, idque alijs adiunctis Scripturæ teſtimonijs confirmat, vt ex omnibus tota probatio cõſtet, nempe fidei iuſtitiam eſse aliam a legis iuſtitia, & illam eſse perfectam iuſtitiam coram Deo, in qua vera ſalus & perfecta eſt. Expoſitio

Auguſt. *Ambroſ.* Qui fecerit legis mandata quõ viuet in ea.

Chryſoſt. *Oecum.*

Theodor. *Ambr.* *Anſel.*

Digitized by Google

ſitio autem prior præterquã, quod violenta eſt,& verbis, ac contextui non accommodata,doctrinam non continet firmã & ſolidam. nõ enim vita ſpiritualis promiſſa eſt obſeruatoribus legis illius,ſed temporalia bona. vnde etiamſi omnia legis mandata ſeruare illi poſſent,niſi fides Chriſti eſſet, nunquam coram Deo iuſtitiam habuiſſet. vnde fidei iuſtitia neceſſaria eſt,non vt ſeruentur præcepta legis, quaſi eis ſeruatis iuſtitia detur,quamuis ſine fide ſeruari omnia mandata nõ poſſint, & ad plenam obſeruantiam neceſſaria fides Chriſti ſit,ſed neceſſaria eſt ad iuſtitiam, quæ in remiſſione peccatorum & recõciliatione cum Deo conſiſtit, quæ non potuit haberi per omnia mandata legis,etiã ſi millies impleri omnia poſſent. Legis ergo obſeruantia nõ adfert priorem iuſtitiam, quæ coram Deo eſt, non quia impleri non poſſunt omnia mandata, ſed quia,etiam ſi impleri poſſent, & implerentur, vim non habebant iuſtificandi, ſed virtus & efficacia Chriſti eſt, quæ per fidem datur ad iuſtitiam, & hæc eſt catholica doctrina. Paulus ergo his Moyſis teſtimonijs probat duas iuſtitias,legis,& fidei, quia illi increduli ſolam legis iuſtitiam agnoſcebant.

Quæ autem ex fide eſt,iuſtitia ſic dicit, Non dixeris in corde tuo, quis aſcendit in cælum, id eſt Chriſtum deducere? aut quis deſcendet in Abyſſum,hoc eſt Chriſtum à mortuis reuocare? ſed quid dicit Scriptura? prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo.

Moyſis teſtimonium de pœnitẽtia,& conuerſione ad Deum quæ pertinet ad fidei iuſtitiam. *Theodor. Deut. 30.*

ALtero Moyſis teſtimonio fidei iuſtitiã deſcribentis, diſtinctionem eius à legis iuſtitia cõfirmat per antitheſim, quaſi diceret, de iuſtitia legis Moyſes ſcribit, qui fecerit eã, viuet in ea;at de iuſtitia, quæ ex fide eſt,aliter loquitur, nempe, nõ dixeris in corde tuo.eſt aũt ſenſus,quæ ex fide eſt,iuſtitia ſic dicit, id eſt,de iuſtitia, quæ ex fide eſt, Moyſes dicit, ſeu Deus per Moyſem, vt exponit Theodor.teſtimonium hoc ſumptũ eſt ex Deuter.cap.30. vbi Deus per Moyſem loquitur,dicens;Mandatũ hoc,quod ego præcipio tibi hodie,non ſupra te eſt, neque procul poſitum, neque in Cælo ſitũ, vt poſſis dicere,quis noſtrum valet ad Cælum aſcendere,vt deferat illud ad nos,vt audiamus, neque opere compleamus? neque trans mare poſitum,vt cauſeris,& dicas,quis e nobis poterit transfretare mare,& illud ad nos vſque deferre,vt poſſimus audire,& facere, quod præceptum eſt? ſed iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. Hæc ſunt verba Moyſis, ſeu Dei per Moyſem.

Attende ergo diligenter pro vera intelligentia aſſequenda: mandatum hoc,non eſſe mandata legis;loquitur enim Moyſes de transgreſſo-

Digitized by Google

greſſoribus, ſuper quos omnes maledictiones, quas Deus comminatus erat, contra legis tranſgreſſores, ſuperuenerant; quibus Deus remedium adhibens nouum mandatum dedit; nempe de cõuerſione ad Deum per pœnitentiam, & dilectionem ipſius ex toto corde; ſic enim ad ſtatum priſtinum reuocare ſe poterant tranſgreſſores legis. De hoc mandato verba hæc allegata procedunt. Id autem non ad legis iuſtitiam, ſed ad fidem & Euangelium pertinet, ſicq; hoc teſtimonium allegatur à Paulo pro iuſtitia fidei; pœnitentia enim & dilectio Dei ex toto corde præter legis mandata ſunt, & ad Euangelicam pertinent iuſtitiam. virtute enim fidei Chriſti, pœnitentia tranſgreſſores reuocat ad Dei gratiam. ideo Paulus verba Moyſis exponit: quæ enim tacite & obſcure ſignificauit ille, quia fides illorum implicita erat, Paulus explicat & aperit, addens verba quædam ſua verbis Moyſis, vt ea declaret, nec omnia proſequitur verba, ſed ſenſum. De iuſtitia ergo fidei, ad quam mandatum hoc de conuerſione per pœnitentiam ſpectat, ſic dicit Moyſes, ſeu Deus per illum; non videatur tibi iuſtitia hæc impoſſibilis; nec dicas, quis aſcendet in Cælum, vt inde Chriſtum venire faciat ad nos per carnem? & quis deſcendet in limbum, vt filium Dei hominem factum, paſſum & mortuum inde reducat? non ita dicas, nec putes hæc à te peti. ſed audi Scripturam, quod ſubiunxit: prope eſt verbum in corde tuo, & ore tuo; ideſt, quod à te petitur, non hoc eſt, nõ enim tu iſta efficere vales, ſed petitur verbum cordis & oris, ideſt, vt credas hæc, teq; ex corde pœniteat, & ore Deum confitearis, ſic fiet vt à tuis tranſgreſſionibus ſaneris. hic eſt ſenſus.

Aduerte circa verba, illud (quod dicit Scriptura) interpoſitum eſſe, vt diſtinguantur præcedentia, quæ nomine Iudæorum dicta ſunt, ab his, quæ dicta ſunt à Deo in reſponſum, & ad repellendam excuſationem Iudæorum. Præterea Moyſes dixit, quis poterit trãſfretare? Paulus dixit, quis deſcendet in Abyſſum? nam Paulus ſenſum conſiderauit; per mare enim paſſio & mors Chriſti ſignificata eſt, aquæ enim paſſionem ſignificant in Scriptura. vnde transfretatio indicat deſcenſum in Abyſſum poſt mortem. ſunt enim verba Moyſis obſcura, & ænigmatica, quia ab illo populo non explicita, ſed implicita fides futurorum requirebatur.

ANNOTATIO VI.

QVantum ad verba attinet, illud (Scriptura) nõ habetur in Græcis codicibus, ſed illud ſolum (ſed quid dicit) & ita Auguſ. lib. de ſpiritu & liter. c. 29. legit, et videtur ſupplẽdum, quod ſuperius dixerat *Auguſt.*

(iuſtitia autem fidei dicit) ita nūc etiā, ſed quid dicit, nempe iuſtitia fidei, & ita ſupplet Chryſoſ. ſenſus tñ eſt idem. nā illud (iuſtitia, quæ ex fide eſt, dicit) ſenſum hunc facit, ſecūdum Theod. de iuſtitia, quæ ex fide eſt, dicit Deus per Moyſem. ita nūc: ſed quid dicit, nempe iuſtitia, id eſt quid Scriptura, ſeu Deus per Scripturā, aut Moyſem dicit de iuſtitia fidei. Quantū autem ad rem ipſam ſpectat. Attende, eſſe graue hoc in loco difficultatē, quia verba allegata nō videntur ad fidei iuſtitiā pertinere, ſed ad mādatorum obſeruantiam, vt cōſtat ex ipſis verbis Deut. Hac difficultate moti aliqui affirmarunt, hæc verba eſſe à Paulo dicta per alluſionē, & vſurpationem quandā, non quod iuſtitiā fidei teſtimonio hoc confirmet, ſed quòd verbis ſimilibus, quibus Moyſes vſus eſt de mandatis, vti etiā voluerit, ad explicandam fidei iuſtitiam. Chry. ita ſentire videtur, & Theod. quorū expoſitio ſi vera eſt, corruit energia, & vis ſentētiæ. nam Paulus hāc fidei iuſtitiā probandā per Scripturas aſſumpſit; aliter ſermo eius ab incredulis non eſſet acceptus.

Chryſoſt. *Theodor.* *Verba Moyſis de pœnitētia & cōuerſione ad Deū an ſpectent ad fidei iuſtitiā*

Alij affirmant, ſenſum litteralem de mādatis eſſe, Paulum tamē ſecutum eſſe ſenſum ſpirituale de fidei iuſtitia. atq. ita Phot. & Theophyl. ſentire videntur, quorum expoſitio vim argumenti, & doctrinæ Pauli apud incredulos minuit. vera ergo & legitima expoſitio eſt, Moyſem de mādato loqui, & illa verba prolata eſſe de mandato, ſed non de omnibus, ſed de quodā particulari, nēpe de cōuerſione ad Deum per pœnitentiā, poſt tranſgreſſiones quaſcūque legis, vt conſtat ex contextu illius c. 30. hoc autē nō ad legis iuſtitiā, ſed ad aliam diſtinctam pertinebat. erat.n. mandatum datū poſt totius legis tranſgreſſionem, vt per ipſum reuocaretur homo ad Dei gratiam. Ideo ad iuſtitiam à lege diſtinctam ſpectabat; quæ eſt iuſtitia euangelica, quam appellat Paulus iuſtitiam fidei. nam etiam tunc Iudæis inerat hæc iuſtitia diſtincta à lege. propterea in vero ſenſu litterali adducitur teſtimonium hoc à Paulo, & explicatur diſtinctius iuſtitia fidei, quam Moyſes obſcure, & ænigmatice populo illi rudi, & cui implicita fides ſatis erat, pronunciauit; eundem tamen ſenſum cum Paulo intendebat. non enim ſine fide Chriſti aduētus, reſurrectionis, ac mortis ſalus vlli vnquā contigit, quamuis olim implicita ſufficeret: nec ſine fide hac pœnitentia efficax eſt. Hæc eſt vera & legitima expoſitio huius loci.

Phot. *Theoph.* *Author.* *Deut. 30.*

Quantùm autem ad expoſitionē pertinet, varie exponitur ſuperior ſententia. Primo loco Chryſoſt. & Oecumen. de incredulitate hæc dicta interpretantur, in hunc ſenſum; ne dixeris in corde tuo; id eſt, ne incredibilis tibi videatur incarnatio, & reſurrectio Chriſti; ſed crede in corde, & ore confitere. Secundo loco Theod. de curioſitate exponit in eum ſenſum; ne ſis nempe curioſus in ſcrutandis myſterijs aduentus & reſurrectionis Chriſti. Tertio loco Anſelmus de incredulitate intelligit, tamen verba aliter explicat, nēpe ne dicas in corde tuo, quis aſcēdit in cælū? id eſt, ne cogites in corde tuo, dicens, nullus aſcendit in cælum, quia hoc eſt Chriſtū deducere id eſt, negare eius aſcenſionem. ſimiliter, ne cogites & dicas, neminē ad inferos deſcēdiſſe, qa hoc eſt Chriſtū reuocare ab inferis, id eſt negare pro nobis eſſe mortuū, & ad inferos deſcen-

Chryſoſt. *Oecum.* *Verba Pauli Chriſtū deducere, vel Chriſtum a mortuis reuocare, quē ſenſū habeāt.* *Theodor.* *Anſel.*

Digitized by Google

deſcēdiſſe. Hæc expoſitio vr̄ omnino violēta, & à vero ſenſu Pauli aliena, nā illud (hoc eſt Chriſtū deducere) & illud (hoc eſt Chriſtū ab inferis reuocare) nō ſunt cauſa præcedētis ſentētię, ſed expoſitio & declaratio, vt ſit ſēſus, quis aſcēdet in Cælū, ideſt; quis deducet è Cælo Chriſtum, & Incarnari faciet? Rurſus, quis deſcendet in Abyſſum? ideſt; quis Chriſtum reſurgere faciet? & in eum ſenſum, nempe in præcedentis ſententiæ expoſitionem, & declarationem accipitur illud (hoc eſt) à reliquis antiquis expoſitoribus. Et in hoc prima, & ſecunda expoſitio legitimæ ſunt. In eo autem, quod de incredulitate, aut curioſitate exponunt ſententiam iſtam, non videtur probandæ, nec contextui Pauli accommodantur; ſermo enim eſt de difficultate remouenda obſeruantiæ mandati iuſtitiæ fidei, & pœnitentiæ; quod facile eſt; non enim petitur à nobis, vt faciamus myſteria, ſed vt corde credamus, & ore confiteamur, & per pœnitentiā conuertamur. Erit ergò ſenſus, ne tibi difficile, & impoſſibile videatur, nec impoſſibilitatem cauſeris mandati, dicens: quis poterit Chriſtum è Cælo deducere, & ab inferis reuocare? quaſi hoc ſit tibi mandatū. non hæc à te petentur; ſed quod iuxta te eſt, nempe vt credas corde, & confitearis ore aduentum de Cælo, & reuocationem ab Abyſſo, hac fide mādatum facile implebis. Hic eſt verus ſenſus, quem adhuc in annotatione ſequenti magis dilucidabimus; ſupereſt enim grauis difficultas diſcutienda.

Hoc eſt verbum fidei, quod praedicamus, quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quod illum Deus ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris.

APplicat Paulus teſtimonium allegatum ſuo propoſito; & ſenſus eſt; quod Moyſes dixit, & quam iuſtitiam ſignificauit, dicens, prope eſt verbum in corde, & ore tuo; hoc eſt Euangelium, & iuſtitia, & fides, quam nunc prædicamus; ſed explicatius quàm ille. quod enim ille dixit, verbū prope eſſe in corde, & ore tuo: hoc nunc dicimus eſſe fidem cordis, & confeſsionem oris Chriſti Ieſu, nempe ſi confeſſus fueris ore Dominū Ieſum, ideſt, ſi exterius profitearis Dominum Ieſum, ideſt, te Chriſtianū eſſe, & Chriſtum Dominum ſequi, & interius corde credas Deum ſuſcitaſſe eum à mortuis, ideſt, vere ſurrexiſſe à mortuis, ſalutem conſequeris. Hoc eſt verbum, quod Moyſes prædixit eſſe prope in ore, & corde tuo, cordis nempe fides, & oris confeſsio.

Meminit Paulus reſurrectionis, quia in eo articulo fere concluditur tota fides; ibi enim mors in redemptionē, & ſalutem; ibi eius diuinitas; ibi eius poteſtas; ibi Eccleſiæ ædificatio, cæteraq; neceſſaria creditu comprehenduntur. confiteri autem Dominum Ieſum, eſt fateri Ieſum eſſe eum, qui ſperabatur, & promiſſus erat, & eum tanquam Dominum recipere, & religionem eius profiteri. Hac viua fi-

ua fide, & confeſſione cordis, & oris, vt oportet, ſalus datur, quam lex efficere non potuit.

Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.

Confeſsionis, & fidei effectus.

CAuſam reddit præcedentis ſententiæ, diſtinguens effectus fidei, & confeſsionis. Cordis, inquit, fides iuſtitiam, quæ in remiſsione peccati, & reconciliatione cum Deo conſiſtit, efficit. fide enim iuſtificamur; hanc tamen iuſtitiam nõ conſeruabimus, nec æternam ſalutem aſſequemur, niſi eam exterius cõfiteamur, & profiteamur, quam in corde retinemus. Oris ergo confeſſio non iuſtificat nos à peccato, nec Deo reconciliat, ſed fides interior; iuſtificati tamen fide, tenemur palam eam profiteri, vt æternam ſalutem conſequamur, & in eadem iuſtitia permaneamus, & vt eam etiam augeamus. Dictum enim eſt Matth. 10. Qui confitebitur me coram hominibus, cõfitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis eſt. & Luc. 9. Qui erubuerit me, & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in maieſtate ſua. *Math. 10*

Attende, Moyſem dixiſſe de fidei iuſtitia. Prope eſt verbum in corde tuo, & ore tuo, vt facias illud; non tamen expreſſiſſe per hoc verbum ſalutem effici æternam. Paulus tamen exponens hanc fidem, & confeſſionem, addidit, corde credi ad iuſtitiam, ore autem fieri confeſſionem ad ſalutem; ex Moyſe enim ſolum probare intendebat, diſtinctam eſſe iuſtitiam fidei à iuſtitia legis. Præterea ex Moyſe non habetur, hanc fidei iuſtitiam omni credenti, vt oportet, eſſe communem, & non ſoli Iudæo; idcirco nouis teſtimonijs confirmat effectum, & generalitatem huius iuſtitiæ fidei, & confeſſionis, quibus firma manet illa poſita ſententia, Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Hoc autem fit in ſequentibus ſententijs.

Dicit enim Scriptura, omnis, qui credit in illum, non confundetur; non enim eſt diſtinctio Iudaei, & Graeci.

PRiorem partem de fide cordis, quantum ad generalitatem & effectum, probat, contra ſecundum errorem Iudæorum, iuſtitiã ſibi ſolis vſurpantium, & gentes præputiatas excludentium. Teſtimonium autem eſt ex Iſa. 28. quod ſuperiori capite expoſitum eſt; omnis, inquit, qui credit in eum, non confundetur. Ponderat autem Paulus vniuerſalitatem, dicens: omnem credentem dictum

Iſai. 28.

eſſe

Digitized by Google

eſſe non confundendum; quia non eſt diſtinctio apud Deum quoad iuſtitiam hanc, gentilis, & Iudæi; non ergo Iudæus habet, quod iuſtitiam hanc ſibi propriam faciat. Græcum gentilem appellat, vt ſupra cap. 2. adnotauimus, nec in Hebræo, nec apud Septuaginta habetur particula (omnis) tamen ipſa loquutio indefinita vniuerſalitatem, & generalitatem indicat, ideo Paulus eam expreſſit.

Nam idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum.

Confirmat argumento generalitatem iuſtitię omnibus credentibus ſine vlla diſtinctione factam; nam, inquit, Deus eſt omnium Dominus, ſine diſtinctione Græci, aut Iudæi: cumque Dominus omnium ſit, diuitias ſuæ miſericordiæ cõmunes facit omnibus inuocãtibus eum; Domini enim eſt, auxilium præſtare ſeruis inuocantibus eum, quicumq; illi ſint. hoc in capite tertio dictũ etiã eſt.

Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.

Ioel. 2. TEſtimonio Scripturæ Iohel. 2. cõprobat, inuocantibus nomen Domini ſalutem eſſe communem; quod ad confeſsionem oris pertinet; & ſic tam fides, quàm confeſsio communes ſunt omnibus Iudæis, & gentibus. Quibus tribus teſtimonijs, nempe Moyſis, Iſaiæ, & Iohelis, Paulus confirmat iuſtitiam fidei eſſe aliam à legis illius iuſtitia, hancque eſſe veram iuſtitiam, quæ cauſa ſalutis diuinæ eſt, ac eſſe communem Iudæis, & gentibus. Sicque conuincit Iudæos duorum errorum, nempe non aliam eſſe iuſtitiam ab ea, quæ legis eſt, & hanc non eſſe communem præputium habentibus, ſed ſolis circumciſis.

Quomodo ergo inuocabunt eum, in quem non crediderunt?

EX proximo teſtimonio deducit Paulus, prædicationem verbi, & Euangelij debere eſſe generalem omnibus etiam gentibus, contra errorem Iudæorum tertium, exiſtimantium verbum, & prædicationem ſalutis eſſe propriam ipſis, non autem gentibus præputiatis, nec his eſſe annunciandum Euangelium. Senſus igitur eſt: ſi omnibus inuocantibus ſine exceptione, & diſcrimine promiſſa eſt ſalus, ergo neceſſaria eſt omnibus fides Dei; nemo enim inuocare

poteſt

Digitized by Google

poteſt eum, in quem non credit. Particula illa (ergo) hunc indicat ſenſum; reſoluenda enim eſt interrogatio in negationem; hoc modo; ergo neceſſe eſt credere, quia nemo poteſt inuocare eũ, in quẽ non credit: ſi ergo generalis eſt inuocatio, erit etiã fides communis.

Aut quomodo credent ei, quem non audierunt?

Auditus cui requiritur ad fidei credulitatem.

PRoſequitur deductionem, ſi neceſſaria eſt fides omnibus, igitur neceſſe eſt omnibus audire verbum ſalutis; nemo enim credere poteſt ea, quæ non audiuit, nec didicit; eſt enim fides dictis alterius aſſenſus. Oportet ergo audire ea, quæ credenda ſunt; quæ enim ignorantur, credi non poſſunt. Loquitur Paulus de actu fidei, & non de ſolo habitu; fidei enim habitus infunditur per Baptiſmũ infantibus nondum audientibus; qui proprie tamen non dicuntur credere, donec ad vſum rationis peruenientes audiant credenda, & aſſentiantur. Loquitur etiam de communi modo concipiendi fidem, & credendi: nam aliquando Deus reuelat ea, quæ credenda ſunt, & tunc homo credit, etiam ſi non audiat exterius, ſed tantum interius Deo reuelante; Paulus autem de exteriori auditu, & prædicatione tractat, quæ per homines fit; hic enim eſt communis modus fidem concipiendi.

Quomodo autem audient ſine prædicante?

PRoſequitur adhuc Paulus idem argumentum, eandemque deductionem: Si neceſſarius eſt auditus, ergo neceſſaria eſt prædicatio, quia nemo audire poteſt, niſi adſit, qui loquatur, & annunciet quæ audienda, & diſcenda ſunt, vt eis poſtea fidem adhibeat. Si ergo omnibus ſalus eſt promiſſa inuocantibus, nemoque poteſt inuocare, niſi credat in eum, quem inuocat, credere autem non poteſt, quæ ignorat, neceſſeque eſt audire, & diſcere, hoc autem neceſſario poſtulat prædicationem, ergo prædicatio generalis eſt omnibus, ſicut & cætera ſuperiora. Omnia hæc ex teſtimonio Prophetæ allegato manifeſte deducuntur.

Quomodo vero prædicabunt, niſi mittantur?

ADhuc proſequitur deductionem: Si prędicatio generalis eſt, & debet omnibus verbum annunciari, igitur debent eſſe aliqui, qui

Digitized by Google

qui mittantur, nempe ad prædicandum; non enim venire poſſunt ad audiendum, qui ignorant; debent potius magiſtri, & prædicatores accedere ad ipſos. Ex his conſequitur, cum Deus omnibus inuocantibus ſalutem promiſerit, ſecundum Dei ipſius voluntatem, & inſtitutionem eſſe, vt omnibus verbum annuncietur, & ad omnes gentes proficiſcantur homines, quia niſi mittantur, annunciare non poſſunt; niſi vero annunciauerint, nemo poterit audire, auditu autem deficiente fides concipi nequit, ac ſine fide nemo inuocabit, & ex conſequenti nec ſaluus erit, & tunc fruſtra ſalus eſſet promiſſa. Optime concludit Paulus contra Iudæos negantes, prædicationem Euangelij gentibus fieri debere, nolenteſq. recipere Apoſtolos tanquam non agentes ſecundum Deum, quia ad annunciandum gentibus proficiſcebantur. Conſtat autem ex Scriptura ipſa, hæc fieri debere.

ANNOTATIO VII.

Prædicator num ſemper debeat mitti

DVbitatio ſuboriri alicui poteſt de firmitate huius deductionis, quomodo prædicabunt, niſi mittantur, cum etiam non miſſi prædicare valeant; de falſis enim Prophetis dicitur Ierem. 13. nõ mittebam Prophetas, & ipſi currebant; non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. Reſpondeo, Paulum loqui de veris annũciatoribus ſalutis, & verbi Dei, hi non valent prædicare verbum, niſi miſſi à Deo, aut ab habente eius auctoritatẽ. Vt enim à Deo eſt ſalus, ita etiam prædicatio, & miſſio. ad Hebr. 5. Nec quiſquam ſibi aſſumit honorem, niſi qui vocatur à Deo. intellige de iuſta, & debita prædicatione; qui enim prædicat non miſſus, prædicat, ſed male facit.

Iere. 13.

Sicut ſcriptum eſt, quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.

COnfirmat teſtimonio Scripturę hanc miſsionem, & profectionem ad Euangelium annunciandum; teſtimonium autem eſt ex Iſai. 52. eſt autem contextus, & ſenſus horum verborum cum præcedentibus talis. prædicare non poſſunt, niſi à Deo mittantur, ſicut ſcriptum, & prædictum eſt per Iſaiam, qui de miſſione ad Euangelij prædicationem ſic prædixit. quam ſpecioſi pedes euangelizantium. Vtitur autem Paulus teſtimonio Iſaiæ, ad confirmandam miſſionem ad prædicandum, quia non ſequebatur neceſſario, ſi prædicandum eſt, ergo miſſio à Deo futura eſt; ideo adiunxit verba Iſaiæ, quibus prædicitur miſsio ad Euangelij prædicationem,

Iſai. 52.

Digitized by Google

nem, vt inde conſtet, Apoſtolos à Deo miſſos eſſe ad annunciandum gentibus ſalutem, & non propria voluntate id muneris ſumpſiſſe contra Iudæorum murmurationes. huius teſtimonij explicatio ex annotatione petenda eſt.

ANNOTATIO VIII.

SVnt nonnulla aduertenda in explicationem huius teſtimonij Iſaiæ citati à Paulo. Vnum eſt, Paulum ſecutum eſſe lectionem Hebraicam, quæ ſic habet; quàm ſpecioſi ſuper montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, & annunciantis bonum, prædicantis ſalutẽ. Prætermiſit autem verba nonnulla, quę ad propoſitum ſuum non faciebant, retulitque tantum illa, quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. mutatis numeris: nam in Hebræo eſt numerus ſingularis, annunciantis bonum, ipſe vero dixit, annũciantium bona; annunciantium pacem; ſolet enim Hebręus numero ſingulari pro plurali vti. Rurſus verbum בשר quod ſignificat annunciare, & commune eſt tam bonis, quã malis nuncijs, vertit per verbum euangelizandi, quod apud Græcos boni annunciationem ſignificat; ſequens potius ſenſum, & mentẽ Prophetę, qui Euãgelij prædicationem, quæ boni annunciatio eſt, ſignificare voluit. Pax autem hæc eſt recõciliatio hominis ad Deum, bonum autem eſt ſalus, & iuſtificatio hominis; hæc enim annunciantur in Euangelio.

Alterum adnotandum eſt, locum hunc Iſaiæ aliter à Septuaginta interpretibus verſum eſſe, quã à Paulo, immo aliter verti, & exponi ab alijs. In primis Septuaginta ſic verterunt, ſicut ora ſuper montes, ſic pedes euangelizãtis pacem, &c. ὥρα autem Græce cum aſpiratione ſcripta ſignificat, & pulchritudinem, & tempus, maxime vernum; ideo varie doctores, ſequẽtes Septuaginta, interpretati ſunt. Tertul. enim lib. 3. contra Marcion. legit, quam tempeſtiui pedes. Ambroſ. autem epiſt. 11. ad Irenę. legit, tanquam maturitas in montibus. Hieron. autẽ legit, pulchritudo in mõtibus, in Hebræo eſt verbum נאוו, quod eſt niphal à verbo נוה, quod ſignificat deſiderare, concupiſcere, ac ſi diceret, quã deſiderabiles, & concupiſcibiles pedes, hoc eſt idem ac, quam pulchri, & ſpecioſi pedes; pulchrum enim, & ſpecioſũ cõcupiſcibile eſt. In hac parte Pauli expoſitio eſt præferenda, melius enim cæteris omnibus ſenſum percepit Prophetæ. *Tertul.* *Ambr.* *Hieron.*

Tertium eſt aduertendum, varie exponi hunc locum apud Iſaiã; aliqui enim ad Chriſtum referunt, & coniungunt verbis antecedentibus, ecce, inquit, qui loquebar, adsũ, quaſi ora in montibus, & vt pedes annunciantis pacẽ, & vt pedes annunciantis bonũ. Sic explicant Orig. in hoc loco, & Cyril. ſuper Iſaiã, & Ambroſ. epiſt. 11. vbi legit, tanquã maturitas in montibus. Orig. autẽ addit, Paulũ applicuiſſe Apoſtolis teſtimonium de Chriſto, quia annunciarunt ſimiliter pacem, & bonum hoc. Tertul. autem lib. 3. contra Marcio. de Apoſtolis exponit, legẽs, quã tempeſtiui pedes annunciantis pacẽ. & Septuaginta interpretatio id ma- *Orig.* *Cyril.* *Ambroſ.* *Tertul.*

Digitized by Google

id magis ſignificat; ſicut ora, inquiunt, in montibus, ſic pedes euangelizantis; quamuis etiam applicari poſſit Chriſto. Aliqui recentiores diuidunt, & vnam partem Chriſto, alteram Apoſtolis applicant, hoc modo, qui loquebar, adſum, quaſi ora in montibus, quàm pulchri pedes euangelizantis, &c. Mirandum tamen eſt profectò, cum habeamus auctoritatem Pauli, & lectionem Hebraicã conformem, ſequi lectiones, & ſenſus diuerſos; habemus enim Paulum exponẽtem, quàm pulchri pedes euangelizantium, & rurſus de Apoſtolis hoc teſtimonium allegantẽ: aliter ergo dicere, & ſentire, non videtur probãdum, ſed potius cum Apoſtolo ſentiendum eſt.

Per pedes annunciantium pacẽ & bona, quod ſignificetur.

Sunt tamen tres quæſtiunculæ. Vna eſt, quomodo ex hoc teſtimonio deducatur, quod Paulus probare nititur, nempe Apoſtolos miſſos eſſe à Deo ad prædicandum gentibus. Reſpondeo, per pedes annunciãtium ſignificari viam, & iter eorum, qui annunciaturi erãt pacem; in hoc autem, quod Iſaias commendat pedes profectorum ad annunciandum, ſignificat à Deo mittendos; non enim Propheta commendaret pedes, et viam, ac profectionem, niſi à Deo eſſet.

Orig.

Altera eſt, quam excitat Origen. nimirum, cum Euangelium ſit bonum nuncium, cur dictum eſt (euangelizãtium bona) ſuperfluum enim videtur illud additum nomen. Reſpondet hoc eſſe adiectum, quia aliqui bonum annunciant, ſed male; ideo euangelizant, ſed non bonum. Arrius enim, et hæretici euãgelizabant Deum, et Chriſtum, ſed male, quia aliter, quã eſſet. Hæc reſponſio nõ videtur exacta, quia nec dicendi ſunt illi euangelizare, qui aliter docent, quam fides habeat. Vera reſponſio eſt; verbum Hebræum, vti diximus, eſſe commune, idemque ſignificare, quod nunciare Latine, quod commune eſt annunciantibus bona, & mala, ideo Propheta adiecit, annunciantis bona. Paulus autẽ hoc nuncium Euangelium interpretatus eſt, ideoq. eſt vſus verbo euãgelizandi, retinuit autem cętera nomina adiecta ad expreſſiorem ſignificationem.

Pedes quare à ſpecioſitate commendẽtur, & vnde laudari poſſunt.

Tertia quęſtiuncula eſt, cur pedes à ſpecioſitate cõmendantur, potius quàm à velocitate, cæteriſq. virtutibus, quæ pedibus conueniunt. Aduerte pro reſponſione, pedes poſſe laudari ob quatuor.

Primo propter velocitatem, quando breui tempore magnum loci ſpatium percurrunt. Vnde per metaphoram homines prõpti, & faciles ad homicidia perpetranda, dicũtur habere pedes veloces ad effundendum ſanguinem. Pſal. 13. tales fuerunt pedes Apoſtolorum, nempe velociſſimi, non ad effundendũ ſanguinem, ſed ad diuulgandum breui tẽpore Euangelium per totum orbẽ, quo homines à ſanguine, & peccatis ſanarẽtur, de qua velocitate dicitur Pſal. 127. Velociter currit ſermo eius, quem locum Theod. exponit de velocitate diuulgationis Euangelij. dicitur etiã Iſa. 8. Sume tibi librum grãdẽ, & ſcribe in eo ſtylo hominis, velociter ſpolia detrahe, cito prędare, quę verba Baſil. explicat de velocitate prædicationis Euãgelij facta per Apoſtolos, quos per ſtylum hominis ſignificari affirmat. Hac ergo de cauſa pedes Apoſtolorũ veloces dici poſſunt. Euſeb. lib. 3. demonſtr. Euãg. cap. 1. exponens hunc locum, quã ſpecioſi pedes. dicit ſpecioſos dictos pedes Apoſtolorũ, quia per-

Pſal. 127
Theodor.
Iſai. 8.
Baſil.
Euſeb.

exiguo

Digitized by Google

exiguo tẽpore orbẽ percurrerunt, ſed hoc potius ad velocitatẽ, quàm ad ſpecioſitatẽ pertinet. Similiter *Ambroſ.* etiam Amb.ſerm.17.in Pſa.118.ibi, greſſus meos dirige. ſpecioſos exponit Apoſtolorum pedes, quia magnum fecerunt progreſſum multos cõuertẽdo. ſed hoc vel ad velocitatẽ, vel ad robur, & virtutẽ pertinet.

Secundò loco pedes laudari poſſunt à fortitudine; dicuntur enim pedes fortes, & id tripliciter. Vno modo, quãdo, viæ impedimentis, & obſtaculis ſuperatis, motum, & pro- *Pſal. 17.* greſſum perficiunt, Pſal. 17. Qui perfecit pedes meos tãquã ceruorum. *Hieron.* Hierõ.ibi, ſicut, inquit, cerui calcãt ſpinas, & dumeta, ſiluaſq. trãſiliunt, ſic iuſti ſuperãt ſpinas peccatorum, & ſiluas infidelitatis tranſiliunt, donec ad mõtem Dei perueniant. Altero, à robore, & virtute, quia lõgis viæ ſpatijs confectis non deficiunt, nec laſſantur. Tertio modo à firmitate, quia à loco, cui innituntur, nõ dimouentur facile, etiam ſi fortiter impellantur. His tribus modis pedes Apoſtolorum dici poſſunt fortes per metaphoram; prædicationis enim iter peregerunt, ſuperatis omnibus difficultatibus perſequutionum, cõtradictionum, laborum, afflictionum, & infernarum poteſtatum, nec vnquam in tot ac tãtis aduerſis defecerunt, neq. à rectitudine dimoueri vnquam potuerunt.

Tertio laudantur pedes à munditie, cum enim proximi ſint terræ, *Cant. 7.* facile ſordes cõtrahunt. Cant. 7. Laui pedes meos, quomodo coinquinabo eos? hanc munditiẽ, & corpore, & anima Apoſtoli habuerunt, quando à Chriſto loti ſunt noctecenæ. de qua munditie exponunt *Origen.* hæc verba, quàm ſpecioſi pedes. Orig.tom.32.in Ioan.& in loco præſenti ad Roman.& Theod. qui ſpe- *Theodor.* cioſos pedes affirmat dictos eſſe, quia à Chriſto loti ſunt. Gregor.au- *Gregor.* tem in Pſal. 7. pœniten. de munditie ſpiritali explicat, dicens, per pedes euangelizantium, affectus Apoſtolorũ intelligimus, qui ſpecioſi erant, quia non ſua commoda quærebant, ſed auditorum vtilitatem; ſpecioſi erant, quia terreni lucri inquinamẽta ex ipſo ſuæ operationis inceſſu non contrahebant; tunc enim corporeos pedes habere ſpecioſos dicimur, quando nulla cœnoſæ viæ labe fœdamur. hæc Greg. ſed re vera hoc ad munditiem, non ad ſpeciem pertinet; non enim idem ſunt ſpecies, & mundities, quamuis hæc ad illam neceſſaria ſit.

Quarto ergo loco à ſpecie, & decore laudari poſſunt pedes; pulchrũ autem ſeu ſpecioſum, vt docet Plato in dialogo de pulchro, eſt amoris obiectum. quod enim amorem ad ſe trahit, & affectum in ſe cõuertit, pulchrum dicitur. Pulchrum ergo animos hominum ad ſe, non vi, non metu, ſed voluntarie, & ſuauiter, & efficaciter attrahit. Quia ergo Apoſtoli hominum animos ad prædicationis ſuæ fidem, non vi, nõ armis, non minis, ſed ſuauiſſime, & efficaciſſime conuerſuri erãt, & conuerterunt; ideo à Propheta eorũ pedes à ſpecie cõmendantur; ad modũ enim pulchritudinis affectus, & mẽtes hominũ traxerunt. Erãt autem in eis vita ſanctiſſima, irreprehenſibilis conuerſatio, rationabiliſſima prædicatio, & doctrinæ virtus mirabilis, quæ animos voluntarie quidẽ, ſed efficaciter traxerunt; recte ergo à pulchritudine laudantur. quãuis enim veloces, fortes, & mundi fuerũt, hæc tamẽ pulchritudo plus profuit mundo; per eã enim tracti ſunt homi-

homines ad ſalutem, ideoq. hæc potius commendatur. Eſt autem aduertendum, non eos eſſe dictos ſpecioſos; ſed eorum pedes; vt hoc nomine ſignificaretur eorum progreſſus, & miſſio futura per totum orbem. non enim vno in loco ſtabiles erant permanſuri, & ſic rectè Paulus miſſionem eorum hoc teſtimonio probat, & confirmat.

Sed non omnes obediunt Euangelio.

COhæret ſententia hæc ſuperioribus ſic, quamuis omnis, qui credit in illum, non confundetur, & omnis qui inuocauerit nomen eius, ſaluus ſit, omnibuſq. ſit prædicandum Euangelium, Iudæis, & Græcis: & omnibus ſint pax, & bonum annuncianda, tamen non omnes obedituri ſunt, nec de facto omnes obedierunt annunciato Euangelio. Generalis quidem prædicatio, miſſio, & annunciatio ſalutis eſt; ſed non eſt generalis obedientia fidei, quia non omnes crediderunt, nec credent. Præoccupatio quædam eſt; ne enim Iudæi obijcerent Paulo, non eſſe Euangelium à Deo, quia non omnes obedierunt, ideo præoccupans id docet, non omnes obediuiſſe, vt oſtendat non inde ſequi, nō eſſe à Deo Euangelium.

ANNOTATIO IX.

GRæce eſt verbum præteriti (obedierunt) Quantum autem ad ſenſum ſpectat Chryſoſt. *Chryſoſt.* exiſtimat eſſe obiectionem Iudæorum nomine poſitam; obijciebant enim Iudæi, non eſſe Apoſtolos miſſos à Deo, nec Euangelium Dei eſſe, quia non omnes receperant ipſum; cui obiectioni Paulus reſpondet per locum Iſaiæ ſequentibus verbis adductum, quem paulo poſt exponemus. Verba ergo hæc obiectio Iudæorum ſunt. Rurſus idem Chryſoſt. de Iudæis exponit ſic; non omnes Iudæi obedierunt Euangelio, cum ergo Chriſtus ſit ad Iudæos miſſus, nec ab ipſis receptus, videtur non verus fuiſſe Chriſtus, nec eius Euangelium à Deo. Fere omnes conueniunt, hanc ſententiam eſſe obiectionem quandam nomine Iudæorum poſitam; quamuis non omnes de Iudæis explicent id, quod dicitur; non omnes obediuiſſe; nam Orig. & Anſel. generaliter interpretantur. non omnes obediuiſſe; tam ex Gentibus, quàm ex Iudæis; Primum dictum Chryſoſt. & cæterorum, nempe eſſe hanc ſententiam obiectionem quandam, nulla ratione probari poteſt, quia ſi obiectio Iudæorum eſſet, quod ſequitur teſtimonium non deberet cum cauſali particula proponi. nam dicitur (Iſaias enim dicit) particula enim illa (enim) cauſam reddit præcedentis ſententiæ: aut ergo vtraque ſententia eſt nomine Iudæorum poſita; quod eſſe non poteſt, aut nomine ipſius Pauli, quod verum eſt. docet enim Paulus nomine ſuo non omnes obediuiſſe, vti in commentario expoſitū eſt. Poſterius dictum Chryſoſtomi non mihi placet, nam verba ſunt generalia, quę Iudæos, & Gentes complectuntur, idq. contextui accommodatum eſt. nam prædicatio facta eſt vtriſque, & de

Cur omnes non obediuąt Euangelio. *Chryſoſt.*

Orig. Anſel.

Digitized by Google

vtriſque ſuperiores ſententiæ procedunt, quæ etiam ſequuntur, huic ſenſui multum conueniunt, & ſic Origen. & Anſelm. generaliter exponunt. Aduerte etiam, Theodoretum legere hanc ſententiam per interrogationem; ſed eadem particula cauſalis, quæ ſequitur, non admittit hunc ſenſum. & quamuis in verſione Theodoreti non legatur particula cauſalis; ſed ſic (Iſaias dicit) tamen textus omnes Græci legunt cum particula cauſali. ſententia ergo abſoluta eſt, & à Paulo ipſo prolata, non nomine Iudæorum, nec per interrogationem.

Iſaias enim dicit; Domine quis credidit auditui noſtro?

HAnc inobedientiam contra Euangelium futuram teſtimonio Iſaiæ confirmat; quaſi multo ante prædictam, & prænunciatam. & quamuis ipſamet experientia ſatis erat comprobata, tamen teſtimonio vtitur prophetico, vt per hoc oſtendat, non propterea Euangelium non eſſe à Deo, nec ideo prædicandum non eſſe omnibus, quia non omnes obediunt, nec ei credunt. nam id ipſum Deus per Iſaiam prædixit, nempe & ipſum Euangelium prædicandum, & ſimul non omnes obedituros prædicationi. particula (enim) cauſam & probationem indicat, cur dictum ſit, non omnes obediſſe Euangelio. Senſus autem ſententiæ Iſaiæ eſt hic; quis credidit auditui noſtro; ideſt, rari credituri ſunt noſtris ſermonibus & prædicationi, quam de te, & Euangelio tuo habituri ſumus. Loquitur enim in perſona Apoſtolorum Iſaias, vtiturq. præterito pro futuro; vt mos eſt Prophetarum; prædicationem autem & ſermonem, appellat auditum; obiecta enim habituum, & potentiarum nominibus eiſdem aliquando exprimuntur. ſic rem creditam fidem, & rem ſperatam ſpem dicimus. Sermonem ergo & prædicationem auditu perceptam, auditum appellat, vt ſignificet, ſermonem Apoſtolorum ad aures etiam incredulorum peruenturum, ac prædicationem eorum futuram manifeſtam.

ANNOTATIO X.

Chryſoſt.

VTi in ſuperiori annotatione diximus, Chryſoſtomus, alijq. multi affirmantes præcedẽtem ſententiam eſſe obiectionem Iudæorum, aſſerunt, nunc hiſce verbis contineri reſponſionem; nos tamen exiſtimamus illam fuiſſe potius aſſertionem Pauli, quaſi teſtimonio Iſaiæ confirmat. id quod particula (enim) ſatis aperte ſignificat. Aduertendum tamen eſt, recentiores aliquos hoc teſtimonium Iſaiæ ſic inductum eſſe affirmare, vt non ſit prophetia, ſed exemplum, ſitq. ſenſus talis; non omnes obediunt Euangelio, non tamen propterea ſequitur, ipſum non eſſe à Deo, vt Iudæi obijciunt. nam verba Iſaiæ etiam à

Deo

Deo erant, & tamen non omnes illi crediderunt. dicit enim, quis credidit auditui noſtro? Antiqui tamen doctores Origen. Chryſoſt. Theodoret. teſtimonium hoc allatum affirmant, tamquam prophetiam; quaſi Iſaias prædixerit hoc ipſum, nempe, non omnes Euangelio obedituros. & is eſt verus & legitimus ſenſus.

Origen. Chryſoſt. Theodor.

Aduertendum rurſus eſt, non ſolum Iudæorum, ſed etiam Gentium incredulitatem prædictam eſſe per Iſaiam hiſce verbis allegatis à Paulo. quamuis enim multi ex Gentibus crediderint, & credituri ſint, tamen multitudine earum conſiderata, & collatione facta ad infideles, pauci ſunt, qui credunt, præſertim quia præcipuus eſt ſermo de ijs, qui ſaluandi ſunt per fidem.

Aduertendum adhuc eſt, in Hebræo non haberi illud (Domine) ſed additum à Septuaginta ad ſenſus expreſſionem. Iſaias enim verbum hoc ad Deum ipſum protulit, cum quo loquebatur. illud autem (quis) raritatem indicat, vt notat Origenes.

Origen. Ambroſ.

Aduertendum etiam eſt, Ambroſium exponere auditum prædicationem Apoſtolorum, quia eam à Deo acceperunt, vt ſit ſenſus; quis credet ijs, quæ à te audiuimus; Chryſoſtomus tamen potius refert ad auditum eorum, quibus ſermo Apoſtolorum factus eſt; nempe quis credet ſermoni & prædicationi, quam omnium auribus proponemus, ſeu quis ex ijs, qui audituri ſunt ſermones noſtros, credet eis? & hæc eſt expoſitio accommodatior ijs, quæ ſequuntur. Ambroſius vtramque refert, & probat expoſitionem.

Poſtremo aduertẽdum eſt, illam particulam (enim) aliquando cauſam rei, aliquando cauſam ſermonis indicare, idq. etiam modo communi loquendi fieri experimur. dicimus enim, homo hic homicidium commiſit; ſunt enim teſtes omni exceptione ſuperiores. huius locutionis non eſt ſenſus, hominem commiſiſſe homicidium, & cauſam eſſe teſtes, ſed ſenſus eſt, huius aſſertionis, quod hic homicidium commiſerit, cauſa ſunt teſtes. particula illa (enim) non rei cauſam, ſed ſermonis indicat, quaſi dictum confirmetur teſtibus. ita nunc dictum eſt; non omnes obedierunt Euangelio, quia Iſaias dicit; non eſt cauſa rei, neque enim propterea non obedierunt, quia Iſaias id prædixit; ſed eſt cauſa aſſertionis & ſermonis. nempe, aſſero & pronuncio, non omnes obediuiſſe, quia ita futurum Iſaias prædixit, teſtimonioq. hoc confirmo hoc quod dictum eſt, non omnes obediſſe Euangelio. ſunt exempla multa huius rei in Scriptura.

Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.

DEducit Paulus ex Iſaiæ teſtimonio confirmationem ſuperioris ſententiæ, nempe non poſſe Gentes credere, niſi audierint; neque audire, niſi eis prædicatum fuerit; Inquit, ergo fides ex auditu. ſi enim Iſaias dicit, quis credet auditui noſtro; auditus ergo fidem præcedit; & ſi audiendum eſt, verba & prædicatio ne-

ceſſaria ſunt. non enim eſt auditus, niſi per verbum & prædicationem: auditus ergo eſt per verbum; ideſt, prædicationem, non qualemcumque, ſed Chriſti. In aliquibus exemplaribus Græcis habetur (Dei) per verbum Dei, ideſt, prædicationem, quæ eſt de Deo. alia Græca exemplaria habent (Chriſti) & ſic Origen. legit, & eſt lectio accõmodatior, vt Euãgelij prædicatio ſignificetur, quæ eſt de Chriſto; hanc enim Iſaias prædicebat verbis allegatis.

Sed dico, numquid non audierunt?

CONfirmatio eſt eiuſdem ſententiæ, nempe Gentibus eſſe prædicandum, easq. audituras verbum Euangelij, quod Dauid teſtimonio comprobat. Senſus ergo eſt; immo dico, omnes etiam Gentes audire debere; interrogatio enim hæc vim affirmationis habet, & particula (ſed) pro particula (immo) poſita eſt, vti alias fieri ſolet, quaſi diceret, immo dico, numquid non audierunt omnes, ideſt, nonne audire debuerunt? vtique quod verbis ſequentibus probat. poſitum eſt præteritum pro futuro.

Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

PRophetæ verbo probat, audituros omnes; & quidem, inquit, ideſt, vere audituri ſunt omnes. Dauid enim prædixit, in omnem terram ſonum Apoſtolorum exiturum, & verba eorum in fines peruentura orbis terræ, particula (& quidem) vna eſt, Græce μενοῦνγε, ideſt, vere, ſeu certe; affirmantis enim eſt.

ANNOTATIO XI.

Chryſoſt. CHryſoſtomus cum alijs multis ad Iudæos has referens ſententias, interpretatur hæc verba ſic eſſe accipienda, vt ſint argumentum tale; ſi audierunt omnes, quæ remotiſſimæ erant nationes verbum Euangelij, ergo & Iudæi, qui proximi erant Apoſtolis. Rectius tamen & accõmodatius intelligimus verba generaliter, ſicut & ſuperiores ſententias, nimirum vt Gentes etiam audituras probet. Eſt autem aduertendum, verbum illud (audierunt) indefinite ſumi; non enim ſignificat tempus tantum præteritum, ſed etiam futurum; quaſi diceret, gentes audire debere. In Scriptura enim aliquando verba hanc ſignificationem habent, & ſæpe præterita loco futuri ponũtur. vnde dictũ eſt; audierunt, .i. audituri ſunt, ſeu audire debuerunt, ſicut etiã in Iſai. Quis credidit, & in Pſ. Exiuit ſonus, loco futuri ponunt̃ pręterita

Dicet

Dicet aliquis, Dauid locutus eſt de cælis, non de Apoſtolis; ſenſus ergo literalis non eſt de Euangelica prædicatione. Aliqui recentiores reſpondent, hæc verba à Paulo eſſe poſita, non tamquam teſtimonium, ſed per quandam accommodationem; verbis enim Scripturæ vſus eſt, ſicut potuit alijs verbis vti, ſed hæc expoſitio, ſeu reſponſio accommodata non eſt; nam Paulus tãquam probationem præcedentis ſententiæ hæc verba protulit. Vera reſponſio eſt, literaliter etiam de Apoſtolis intelligenda; ſunt enim verba prophetica. de cælis autem intellecta, non ſunt prophetica. Nec nouum eſt, in eiſdẽ verbis Scripturæ plures eſſe ſenſus litterales.

Dubitabit aliquis, an temporibus Apoſtolorum Euangelij prędicatio peruenerit in vniuerſum orbem, Auguſt. epiſt. 80. ad Ezech. negat, Chryſoſt. autem affirmat; fauet Chryſoſtomo illud Coloſſ. 1. quod prædicatum eſt in vniuerſa creatura, quæ ſub cælo eſt. Ad quod dici poſſet, id dictum eſt, quia in præcipuis orbis partibus prædicatum eſt; figura enim locutionis huius frequens eſt in Scriptura. Act. 2. dicitur, ex omni natione, quæ ſub cælo eſt, & tamen certum eſt, non ibi fuiſſe ex ſingulis nationibus mundi. Paulus autem non probat hiſce verbis, omnes audiſſe de facto, ſed audituras eſſe iuxta Prophetiam Dauid.

Prædicatio Euangelij an tempore Apoſtolorum peruenerit in vniuerſũ orbem. *Aug.* *Chryſoſt.* *Act. 2.*

Sed dico, numquid Iſrael non cognouit?

ALtera confirmatio eſt eiuſdem ſententiæ; nempe Gentibus prædicandum eſſe Euangelium, easq. audituras eſſe verbum Dei. Interrogatio eſt habens vim affirmandi, ac ſi dicat, Gentes audire debuerunt Euangelium, vt prædictum eſt per Dauid, immo dico Iſrael, ideſt, Iudæos cognouiſſe, ideſt, habuiſſe, vnde noſſe potuiſſent. quod ſequentibus teſtimonijs Moyſis, & Iſaiæ probat.

ANNOTATIO XII.

CHryſoſtomus hanc ſententiam ſic exponit, Iudæos non ſolum audiſſe Euangelium, ſed cognouiſſe virtutem ipſius. quaſi ex malitia ipſum recipere noluerint, & in hunc ſenſum accommodat teſtimonia, quæ ſequuntur, cui expoſitioni adhæret Oecumenius, cum multis alijs expoſitoribus. Facilior tamen & accommodatior mihi viſa eſt expoſitio poſita in commentario, vt cognoſcere dicti ſint Iudæi, non quidem Euangelium, nec virtutem prædicationis, ſed futurã Gentium vocationem, verbiq. Euangelij prædicationem generalem. Dicuntur autem cognouiſſe, quia habuerunt ſcripturas Prophetarum, quibus id noſcere potuerunt. Recte notat Origen. in hoc, quod prius dictum eſt, numquid non audierunt? nunc autem dicit; numquid Iſrael non cognouit? ſignificari priorem ſententiam ad Gentes; poſteriorem vero ad Iudæos referri. Gentes enim audire debuerunt Euangelium, & Iſraeli, Iudæisq. id manifeſtum factum eſt per Prophetas.

Orig.

Primus Moyſes dicit, ego ad aemulationem vos adducam in non gentem; in gentem inſipientem in iram vos mittam.

DVobus teſtimonijs probat, & confirmat hanc futuram gentium vocationem, & prædicationem. Vnum eſt Moyſis; Alterum eſt Iſaiæ. ideo dicit, primus Moyſes, ideſt, prior Iſaia Moyſes dicit. poſitiuum ponitur loco comparatiui: eſt autem teſtimonium Deuter. 32. vbi Deus loquens per Moyſem, dicit, talem *Deut. 32.* protulit ſententiam, cuius ſenſus hic eſt. Ego permittam vos inuidia rumpi in non gentem, ideſt, per eos, quos vos ita vilifacitis, & contemnitis, vt indignos cenſeatis appellari gentem, permittam vos ira & furore agitari per gentem, quam vos inſipientem reputatis, quod fiet, quando videritis, Gentilibus, & idololatris prædicari verbum Dei, eosq. in populum meum aſcitos, & deſcriptos; vos autem propter veſtram inobedientiam repulſos, & vilifactos. particula (in) poſita eſt loco (per) indicatq. occaſionem; nam Gentium ad Euangelium vocatio fuit Iudæis occaſio inuidiæ, & iræ, ac indignationis.

ANNOTATIO XIII.

Chryſoſt. CHryſoſtomus cum multis alijs, vt in ſuperiori annotatione diximus, hæc teſtimonia ſic interpretatur adducta à Paulo, vt probet, Iudæos cognouiſſe virtutem prædicationis Euangelij, hoc ſigno, nempe ex æmulatione, & ira, qua prouocati ſunt ex gentium vocatione, & prædicatione Euangelij illis facta. Dura tamen videtur expoſitio, & facilior & accommodatior eſt, quam ſecuti ſumus in commentario. Aduerte etiam, illud (in non gentem) & (in gentem inſipientem) Græce eſſe datiui caſus, & Latine vertitur caſu inſtrumenti; gente inſipiente vos prouocabo in iram, & non gente vos in æmulationem adducam. Hebraiſmus enim eſt vti præpoſitione (in) cum caſu inſtrumenti. idem ſenſus eſt, ſi (in) loco (per) exponamus, vt in commentario dictum eſt.

Iſaias autem audet, & dicit. Inuentus ſum à non quærentibus me; palàm apparui ijs, qui me non interrogabant.

ALterum teſtimonium eſt ex Iſaia cap. 65. qui Moyſe tempo- *Iſai. 65.* re fuit poſterior: hic audet, ideſt, nihili faciens calumnias, ac perſecutiones Iudæorum, non ſuſtinentium audire Gentium vocationem & exaltationem, omni timore poſtpoſito, palam prænunciauit

Digitized by Google

ciauit de Gentibus Euangelij prædicationem. Dicũtur Gentes, nec quæſiuiſſe Deum, nec interrogaſſe; illud, quia vitijs, & ſceleribus erant deditæ; hoc, quia erroribus erant obcæcatæ, nec Dei veri notitiam habuerunt, cum ſine fide viuerent, nec vlla ſpes erat illis eorum bonorum, quæ conſecutæ ſunt. hæ inuenerunt, & eis palam apparuit, quia per Apoſtolos lucem, & vitam Euangelij aperuit, & largitus eſt.

Ad Iſrael autem dicit: tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.

PRiora verba Gentium vocationem, & Euangelij manifeſtationem ipſis factam continent. hæc autem Iudæorum incredulitatem futuram, quibus dicitur tota die manus expandere, quia multo tempore lux Euangelij coram ipſis lucet, & tamen oculos aperire nolunt, vt videant; à principio enim, nempe à Chriſti prædicatione vſque ad vltimum diem, coram ipſis doctrina Euangelij eſt, vt experientia patet, & tamen in ſua cæcitate obſtinati permanent. Illud (ad) Græce πρὸς verti poteſt, contra, ſeu aduerſus Iſrael; quæ verba appoſuit Paulus, ne Iudæi ſibiipſis vſurparent verba præcedentia, tamquam eis dicta, & in ipſis impleta, ſicut præcedenti ſententia vſus eſt, in qua & Gentium, & Iudæorum ſit diſcretio; ſic enim manifeſtius oſtendebat gentium vocationem.

CAPVT VNDECIMVM.

DIco ergo: Numquid Deus repulit populum ſuum? Abſit. Nam & ego Iſraelita ſum ex ſemine Abraham, de tribu Beniamin. Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit. An neſcitis in Elia quod dicit Scriptura: quemadmodum interpellàt Deum aduerſum Iſrael? Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt; & ego relictus ſum ſolus, & quaerunt animam meam. Sed quid dicit illi diuinum reſponſum? Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Sic ergo & in

hoc tempore reliquiae ſecundum electionem gratiae ſaluae factae ſunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non eſt gratia. Quid ergo? quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus: electio autem conſecuta eſt: caeteri vero excaecati ſunt: ſicut ſcriptum eſt: Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis: oculos vt non videant, & aures vt non audiant, vſque in hodiernum diem. Et Dauid *dicit: Fiat menſa eorum in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem illis. Obſcurentur oculi eorum ne videant: & dorſum eorum ſemper incurua.* Dico ergo: *Numquid ſic offenderunt vt caderent? Abſit. Sed illorum delicto, ſalus eſt Gentibus, vt illos æmulentur. Quòd ſi delictum illorum diuitiae ſunt mundi, & diminutio eorum diuitiae Gentium: quanto magis plenitudo eorum? Vobis enim dico Gentibus: Quamdiu quidem ego ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo, ſi quo modo ad aemulandum prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis. Si enim amiſſio eorum, reconciliatio eſt mundi: quae aſſumptio, niſi vita ex mortuis? Quòd ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa: & ſi radix ſancta, & rami. Quòd ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cum oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis, & pinguedinis oliuae factus es, noli gloriari aduerſus ramos. Quòd ſi gloriaris: non tu radicem portas, ſed radix te.* Dices ergo: *Fracti ſunt rami vt ego inſerar. Bene: propter incredulitatem fracti ſunt. Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time. Si enim* Deus *naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem, & ſeueritatem* Dei: *in eos quidem, qui ceciderunt, ſeueritatem: in te autem bonitatem* Dei, *ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris. Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur: potens eſt enim* Deus *iterum inſerere illos.* Nam *ſi tu ex naturali exciſus es oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam oliuam: quanto magis ij, qui ſecundum naturam inſerentur ſuae oliuae? Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc; (vt non ſitis vobiſipſis ſapientes) quia caecitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo Gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex* Sion, *qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob. Et hoc illis à me teſtamentum; cum abſtulero peccata eorum. Secundum Euangelium quidem, inimici propter vos: ſecundum electionem autem, chariſſimi propter patres. Sine poenitentia .n. ſunt dona, & vocatio* Dei. *Sicut .n. aliquando & vos non crediſtis* Deo, *nunc aũt miſericordiã conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum: ita & iſti nunc non crediderunt in veſtram*

ſtram miſericordiā: vt & ipſi miſericordiā conſequantur. Concluſit .n. Deus omnia in incredulitate: vt omnium miſereatur. O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & ineſtigabiles viae eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſaecula. Amen.

CONatur Paulus in hoc capite oſtendere, Iudæos, quamuis multi eorum increduli extiterint, non tamen ita eſſe à Deo reiectos & expulſos, vt nequeant Euangelij gratiam recipere, immo eos omnino conuertendos eſſe, tandemq. ad viā ſalutis reuocandos, & Eccleſiæ Chriſti inſerendos. Quod ſi multi infidelitate obcæcati ſunt, ea obcæcatio a Deo permiſſa eſt, vt gẽtes illorũ loco vocarẽtur, idq. ad tempus. nam gentiũ vocatione completa, reſiduũ Iudaici populi ad fidem veniet. qui quidem aduentus non minorem fructum adferet gentibus, quàm attulit eorum obcæcatio, & incredulitas. Quod ſi nunc infideles, & obcæcati ſunt, tamen non ita obcæcari permiſſi ſunt, quin multi eorum crediderint, & Eccleſiæ aggregati ſint. Quod argumentum Paulus tractat, ne & Iudæi deſperent, ſe Euangelij gratiam conſequi poſſe, & deſperantes irreconciliabili odio Euangelium proſequantur. Atq. etiam, ne gentes ſuperbientes contemnant illos, neve ſalutis eorum ſtudio quemquam incumbere ægre ferant.

Dico ergo, numquid Deus repulit populum ſuum?

PArticula conſecutionis & illationis (ergo) connexionem huius capitis cum præcedenti oſtendit; ſenſus enim eſt, ſi aduerſus Iudæos prædictum eſt. ego in æmulationem vos adducam in non gente, & tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem; ſequiturne ex ijs ſententijs, Deum repuliſſe populum ſuum, ideſt Iudæorum? inferemusne & dicemus, ergo Deus abiecit Iudæos, qui populus eius erant? quandoquidem populus non credens, & contradicens dictus eſt, & in non gente ad æmulationem prouocatus a Deo eſt?

Abſit.

COnſecutionem talem Populus efficaciter negat, dicens. Abſit, ac ſi diceret, nequaquam; non enim propter ea, quæ per Moyſem, &

ſem, & Iſaiam prænunciata, & poſtea impleta ſunt, conſequitur, Deum abieciſſe, & repudiaſſe populum Iudæorum. Nec quia multi reiecti ſunt Iudæorum propter incredulitatem, ideo dicendus eſt Deus reieciſſe totum populum ſuum. conſolatur Paulus Iudæos, ne animo deſpondeant, nec ab Euangelio ſuſcipiendo omnino auertantur, & deſperent; non enim in totum ſunt repulſi à Deo; & qui repulſi ſunt, vitio eorum & incredulitate abiecti & repudiati ſunt ab Euangelij gratia.

Nam & ego Iſraelita ſum, de ſemine Abraham, de tribu Beniamin.

Iudæorũ populum non fuiſſe totum repulſum, & reliquias ſaluandas.

EXemplo ſuo probat, non eſſe populum Iudæorum totum repulſum. nam etiam ego, inquit, ſum Iudæus, ſicut & illi, qui reiecti ſunt, & tamen non ſum repulſus à Deo, ſed vocatus in Euangelij gratiam, & promiſſionum complementum; ſi enim Deus repuliſſet populum Iudæorum, nequaquam ex Iudæis Apoſtolos & prædicatores elegiſſet, quorum vnus Paulus fuit. Iſraelita ſum, inquit, & ne quis exiſtimaret Iſraelitam eſſe ſolo ſpiritu, ſicut ſupra cap. 9. dictum eſt, addit, de ſemine Abraham, ideſt ſecundum carnem Iudæus. Ne quis autem vocationem dignitati tribus adſcriberet, addit de tribu Beniamin, quæ vltima eſt tribuum omnium, & minima, inſinuans, alios multos de tribubus ſuperioribus eſſe vocatos Deo acceptos.

Rom. 9.

Non repulit Deus plebem ſuam.

EXpreſſioribus verbis iterum negat cõſecutionem ſuperiorem, vt Iudæorum animos vehementius attrahat ad Euangelij fidem, eoſq. afficiat, vt pote à Deo ad gratiam vocatos, fideiq. participes factos. Ne autem vnum Paulum vocatum, cæteros omnes repulſos aliquis exiſtimaret, idcirco non inquit, Deus repulit plebem ſuam ab Euangelica gratia. multi enim mecum acceptati ſunt, non ego ſolus; non enim ſi aliqui repulſi ſunt, ob id plebs ipſa abſolute repulſa, aut reiecta dici debet. Attende illud (ſuam;) cauſam enim indicat, cur non debeat vllus exiſtimare, Deum repuliſſe plebem Iudæorum; ſua enim, ideſt, Dei plebs eſt, & populus electus. Græce idem eſt vocabulum λαός, quod ſuperius populum, nunc plebem vertit interpres.

Quam

Digitized by Google

Quam praeſciuit.

NE aliquis omnes Iudæos gratiam Euangelicam acceptaſse putaret, quia dictus eſt, non repulit Deus plebem ſuam, idcirco addit, quam præſciuit, ideſt quam ab æterno decreuit ad ſe trahere, ſuamq. facere. Verbum Græcum non ſolum ſcire, ſed etiam decernere, & iudicare ſignificat. Præſcientia Dei erga plebem ſuam quomodo capiatur.

ANNOTATIO I.

Chryſoſt. VArie exponitur proxima ſententia. Chryſoſt. primo loco ad præſcientiam refert, per quam Deus præſciens eos, qui credituri erant, poſtea vocauit ad ſe, & de populo ac Eccleſia ſua fecit; quos .n. dignos futuros præuidit, hos elegit, & ad fidem vocauit: cuius doctrinæ cap. 8. ſuperiori meminimus, quæ nonnullis Græcis doctoribus communis fuit. August. Secundo loco Auguſt. lib. 2. de bono perſeueran. c. 18. ad prædeſtinationem refert, vt ſit ſenſus, non repulit Deus ſuam plebem, quam ab æterno prædeſtinauit. Iuxta hāc duplicem expoſitionem, hæc ſententia limitat, & reſtringit præcedentem; nimirum, Deus non repulit plebem ſuam, non quidem totam, ſed eam, quam præſciuit dignam futuram, ſecundum Chryſoſtomum; aut quam prædeſtinauit, ſecundum Auguſtinum. Tertio lo- Oecum. co Oecumenius exponit comparatiue ad gentes, vt ſit ſenſus, præſciuit plebem ſuam, ideſt nouit ſuam fuiſſe, prius quam gentes. Erant .n. Iudæi populus Dei, gentes autem non populus Dei, vt habetur Oſe. 1. Oſe. 1. iuxta quam expoſitionem poſterior ſententia non reſtringit priorem, ſed rationem congruentem continet, cur Deus non repuliſſe plebem ſuam ſit exiſtimandus. Quarto loco aliqui recentiores aliter exponunt, nimirum, non repulit plebem ſuam, quam præſciuit, ideſt quam ante multis & inſignibus beneficijs cumulauerat: vt habetur ſuperius cap. 9. iuxta hanc etiam expoſitionem nō eſt hæc ſententia reſtrictiua ſuperioris, ſed potius reddens congruentem rationem ipſius. Mihi ea expoſitio viſa eſt accommodatior, quam in commentario explicuimus, quæ conſonat ſequentibus: reliqui mihi ſeptem millia virorum.

An neſcitis in Elia quid dicit Scriptura?

NE forte gentes obijcerent, tu quidem, ò Paule, vnus es, nec te Deus repulit; non ideo tamen conſequitur, Deum non repuliſse plebem, propter vnum enim aut alterum electum, non efficitur, quominus plebs repulſa ſit. Huic tacitæ obiectioni reſpondens, exemplo ſumpto ex Scriptura, probat, non repuliſse Deum plebem ſuam, ſed multos, immo plurimos eſse vocatos, & vocandos,

Digitized by Google

dos. An neſcitis, inquit, ideſt ſcitis, & manifeſtum eſt vobis, quod
3. Reg. 19 Scriptura refert in Elia, ideſt de Elia. 3. Reg. 19.

Quemadmodum interpellat Deum aduerſum Iſrael.

Deus quomodo dicitur interpellari aduerſus Iſrael.

PRoſequitur eamdem ſententiam, nempe, neſcitis, quomodo Deum interpellat aduerſum Iſrael. dicitur interpellare Deum aduerſus Iſrael, quia conquerebatur contra Iſrael, quod diuinum cultum proiecerit, & occidiſſet Prophetas Domini, quaſi diceret; ſcitis, quid Scriptura narret, quando Elias interpellauit Deum contra Iſrael, eo quod Deum verum abiecerit à ſe. Verbum ἐντυγχάνω idem ſignificat, quod latine poſtulo, interpello, colloquor. colloquebatur autem Elias Domino, & ipſius auxilium interpellabat contra populum illum Iſrael, qui, ſpreto veri Dei cultu, ad idola colenda ſe conuertiſſet, & Dei Prophetas morti tradidiſset.

ANNOTATIO II.

GRæce habetur vnum verbum, quod in Latina verſione deeſt, nempe (dicens.) interpellat Deum, dicens aduerſus Iſrael. & aliqui neoterici coniungunt illud (aduerſus Iſrael) cum participio (dicens;) antiqui tamen expoſitores connectunt cum verbo (interpellat.) interpellabat autem Deum, contra Iſrael, quia colloquebatur Deo, & ipſius poſtulabat auxilium contra populum rebellem, & deſertorem cultus diuini.

Domine Prophetas tuos occiderunt, & Altaria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam.

VErba ſunt Eliæ interpellantis Deum contra Iſrael; qui altaria veri Dei deſtruxerit, eiuſq. Prophetas occiderit, & in eam paucitatem reduxerit, vt ſolus ſit relictus Elias, quem adhuc occidere quærebant, vt diuinus cultus penitus extingueretur, nemoq. fidelis ſuperſtes eſset: dolebat enim Elias præcipue, non temporalem mortem, ſed diuini cultus extinctionem, quæ ſibi iam vicina videbatur. In Hebræo prius legimus illud (altaria tua ſuffoderunt;) poſterius autem (Prophetas occiderunt.) hæc tamen mutatio ordinis ſenſum non immutat.

Sed Quid

Digitized by Google

Sed quid dicit illi diuinum reſponſum?

ITa interpellabat Deum Elias, at Deus reſpondit aliter, quàm ipſe cogitabat: putabat enim, ſe ſolum ex veri Dei cultoribus relictum, & tamen non ſic erat; multi enim erant à Deo conſeruati. particula (ſed) Græce ἀλλὰ indicat hunc eſſe ſenſum, Elias Deum interpellans ſolum ſe relictum exiſtimabat, ſed diuinum reſponſum multo aliter rem ſe habere indicauit; putabat ille, omnes ex Iſrael ad idololatriam conuerſos, à Deoq. eſſe reiectos, ſed non ſic erat, vt ex diuino reſponſo ſequenti conſtat.

Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal.

SEnſus eſt, non omnes à me diſceſſerunt, nec mea altaria ita ſuffoſſa ſunt, vt omnes mei fideles perierint præter te, non ſic eſt, nec tu ſolus es relictus. mihi enim ſeruaui ſeptem millia virorum, ideſt, multos alios tecum, qui non adorauerunt idolum, ſed mihi cultum exhibent. Poſitus eſt numerus finitus pro infinito; ſeptem millia virorum, pro, multis; Nec ſine cauſa & myſterio, vt ſignificetur diuina præſcientia, & prouidentia, cui omnia ſunt definita, & diſtincta. Verbum (reliqui) gratiæ virtutem oſtendit, vt notat Auguſt. lib. 2. de bono perſeueran. cap. 11. non enim dicitur; ipſi ſe reliquerunt, ſed ego reliqui, & conſeruaui: idem notat Chryſoſt. Eodem verbo Dominus indicat, cæteros in idolatriam incidiſſe, & à Deo vero fuiſſe auerſos. reliquiæ enim ſunt, quæ ex multis ſeparantur.

ANNOTATIO III.

Baal Idolum quod fuerit.

BAal idolum erat Sydoniorum, quod adorabant filij Iſrael. dictum Baal per Antonomaſiã quandam, nam Baal nomen eſt commune idolis quibuſcumq., habenſque numerum pluralem, Baalim à verbo בעל quod ſignificat dominari, ſeu poſſidere, inde idola, quia tanquam Domini colebantur, dicta ſunt Baalim. Hoc tamen in loco pro certo idolo accipitur, vti diximus, per Antonomaſiam. eſt autem in Græcis exemplaribus cum Baal articulus fœmininus τῇ Βαάλ, in caſu dandi. vnde aliqui moderni interpretandum cenſent; non incuruauerunt genua τῇ ideſt ipſi imagini Baal, vt Baal ſit in gignendi caſu, ſenſus idem eſt, & forſan eſt erratum Scripturæ, legenduſq. ſit articulus maſculinus τῷ. Sic enim antiqui expoſitores legiſſe videntur, vetuſq. noſter interpres.

Sic ergo

Digitized by Google

Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ factæ ſunt.

APplicat exemplum ſuperius ſuo propoſito, ſic, inquit, ideſt ſicut tempore Eliæ non ſolus Elias, ſed multi cum ipſo remanſerunt fideles, qui veri Dei cultum conſeruarent, nec omnes ad Baal conuerſi ſunt; ſic hoc etiam tempore Euangelij factum eſt à Deo. non enim omnes Iudæi ceciderunt, nec priuati ſunt promiſſionibus, ſed illis cadentibus, & infidelitate obcæcatis, multi facti ſunt reliqui per electionem Dei gratuitam, per ſuam enim gratiam multos elegit; & vt fidem & Euangelium reciperent, conſeruauit. Particula (ergò) Græce νοῦν, aliquando expletiua eſt, & ornatus cauſa poſita; quod hoc in loco non eſt factum, ſed illationem ſignificat; quæ ſic exponenda eſt; ſi tunc, quando minor gratia erat, reliquiæ factæ ſunt, ergo & nunc, quando gratia abundat per Euangelium Chriſti. Aliud etiam particula hæc indicat, quod ſic explico: dices enim, cum in exemplis requiratur ſimilitudo, quomodo Paulus adijcit illud (ſecundum electionem gratiæ) quid enim præceſſit in hiſtoria Eliæ, cui ſimile ſit hoc verbum? Reſpondeo, illud eſſe ſimile (reliqui mihi) hoc enim gratiæ & operis diuini fuit. ideo Paulus ex ſimilitudine deducit, (ſecundum electionem gratiæ) propter quod etiam vſus eſt particula illatiua (ergo)

Probatio quomodo nō omnes Iudæi ceciderint.

ANNOTATIO IIII.

ALiqui textus Latini habēt (reliquiæ ſaluæ factæ ſunt) & ita Origen. & Anſelmus legunt; tamen nec in Græcis exemplaribus habetur; nec ad ſenſum neceſſaria eſt; nec eam legit Auguſt. lib. 2. de bono perſeueran. cap. 18. lib. autem 1. qq. ad Simplicia. 9. 12. eam addit, non tamquam de textu, ſed in expoſitionem, & declarationē; ſenſus enim idem eſt. Maioris tamen momenti eſt, intelligere, quæ ſit iſta electio gratiæ, ſecundum quam reliquiæ credentium Euangelio factæ ſunt. Eſt enim difficultas, cur non dictum eſt, reliquiæ ſecundum gratiam factæ ſunt, ſed additum eſt, ſecundum electionem gratiæ. In primis illud eſt adnotandum, eſſe locutionis Hebraicæ phraſim; electionem gratiæ pro (electionem gratuitam) vtuntur enim nominibus ſubſtantiuis pro adiectiuis. Quantùm autem ad rem ipſam pertinet, Origenes ad hanc difficultatem explicandam diſtinguit duplicem ordinem ſaluandorum per gratiam; Vnus eſt eorum, qui fidem amplectuntur ſolam, credentes Euangelio, opera

Origen. Anſel.

Auguſt.

Ordo ſaluandorum per gratiam.

Digitized

opera tamen ſecundum Euangelium non habentes. Alter eſt ordo perfectiorum, qui cum fide opera habent. Dicit ergo Origenes; omnes ſaluari ſecundum gratiam, tamen poſteriores ſignificari, quando dicitur, ſecundum electionem gratiæ; hi enim dicuntur ſecundum electionem, quia perfecti ſunt. Hæc expoſitio multis argumentis conuinci poſſet aliena à mente ipſius Pauli. ea tamen proſequi ſuperfluum eſt, cum doctrina non ſit catholica. errauit enim Origenes, exiſtimans ſola fide aliquos ſaluari ſine operibus bonis. immo etiã ſi mala opera habeant, male interpretans illud 1. Corint. 3. Saluabitur quaſi per ignem, quam doctrinam late diſcuſſimus in eiuſdem loci explicatione. Ideo hac reſponſione reiecta, quid alij reſpondeant, conſiderandum eſt.

Chryſoſt. Chryſoſtomus ergo duo hæc ſic exponit: Gratiam dictam cenſet, quia quotquot ſaluantur, per gratiam Dei ſaluantur; nemo enim remiſſionem peccatorum, nec reconciliationem cum Deo aſſequitur, niſi ex gratiæ beneficio: Electionem autem dictam interpretatur, quia Deus ad hanc gratiam vocat eos, quos dignos futuros præuidit, elegit enim ad fidem & gratiam, quos nouit obedituros. ideo dictum eſt, reliquias per electionem factas. electio enim eſt facta ex parte hominum arbitrio, quo non omnes bene vſi ſunt; ideo non omnes à Deo omnium præſcio electi ſunt. Hanc doctrinam non recipit Auguſtinus, qui electionem ſaluandorum omnino ex parte diuinæ voluntatis accipit, non ex parte alicuius præuiſi in hominibus, quæ electio gratiæ dicitur, quia hos elegit, illos dimiſit, quia voluit.

In hac parte maxime aduertendum eſt, quod alias etiam adnotauimus ſuperius, non tolli rationem gratiæ, ſeu gratuitæ electionis, quamuis in homine aliquid ſit, propter quod magis eligitur à Deo, quàm alius, dummodo illud non ſit meritorium, nec efficax ex ſe electionis diuinæ, aut gratiæ ipſius collatæ. Quod exemplo manifeſtatur ſic. Si princeps propria voluntate motus, nulloque ex debito, ſed ex liberalitate vellet donaria pulchra diuidere, & diſtribuere inter ſuos ſubditos venientes ad ea capienda in domum illius, inter quos multi venirent, multi etiam venire recuſarent, in hoc caſu diſtinctio quædam eſt ex parte ſubditorum. aliqui enim recipiunt; aliqui vero non; quia illi venerunt; hi vero renuerunt. Tamen non propterea tollitur, quin ex mera gratia receperint, qui venerunt. nam aduentus hic nec meritorius, nec ex ſe efficax erat aſſequendi tale donarium, ſed ex gratia Principis, qui ita voluit ſua dona diſtribuere, quòd ſi Princeps præuidere poſſet venturos, & non venturos ad accipienda donaria, non expectato effectu, & apud ſe decerneret dare venturis, tunc eſſet electio ſecundum gratiam & liberalitatem, quamuis ſumpta eſſet diſtinctio ex parte eorum, quibus donaria propoſita ſunt. Ita dicimus, Deum iuſtificare voluiſſe per fidem & gratiam, quos præuidit libero arbitrio conuenturos & concurſuros ſibi vocanti; tamen nec motus arbitrij meritorius, nec efficax fuit ex ſe ſalutis huius, ſed quia placuit Deo his

Cur aliqui magis quã cæteri ſaluentur, nõ tollit rationẽ gratuitæ electionis.

ſuam

ſuam gratiam conferre: non ergo tollitur ratio gratuitæ electionis, quamuis ſumpta ſit ex parte alicuius, quod in homine eſt: quia hoc acceptare etiam ex gratia eſt; non enim meritum, nec efficacia in eo vlla eſt ex ſe; Quod ſi dicas, homo non poteſt concurrere, nec conuenire ad vocationem acceptandam, niſi ex gratia ipſa Dei iuuante: fateor; ſed gratia ita iuuat, vt arbitrium hominis etiam cooperetur; non enim aliter gratia adiuuare diceretur, & poſitum eſt in libertate hominis cooperari, quamuis cum Dei auxilio. Aliquid ergo ex parte hominis eſt, quod vnus adfert, non alius.

August. Auguſtinus exiſtimat, totum eſſe gratiæ, quia Deus facit hominem cooperari, & determinat arbitrium hominis, quia dat, vt velle poſſit, & facit velle. Exiſtimo tamen, non ſemper id eſſe, ſed ſæpe iuuat hominem, vt velle & operari poſſit; quod autem velit, & operetur, hominis eſt facientis, quod eſt in ſe, quamuis non ſine adiuuante gratia. Quia vero id, quod eſt hominis, non habet ex ſe meritum, nec efficaciam ad gratiam accipiendam, ſed totum eſt ex diuina voluntate, per quam voluit id acceptare ad dandam ſalutem per fidem & gratiam, non tollitur ratio gratuitæ electionis, nec minuitur. Et ſi doctrina Chryſoſtomi & Græcorum ita exponatur, vt nulla dignitas in homine ponatur, quæ ex ſe ſit meritoria, aut efficax, ſed quia Deus voluit eam acceptare, & adhuc eam homo non facit ſine adiuuante Deo, probabilis eſt, nec argumenta Auguſtini eam euertunt, nec Paulus contradicit, cum generalia ſint verba Pauli, & neutri opinioni aduerſentur. Dicitur ergo Deus reliquiſſe ſeptem millia virorum, tùm quia, niſi per gratiam ſuam conſeruaſſet, peccaſſent etiam iſti, tùm, vt dicit Chryſoſtomus, quia primas partes habet gratia, ac potiores, quàm arbitrium hominis. ſed non tollitur, quin iſti cooperati fuerint arbitrio per gratiam adiuto. Hoc tamen in expoſitione ſequentis ſententiæ adhuc magis explicabitur.

Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſt gratia.

PRoſequitur illationem ſuperiorem. Illud (gratia) legendum eſt in caſu auferendi, vt conſtat ex Græco ſermone, nempe ſi electio ex gratia facta eſt, non ergo ex operibus; ideſt non ex merito, aut efficacia operum legis. ſi enim gratia ſic data eſſet, non haberet rationem gratiæ, ſed mercedis potius. gratiæ autem natura eſt, vt detur gratis, non ex merito, aut virtute operis humani. ex gratia autem electionem fieri ad fidem & Euangelium, in quo eſt remiſſio peccatorum

&re-

Digitized by Google

& reconciliatio cum Deo, verbum illud Domini oſtendit. reliqui mihi ſeptem millia virorum. Paulus enim ex occaſione verbi illius, ſuum præcipuum intentum confirmat; nempe, non ex lege, aut legis operibus fieri remiſſionem peccatorum, & iuſtitiam coram Deo, ſed ex virtute Chriſti, quæ per fidem viuam applicatur nobis; vt Iudæos dedoceat errorem, quo tenebantur; nempe ſe virtute legis habere iuſtitiam, & ſibi Euangelium deberi. Similiter vt reprimat gentes, ne operibus vllis ſibi iuſtitiam hanc tribuant, cum ſit gratiæ, quæ gratis confertur. Illud (alioquin) Græce ἐπεὶ particula eſt contrariam aſſertionem ad manifeſtam falſitatem reducens, quaſi diceret, ſi gratia ex operibus daretur, gratiæ natura deſtrueretur; hoc enim eſt gratia, quod gratis, & ſine merito datur.

ANNOTATIO V.

Chryſoſt. Orig. Gratiam iuſtificationis non ex operibus tantũ, ſed ex fide Chriſti fundata in meritis eius præcedẽtibus diſpoſitionibus.

DVo ſunt aduertenda in proxima ſententia. Vnum eſt, Origenem, cui Chryſoſtomus conſentire videtur, hæc opera interpretari ea, quæ legis illius Iudaicæ erant, quam legẽ eſſe abolitam per Euangelium Paulus ſignificat. At mens Pauli, & ſenſus illius generalius procedunt; excludunt enim opera in vniuerſum nõ ſolum legis Iudaicæ, quæ ceſſauit, ſed etiam legis naturalis, & quodcumq. opus hominis; nullius enim operis merito, aut virtute, remiſſionis, & reconciliationis gratia confertur, ſed virtute, & merito Chriſti, vt ſuperius expoſitum eſt.

In cuius rei exactiorem declarationem aduerte, adeo eſſe generalem veritatem hanc, ex operibus non eſſe gratiam iuſtificationis, vt nec ex ipſa fide, qua parte opus quoddam eſt, homines iuſtificentur. Quod ſi dictum eſt, iuſtificari hominem ex fide, non id eſt, quaſi fidei meritum, aut virtus, vt actus quidam eſt ab intellectu humano proditus, gratiam efficiat, ſed quia Chriſti meritum, & virtus ex diuino beneplacito applicatur, & communicatur credenti, vt in eo iuſtitiam, & remiſſionem operetur. Ex nullo enim opere hominis prima iuſtitia eſt. dico ex nullo opere, quaſi ſit meritorium, aut efficax ex ſe gratiæ, & iuſtitiæ, cum totum meritum, & efficacia ab extrinſeco obueniat peccatori. Quamuis diſpoſitio aliqua in eo neceſſaria ſit ex diuino beneplacito inſtituta, nempe fides, & pœnitentia, & dilectio, & cæteræ diſpoſitiones, quæ non tollunt rationem gratiæ; quia hæ diſpoſitiones, vt actus humani ſunt, nec habent meritum, nec efficaciam iuſtificandi, niſi ex Chriſti virtute, quæ per tales actus operatur in diſpoſitis iuſtitiam, Deo ſic volente; ſicut in deſerto voluit per viſum ſerpentis ænei ſanitatem conferre tactis à ſerpentibus.

Alterum adnotandum eſt, in Græcis codicibus haberi alia ver-

 ba,

ba, quæ non habentur in vulgata editione. nam poſt verba expoſita, ſequitur (ſi autem ex operibus, iam non eſt gratia, alioquin opus iam non eſt opus.) quorum ſenſus talis eſt, ſi gratia ex operibus eſt, iam non habet rationem gratiæ; quod ſi habet rationem gratiæ, iam opus non habet rationem operis; quaſi dicat, ſi gratia ex operibus eſt, vnum duorum neceſſe eſt fateri, aut gratiam non habere rationem gratiæ, quæ gratis datur, aut opera talia non habere rationem operum. Nam opus habet rationem meriti aut efficaciæ, & cauſæ ad effectum. aut ergo opera non habebunt virtutem, nec meritum gratiã conferendi; aut ſi habent, gratia collata non erit gratia. huiuſmodi verba exponuntur ab Oecumenio; non tamen ab Origene, nec Chryſoſtomo; nec antiquus interpres ea legit, quod argumento eſt, exemplaria antiqua fuiſſe varia. Mihi non videntur neceſſaria hæc verba, nam illa prior pars (ſi autem ex operibus, iam non eſt gratia) ſuperflua videtur; iam enim dixerat (ſi ex operibus iam non eſt gratia.) poſterior autem pars, (alioquin opus iam non eſt opus) quantum ad ſenſum in priori ſententia ſignificata eſt. forſan ab aliquo in margine poſita fuerunt hæc verba in declarationem præcedentis ſententiæ, quæ aliquo errore in textum ipſum tranſlata ſunt; ſiue autem legamus ea, ſiue non, ſenſus idem perſeuerat. Oecum.

Quid ergo?

INfert Paulus ex dictis præcedentibus, quod ſuperius dixerat, nempe non repuliſſe Deum plebem ſuam, ſimulque declarat, quo pacto id ſit intelligendum; frequens autem conſuetudo eſt Paulo, vti hiſce interrogationibus. quid ergo, ſcilicet dicemus? loco affirmationis dicemus, ergo: quid autem dicendum ſit, in ſequentibus explicat.

Quod quaerebat Iſrael, hoc non eſt conſequutus, electio autem conſecuta eſt, caeteri vero excaecati ſunt.

QVod infertur ex ſuperioribus, hoc eſt, nempe, Iſraelem non eſſe aſſecutum Dei iuſtitiam, quam quærebat per legem; non enim recepit Euangelium, & fidem, per quæ ſola homo aſſequitur Dei iuſtitiam; electi vero per gratiam ſunt aſſecuti eam, quia crediderunt, & receperunt Euangelium, cæteris excæcatis, & in ſua infidelitate manentibus. non ergo omnes Iudæi repulſi ſunt, ſed qui increduli fuerunt, & inobedientes. Alij tamen quam-

Digitized by Google

quamplurimi crediderunt, & aſſecuti ſunt Dei iuſtitiam, qui electi dicuntur. Iſraelem appellat Iudæos in iudaiſmo remanentes, nec Euangelium recipientes; electionem autem per methonimiã, eos, qui ex Iudæis ſecundum gratiam electi, & fideles; de quorum numero multi extiterunt; ita vt dici non poſſit plebs Iudæorum omnino repulſa. Verbum hoc (quod quærebat Iſrael) habet eumdem ſenſum cum illo cap. 9. Iſrael ſectando legem iuſtitiæ, ad legem iuſtitiæ non peruenit. Notat Chryſoſtomus, verbo (non eſt aſſecutus) inſinuari vitium, & culpam arbitrij illorum, qui noluerunt recipere, & aſſequi iuſtitiam hanc Euangelicam; nam voluntarie ſe excæcarunt. *Chryſoſt.*

Sicut ſcriptum eſt, & dedit illis Deus ſpiritum compunctionis.

Iudæi vnde prouenit, vt non crederent Euangelio.

TEſtimonio Scripturæ excæcationem Iſraelis comprobat, ſunt autem verba Iſaiæ cap. 29. iuxta lectionem Septuaginta, *Iſai. 29.* quorum ſenſus eſt. permiſit Deus eos incidere in ſoporem quendam, & ſtuporem mentis, quibus effectum eſt, vt non videant, nec agnoſcant veritatem Euangelicam, nec veram Dei iuſtitiam. hunc ſoporem, & velut inſenſibilitatem appellat ſpiritum compunctionis, vt in annotatione ſequenti explicabitur; quem ſpiritum Deus dicitur dare, vt adnotat bene Chryſoſtomus, quia iuſto iudicio permiſit illos in eum labi; ſic enim Deus excæcat, non quidem tenebras immittendo, ſed homines propter eorum peccata in eas incidere permittendo.

ANNOTATIO VI.

Spiritus compunctionis vnde deſumptum ſit teſtimonium ex Scriptura.

DIfficultas ſe offert, vnde ſit deſumptum. Origenes enim fatetur ſe non inuenire locum in Scriptura veteri, vbi tale teſtimonium legatur; ideoque putat eſſe verbum Pauli, illudque (ſcriptum eſt) refert ad ſequentia verba, quæ ſunt ex Iſaia deſumpta; hæc tamen ſententia verbis Pauli accommodari non poteſt. nam oportebat ſic dicere, dedit illis Deus ſpiritum compunctionis; ſicut ſcriptum eſt; oculos vt non videant, &c. cum tamen dictum ſit (ſicut ſcriptum eſt) & poſtea verba dicta ſequantur, conuincitur, ea ad teſtimonium Scripturæ pertinere; & re vera ita eſt, vt reliqui interpretes affirmant; ſunt enim ex Iſaia cap. 29. *Iſai. 29.* iuxta Septuaginta lectionem, nec eſt vlla differentia in verbis, præter hoc, quod Septuaginta dixe-

 runt;

runt; potauit illos ἐπότισεν: Paulus autem vſus eſt verbo ἔδωκεν dedit illis: ſenſus tamen idem omnino eſt, ſiue dicas dedit illis ſpiritum compunctionis, aut potauit illos ſpiritu compunctionis; verbum autem (compunctionis) idem eſt apud Paulum, & Septuaginta κατανύξεως. Quid autem κατάνυξις ſignificet in hoc loco, varie doctores exponunt. Primo loco Chryſoſtomus, Theodoretus, & Oecumeni. confixionem, & compunctionem interpretantur; vt Paulus, & Iſaias ſignificare velint, Iudæorum obſtinationem, & immutabilitatem quandam in malo, & perfidia, cui ita immobiles inhæſerunt, ſicut, qui in loco aliquo clauis confixi, & compuncti ſunt.

Spiritus compunctionis, quid ſignificet.

Chryſoſt.

Theodor.

Oecum.

Anſel. Secundo loco Anſelmus compunctionem interpretatur, ſed in alium ſenſum, nimirum quia habuerunt ſpiritum impellentem ad malum, ſicut ſtimulum, qui compungens incitat ad curſum.

Ambroſ. Tertio loco Ambroſius compunctionem etiam legit, ſed in alium ſenſum explicat, nimirum dolorem, & animi diſplicentiam, qua premebantur Iudæi zelo paternarum traditionum, videntes eas aboleri per Euangelium.

Heſych. Quarto loco Heſychius quietem interpretatur; deducit enim vocabulum à νύξ, ideſt, nox, inde νυστάζω, ideſt, dormio, inde κατανύξις, quaſi κατανύστασις, vt ſit idem ac quies. à qua interpretatione non videtur

Hieron. diſſentire Hieronymus Iſaiæ 29. nam exponit ſoporem, qui ſomnus eſt profundus. & re uera Septuaginta, & Paulus hoc ſignificare voluerunt, quod probari inde videtur. Primo ex verbo Hebræo תרדמה, quod ſoporem ſignificat à verbo רדם, quod ſignificat dormire, ſopore graui demergi, ſtupefieri. Hoc idem vocabulum habetur Gen. 2. quãdo dicitur Dominus ſoporem miſiſſe in Adam; & in Abraham. Gen. 15. & in populum Saul. 1. Reg. 26. quamuis Septuaginta non eodem modo interpretentur. nam in primis duobus locis exponunt nomine ἔκστασις: in tertio θάμβος, quod ſtuporem ſignificat, idem autem eſt ſenſus. *Gen. 2.* *Geneſ. 15.* *1. Reg. 26*

Pſal. 59. Secundo ex Pſal. 59, potaſti nos vino compũctionis. vbi Septuaginta hoc eodem Græco vocabulo vtuntur; nomen autem Hebræum eſt ibi תרעלה à nomine רעל quod ſoporem ſignificat, vnde Septuaginta vidẽtur per nomẽ κατάνυξιν ſoporem ſignificare voluiſſe, nempe potaſti nos vino ſoporifero, vt non cognoſcamus manum tuã, qua nos corrigis. Hebræum enim nomẽ nil aliud, quàm ſoporem, & crapulam quandã ſignificat. Tertio ex verbis ſubiunctis (oculos vt non videant, & aures, vt non audiant) quæ ſunt effectus ſoporis, & compunctionis huius.

Orig. ita Origenes in præſenti hanc videtur interpretationem amplecti. Quod ſi volumus Latinum vocabulum (compunctionis) ſeruare, in eumdem ſenſum exponendum eſt per metaphoram quandã, nempe ſicut compuncti, & dolore aliquo pungente preſſi ſenſus mentis amittunt, vt nec videant, nec audiant, nec rationis ſint compotes, ita Iudæi in ſpiritum inſenſibilitatis ſunt traditi. quem ſenſum Cyprianus videtur proſequi.

Cypr. Et hæc eſt Quinto loco expoſitio. nam ſerm. de orat. dominica, ſic inquit; iniuſte ſibi placentes, & tranſpunctæ mentis alienatione dementes, Dei pręcepta contẽnunt, medelam vulneris negligunt, agere pœni-

Digitized by Google

pœnitētiam nolunt, ante admiſſum facinus improuidi, poſt facinus obſtinati, & lib. 1. epiſt. 3. hinc, inquit, illis pertuſa mens, & hebes animus, & ſenſus alienus eſt; ira Dei eſt non intelligere delicta, ne ſequatur pœnitentia; ſicut ſcriptum eſt, dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, ne reuertantur ſcilicet, & curentur.

Ambroſ. Aduertendum eſt præterea, Ambroſium in hoc loco diſtinguere duos ordines Iudæorum incredulorum. Vnum eorum, qui à principio increduli fuerunt, poſtea tamen conuerſi ſunt. Alterum, qui pertinaces in ſua infidelitate permanſerunt. Dicit ergo, Paulum primum ordinem ſignificare in hoc teſtimonio Iſaiæ; hi enim ſpiritum compunctionis habuerunt, qui æmulatione tacti conuerſi ſunt; ſecundum vero ordinem teſtimonio ſequenti Dauid oſtendi. Cæteri interpretes nulla diſtinctione vtuntur. Et reuera magis hoc ad ſenſum Pauli pertinet, qui generaliter in vtroque teſtimonio de cæcitate Iudæorum tractat; quod in ſequentibus magis dilucidabitur. Verba autem hæc non poſſunt accommodari vni illorum ordini.

Oculos, vt non videant, & aures, vt non audiant vſque in hodiernum diem.

Nota excæcationē Iudæorū quamdiuturnam. *Deut. 29.*

TEſtimonium Iſaiæ allegatum declarare, & confirmare teſtimonio Moyſis proſequitur ſumpto ex Deuter. 29. ac ſi diceret, Spiritus compunctionis, & ſoporis hic eſt, de quo per Moyſem dictum eſt, nempe habere oculos, & aures mentis clauſas perpetuo, vt nec videant, nec auditum præſtent ijs, quæ ad ſalutem credenda, & facienda ſunt; oculos enim habuerunt, & non agnouerunt Chriſtum; aures, & doctrinam eius noluerunt audire, nec recipere præ mentis compunctione, & ſopore graui. Verba Moyſis ſic habent: Non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures, quæ poſſint audire vſque in præſentem diem. Verba hæc non citauit Paulus ad literam, ſed ad ſenſum: nam non habere oculos videntes, & aures audientes, idem eſt ac habere oculos, & aures tales, vt nec videant, nec audiant, quæ videnda, & audienda erant, & ſunt. Sic Paulus exponit compunctionis Spiritum dictum ab Iſaia.

ANNOTATIO VII.

Origen. Chryſoſt. Iſai 6.

ORigen. Chryſoſt. & fere omnes interpretes, hæc verba ſumpta ex Iſai. 6. exiſtimāt; cui expoſitioni cōtradicit illud verbū (vſq; in hodiernum diē;) non enim habetur in Iſaia. Aliqui recentiores

hanc difficultatem præſentientes dixerunt,non citari hoc verbum tãquam ab aliquo Propheta prolatũ, ſed poſt teſtimonium citatum,à ſeipſo id verbum addidiſſe, vt doceret,in eandem infidelitatem tempore Euangelij Iudæos incidiſſe. Sed violenta eſt expoſitio, nec accommodata, & quæ veritati detrahit. nam Paulus præſentem illã Iudæorum cæcitatem prædictam iam in Scriptura oſtendit; non ergo erat, cur ex ſe tale verbum adderet. Iſti expoſitores hoc finxerunt,quia non occurrit locus Scripturæ, præter Iſaiam, vbi hæc verba legerentur; cumq. in Iſaia non inuenirẽt, à Paulo eſſe adiecta cenſuerunt; cum revera habeamus locum apertum in Deuter. vbi totus hic locus integer habetur,quod docte annotauit Anſelmus,communi interpretatione, quam Hieronymo tribuit,reiecta; & ea videtur legitima expoſitio, & ſententia. eſt ergo verbum illud (vſq. in hodiernum, ſeu præſentem diem) Moyſis,oſtendentis perſeuerantem, & perpetuam illius populi incredulitatem; cum enim accepiſſent continua,& frequentia miracula Dei, increduli, & rebelles inter eos inuenti ſunt ſemper; per hoc prædicere voluit futuram incredulitatem, & cæcitatem in aduentu Chriſti, & propterea à Paulo hoc idem verbum allegatum eſt. *Anſel.*

Et Dauid dicit, fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem illis.

Pſal. 68. Sacra Scriptura,lex, & prophetiæ,quomodo facta in captionem,& ſcãdalum Iudæis.

EAndem excæcationem teſtimonio Dauid confirmat ex Pſalm. 68. eſt autem metaphora ſumpta à cibo, & menſa; quæ cum appoſita ſit in cibum, & nutrimentum ac vitæ conſeruationem,aliquando ſolet in ea miſceri venenum, & conuertitur in mortem; ſic ſacra Scriptura, lex, prophetiæ, quæ data ſunt Iudæis in lumen, & cibum vitæ, vitio ipſorum occaſio illis facta eſt laquei, ruinæ, & retributionis peccatorum ipſorum; propter peccata enim ipſorum excæcati, & in ruinam abire permiſſi ſunt. laqueus, & captio in Hebræo vno vocabulo exprimuntur.

Oſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua.

QVamuis hæ loquutiones pronunciatæ ſint ſermone deprecatiuo, tamen vim habent futuri, & prædictionis. obſcurati ſunt oculi Iudæorum infidelitate, vt Chriſtum nõ agnoſcerent,nec veritatem reciperent, & dorſum eorum,ideſt, affectus, & voluntas incuruata eſt; quia dediti ſunt carnalibus, & ſenſibilibus rebus, vt non valeant oculos attollere in cæleſtia. Multa dici poſſent ſuper hæc Dauidica verba, quæ, quia ad præſentem locum Pauli non perti-

Digitized by Google

pertinent, prætermittimus; ſenſus enim à Paulo intentus eſt, probare excæcationem Iſrael à Prophetis ante prædictam, vt ſic conuinceret Iudæos infidelitatis, & cæcitatis eorum, nec poſſent negare, ſe eſſe cæcos, & incredulos.

Dico ergo, nunquid ſic offenderunt, vt caderent? Abſit.

IVdæorum animos multum conciliat, & ad fidem incredulos excitat ſpe gratiæ diuinæ, ſimul etiam gentium ſuperbiam refringit contemnentium Iudæos, quòd Chriſto non crediderint. Oſtendit ergo Paulus, non ſolum non omnes Iudæos eſſe repulſos à Deo, ſed nec etiam omnes eos, qui à principio increduli extiterunt, permanſuros in incredulitatę, ſed multos eſſe conuertendos, nec ſic cecidiſſe, vt omnis ſurgendi ſpes ſit ablata. Senſus ergo, & contextus præcedentis ſententiæ talis eſt; ſi cæteri excæcati ſunt, & impletum eſt, quod prædictum erat per Moyſem, & Dauid, & Iſaiam de populi excæcatione, & incredulitate, inferemusne ex his, & dicemus, ergo Iudæi iſti ſic offenderunt, vt caderent ſine vlla ſpe ſurgendi, & conuerſionis? reſpondet Paulus negatiue, abſit, nullatenus offenſio, & impactio Iudæorum talis eſt; non eſt enim ablata ſpes conuerſionis, nec Deus denegauit eis manum ſuam, vt ſurgant. Vtitur Paulus ſuis ſolitis interrogationibus, confirmatque illam ſuperiorem ſententiam, non repulit Deus plebem ſuam; non enim omnes increduli fuerunt ex Iudæis; nec ijs, qui ſunt, eſt ſpes ablata conuerſionis, nec ſic ceciderunt, vt ſurgere non valeant, cum multi ex eis credituri ſint. Cadere appellat eos, qui ſic cadunt, vt non amplius ſurgant.

Iudæi non ita offenderunt, vt caderent ſine vlla ſpe ſurgendi.

ANNOTATIO VIII.

ADuertendum eſt in proxima ſententia, Græce non haberi illud (ſic) ſed abſolute dici, nõ offenderunt, vt caderent; propterea aliqui recentiores ſupplendũ cenſent, non ideo offenderunt, vt caderent, quaſi particula, vt, notet cauſam finalẽ. rectius tamẽ vulgata legit; nõ ſic offẽderũt. ſi enim legeremus, non ideo offenderunt, vt caderent, oportebat ſequentẽ ſententiã aduerſatiuam eſſe, nẽpe, ſed vt eorum delicto ſalus eſſet gentibus; excluſo enim vno fine, alterum ſtatuere oportet; at nec id dixit Paulus, nec veritas rei habet; non enim offenderunt Iudæi ea cauſa, & fine, vt gentium multitudo intraret in Eccle-

Digitized by Google

ſiam; accommodatior ergo lectio eſt,non ſic offenderunt,vt caderent, ideſt,non eo caſu ceciderunt, à quo ſurgere nunquam debeant.

Sed illorum delicto ſalus eſt gentibus, vt illos æmulentur.

NOn ſic offenderunt, vt caderent omnino à ſpe ſurgendi, immo per illorum delictum, & offenſionem, & impactionem, ſalus facta eſt gentibus; ideſt, gentibus eſt prædicatum Euangelium, nempe vt gentes conuerſæ Iudæos, qui offenderunt, & non crediderunt, prouocarent ad æmulationem, & inuidiam quandam ſanctam, ſicq. traherent eos ad credendum Euangelio; gentes enim conuerſæ magno ſtimulo ſunt, & fuerunt Iudæis incredulis, vt ad fidem etiam ipſi venirent; videntes enim promiſsiones ſibi factas ad gentes deueniſſe, ſeque excludi, quadam ſancta inuidentia tacti ad Euangelium etiam ipſi conuolarunt, & conuolabunt. particula (ſed) ἀλλὰ augmenti eſt, ac ſi diceret,non ſolum non ſic ceciderunt, vt ſpes ſit ablata ſurgendi, immo impactio, & offenſio eorum in cauſa fuit,vt gentibus annunciaretur Euangeliũ, atque gentium multitudo conuerſa Iudæos ad credendum, & recipiendum Euangelium excitaret.

ANNOTATIO IX.

Ex delicto Iudæorum perueniſſe ſalutem gentibus, & æmulationem ipſorum.

NOnnulla ſunt aduertenda circa ſuperiorem ſententiam. Vnum eſt, particulam (ſed) non aduerſatiue teneri; oportebat enim ſic dicere (ſed vt eorum delicto ſalus eſſet gentibus) poſita ergo eſt loco (immo) ſeu (quin potius) in qua ſignificatione ſæpe accipitur particula ἀλλὰ in Scriptura, vt ſit ſenſus,non offenderunt ſic, vt omnino caderent, immo ipſis offendentibus prædicatum eſt gentibus Euãgelium, vt earum conuerſione Iudæi ipſi ad fidem traherentur, & à caſu exſurgerent. Alterum adnotandum eſt; verbum illud (æmularentur) varie exponi, & referri. Primo loco Photius ad Iudæos refert in hunc ſenſum; vt Iudæi æmulentur, & imitentur gentium conuerſarum fidem, quam expoſitionem ſequutus eſt Anſelmus, qui ſecundo loco aliam adhibet expoſitionem,nempe vt referatur ad gentes in hunc ſenſum, vt gentes imitentur fidem Iudæorum priorem; erãt enim Iudæi fideles, antequam caderent. Hæc violenta, & parum accommodata eſt expoſitio.

Phot.

Tertio loco Orig. Chryſ. Theod. & Ambr. referunt ad gentes,& verbum æmulandi nõ in ſignificatione imitandi, ſed prouocandi, & excitandi ad æmulationem accipiunt, fitque ſenſus; ſalus eſt gentium facta, vt gentes conuerſæ prouocent *Origen. Chryſoſt. Theodor. Ambr.*

ad

Digitized by Google

ad æmulationem Iudæos, vt etiam ipſi credant.

Orig. Origenes in numero ſingulari legit verbum (æmuletur) & ita nũc in nonnullis Græcis exemplaribus habetur, refertq; ad fidem & ſalutẽ gentibus; fides enim earum prouocauit, & in zelotypiam quandam Iudæos induxit, vt & ipſi Euangeliũ reciperent. *Theodor.* Theodoretus in plurali legit, & refert ad gentes conuerſas. Neoterici aliqui in ſingulari legũt, & ad Deum referunt, qui ſic prouocauit Iudæos. Hoc tamen violentum eſt: nõ enim ſermo de Deo præceſſit, ſed de gentium ſalute, & fide. Aut ergo ad gentes: aut ad fidẽ illarum; ſeu ſalutem verbum referri debet: ſiue autem in ſingulari, ſiue in plurali legas, ſenſus idem eſt, dũmodo ad gentes referatur verbum in ea ſignificatione, nempe prouocandi, & excitãdi ad æmulationem quandam ſanctam, per quam ad fidem Iudæi permoueãtur. & hæc eſt legitima expoſitio, cuius veritas nõ ex verbo Græco παραζηλόω, ſed ex verbo Hebræo confirmatur. nam *Rom. 10.* *Deut. 32.* hoc verbum Pauli conſonat verbis allegatis cap. 10. ex Deuter. 32. ego ad æmulationem vos adducam, vbi eſt idem verbum Græcũ: in Hebræo autem eſt Hiphil a verbo קנא quod ſignificat inuidere, ſeu æmulari, in illa autem coniugatione ſignificat facere æmulari, ſeu facere inuidere, aut ad æmulationem prouocare. Igitur quando dictum eſt in hac ſententia, vt illos æmulẽtur, debet eodem modo exponi, nempe vt gentes faciant Iudæos inuidere. cui expoſitioni etiam reſpondet ſentẽtia Paulo inferior. (Si quo modo ad æmulãdum prouocem carnem meã) vbi idem eſt verbum Græcum.

Tertium adnotandum eſt, illud (delicto) non ſignificare peccatũ, vt exiſtimat Anſel. qui delictũ hoc interpretatur peccatum Iudæorũ, quo Chriſtum occiderunt, propter quod à Deo ſunt puniti, & diſperſi in omnes gentes. At hæc interpretatio accommodari vix poteſt; cum ſenſus legitimus ſit; vt delictum, nõ quidem peccatum in hoc loco, ſed impactionem, & offenſionem, & lapſum ſignificet. reſpondet enim verbo (offenderunt;) quamuis re vera offenſio hæc peccatum fuerit: eſt autem in caſu efficiendi. vnde quidam vertunt, ſed per eorum ruinam, & lapſum ſalus eſt gentium facta. *Delictum Iudæorũ quod fuerit. Anſel.*

Quarto eſt aduertendum, quod ad rem ipſam pertinet, Anſelmum ſic exponere, ſalutem factam gentibus ex delicto Iudæorum; quia propter peccatũ occiſionis Chriſti diſperſi ſunt inter gentes, apud quas Scripturas ſacras deportarũt, quibus fides noſtra roboratur. Violenta tamen expoſitio eſt, ideo aliam, quæ legitima eſt, & communis adhibet: nempe, quia prædicatores ſalutis, propter eorum incredulitatem, ad gentes conuerſi ſunt. Pro cuius declaratione attende. Quãuis Chriſtus pro oĩbus, nẽpe Iudæis, & gẽtibus mortuus ſit, & pro omnium peccatis ſatisfecerit, omniumq; ſalutẽ operatus ſit, fuit enim propitiatio pro peccatis totius mundi, & redẽptor vniuerſalis; tamen hæc ſalus, & redemptio nõ eodem ordine annuncianda, & communicanda erat, ſed prius Iudæis, & poſtea gentibus; vnde futurum erat, vt gẽtes, quibus eo tempore ſalus non annunciabatur, fructu redemptionis priuatæ eſſent, quã omnino percepiſſent, ſi ſalutis verbũ citius eſſet notificatũ. Hic ordo per incredulitatẽ Iudæorũ intermiſſus eſt. ipſis. n. non credenti- *Anſel. Ex Iudæorum delicto quõ facta eſt gentibus ſalus.*

dẽtibus Apoſtoli ad gẽtes ſtatim cõ uerſi ſunt, vnde factum eſt, vt citius annunciata eſſet eis ſalus, & multo plures eam reciperent. Quam doctrinam docuere Paulus, & Barnabas. Act. 13. Vobis, inquit, oportebat primum loqui verbum Dei, ſed q̃a repellitis illud, & indignos vos facitis æternæ ſalutis, conuertimur ad gentes. Nota illud (primum.) hanc etiam docuit Dominus. Luc. 14. per parabolam inuitantis ad cœnam magnam multos; hiſq; ſe excuſantibus dixit Pater familias, exi cito in vicos, & plateas, &c. nota illud (cito) ſignificat enim, gentes etiam vocandas, ſed non ita cito, ſicut factum eſt propter Iudæorum incredulitatem. ita Paulus intelligi debet, dicens, per delictum Iudæorum factam ſalutem gentibus; & iterum hoc idem ſequentibus repetit verbis. ſic Chryſoſtomus cum alijs hęc loca explanant. Hoc tamen addendum eſt, non ſolum citius ſalutem gentibus eſſe annunciatam ex Iudæorum incredulitate, primoſq; factos gentiles, ſed etiam loco Iudæorum eſſe gentes ſubrogatas, & inſertas Chriſto & Eccleſiæ. fractis enim naturalibus oliuæ ramis, inſerti ſunt rami oleaſtri. quod ſi Iudæi omnes crediđiſſent, gentes poſtea vocatæ eſſent, ſed multæ interim perijſſent, nec loco Iudæorum dicerentur ſubrogatæ. Vide qualiter Deus ex malo elicuit bonum, ex incredulitate enim Iudæorum perfecit celerem gentium ſalutem, & per eam Iudæorum ruinam impleuit.

Act. 13.

Luc. 14.

Quòd ſi delictum illorum diuitiae ſunt mundi, & diminutio eorum, diuitiae gentium, quanto magis plenitudo eorum?

PRoſequitur Iudæorum animos conciliare, & gentium ſuperbiã reprimere. Si, inquit, delictum, & caſus Iudæorum mundum ditauit: nam Euangelij prædicatio citius in gentes peruenit, & primi facti ſunt, qui erant futuri nouiſſimi: & ſi diminutio Iudæorum (per multorum enim incredulitatem pauci remanſerunt credentes) gentium credentium auxit multitudinem, maiores profecto diuitias gentibus adferet illorum plenitudo, nempe quando Iudæi ad Euangelium conuertentur; ſi enim ex malo ipſorum tantum bonum gentibus Deus elicuit, maius certè eliciet ex bono eorundem. Diminutioni Iudæorum propter incredulitatem opponit Paulus plenitudinem eorum per fidem. Vide quomodo gentibus deſiderabilem facit Paulus Iudæorum ad Euangelium conuerſionem, vtpote maiores ipſis diuitias allaturam, quam caſus illorum attulit. Mundus, & gentes hoc loco idem ſignificant.

Vobis enim dico gentibus, quamdiu quidem ego ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo, ſi quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam.

COmmendauerat Euangelij prædicationem gentibus factam, per quam ipſæ diuitias magnas erant conſecutæ; cauſam nũc profert,

Gentes ditatæ Apoſtoli miniſterio, ſed cum prouocatione Iudæorũ.

profert,cur hac vſus ſit commẽdatione, eamq; cauſam indicat particula (enim.) conuerſus ergo ad gentes,quibus ſcribebat, inquit, vobis loquor gentibus,& dico,me,quoad veſter ero Apoſtolus, cõmendaturum, & laudaturum prædicationem meam, per quam ditati eſtis omni ſpirituali benedictione,vt hac ratione,& via, quantũ in me eſt, prouocem Iudæos ad quandam inuidiam, & æmulationem veſtri,vt moti, & excitati,diuitiarumq; harum cupidi conuertantur,recipiantq; Euangelium,& ſalui fiant;ita enim gentiũ Apoſtolus factus ſum,vt Iudæorum ſalutem non negligam,ſed quãtum in me fuerit,& per meum Apoſtolatum licuerit,illi incũbam. Nota verbum (ſiquo modo;) inſinuat enim Iudæorum pertinaciam, & obſtinationem,Pauliq; diligentiam,omnibus vijs illorum ſaluti incumbentis. Per carnem ſuam ſignificat Iudæos, propter cognationem carnalem.quos ſic appellat,quia cum eis propter eorum incredulitatem nullam habebat ſpiritualem coniunctionem. Notat autem Chryſoſt. etiam ſignificari in hoc duritiem Iudæorum; non enim dicitur (perſuadeam) ſed (prouocem ad æmulationem) quaſi non credituri ſint, niſi agitati,& commoti gentium æmulatione.

Chryſoſt.

ANNOTATIO X.

Aduerte quantum ad verba, illud (honorificabo)Græce habetur de præſenti δοξάζω, ideſt glorifico,ſeu honorifico;& tũc ſenſus eſt: honorifico,& laudo nunc prædicationem,& miniſterium meum,dum dixi,gentes eſſe diuites factas. nos legimus de futuro cum communi interpretatione; & ſenſus in idem recidit. Aduerte rurſus,illud (quãdiu) Græce ἐφ᾽ ὅσον. aliquos vertere quatenus, alios quãdiu, ſeu, quoad, vtrumq; enim particula ſignificat, & ſenſus fere idem eſt. Aduerte præterea;illud (prouocem ad æmulandum) Græce eſſe vnicum verbũ, quo ſuperius vſus eſt Paulus. Quantum autẽ ad ſenſum pertinet. Chryſoſt.exiſtimat,duas adferri hic cauſas,cur commendauerit gentes,ſeu miniſterium ſuum,nempe quia gentium Apoſtolus,& vt carnem ſuam prouocaret.mihi magis placet,vnã eſſe cauſam,vt in commentario expoſui. Aduerte etiam,Ambr. & Anſelm. interpretari illud (honorificabo) ſic, quòd Paulus magis illuſtraret ſuum miniſterium, dum Iudæos etiã lucrifaceret, & ſupra id, quod tenebatur ex officio, faceret; tamen accõmodatius exponemus, dictũ eſſe glorificare,& honorare, propter laudem, & commendationem factam,quia gentes dixerat diuites factas eius miniſterio, & prædicatione Euangelij,idque etiam facit Paulus alijs in locis.

Chryſoſt.

Miniſteriũ Apoſtoli ex quo honorificatum eſt.

Ambroſ. Anſel.

Et:

Digitized by Google

Et ſaluos faciam aliquos ex illis.

COnnectuntur hæc ſuperioribus, cauſamque & finem, propter quem ad æmulationem prouocare Iudæos ſtudeat, continent, nempe, vt per hanc æmulationem ad ſalutem perducantur per fidem Euangelij. Rectè autem dicit aliquos, quia maiorem Iudæorum partem in infidelitate perituram prædictũ eſſe ſuperius oſtenderat; quo etiam verbo vitium, & pertinacia Iudæorum exprimitur, in tanta enim eorum multitudine pauci crediderunt, & credunt; pro vno enim credente, quamplurimi in ſua remanent perfidia.

Si enim amiſſio eorum, reconciliatio eſt mundi, quæ aſſumptio, niſi vita ex mortuis?

NE gentes ægrè ferrent, Paulum, qui ſe earum Apoſtolum dixerat, Iudæorum ſaluti, & conuerſioni intendere, cum præſertim inter vtrumque populum contentio verſaretur, duas adfert cauſas, quibus probat id expedire, & neceſſarium eſſe. Vna eſt ab vtilitate, quæ ipſiſmet gentibus prouenit, quæ talis eſt. ſi Iudæorum amiſſio, & incredulitas, per quam deſciuerunt ab Eccleſia, & populo Dei, occaſio fuit, vt gentes, quas nomine mundi ſignificat, Deo reconciliarentur, & ad Eccleſiam, populumq; Dei vocarentur, & adducerentur, quantum fructum reportabit conuerſio eorum, & fides, qua aſſumentur ad Dei Eccleſiam; ſi enim malum eorum occaſio fuit tanti boni, bonum eorum profectò occaſionem dabit, non minoris, immo maioris; erit enim reſurrectio mortuorũ, & conſummatio redemptionis gentium, & mundi: nam, dum in hoc ſæculo ſumus, ingemiſcimus, & expectamus corporũ redẽptionem, & ſalutis complementum: ad quam non prius perueniemus, quàm Iudæi perditi ad Dominum conuertãtur: poſtquam enim gentium plenitudo intrauerit, reliquiæ Iudæorum ſaluandæ ſunt. cumque collecti fuerint omnes Iudæi prædeſtinati, nihil reſtabit, niſi vt mundi huius finis veniat, & mortuorum reſurrectio, & redemptionis conſummatio. Ipſorum ergo ſalus gentibus, & mundo vtilis eſt, idcirco incumbo, inquit Paulus, eos attrahere, & ad ſalutem accipiendam prouocare.

AN-

Digitized by Google

ANNOTATIO XI.

ILlud (amiſſio) Græcè ἀποβολὴ, idem eſt, ac Latine abiectio, depoſitio, iactura, ſeu amiſſio, inde varie exponitur. quadrat autem verbo (aſſumptio) ſi interpretemur depoſitio, aut reiectio, ſeu abiectio; eſt enim argumentum à cõparatis ſumptum. Illud autem (vita ex mortuis) varie exponitur. Ambroſ. vitam ex mortuis interpretatur iuſtificationem à peccatis, quàm mundus conſequitur perfectè, ſi Iudæi conuertantur, ſicut & gentes; illis enim nondum conuerſis, nondum mundus dici perfectè poteſt conuerſus, & viuificatus. Chryſoſt. autem, & Theod. quibus Anſel. conſentit, vitam ex mortuis, reſurrectionem mortuorum interpretantur, quæ non fiet, niſi prius Iudæis ad fidem Chriſti conuerſis; quam expoſitionem ſecuti ſumus, & explicuimus in commentario. Quidam recentiores in hunc ſenſum interpretantur. Iudęorum conuerſio tantam adfert lætitiam mundo, quantam adferret alicui, ſi alterum viuum à mortuis reciperet; at legitima interpretatio ea videtur, quam ſecuti ſumus.

Ambroſ.

Chryſoſt. Theodor. Anſel.

Quid ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa.

ALtera ratio eſt, quia etiam ipſi poſſunt ſancti eſſe, & ad fidem conuerti, & gratiam Euangelij accipere, non minus, quàm qui ex gentibus conuerſi ſunt. Vtitur autem argumento ſumpto ex metaphora, ſi primitiæ, & delibatio maſſæ ſancta eſt, profecto & ipſa tota maſſa, quæ eiuſdem eſt naturæ cum delibatione, ſancta erit; quaſi diceret; primi Iudæorum conuerſi ſunt ad fidem, amplexique ſunt Euangelium, & effecti ſancti, nempe Apoſtoli, & Diſcipuli Domini, qui ſunt velut primitiæ, & delibatio; ergo cæteri Iudæi, qui ſunt velut maſſa, poſſunt eandem gratiam recipere, & effici ſancti; eiuſdem enim ſunt rationis hi, & illi, nempe Iudæi. Primos Iudæorum credentes, nempe Apoſtolos, & Diſcipulos, appellat delibationem. Græce dicitur ἀπαρχὴ, qua voce vſus eſt Rom. 8. quando dixit; nos primitias ſpiritus habentes.

Maſſa, & delibatio eius quid denotent.

ANNO-

ANNOTATIO XII.

VOcem Græcam ἀπαρχὴ Theophylact. interpretatur ζυμὴν, id eſt fermentum. Aliqui recentiores exponunt frumentum. Alij primitias. Noſter interpres delibationem. & hæ duæ vltimæ interpretationes accommodatiores ſunt; id enim ἀπαρχὴ dicitur, quod primùm ex maſſa conficitur ad edendum. ſolent enim collyrides quædam fieri, & ſubcinericij panes, qui ſtatim eduntur. ex reliquo autem maſſæ panes conficiuntur. Vnde primi credentes recte appellantur primitiæ, ſeu delibatio; Qui autem hi ſint, Chryſoſt. ſerm. 19. interpretatur illos patres antiquos, Patriarchas, & Prophetas. Theodoretus Chriſtum ipſum ſecundum humanam naturam. Ambroſ. verò, & Anſelmus, Apoſtolos, & primos Chriſtianos, qui ex Iudæis fuerunt. & hoc accommodatius videtur: nam hoc idem vocabulum habemus de huiuſmodi credentibus dictum à Paulo Rom. 8. vt in commentario adnotauimus.

Et ſi radix ſancta, & rami.

AVget argumentum: non ſolum enim Iudæorum primitiæ ſanctæ ſunt, quod & gentibus eſt commune, ſed & radix eorum ſancta eſt, quod ipſis eſt proprium, non gentibus; radix enim eorum Abraham, Iſaac, & Iacob, & Prophetæ illi ſunt, quibus eſt promiſſa ſalus. & in quibus ſalutis promiſſiones gentes acceperunt. Si ergo radix ſancta fuit, rami ex tali radice procedentes, qui ſunt Iudæi ſecundum carnem, ſancti erunt, ſi eorum etiam imitentur fidem, & opera, nec excludi à ſalutis promiſſione debent. Metaphora ſumpta eſt ab arbore, cuius rami qualitatem radicis habent: qua ratione gentiles à ſuperbia reprimit, & in humilitate continet, ne exiſtiment, Iudæos à ſalute excludi, quorum ſors in hoc melior eſt, quod ex radice ſancta prodierunt, non vt gentes, qui ex infecta radice ſunt.

ANNOTATIO XIII.

Radix ſancta, & rami qui ſint. *Ambroſ. Anſel. Theodor.*

CHryſoſt. ſer. 19. vtramque metaphoram idem argumentum eſſe exiſtimat, & per delibationem & radicem Patres antiquos interpretatur. Ambroſ. vero & Anſelm. ad idem etiam referunt, ſed per radicem & delibationem Apoſtolos, & primos credentes ex Iudæis exponit. Theodoret. vero ad diuerſa refert, & per delibationem, Chriſtum ſecundum carnem: Per radicem vero Patres antiquos explicat.

Digitized by Google

plicat. Mihi quidem diuerſa ſignificari per hæc duo videntur cum Theodoret. hoc addo, nempe argumenti præcedentis efficaciam hac ſententia augeri, vti expoſuimus. nec per radicem Patres, per delibationem Chriſtum intelligendum exiſtimo, ſed primos credentes ex Iudæis; hoc enim puto dici delibationem, ſeu primitias. radicem vero eorum Patres, Patriarchas, & prophetas. Vt tota metaphora ſit, per quam Eccleſia confertur Oliuæ pingui in terra fecunda plantatæ, habenti radices, & ramos naturales. terra iſta Chriſtus eſt, in quo Eccleſia ipſa credentium fundata eſt; radices ſunt illi primi Patriarchæ & Prophetæ, quibus eſt facta promiſſio, & qui de numero credentium fuere: rami ſunt omnes ab eis deſcendentes ſecundum carnem, qui per fidem ipſi Oliuæ inhærent, & coniuncti ſunt, ac eius pinguedinem participant. Iudæi vero, qui non crediderunt, ſunt vt rami fracti, de quibus ſtatim loquitur Paulus. Vnde ex hac metaphora conſtat, Iudæos, qui veri & naturales rami ſunt oliuæ, non eſſe repellendos, nec excludendos à prædicatione Euangelij, & à communione ſalutis, cum ex ſancta, & vera radice procedant tamquam rami naturales.

Quòd ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cum Oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis, & pinguedinis Oliuae factus es, noli gloriari aduerſus ramos.

Appellatione Oliuæ, Oleaſtri, radicis, & pinguedinis, quæ intelligantur.

EXcludit obiectionem gentium, qua tueri ſe poterant aduerſus Iudæos: nam dicerent; illi quidem rami erant ex ſancta radice procedentes: tamen fracti ſunt, ab illaque radice ſeparati, nos autem facti ſumus rami, & radici ſanctæ cõiuncti. Hanc reſponſionem repellit, dicens, noli gloriari propter hoc. Artificioſè autem cauſas adfert deponendi gloriationem, & iactantiam. Vna eſt ex parte Iudæorum. ſi, inquit, fracti ſunt, non omnes quidem, ſed aliqui ſunt fracti: nam ſunt multi, & præcipui fideles ex Iudæis propriæ radici vniti. Altera eſt ex parte gentilium conuerſorum. ſi, inquit, tu gentilis radici inhæres, & pinguedinem illius participas, gratiam nempe Euangelicam, quæ illis promiſſa fuit, & ad illos primo peruenit, tamen eràs Oleaſter, ex radice mala, & venenoſa progenitus: inſertus es autem alienæ radici bonæ, non propriæ. Tertia eſt, quia inſertus quidem ès in illis, ideſt, loco illorum; eorum enim caſus tuæ exaltationis occaſio eſt. Quarta eſt, quia Oliuæ, inquit, huius pinguedinem non ſolum partici-

pas,

pas, ſed ſimul cum proprijs ramis, qui ſunt Iudæi fideles, ſociusque illorum factus es. Noli ergo gloriari aduerſus ramos: gloriandum quidem tibi eſt in Domino, ſed non vt aduerſus Iudæos, qui rami ſunt, extollaris, eoſque contemnas, ac ſalutem ipſorum negligas; rami enim ſunt, quamuis fracti, & eorum multi rami integri permanent. Perpende, quot, & quam efficacibus modis minuit, & eleuat conuerſis ex gentibus cauſam gloriandi contra Iudæos etiam fractos.

ANNOTATIO XIIII.

OPponeret aliquis, ramum non frangi, niſi qui prius erat vnitus. Si igitur Iudæi aliqui fracti ſunt, ergo erant prius vniti, & coniuncti radici, & oliuæ. Reſpódeo ita eſſe: nam prius credebant in venturum Chriſtum, erantque de numero fidelium, & de populo Dei, qui eſt Oliua ſpecioſa, coniuncti radici patrum. Ipſo autem Chriſto aduenienti multi non crediderunt, fidem amiſerunt, ſicque fracti ſunt, & abſciſſi. idcirco dicti ſunt cecidiſſe, quia ſtabāt prius. rami vero dicti ſunt naturales, quia ſimul carnalem, & ſpiritualem generationem habuerunt ab Abraham, & Patribus illis ſanctis, etiam ſecundum carnem deſcendentes, & eorum fidem imitantes.

Quòd ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te.

PRoſequitur idem argumentum; quòd ſi, inquit, adhuc gloriaris aduerſus ramos, nec quæ dicta ſunt, te à gloriando remouent; conſidera quòd tu non portas radicem, ſed radix te; ideſt, quod gloriam, & honorem, & vtilitatem accipis ab Abraham, & cæteris Patribus Iudæorum; non autem hi à te; neque enim gloria Abrahæ eſt, quòd gentium fidem ſit imitatus; ſed gentium gloria eſt, quòd fidem illius imitatæ ſunt. Gloria ergo tua, ò gentilis, cum à Iudæis ſit, non eſt cur aduerſus eos glorieris, quia eo ipſo contra te ipſum facis; ignominia enim afficere nationem, à qua gloriam homo habet, eſt ſe ipſum ignominia afficere, & dehoneſtare.

Gentilis non debét gloriari ſupra Iudæum.

Dicis

Digitized by Google

Dicis ergo; fracti ſunt rami, vt ego inſerar.

REfert gentium tacitam reſponſionem; dicerent enim, nos non gloriamur aduerſus radicem, ſed aduerſus ramos: cauſa autem gloriandi in hoc eſt, quod illi ſunt fracti, vt nos insereremur, illiq. à radice cæſi ſunt, vt nos inhæreremus, & coniungeremur ei. Illa particula (ergo) quandam illationem ex præcedenti ſententia indicat; nimirum, radix portat te: ergo non videtur alia cauſa ſupereſſe gloriandi tibi ò gentilis, niſi ea, quòd rami ſunt fracti, & ſeparati ab ea, vt tu eidem insereris.

Benè, propter incredulitatem fracti ſunt: tu autem fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time.

PRæcedentem obiectionem reijcit; benè, inquit, ideſt, verum eſt, ramos eſſe fractos, & te inſertum: ſed attende, illos eſſe fractos propter incredulitatem, te autem ſtare, & eſſe inſertum propter fidem. noli ergo altum ſapere, & ſuperbire, ſed time, nempe à fide excidere; gluten enim & ligamen, quo radici inhæres, & vniris, non eſt ita firmum, quin diſſolui & ſeparari ab eadem radice poſſis.

ANNOTATIO XV.

Altum ſapere quid denotet.

GRæce (altum ſapere) vnicum eſt verbum compoſitum ex vtroq. ὑψηλοφρονεῖν, quod Baſil. regu. breui. reſp. 56. explicat, docens illum appellari altum ſapere, qui ſe ipſum extollit, quiq. propter rectè facta ſua magnificè de ſe ipſo ſentit, ſeſeq. effert more illius Phariſei. Hunc eundem inflatum dici cenſet idem Baſil. iuxta illud 1. Cor. 4. nè vnus aduerſus alterum infletur. Nõ autem vocat hoc loco timorem, religioſum cultum, vt quidam hæretici exiſtimant, ſed metum excidendi, vt ſtatim declarat; quo refutatur hæreticorum vana conſcientiæ ſecuritas.

Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.

CAuſam exponit, cur timendum ſit; hæc autem eſt; Si Deus naturalibus ramis, nempe Iudæis, non pepercit, ſed propter eorum peccata, & maximè quia gloriabantur in lege, quaſi ex ipſa iuſtitiã haberent, permiſit eos in incredulitatem incidere, & à radice propria abſcindi: multo magis eſt timẽdũ tibi, ò gẽtilis, qui ramus

Digitized by Google

es inſertus, & non proprius, nec connaturalis radici, ne fortè tibi etiam non parcat, ſi etiam tu glorïaris, & ſuperbis. Ramos naturales appellat Iudæos, quia ſecundum naturalem generationem ab illis Patribus erant. Attende, non intuliſſe Paulum abſolutè, minus parcet tibi, ſed, ne fortè nec tibi parcat; quia Deus non ſemper punit in hoc ſæculo paria peccata pari pœna, nec maiora peccata pœna maiori, ſed parcit & miſeretur, provt vult: tamen non propterea, qui peccat, & ſimilia peccata perpetrat, debet ſecurus eſſe, ſed timere oportet, ne æquali etiam pœna ipſe, aut maiori puniatur.

Vide ergo bonitatem & ſeueritatem Dei.

INfert rectè Paulus; Ergo, ò gentilis, non eſt, cur glorieris, aut ſuperbias, eò quòd illi fracti, tu vero inſertus es; ſed potius debes attente conſiderare Dei bonitatem, ſeu benignitatem; & ſimul ſeueritatem ac iuſtitiam: quæ conſideratio non inducet te in gloriationem aduerſus ramos fractos, ſed omnino retrahet.

In eos quidem, qui ceciderunt, ſeueritatem; in te autem bonitatem Dei.

EXponit duo præcedentia. Cõſidera, inquit, ò gentilis, Dei bonitatem, & ſeueritatem; hanc in eos, qui ceciderunt, nempe Iudæos, quos Dei iuſtitia puniuit propter eorum peccata, & cadere permiſit, ac à ſe ſeparauit; illam autem in te, qua vſus eſt Deus tecum, inſerens te. Attende vim vocabuli; Bonitas Græce χρηστότης, quam cap. 2. in illis verbis (benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit) latius explicuimus, Virtus eſt, qua alijs benefacimus ſponte, & non requiſitis eorum meritis. Tit. 3. Apparuit benignitas, non ex operibus, quæ facimus nos. Hac vſus eſt Deus cum conuerſis ex gentibus; eorum enim non poſcentibus meritis, immo multis ipſorum exiſtentibus demeritis, miſertus eſt, & Oliuæ inſeruit. Oppoſita eſt ſeueritati, quæ Græce dicitur ἀποτομία. Eſt autem ſeueritas pars iuſtitiæ oppoſita miſericordiæ, qua iudex nihil de ſupplicio vero, & debito remittit: quæ in Deo non habet omnino locum; ſemper enim vtitur miſericordia, etiam dum punit; dicitur tamen ſeuerus, dum plus adhibet iuſtitiæ, quàm miſericordiæ. Hac enim vſus eſt Deus, quia puniuit Iudæos

Tit. 3.

propter

Digitized by Google

propter eorum demerita: nam vt benignitas eſt ſine merito, ita ſeueritas & rigor eſt cum demerito. Ex his patet ſenſus Pauli. O gentilis conſidera ſeueritatem in Iudæos, poſcentibus eorum demeritis; ſed ne inde ſuperbias, conſidera in te Dei bonitatem, qua ſine tuis meritis euectus es, & factus ramus, & radici inſertus.

Si permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris.

Gentilis quare debet timere.

TImorem incutit gentili, ne hac benignitate Dei abutatur. ne, inquit, ſtabilem te & immobilem exiſtimes; potes enim ab hac tua conditione, & ſorte cadere. nam oportet te permanere in hac Dei bonitate; ideſt, dignum te conſeruare, & eum ſtatum retinere, & perficere, in quem à Dei bonitate, ſeu benignitate euectus es; alioquin ſi non permanſeris, & ſuperbieris, operaquè feceris non reſpondentia gradui, & conditioni huic, etiam tu excideris, ſicut Iudæi exciſi ſunt à radice, & eris ramus fractus & abſciſſus.

ANNOTATIO XVI.

Clemen. Alex.

Anſel.

Bonitas Dei quid ſignificet.

CLemen. Alexan. lib. 1. Pædago. cap. 8. bonitatem hanc interpretatur fidem Chriſti, vt ſit ſenſus, ſi permanſeris in fide Chriſti. Anſelmus ad gratiam, & bona opera refert. at re vera bonitas hæc ea eſt, de qua paulo ante dixerat. Vide bonitatem Dei, ſeu benignitatem. non ergo ad bonitatem hominis hoc verbum refertur, ſed ad Dei benignitatem, & miſericordiam, quamuis verum ſit, eum in Dei benignitate permanere, qui in fide Chriſti, & conuerſatione ſancta bonorum operum permanet.

Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur; potens enim eſt Deus iterum inſerere illos.

AVget timorem gentili. ſicut, inquit, tu non es ſtabilis, & immobilis in tua conditione & ſorte præclara, & ex diuina bonitate procedenti, ita etiam Iudæus non eſt immobilis in ſua conditione, & fractura: nam ſi deponat incredulitatem ſuam, iterum inſeretur; potens enim eſt Deus, quod fractum eſt, iterum inſerere; ſicut quod numquam fuerat vnitum, vnire, & inſerere. time ergo ne mutetur conditio veſtra, vt tu inſertus excidaris, & illè fractus inſeratur. noli igitur aduerſus eum inſurgere, nec gloriari, ſed potius ſaluti eius incumbere, quia iterum poteſt in

 feri.

Digitized by Google

ſeri. Dicit iterum inſerere, quia Iudæi prius erant vniti radici, & ad Oliuam Eccleſiæ pertinentes, vti diximus ſupra annotat. xiiij.

Nam & ſi tu ex naturali exciſus es Oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam Oliuam; quantò magis ÿ, qui ſecundum naturam inſerentur ſuæ Oliuæ.

Gentilis cur magis timere debet quã Iudæus.

CAuſam adhibet præcedentis ſententiæ, nempe Iudæos iterum poſſe inſeri radici, & ad Eccleſiam, & veram fidem conuerti. & eſt argumentum à minori affirmatiuè: ſi quod minus videbatur ineſſe, ineſt, & id quod magis; ſi enim gentilis ſecundum naturam ex Oleaſtro procedens, ideſt trahens progeniem ab Idololatris, & a parentibus, qui non erant de populo Dei, nec quibus facta eſt promiſſio, potuit inſeri Oliuæ Eccleſiæ per fidem viuam, multo magis inſeri poſſunt ij, qui naturalem trahunt generationem à parentibus ſanctis, quibus promiſſio facta eſt, & qui erãt de Populo Dei.

Aduerte, ex gentili conuerſum dictum eſſe inſertum contra naturam Eccleſiæ, quia progenies eius erat ab ijs, qui foris, nec populus Dei erant, ſed abalienati ab eo; Iudæi verò dicuntur ſecundum naturam, quia contrariam habent generationem, nempè à ſanctis illis patribus. Præterea gentilis pertinebat ad Oleaſtrum, ideſt, populum auerſum a Deo, & Dæmonijs ſeruientem. Iudæus autem ad Oliuam, quia erat prius populus Dei, & parentes eius ſimiliter erant de Eccleſia Dei. Gentilis ergo erat de Eccleſia malignantium, Iudæus de Eccleſia Sanctorum: illa Oleaſter, hæc Oliua dicta eſt. Si ergo illi inſeri potuerunt, qui Oliuæ non ſunt, multo magis Iudæi poterunt inſeri Oliuæ ſuæ, ad quam prius pertinebant, & de cuius radice procedebant.

Nolo enim vos fratres ignorare myſterium hoc, vt non ſitis vobis ipſis ſapientes.

ERant conuerſorum ex gentibus animi nimis auerſi à Iudæis; idcirco Paulus nimium etiam vrget, & velut inculcat hoc idem; nempe non ita excluſos eſſe Iudæos, & fractos à radice, quin iterum inſeri poſſint; & quin ſalus eorum ſit omnino procuranda. immo re vera inſerendi iterũ ſunt; vt non ſolũ certũ ſit, poſſe eos inſeri,

Digitized by Google

ſeri, ſed etiam de facto inſerendos, hancq. intermediam fractioně eorum permiſſam eſſe à Deo, propter gentium conuerſionem. Hoc eſt, quod nunc dicit. reddens enim rationem & cauſam dicti præcedentis, quod nempe inſerentur, inquit; nolo enim vos, fratres, ex gentibus conuerſos hoc ignorare myſterium, ne ignorantes illud vobis ipſis rapiatis, & efferamini, ac in ſuperbiam incidatis contra Iudæos. Nota verbum (myſterium) quaſi dicat, ne putetis, vanè, & ſine cauſa hoc eueniſſe, quòd Iudæi aliqui non credăt: diuina prouidentia id eſt permiſſum. latet myſterium in hoc, quod mihi incumbit docere vos, & eius vos admonere, ne veſtro iudicio ducti erretis, & ſuperbiatis. hoc eſt, ne ſitis vobis ipſis ſapientes, ideſt ne veſtro ſolo iudicio, & prudentia ducamini in re plena myſterio; ſic enim errabitis, & ſuperbè agetis.

ANNOTATIO XVII.

GRæcè, illud (nolo enim vos ignorare) habetur; non enim volo vos ignorare; ac ſi dicat. volo vos non ignorare. Illud (ſapientes) Græce φρόνιμοι, aliqui vertunt, arrogantes, ne ſitis intus arrogantes: ſed non videtur hæc accommodata expoſitio: nam verbum hoc ad intelligentiam pertinet, conuertiq. debet, ſapientes, ſeu prudentes, ſicut vetus interpretatio habet, eſtq. ſenſus, vt rectè interpretatur Theodoret. & in commentario diximus, ne vos prudentes ſeu ſapientes rati, efferamini, & aliquid vobis inſolenter arrogetis.

Quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret.

EXplicat myſterium hoc. illa particula (quia) declaratiua, non cauſalis eſt. ſenſus autem eſt; Iudæorum quorundam excæcationem & incredulitatem permiſſam eſſe, donec gentium plenitudo intraret; ideſt, donec qui ex gentibus credituri ſunt cõuertantur; poſt quorum conuerſionem, reliqua Iudæorum pars, & qui credituri ſunt ex illis conuertendi ſunt. non ergo omni Iſrael, ſed parti cæcitas contigit, neque ea in perpetuum, ſed donec gentium plenitudo intraret. Fuerunt ergo primi Iudæi conuerſi, veneruntque ante omnes ad Eccleſiam Chriſti: interpoſita eſt multorum cæcitas; quo tempore gentes conuertentur, & intrabunt: poſtea Iudæi ſuperuenient, eruntq. vltimi, conuertenturq. omnes illi, qui de numero hoc futuri electi ſunt, ſicq. omnis

Iſrael ſaluabitur, ideſt numerus totus Iudæorum ſaluandorum perficiendus eſt, & ex vtraq., gentium, ac Iudæorum plenitudine vna erit Eccleſia.

3. Reg. 19

ANNOTATIO XVIII.

ILlud (cæcitas) Græcè πώρωσις. aliqui vertunt obdurationem: nam Græcum vocabulum ſignificat callum: at re vera idem etiam ſignificat quod cæcitas, quod Græcè dicitur πήρωσις, ſicque Theodoret. & multi interpretantur. Aduerte etiã, illud (ex parte) aliqui connectunt cum nomine, nempe (cæcitas ex parte) ſed non ſatis accomodatè; eſſet enim ſenſus, Iudæos incredulos non omnino excæcatos, ſed ex parte, qui ſenſus ad rem non facit. debet ergo connecti cum verbo (cõtigit) quod Græcè eſt, cæcitas facta eſt; & eſt ſenſus, nõ omnes Iudæos obcæcatos, ſed aliquos. Ambr. illud (ex parte) refert ad tempus, nempè cæcitas ex parte, ideſt, non ſemper, quia poſtea credẽt. at rectius Theodoret. & Chryſoſt. & Auguſt. epiſt. 59. ad Paulin. ad numerum referũt, nimirum, non omnes, ſed aliquos obcæcatos eſſe, idq. donec intraret gentium plenitudo.

Aduerte rurſus, illud (omnis Iſrael) aliquos interpretari totam Eccleſiam, ex gentibus, & Iudæis, qui ſaluandi ſunt: nam etiam gentes conuerſæ dicuntur Iſraelitæ, & omnes fideles etiam Iſrael dicuntur. Gala. 6. & ſuper Iſrael Dei, vt ſit ſenſus. Iudæi ex parte obcæcati ſunt, donec gentes conuerterentur, ſicq. numerus ſaluandorum omniũ compleretur. quę interpretatio eſt Theodoreti, immo etiam Aug. epiſt. 59. ad Paulin. ſed is ſenſus videtur alienus à propoſito Pauli, qui id nunc intendit docere, expectari adhuc Iudæorum conuerſionem, ne gentilis eos negligeret, tamquam qui ſine ſpe vlla ſalutis eſſent. Adde, eſſet magna amphybologia, in vnica breui ſententia nomen (Iſrael) non pro eodem accipere; cum enim dicitur, contigit in Iſrael cæcitas, certum eſt, pro Iudæis accipi. ergo etiã accipiendum eſt in ſequentibus, nõ quidem pro eiſdem Iudæis in ſingulari, ſed pro eodem populo & natione, quæ idem eſt: quamuis varij & diuerſi ſint ſinguli Iudæi; hi, & illi, nempe, qui pereunt, & qui ſalui futuri ſunt. Et hæc eſt communis interpretatio, quã ſequuntur Chryſoſt. & Ambr. & ante eos Origen. & Hilari. in pſal. 58.

Sicut ſcriptum eſt, veniet ex Syon, qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob.

TEſtimonio Iſaiæ cap. 59. vtitur, ad confirmandum, omnem Iſraelem ſaluum futurum: ſenſus autem eſt, ex gente Iudaica, & ex Tribu Iuda, quæ habitabat in Sion, ſecundum carnem naſcetur liberator, qui delebit, & abolebit peccata à Iacob, ideſt

omnium

omnium Tribuum, & Iudæorum, qui à Iacob ducunt originem. Cum autem hæc abolitio peccati non dum ſit facta; non enim propter paucos credentes impietas & peccatum populi dicuntur auerſa, & abolita; conſequitur eam eſſe faciendam; & impletum iri, quod Propheta prænunciauit. Quando plenitudo Iudæorum intrauerit, & omnis Iſrael ſaluus fiet.

ANNOTATIO XIX.

TEſtimonium hoc citatum eſt à Paulo ſecundum verſionem Septuaginta. Theodoret. interpretatur in hunc ſenſum, vt non de Iudæis tantum, ſed de omnibus credentibus, ſiue ex Iudæis, ſiue ex gentibus conuerſis ſit ſermo. ſed expoſitio hæc, vti diximus in annotatione præcedenti, eſt aliena à mēte Pauli, qui de Iudæis loquitur, quorum conuerſioni incumbendū ſibi eſſe prædixerat, & quorum ſalus non eſt deſperanda, nec negligenda, ſed procuranda, vt pote etiā ipſis gentibus proficua futura. Et *Chryſoſt.* ita Chryſoſt. intelligit, & locum præſentem de Iudæis ſolis explicat, eſtq. communis expoſitio, & vera. *Origen* Origen. notat in Hebræo legi propter Syon לציון idq. aliqui recentiores admittunt, putantes, particulam Græcam ἐκ poſitam loco ἕνεκα, hoc tamen non probo: nam particula ל in Hebræo etiam ſignificat idem quod Latinè, de. 2. Reg. 15. *2. Reg. 15* egreſſus eſt de loco ſuo, in Hebræo habetur ל. Legendum ergo eſt, de Sion.

Aduerte rurſus, illud (qui eripiat & auertat) ſecundum Græcam lectionem, vertendum erat: Ex Sion veniet liberator, ſeu qui liberet, & hic auertet impietatē à Iacob. ſicq. legunt Septuaginta: De Syon veniet liberans, & auertet impietates à Iacob. Vnde illud verbum (auertat) legēdum eſt (auertet;) ex incuria enim ſcriptorum id proueniſſe videtur, & tunc idem eſt ſenſus.

Et hoc illis à me teſtamentum; cum abſtulero peccata eorum.

VErba ſunt eiuſdem Iſaiæ præcedentibus connexa, quorum ſenſus eſt, & hoc eſt fœdus, ſeu teſtamentum, quod ego, inquit Deus, illis diſpono, nempe cum abſtulero eorum peccata. quale hoc ſit teſtamentum, ſeu fœdus, Iſaias ſequentibus verbis exponit, ſed Paulus non amplius proſequitur; quia ſatis illi erat quod dictum eſt, ad oſtendendum, Iudæorum impietatem eſſe aliquando auferendam, ſuper quam etiam teſtamentum, & fœdus Deus confecit.

ANNOTATIO XX.

ALiqui recentiores, hoc teſtimonium non ab eodem capi- *Iſai. 59.* te 59. ſumptū exiſtimant, ſed ab ipſomet quidē Propheta. cap. tamen 27. vbi legitur ſic. Et iſte omnis fructus, vt auferatur peccatum eius. *Iſai. 27*

Teſtamentum ſiue fœdus de eripienda impietate à Iacob vnde deſumptum ex Scriptura.

Orig.

Paulus ergo ex diuerſis locis vnicũ teſtimonium contexuit, quod alias etiam factum eſt. Mouentur iſti eo maximè, quia in loco citato cap. 59. non habentur illa verba; cum abſtulero peccata eorum, nec in Hebræo, nec apud Septuaginta, quamuis priora legantur, nempe & hoc illis à me teſtamentum. Origenes exiſtimat, hoc teſtimonium eſſe ſumptum ex ſolo cap. 59. vbi apud Septuaginta legitur ſic. (Veniet ex Sion liberans, & auertet impietatem à Iacob, & hoc à me illis teſtimonium.) quod parum differt ab Hebræo, vbi habetur: (Et ego hoc illis teſtamẽtum.) illa autem verba (cum abſtulero peccata eorum) credit Origenes addita à Paulo auctoritate Apoſtolica.

Orig.

Hac in re mihi duo videntur dicenda. Vnum eſt, verba priora ſumpta ex eodem loco, & contextu Iſai. 59. non autem à cap. 27. quod efficaciter eo probatur, quia ſunt eadem verba apud Septuaginta, vti diximus; in loco autem Iſai. 27. ſunt valde diuerſa. nam in hoc loco præſenti apud Septuaginta habetur διαθήκη. in Hebræo ברית. & hoc verbo vtitur nunc Paulus. in illo autem cap. 27. apud Septuaginta legitur εὐλογία; & in Hebræo פרי Peri. ideſt fructus eius: cum autem habeamus eadem formalia verba in primo teſtimonio, non autem in ſecundo, non eſt cur ad hoc recurramus. qua in re conſentiunt Hierony. Iſa. 59. hunc locum Pauli citans, & Chryſoſt. hic, cum alijs multis interpretibus. Alterum eſt, illa verba poſteriora eſſe à Paulo adiecta ad explicationem ſenſus: nam apud Septuaginta legitur (veniet ex Sion liberans, & auertet iniquitatem à Iacob, & hoc teſtamentum illis à me.) Paulus autem, vt explicaret tempus implendi teſtamenti, & pacti huius, repetit verbum præcedens, nempè, auertet impietatem à Iacob, dicitq., cum abſtulero peccata eorum. Sunt ergo in declarationẽ addita, vt apertior fieret ſenſus. teſtamentum autem quale hoc ſit, verba ſequentia apud Iſaiam explicant, quæ Paulus prætermiſit, quia eius præſenti inſtituto id tantum erat neceſſarium, ſcilicet oſtendere, tempus fore, quo populi Iudaici peccata ſint auertenda.

Chryſoſt.

Aduerte autẽ, verbum Hebræum ברית verſum eſſe à Septuaginta διαθήκη. ideſt teſtamentum: quod etiam Paulus eos ſequens approbare videtur: frequenter autem in Scriptura accipitur pro pacto, ſeu fœdere, ſicq. Hierony. vertit: id quod aliqui recentiores imitantes, hoc in loco legunt ſic (& hoc fœdus illis à me;) id tamen nullatenus probo, exiſtimoq. non eſſe maiorem in hac parte fidem adhibendam Hieronymo, quàm viris ſeptuaginta, quorum erat idioma proprium. maxime cum Paulus eorum vtatur verſione, videaturq. probare vocũ ſignificationem, vnde vtrumq. puto tale nomen apud Hebræos ſignificare, nempè, & teſtamentum, & fœdus. In epiſtola autem ad Hebræos Paulus accipit pro teſtamento; teſtamentum enim vetus promiſſiones ſalutis, humanæque redemptionis continet, ſanguine, & morte animalium oblatorum confirmatas. Nouum verò teſtamentum, quo, quæ promiſſa in veteri erant, complentur, & regni cœleſtis hereditas promittitur, & datur,

Hierony.

morte

Digitized by Google

morte ipſius Chriſti ſtabilitum eſt. idcirco vtrumque teſtamentum dicitur, nempe lex, & Euangelium, quia in vtroque eſt diſpoſitio hereditatis, morte intercedente.

Secundum Euangelium quidem, inimici propter vos: ſecundum electionem autem, chariſſimi propter Patres.

DEeſt ſubſtantiuum verbum huic ſententiæ, ſupplendũ tamen, iuxta Hebræam phraſim, nempe, Secundum Euangelium inimici ſunt propter vos: ſecundum electionem aũt chariſſimi ſunt propter Patres. Connexio vero & ſenſus ſic ſe habent. Videbatur ſtatus ille præſens Iudæorum contrarius teſtamento, & promiſſioni Dei per allegatum Prophetam declaratæ, cum maior tunc Iudæorum pars incredula in ſuo peccato permaneret, nec dignam promiſſionis complemento ſe exhiberet. ad hanc igitur contrarietatem apparentem remouendam, Paulus inquit: ſi Euangelium ſpectemus, quod prædicatum eſt, inimici & inuiſi Deo ſunt Iudæi, quia ei non credunt, eaq. inimicitia, & auerſio à Deo eſt propter vos; vt vos, ò Gentes, loco eorum populo Dei accederetis; at ſi electionem Dei reſpiciamus, chariſſimi ſunt propter Patres eorum; eorum enim cauſa innumeros dilexit, & ad fidem conuocabit, qui credituri & ſaluandi ſunt. Non igitur ſunt omni ex parte inimici, & inuiſi, nec à Deo omnes reiecti. quod ſi indigni ſunt ſalute, & complemento promiſſionum, potentior eſt apud Deum Patrum eorum dignitas, & promiſſio Dei ipſis facta ad eos ſaluandum, quàm ſint illorum demerita ad eos omnino repellendum.

Paulus qua ratione minuat demerita Iudæorũ.

Attende artificium Pauli, qua ratione minuat, & eleuet demerita Iudæorum incredulorum, ne omnium Iudæorum ſalutem impediant, nec totum populum Iudaicum inficiant. Primo quidem inimici ſunt Deo facti, ſed id permiſſum eſt propter vos Gentes; quaſi diceret: nec hanc Deus permiſiſſet Iudæorum inimicitiam, & odium, niſi veſtræ cauſa ſalutis. Secundo, etiamſi inuiſi ex hac parte ſint, tamen ſupereſt ratio efficaciſſima, ob quam dilecti ſint, nempe electio diuina, & dilectio propter Patres eorum. per quorum merita populũ ſaluabit, & ſalutis promiſſionem faciet, & quod amicis ſuis promiſit, implebit. Veritas ergo prophetiæ allegatæ cõſtans eſt, & permanet. Attende, hæc non ad eaſdẽ perſonas, ſed ad eundẽ populũ referri: nã illi, qui inimici erant & inuiſi, nõ fuerũt chariſſimi, ſed qui electi ſunt, & ſaluãdi; idem tamen populus ſunt, & natio.

idcirco

idcirco dicuntur inimici, & chariſſimi: illud quantum ad Euangelium, hoc quantum ad electionem dicti ſunt.

ANNOTATIO XXI.

Inimici & chariſſimi qui dicuntur ab Apoſt.

SVperior ſententia multipliciter exponitur. In primis, quidam illa duo (inimici) & (chariſſimi) ad eoſdem Iudæos referunt, vt ijdem dicantur, inimici, & chariſſimi, reſpectu diuerſorum. quam expoſitionem amplectuntur Chryſoſt. Theodoret. Ambroſ. hic. Quidam vero ad diuerſos: Iudæi enim ratione incredulorum, & infidelium, qui in eis ſunt, dicuntur inimici; ratione vero reliquiarum, quæ crediture ſunt, & ſaluandæ, dicti ſunt chariſſimi. quam expoſitionem ſequuntur Origen. in præſenti. & Auguſt. epiſt. 59. ad Paulin. & idem Ambr. lib. 1. de vocat. gent. c. 3. Vt enim Corinthios modo laudabiles, modo vituperabiles Paulus in ſuis Epiſtolis pronunciat, propter varias perſonas, quarum quædam laude, quædam reprehenſione dignæ erant, quod eſt partis, tribuens toti; ita nunc Iudæos inimicos, & dilectos prædicat, quia in eo populo credentes, & increduli reperti ſunt; omnes tamen, tam hi, quàm illi natione Iudæi erant. hic enim eſt mos ſcripturæ, vt Auguſt. notat, quæ parti inſunt enunciare de toto.

Chryſoſt. Theodor. Ambroſ. *Origen. Auguſt. Ambroſ.*

Non hæc ſola contrarietas inter Doctores in hoc loco interpretando exiſtit, ſed maior etiam: nam & qui priorem ſequũtur expoſitionem, varij ſunt inter ſe; ſimiliter & qui poſteriorem. quòd ad priorem attinet, Chryſoſt. primo loco ſic interpretatur; inimici facti ſunt propter vos, ideſt, contentioſiores facti ſunt Iudæi, quia vobis Gentibus prædicatum eſt Euangelium, tamen dilecti ſunt propter virtutem Patrum. Parum explicatè loquitur Chryſoſt. vt vix ſenſus eius percipi poſſit. Secundo loco Theodoret. explicatius interpretatur in hunc ſenſum. Quãdo ad vos, ò Gentes, reſpicio, qui mihi docendi traditi eſtis, Iudæos inimicos & infenſos exiſtimo, quia omnia ad veſtrũ damnum, & incommodum faciunt: ſed quando ad maiores reſpexero, & cogitauero, quòd illos Deus ex toto Orbe terrarum elegit, propter hos diligo illos. Tertio loco Ambr. ſic exponit. Inimici propter vos; quia incredulitas Iudæorum aperuit viam, vt Gentes citius intrarent in Eccleſiam; ſi tamen conuertãtur ad fidem, quamuis extiterint infideles, & digni ſint morte, quia reprobauerunt donum Dei, tamen cum lætitia ſuſcipientur in Eccleſia propter eorum Patres. hoc eſt eſſe dilectos ſecundum electionem propter Patres. Hi Doctores ad eoſdem Iudæos referunt hæc duo, & varie exponunt, vt ex dictis eorum conſtat.

Qui vero ad diuerſos duo hæc referunt, non eodem modo intelligunt: nam Origen. ſic interpretatur. Iſrael factus eſt inimicus Deo ſecundum Euangelium, quia non credidit: ſecundum vero reliquias, quæ ſaluandæ ſunt, in quibus electio credẽtium ſecuta eſt ex Iſrael; chariſſimi ſunt propter Patres, quorum fidem ſequuntur. Auguſt. verò ſimiliter explicat, ſcilicet inimici *Origen.* *Auguſt.*

propter

propter vos, quia eorum peccato occiſus eſt Chriſtus, cuius ſanguine ſalus facta eſt. qui vero inter eos ſunt electi, hi chariſſimi ſunt, non autem illi inimici.

Hæc ſunt, quæ Doctores dicunt, in quibus, quæ ſubiũgam, mihi probantur. Primò quidem, hæc inimicitia, & dilectio, ad Deum, non ad Paulum referenda, vt inimici Deo, & dilecti dicantur, vt Origen. recte ſenſit, non autem Paulo, vt Theodoret. ſignificat, quod verba ſequentia maxime comprobare videntur, vt in eorundem interpretatione adnotabimus. Secundò, nõ ad eoſdem hæc duo referuntur, ſed ad reprobos, & electos, illi inimici, hi dilecti dicuntur: quia vero idem populus ſecundum carnem ſunt, de eodem Iſrael hæc duo prædicantur, ratione diuerſorum. & in hoc probanda eſt Auguſtini expoſitio; mens enim Pauli hæc eſt, Iudæos nempe conuertendos eſſe poſt Gentes, quamuis illorum pars obcæcata ſit. Tertio, ſenſus verborum non videtur alius, quàm hic, nempe inimici ſunt ſecundum Euangeliũ propter Gentes, ideſt, occaſione Euangelij populus Iudæorum factus eſt non populus; & inimicus, qui erat amicus & dilectus, quod quidem à Deo propter Gentes permiſſum eſt, vt hæ fierent populus, & insererentur oliuæ Eccleſiæ loco ramorum fractorum: at non propterea abiectus eſt in vniuerſum: nam multi ſunt electi, & ad populum Dei vocandi, qui dilecti ſunt à Deo, ideſt, quos Deus propter promiſſiones factas Patribus, eorumq. merita non abijciet, ſed prout elegit ab æterno, ſic recipiet, & eis benefaciet. Si ergo Euangelium præſens, quod nunc prædicatur, reſpicias, inuenies Iudæos inimicos, & reiectos, vt Gentium plenitudo intraret: ſi vero reſpicias electionem Dei, multitudinem Iudæorum conſpicies, in qua promiſſiones Patribus eorum factæ implebuntur, quos Deus diligit, & ad ſe trahet, poſtquam Gentes ingreſſæ fuerint.

Iudæi & Gentiles quo intelligantur inimici & electi.

Sine pœnitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei.

Electi ex Iudæis quare dilecti.

CAuſam adnectit, cur dictum ſit, electos ex Iudæis eſſe dilectos: nam inquit, dona & vocatio Dei ſunt ſine pœnitentia: ideſt, non pœnitet Deum eorum, quæ decreuit, ſed quos diſpoſuit vocare, & donis afficere, vocat, & eis bona, quæ diſpoſuit, largitur. Si ergo Iudæos elegit, ſi Patribus promiſit ſalutem eorum, vt vere elegit & promiſit, profecto non hæc mutabit, nec pœnitebit eum vmquam. Dona hæc, ſunt fides, & cætera, quæ ad iuſtificationem, & ſalutem pertinent. Vocatio autem eſt, qua ad hæc capienda Deus hominem perducit. Dicuntur eſſe ſine pœnitentia, ſeu, vt vno verbo, ſicut Græce habetur, exponam, impœnitibilia, quia quos Deus his ſemel proſequi decreuit, non deſerit. quod quidem Paulus adiecit, ne Gentes putarent, propter incredulitatem multorum, reliquos omnes eſſe abijciendos, & Dei promiſſiones in eis non

Digitized by Google

non implendas eſſe, cum tamen electio Dei certa & immutabilis ſit.

ANNOTATIO XXII.

Sine pœnitentia eſſe dona, & vocatio Dei quo intelligitur.

ILlud (ſine pœnitentia) Græce vnum eſt vocabulum ἀμεταμέλητα idest, impœnitibilia, ſcilicet quorum Deus non pœnitet, nec ſemel deſtinata mutat, non autem qualia multa in Scriptura legimus, quæ vel Deus comminatus eſt mala, vel promiſit bona, quæ mutatis hominum voluntatibus mutata etiam ſunt. hæc vero quæ ex æterna ſunt electione, manent immota, vtpote abſolute volita. Aduertendum autem eſt, Ambroſium hanc pœnitentiam interpretari, virtutem pœnitentiæ in hunc ſenſum. Sine pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei, quia gratia Dei in baptiſmo non requirit gemitum, aut planctum, aut aliquod opus, niſi ſolam ex corde profeſſionem; ne enim, inquit, quia grauiter deliquerant, non recipiendo promiſſum Dei, & quia quæ grauiter peccantur, non niſi fletu, & gemitu ad veniam pertinent. ne ideo illos non poſſe iam accipere miſericordiam putarent, quia dolere illos non videbant, oſtendit, hoc inter primordia fidei non requiri; donum enim Dei gratis donat peccata in baptiſmo. hæc Ambroſ. quæ quidem expoſitio, quantum ad doctrinæ veritatem, indiget declaratione: nam ad recipiendam gratiam baptiſmi, ſola fides, aut profeſſio fidei non ſufficit. ſed eſt neceſſaria virtus pœnitentiæ, & dolor, ac diſplicentia peccati commiſſi, quod aperte docet nos Petrus Act. 2. quando interrogatus à Iudæis, quid facere deberent ad ſalutem, reſpondit: Pęnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Domini Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum ſancti Spiritus. Hoc quidem verum eſt, in baptiſmo recte ſuſcepto totam pœnam peccatorum remitti, nec neceſſariam eſſe pœnitētiam poſt baptiſmum, pro ſatisfactione illorum peccatorum, quæ iam remiſſa in eo ſunt. nec etiam ad ſuſcipiendum baptiſmum eſſe neceſſariam tantam pœnitentiam, quæ ſit contritio, ſed ſufficere dolorem, & diſplicentiam peccatorum commiſſorum, etiamſi non ſit tanta, vt per ſe ſine baptiſmo veniam conſequeretur; tamen, aliquam pęnitētiam neceſſariam eſſe in baptiſmo certum eſt. Hæc igitur expoſitio quantum ad doctrinam tali indiget declaratione.

Ambroſ.

Quantum autem ad Pauli ſenſum attinet, parum accommodata videtur, nec contextui aptâtur; reddit enim cauſam Paulus per hæc verba, cur dilecti ſint Iudæi ſecundum electionem; quia, inquit, dona Dei ſunt ſine pęnitentia. Idcirco Chryſoſt. Theodoret. & Aug. epiſt. 59. aliter interpretantur, nempe dici ſine pęnitentia, quia non pęnitet Deum eorum, ſed quæ ſemel diſpoſuit, facit, & complet. Aliqui ſic interpretantur, dona, & vocatio ſunt eiuſmodi, vt eorum Deus pęnitere non poſſit. ſed hic ſenſus non mihi probatur; nec enim ex donorum natura prouenit, vt nequeat pęnitere Deum. potius dicendum puto, ſunt eiuſmodi, quorum Deus non

Chryſoſt. Theodor. Auguſt.

Digitized by Google

nõn pœnitet, ideſt, quę à Deo, certo & determinate fiunt, vti in cõmentario, & in principio huius annotationis diximus, & explicuimus; alludit enim Paulus ad illud Gen. 6. Pęnitet me feciſſe hominem, & ad ea, quę comminatus eſt per Prophetas aliquando, & non euenerunt, non quòd in Deo ſit mutatio, ſed quod ſint talia huiuſmodi, quę Deus ſolet mutare: at dona, & vocatio, de quibus nunc agit, certa ſunt, nec ita promiſſa, vt mutentur, ſed vt certiſſime impleantur.

Gen 6.

Sicut enim & vos aliquando non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum; ita & iſti non crediderunt in veſtram miſericordiam, vt & ipſi miſericordiam conſequantur.

Iudæos conuertendos, ſalutemq, conſecuturos.

CONfirmat, Iudæos conuertendos, ſalutemq. conſecuturos, donaq. Dei eſſe ſine pœnitentia; tacite autem obiectioni reſpondet. Poſſent enim Gentes dicere, propter incredulitatem primorum Iudæorum, Deum mutaturum quod diſpoſuerat. hoc reijciens Paulus, probat, infidelitatem Iudæorum non futuram impedimento, quo minus vocatio Dei, & dona permaneant. vtitur autem optimo, & accommodato exemplo. & eſt ſenſus. Sicut vos non credebatis prius, veſtraq. infidelitas peior erat, qui per tot annorum centurias idola colebatis, ea tamen non obſtitit, quo minus miſericordiam à Deo conſequeremini propter eorum incredulitatem, id eſt, Iudæis exiſtentibus incredulis, & eorum incredulitatis occaſione; ita etiam iſti Iudæi nũnc non credunt, eorum tamen incredulitas non efficiet, vt miſericordiam conſequantur in veſtram miſericordiam, ideſt, poſtquam vos miſericordiam conſequèmini. Nota vim argumenti. ſi infidelitas Iudæorum fuit vobis occaſio, vt poſt tantam infidelitatem miſericordiam conſequeremini, veſtra miſericordia, qua Deus miſertus eſt vobis, maiorem profecto dabit occaſionem, vt & Deus miſereatur eorum: nam non erit minus efficax apud Deum miſericordia veſtra, ad miſerendum Iudæorum, quàm fuit infidelitas horum, ad miſerendum veſtri; & ſi vos, qui increduli fuiſtis prius, conſecuti eſtis miſericordiam, cur non & illi, qui prius fideles erant? Infidelitatem Gentium memorat, vt erubeſcentes non ſe iactarent, nec Iudæorum ſalutem deſperarent. Similiter etiam, vt & Iudæi non diffiderent conuerti, & miſericordiam conſequi propter infidelitatem primorum, cum & Gentes poſt tantam infidelitatem miſericordiam obtinuerint. Illud (in miſericordiam veſtram) connectendum eſt poſterioribus verbis in

hunc

Digitized by Google

hunc ſenſum. ita & iſti nunc non crediderunt in miſericordiam veſtram, ideſt, vt & ipſi propter veſtram miſericordiam, conſequantur miſericordiam. Particula (vt) non cauſam dicit, ſed conſecutionem, quæ ſignificatio frequens eſt in Scriptura, & in Paulo. Particula autem (enim) in principio cauſam continet præcedentis ſententiæ, cur nempe non pœnitebit Deum vocationis Iudæorum.

ANNOTATIO XXIII.

ATtende, Græce illud (propter incredulitatem) & illud (in veſtram miſericordiam) in eodem dandi caſu haberi, quaſi Latine dictum ſit, miſericordiam conſecuti eſtis incredulitati illorum, & iſti nunc non crediderunt veſtræ miſericordiæ, vt & ipſi miſericordiam conſequantur; & poſita ſunt loco ablatiui, aut loco huius (per incredulitatem illorum, per miſericordiam veſtram.) Interpres autem non eundem modum ſeruauit in interpretatione, quia ſenſum potius conſiderabat. Illud autem magis eſt obſeruandum, communiter expoſitores illud (in veſtram miſericordiam) connectere cum præcedentibus, nimirum (non crediderũt in veſtram miſericordiam) ideſt, vt vos conſequeremini miſericordiam, & loco illorum accederetis. Quod vix accommodari poteſt; tunc enim ſimilitudo à Paulo poſita deficeret: nam non dixit (vos non crediđiſtis propter infidelitatem illorum) ſed dictum eſt (miſericordiam conſecuti eſtis propter infidelitatem eorum.) Igitur, vt par ſit ratio in vtraque ſententia, dicendum videtur, vt miſericordiam conſequantur propter veſtram miſericordiam, nec eſt inſolita in Scriptura figura hyſteronproteron, qua præmittuntur verba, quæ potius ſequi debebant, de qua ſupra cap. 2. diximus in illa verba (ijs qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam, &c.) Ambr. legit (in veſtra miſeratione) Aug. lib. de gratia. & lib. arb. ad Valentin. c. 22. in veſtra miſericordia.

Rom. 2.

Ambroſ. *Auguſt.*

Concluſit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur.

Deus quõ omnia in increduli tate concluſit.

CAuſam ſimilitudinis exponit; dictum enim erat, Gentes infideles extitiſſe, & miſericordiam poſt infidelitatem conſecutas eſſe, Iudæos etiam nunc infideles eſſe, poſtea vero miſericordiam conſecuturos, cauſam adnectens inquit. Quia ſic viſum eſt Deo diſpenſare vtriuſque populi ſalutem, nempe Iudæorũ, & Gentium, vt permitteret omnia, ideſt, vtrumque populum ſuo peccato & infidelitate concludi, & conſtringi, vt in vtroque populo ſalus ex miſericordia Dei eſſe agnoſcatur. nemoq. eam, aut viribus naturalibus, aut legis doctrina, aut vlli ſuo proprio merito referat acceptam, ſed intelligat gratuitam Dei miſericordiam, quæ tanto maior eſt,

Digitized by Google

ior eſt, quanto minus debita videtur, cum non ſolum merita non præceſſerint, nec vires, ſed demerita extiterint propter peccata, & infidelitatem vtriuſque populi; & imbecillitas, quia vterque concluſus, & conſtrictus tenebatur, vt à ſe euadere non poſſet. Perpende, quàm optima concluſione præcipuum argumentum epiſtolæ concluſerit Paulus, Iudæos, & Gentes in humilitate continens, donumq. Dei in iuſtificatione illuſtrans, & ad mutuam vtrumq. põpulum concordiam reducens.

ANNOTATIO XXIV.

August. ADuerte, illud (omnia) Græce haberi (omnes) ſicq. legit Auguſt. lib. de gratia. & lib. arb. ad Valentin. cap. 22. referturq. ad Iudæos, & Gentes, de quibus locutus erat. Iren. Iren. autem lib. 3. c. 22. legit (omnia.) Chryſoſt. Theodor. Aduerte præterea, illud (concluſit) ſic explicari à Chryſoſt. & Theodoret. Conuincit Deus Iudæos, & Gentes infidelitatis, demõſtrauitq. omnes fuiſſe infideles, vt miſericordiam ſuam manifeſtaret. Orig. Origen. vero aliter, nempe, in infidelitatem abire permiſit. Et hoc ſecuti ſumus; addentes, verbo concludendi inſinuari impotentiam hominum, ad liberandum ſe à peccato; tenebantur enim quaſi carcere concluſi, qui euadere non poſſent, niſi Deo miſerente.

Aduerte poſtremo, cum audis (omnes) & (omnium) non ad ſingulos referas, ſed ad populos ipſos; neque enim ſinguli miſericordiam cõſecuti ſunt, cum multi perierint. neque ſinguli infideles extiterunt: multi enim ex Iudæis crediderunt. tamen ex illo, & hoc populo fideles multi fuere, & multi miſericordiam conſecuti ſunt; vtitur tamen vniuerſalitate, quia niſi per diuinam miſericordiam ab infidelitate, ac peccato erepti, liberatiq. fuiſſent, Gentes ſimul, & Iudæi omnes infidelitate concluſi eſſent. Erat enim Gentium infidelitas in omnes poſteros peruentura; & hæc Iudæorum incredulitas omnes venturos peruaſura, niſi Deus miſericorditer in hac Iudæorum incredulitate Gentes vocaſſet, & ad Eccleſiam perduxiſſet, & poſt Gentium ingreſſum Iudæos illuſtraturus, & conuerſurus eſſet. Concluſio ergo in incredulitate etiam ad ſaluandos modo quodam pertinet, quatenus per diuinam miſericordiam ab ea liberati ſunt, & liberabuntur. Hoc eodem verbo vſus eſt Paulus Galat. 3. Concluſit, inquit Gal. 3. Scriptura, omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. ſed huius loci alius eſt ſenſus, quem in illius epiſtolæ expoſitione, ſi Domino placuerit, ediſſeremus.

O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.

COmmendat Deum in eo, quod dixerat, nempe concluſiſſe omnes in incredulitate, vt omnium miſereretur; id ex profunditate, &

tate, &

tate, & magnitudine diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ factum eſſe, cum exclamatione, & admiratione pronuncians. Sciuit enim Deus à principio omnia, per ſcientiam; diſpoſuit, & ordinauit ea omnia per ſapientiam; impleuit, per diuitias ſuæ miſericordiæ, & benignitatis, quas in eos, quos ſaluat, effudit. non ergo ignoranter, aut imprudenter, aut malo animo hæc facta eſt concluſio, ſed cum ſumma & profunda benignitate, ſeu miſericordia, ſapientia, & ſcientia. Vide, quantum animos Iudæorum, & Gentium deterreat à præſumendo aliquid de ſe, aut à contemptu mutuo inter ſe; quantum etiam alliciat ad omnium ſalutem procurandam.

ANNOTATIO XXV.

Sapientia & ſciētia Dei quō abundauerit in nobis.

ADuertendum eſt, dupliciter verba propoſita intelligi poſſe: nam quidam duo illa (ſapientiæ & ſcientiæ) connectunt cum præcedenti nomine (diuitiarum) duoq. faciunt, nempe diuitias has ad ſapientiam, & ſcientiam referentes. quam expoſitionem amplectuntur Ambroſ. hic. & Auguſt. de gratia, & lib. arb. ad Valeria. c. 22. & Anſel. Alij vero tria diuidūt, connectuntq. cum illo (altitudo) in hunc ſenſum. altitudo diuitiarum, & altitudo ſapientiæ, & altitudo ſcientiæ. ſicq. interpretantur Origen. Chryſoſt. & Theodoret. & hæc expoſitio legitima, & accommodatior videtur, cui multa fauent. Primum, Græcus ſermo, vbi habetur particula καὶ, quæ eſt copulatiua, ſic, ò altitudo diuitiarum, & ſapientiæ, & ſcientiæ. Secundum, verba ſequentia, quibus hanc ſententiam Paulus comprobat, dicens. Quis cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit ei? quæ quidem tria reſpondent his tribus, nempe diuitijs, & ſapientiæ, & ſcientiæ, vt in illorum explicatione manifeſtabitur. Tertium, verba antecedentia: nam præter ſapientiam, & ſcientiam, facta eſt mentio miſericordiæ diuinæ, quam Gentes conſecutæ ſunt, & Iudęis facienda ſperatur, cuius diuitias, & magnitudinem Paulus admiratur, idq. voce diuitiarum ſignificat; ſic enim vſus eſt appellare Rom. 2. an diuitias bonitatis eius contemnis? Epheſ. 2. Vt oſtenderet ſuperabundantes diuitias gratię ſuæ. ſunt multa huiuſmodi teſtimonia. Illud tamen eſt maxime ad rem faciens, quod habetur Epheſ. 1. vbi habentur hæc tria diſtincta. Secundum, inquit, diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis in omni ſapientia, & prudentia. Hæc ſunt, de quibus nunc dicit. O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ. diuitias autem appellat magnitudinem inexhauſtam miſericordię Dei, qua nos diuites fecit in omnibus, vt dicitur Epheſ. 1.

Ambr. Auguſt. Anſel. — *Origen. Chryſoſt. Theodor.* — *Rom. 2. Epheſ. 2.* — *Eph. 1.*

Illud eſt aduertendum, ſcientiam & ſapientiam non pro eodem eſſe poſitas hoc in loco, vt aliqui recentiores exiſtimant, cum diuerſa ſignificent; ſcientia enim eſt cognitio Dei, qua omnia futura diſtin-

ctiſſime

Digitized by Google

ctiſſime nouit, antequam fiant, nobiſq. innoteſcant. Sapientia autem prudentia eſt, qua diſponit, & diſpenſat vniuerſa, mirabili & iuſtiſſima via, modo & ratione; per quas decreuit, primo Gentes negligere, Iudæos vero eligere, poſtea Iudæos reiecit, Gentes autem traxit. poſtremo & Iudæos conuocabit in his. Perſpicimus tria hæc, nimirum miram ſcientiam omnia præuidentem, & apertiſſime diſtinguentem, ſimiliter ſapientiam ſuo loco & tempore diuerſis diuerſa diſpenſantem, miſericordiam etiam, quæ numquam deſtitit indignis benefacere.

Illud autem (altitudo) Græcè βάθος. profunditatem ſignificat, quæ ab altitudine non differt, niſi ratione; diſtantia enim à ſuperiori termino dicitur, altitudo; ab inferiori, profunditas. Hilarius in Pſal. 139. legit. O profundum ſapientiæ & ſcientiæ Dei. quo vocabulo Paulus ſupereminentiam Dei ſignificat in miſericordia, ſapientia, & ſcientia. miſericordiam autem magis exaggerat, addendo nomen diuitiarum. Eſt autem Hebraiſmus, quaſi diceret, ò profundam miſericordiam, ſapiẽtiam, & ſcientiam Dei.

Quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.

PRofunditatem, ſeu altitudinem horum explicat, incipitq. à ſcientia & ſapientia, quæ omnem noſtrum captum longe ſuperat. Iudicia ad ſcientiam, viæ ad ſapientiam pertinent. dicuntur autem iudicia Dei, quæ mente facere decreuit de ſingulis hominibus. Viæ vero dicuntur modi, per quos deducit ad effectum, quæ facienda ſtatuit. verbi gratia, iudicauit Ioſeph præponere fratribus, eumq. illis ſubuenire: elegit etiam modum, & viam per captiuitatem, & venditionem; ſic enim peruentum eſt ad id, quod Dominus diſpoſuit. Inſcrutabile erat iudicium, & incomprehenſibile ab hominibus, antequam declararetur, quod erat notum Deo. Imperueſtigabiles etiam viæ, & modus; quis enim, quando ductus eſt in captiuitatem Ioſeph, aſſequi poſſet id quod factum eſt? Sunt infinita huius rei exempla, quæ omni tempore experimur. Hæc eadem in propoſito præſenti Pauli ſunt: nam ad iudicium Dei pertinent, quod decreuit de ijs, qui ſaluandi erant ex Iudæis, & Gentibus: quis autem potuit eos noſſe, antequam effectus indicaret? Via & modus perducendi, quos decreuit ad ſalutem, is fuit, vt Iudæi prius in infidelitate concluderentur, poſtea vero vocarentur, non populum fecit populum, & populus factus eſt non populus, vt poſtea fieret populus Dei; inſcrutabilia ſunt iudicia hæc, & inueſtigabiles viæ. quis vmquam cogitaſſet, per

Iudicia, & viæ Domini quo inueſtigabilia.

hanc viam ſaluandos, quos ſaluare decreuit? Profunditas eſt ergo magna ſcientiæ, & ſapientiæ Dei.

ANNOTATIO XXVI.

Hieron. Iſai. 40.

HIeron. Iſai. 40. notat, Paulum hanc ſententiam ſumpſiſſe ab Iſai. 40. vbi habetur. Nec eſt inueſtigatio ſapientiæ eius. ibi Hieron. hunc locum Pauli allegans legit, incomprehenſibilia iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius, quamuis Græcus ſermo magis ſignificare videatur, quàm inſcrutabilia ſunt. ſicq. legunt Ambroſ. lib. 4. de fid. cap. 6. & Aug. de gratia, & lib. arb. ad Valentin. cap. 22. tamen ſenſus idem eſt; nemo enim hominum poteſt ad cognitionem iudiciorum, quæ Deus facere diſpoſuit, quæq. ipſe præſciuit, peruenire, nec modos, quibus exequetur quod decreuit, inueſtigare. Attende, illud (inueſtigabiles) ſignificationem habere negantem, ideſt, quæ non poſſunt inueniri, quaſi clarius dictum eſſet, ininueſtigabiles, ſeu inperueſtigabiles: & forſan eſt error ſcriptorum, qui non aduertenter aſtulerunt vnum (in) quamuis ſic communiter legatur: parum tamen refert, dum ſenſus non mutetur.

Ambroſ. Auguſt.

Quis enim cognouit ſenſum Domini? *aut quis conſiliarius eius fuit?*

Iudicia, & viæ Domini cur inueſtigabilia.

CAuſam reddit, cur incomprehenſibilia ſint iudicia, & inueſtigabiles viæ: nam quis, inquit, nouit ſenſum Domini, id eſt, mentem, ſeu cogitationem eius, & quod facere decreuit, quòd ad iudicia pertinet? aut quis conſiliarius eius fuit, cum quo communicaret vias, & modos, quibus deducere, & exequi decreuerat, quod faciendum iudicauit? profectò nemo, ipſe ſolus Deus ſuam nouit cogitationem, ipſe ſolus, nullo adhibito alterius conſilio, diſpoſuit, & diſpenſauit, ac præordinauit modos, & vias, quibus exequenda erant, quæ fieri iudicauit. Non ergo ſunt comprehenſibilia eius iudicia, nec viæ inueſtigabiles.

Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?

HOc ad profunditatem, ſeu altitudinem diuitiarum, & bonitatis Dei pertinet. nemo, inquit, Deo prior dedit, ita vt Deus dicatur illi bonum reddere, & retribuere; ipſe enim eſt, qui prior benefecit omnibus, & quidquid homo facit erga Deum in omni obſequio, & opere bono, poſterius eſt; prius enim à Deo

accepit

accepit, quàm aliquid boni exhiberet. Altitudo ergo & profunditas eſt bonitatis, qua ijs, qui non erant, dedit vt eſſent, & qui poſtquam fuere, cum non poſſent bene operari, dedit vt operarentur, & qui in peccato erant, liberauit, & ad gratiam reduxit. verba Græcè leporem habent, ac ſi Latine dicas. quis ante dedit illi, vt Deus dici poſſit ei poſt dare, ſeu reddere? profectò nemo. Deus ergo tribuit homini, non retribuit, quia ipſe præuenit benefacere nobis, quod ad altitudinem diuitiarum bonitatis eius pertinet.

ANNOTATIO XXVII.

Ambr.

AMbr. lib. 4. de fid. cap. 6. videtur hoc verbum (prior dedit) quod Græce habetur προέδωκεν, ideſt, antecedit; aliter legiſſe, nempe προσέδωκεν, ideſt, inſuper dare, quaſi iam plenus ſit Deus, cui nihil poſſit ſuperaddi; tamen communis lectio eſt vera, & legitima, cuius etiam ipſe Ambroſius meminit, & cui fauet verbum ſequens retribuendi, ſeu reddendi: nam dicitur retribuere, qui prior accepit. non eſt ergo Dei retribuere, ſed tribuere, quia ipſe prior dedit. hæc autem ſententia confirmat, quod ſuperius diximus, nimirum, tria eſſe diſtincta in illa ſententia, O altitudo diuitiarum, & ſcientiæ, & ſapientiæ: nam cum duorum poſteriorum reddidiſſet Paulus rationem, illius primi nunc cauſam adfert.

Deus non dicitur retribuere, ſed tribuere.

Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.

QVòd nemo prior Deo dederit, ſed quòd Deus ſit tribuens, non autem retribuens, probat. Quia, inquit, omnia ex ipſo ſunt, & per ipſum, & in ipſo. Qua ergo ratione aliquis prior ei dedit, cum omnia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſint, & totum, quod ſunt à Deo acceperint? Ex Deo omnia eſſe dicuntur, quia ab ipſo, vt à primo efficiente principio facta ſunt, & eſſe acceperunt. Per ipſum ſunt, quia ipſe eſt, qui diſponit, & regit, & dirigit omnia. In ipſo autem ſunt, quia eius virtute conſeruantur, durant, permanent, & operantur. His tribus particulis vſus eſt Paulus, non tantum ad ſignificandum multiplicia beneficia, quæ à Deo accipiunt creaturæ, & maximè homines, ſed etiam ad inſinuandam perſonarum trinitatem vnius Dei. Nam illud, ex ipſo, Patrem; illud, per ipſum, Filium indicat, iuxta id, quod ſcribitur 1. Corinth. 8. nobis vnus eſt Deus pater, ex quo omnia, & nos

Ex Deo, quo omnia eſſe dicuntur, & permanere.

Digitized by Google

in illum; & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. Illud autem (in ipſo) Spiritum ſanctum oſtendit, iuxta illud 1. Cor. 12. In vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus. & ibidem. Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Epheſ. 2. Per ipſum habemus acceſſum ambo in vno Spiritu ad Patrem; quamuis enim ſingulæ hæ particulæ in Scriptura communes ſingulis perſonis inueniantur, tamen, quando ſimul ponuntur, perſonarum diſtinctionem ſignificant, meritoq. Paulus de fide multa iam locutus, qualis ſit ea, quæ Chriſtianorum eſt, indicat, per quam Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum credimus, & confitemur.

1. Cor. 12. *Epheſ. 2.*

ANNOTATIO XXVIII.

Theodor. Baſil. ILlud (in ipſo) Græci codices habent (in ipſum) ſicq. Theodoret. & Baſil. lib. de Spiritu ſan. c. 5. interpretantur, nimirum omnia à Deo eſſe, & per ipſum permanere, & in ipſum tendere, tanquam omnium finem vltimum, & ſupremum: noſtra tamen verſio communis habet (in ipſo) ſicq. legit inter Græcos Origen. inter Latinos autem Hilarius lib. 8. de Trinit. Ambroſ. lib. 4. fide. c. 6. & lib. 2. de Spir. ſan. cap. 10. Cyprian. lib. 3. ad Quirin. num. 53. Aug. lib. 1. Trin. cap. 6. & Gregor. lib. 26. mor. c. 16. & hom. 16. in Ezechiel. & ea lectio eſt amplectenda. Quantum autem ad ſenſum attinet. Baſil. lib. de Spir. ſan. & Ambr. lib. 4. de fid. c. 6. & lib. 2. de Spir. ſan. cap. 10. verba hæc de Filio ſolo dicta eſſe putant; ex ipſo enim, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, eoq. argumento vtuntur: quia verba præcedentia. Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? ſumpta ſunt ex Iſai. 40. qui de Filio Dei loquebatur. Arriani autē, vt ipſi, & Theodoret. referunt, de Patre intelligebant. At cæteri Patres hæc verba de tota Trinitate interpretantur, vti in commentario expoſuimus, quam expoſitionem expreſſe tradunt, Athanaſ. de diuinit. lib. 4. Hilarius, Auguſtinus, Origenes, Greg. locis proxime citatis; ex ipſo enim Patre, per ipſum Filium, in ipſo Spiritu ſancto ſunt, gubernantur, permanent, & operantur omnia, nec aliquid humile denotatur, quando per Filium, aut in Spiritu ſan. omnia dicuntur eſſe: nam particulæ hæ etiam de Patre in Scriptura leguntur; ſed diſtinctionem indicant perſonarum, vna & æquali natura exiſtente, vt verbis ſequentibus ſignificatur: Paulus enim de fide loquebatur Chriſtiana, quę non vnius eſt perſonæ, ſed totius Trinitatis. Iſaias autē de ipſo Deo ſermonem faciebat, non diſtinguendo expreſſe perſonas.

Orig. Hilar. Ambroſ. Cypr. Auguſt. Gregor. *Baſil. Ambroſ.* *Athan. Hilar. Auguſt. Orig. Greg.*

Ex Deo omnia eſſe quō ad totam Trinitatē referatur. *Iſai. 40. Theodor.*

Aduerte autem, Baſilium interpretantem de Filio ſolo hæc, & ſuperiora verba Iſaiæ, affirmare, illud (Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius, ſeu particeps conſilij eius fuit) ſignificare raritatem, non autem excluſionem generalem: nam Pater nouit ſenſum *Baſil.*

Filij,

Digitized by Google

Filij, & particeps fuit conſilij eius. Hæc tamen expoſitio dura eſt: nam abſolute dixerat, inſcrutabilia iudicia, & vias imperueſtigabiles, quia omnino nemo eſt, qui ſcrutari, & inueſtigare poſſit: quod argumento eſt, de Deo, nimirum de tota Trinitate haberi ſermonem, cuius iudicia inſcrutabilia, & viæ inueſtigabiles ſunt ab omni creatura. *Ambroſ.* Ambroſius autem lib. 4. de fid. cap. 6. eadem verba de Filio interpretans, obijcit, quomodo dici poſſit, quis prior dedit ei, cum Pater dederit ſuam eſſentiam Filio? & reſpondet. dediſſe quidem, ſed non prius, quia non eſt pater prior filio: quod verum eſt; tamen non videntur hæc ad mentem Pauli, qui miſericordiæ diuitias, quas in nos effudit, magnificans, dixit. Quis prior dedit ei? non eſt autem miſericordia Patris ad Filium, ſed ad nos. Accommodatior ergo eſt expoſitio, de tota Trinitate hæc dicta eſſe, cuius ſenſus, & viæ inſcrutabiles ſunt, & cuius miſericordiæ diuitiæ inſuperabiles.

Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

QVod noſtrum eſt, non eſt iudicia ſcrutari, nec vias eius inueſtigare, nec contendere priores eſſe in dando, ſed in omnibus, quæ accepimus, & accipere ſperamus, Deum glorificare, ipſum auctorem recognoſcendo, & ei gratias agendo perpetuas. Gloria quid ſit reſpectu Dei. Gloria eſt manifeſtatio excellentiæ Dei apud homines, ex qua laus, & gratiarum actio ſequuntur: hanc optamus, nempe, vt in perpetua ſecula in nobis permaneat recognitio virtutis, & magnitudinis Dei, ac ſine fide laudetur: quæ gloria non in Dei, qui noſtro non indiget, cum in ſe omnem habeat perfectionem, ſed in noſtram tendit vtilitatem, & beatitudinem, quæ ab illo eſt, permanat.

Digitized by Google

CAPVT DVODECIMVM.

OBſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Et nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri: vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos: Non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: & vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, differentes: ſiue prophetiam ſecundum rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſolicitudine, qui miſeretur in hilaritate. Dilectio ſine ſimulatione. Odientes malum, adhærentes bono. Charitate fraternitatis inuicem diligentes: Honore inuicem præuenientes: Solicitudine non pigri: Spiritu feruentes: Domino ſeruientes: Spe gaudentes: In tribulatione patientes: Orationi inſtantes: Neceſſitatibus ſanctorum communicantes: Hoſpitalitatem ſectantes. Benedicite perſequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Idipſum inuicem ſentientes: Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes. Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos: Nulli malum pro malo reddentes: prouidentes bona, non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius. Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.

Poſt do-

POſt dogmata capitibus præcedentibus tradita, ad mores ſe conuertit; quod enim eſt oculus corpori, hoc eſt fides animæ; vtq. oculus manibus, pedibus, cæterisq. corporis partibus, ita fides moralibus virtutibus, ac Theologicis ad actionem pertinentibus opus habet: ea eſt cauſa, cur Paulus ſermonibus dogmaticis moralem adiecit doctrinam; perfecta enim Chriſtiani vita vtroque conſtat, ſic autem exorditur.

Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei.

Deum in incredulitate oia concluſiſſe, vt omnium miſereretur.

COnnectuntur pulchre verba hæc ijs, quæ proxime in capite præcedenti dicta ſunt; dixerat enim, propter Iudæorum incredulitatem, Gentes miſericordiam conſecutas eſſe, vt & illi miſericordiam conſequerentur; Deumq. omnia ſub incredulitate concluſiſſe, vt omnium miſereretur: interiecta autem quadam admiratione, infert verba exhortationis: itaque, ſeu igitur per hanc miſericordiam Dei, quam, ò Gentiles, conſecuti eſtis, & quam Deus tam liberaliter vobis contulit, vos obſecro fratres. Notanda ſunt verba; ſingula enim ſunt argumenta efficacia ad perſuadenda ea, quæ dicturus eſt.

Primum eſt (obſecro) quod Græce idem eſt, ac Latine rogo, & exhortor, quo rem vtilem & honeſtam ſignificat, quam obſecrat: non autem vtitur verbo imperandi, aut iubendi, tum quia ex ijs, quæ docturus eſt, aliqua ſunt ex Chriſti præcepto, nec diuino præcepto præceptum humanum adijcere voluit: aliqua etiam quæ non ſunt obligatoria, ſed ad maiorem pertinent perfectionem, quæ non præcipienda, ſed conſulenda ſunt.

Alterum verbum eſt (Fratres) quo omnem tollit doli ſuſpicionem, quaſi diceret. amor, quo vos proſequor, impellit me, vt hæc ſcribam, & moneam, ne putetis me, qui natione ſum Iudæus, aliqua ira, aut odio ea de cauſa moueri, quia noui vos contemnere Iudæos; fratres eſtis, & vt fratres diligo.

Tertium eſt (per miſericordiam Dei.) hoc eſt argumentum magni roboris, quaſi diceret. Deus erga vos tam miſericordem ſe exhibuit, totq. ac tantis beneficijs ſuæ miſericordiæ cumulauit, vt populo ſuo reiecto, vos, qui increduli, & Oleaſter eratis, vocauerit, & Oliuæ ſuæ inſeruerit. Hæc igitur miſericordia vos inducat ad ea præſtanda, quæ Deus à vobis poſtulat. Obſecro igitur vos per miſericordiam Dei. Græce habetur (miſerationes.) eſt autem

Digitized by Google

miſeratio opus ipſum à miſericordia procedens; Deus enim dicitur miſericors, quia miſericordiam in ſe habet: miſerator vero, quia ſubuenit, & opus in nos miſericordiæ exercet. Vtitur autem Paulus nomine hoc, quia plus mouemur operibus, & effectibus miſericordiæ, quàm ipſa miſericordia; ſi enim Deus miſerator noſter non eſſet, nihil nobis profuiſſet, quod tantum miſericors eſſet. Verbo autem vſus eſt plurali, quia cumulata, & multiplicata beneficia acceperant Gentes à Deo: nam vna quidem miſericordia Dei eſt, opera tamen & miſerationes, quæ ab ea demanant, multa. Audiamus ergo, quæ Paulus obſecrat.

Vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam.

Nota duo principia Chriſtianę perfectionis.

PRincipia duo generalia Chriſtianæ perfectionis tradit; Vnum quod ad corpus, alterum quod animam ſpectat. à priori incipit; vt enim corporis ſenſus, appetitus, & affectus ſunt principia ruinæ ſpiritualis; ita corporis mortificatio principium eſt ædificij; qui enim ad perfectionem contendunt, corporis affectus, ac paſſiones, carnisq. voluptates mortificare debent. quam mortificationem breuibus, ſed compendioſis verbis exprimit. Exhibete, inquit, corpora veſtra hoſtiam. Græce hoſtia θυσία dicitur; ideſt, ſacrificium, quod ſoli Deo fit. Appoſite autem ad ſacrificium hortatur conuerſos ex Gentibus, & Iudæis: vt qui ſacrificia legis, & idololatriæ reliquerant propter Euangelium, quoddam aliud inſtituerent, quod Deo eſſet gratum, & omnibus commune.

In ſacrificio legis antiquæ quæ continebantur.

Erant autem tria in ſacrificio corporali, quod olim fiebat, quando animalia Deo offerebantur in lege, ſcilicet oblatio ipſa, qua animal in Dei cultum & honorem offerebatur; ipſum etiã animal, quod offerebatur, poſtremo mactatio, ſeu occiſio ipſius animalis. Hæc tria nunc Paulus nos facere obſecrat. Primum ſignificat illud verbum (exhibete) ideſt, offerte corpora, & date ea Deo. Ponderat verbum hoc Chryſoſtomus ſerm. 20. non dictum eſſe (facite) ſed (exhibete) ideſt, alienate à vobis corpora, & transferte in Dei dominium, vt non amplius repetatis ea ad vtendum pro arbitrio veſtro, ſed ſemper in Dei cultum, & honorem. Eſt autem per metaphoram quandam hoc verbum ſumptum: nam animalia, & cætera offerenda, ponebantur ante altare. Luc. 2. Vt ſiſterent eum Domino. Græce idem eſt verbum, *Luc. 2.*

eum

eum hoc quod nunc dicitur: (exhibete.) Alterum eſt, quod offertur. Corpora, inquit, non pecudum, aut volatilium, qualia olim offerebatis, ſed veſtra.. Tertium eſt (hoſtiam) quo verbo mactatio & occiſio ſignificatur; oportet enim corpora noſtra hoſtiam facere, non quidem occidendo, ſed mortificando: nam mortificatio occiſionis eſt ſpecies quædam, de qua dictum eſt Coloſ. 3. Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram; quæ dupliciter fit. *Chryſoſt. Origen.* Primò, vt Chryſoſt. & Origen. exponunt, quando immoderatos affectus, & vitioſas paſſiones carnis amputamus, proprios appetitus frænamus, carnis petulantiam ieiunijs, diſciplinis, alijſq. au- *1. Cor. 9.* ſteritatibus temperamus. de quo 1. Cor. 9. dicebat Paulus. Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo. Deniq. cum corpus contra ſpiritum reluctans, & inobediens conſtringimus, vt ſpiritui *Aug.* ſubdatur. Secundò, vt interpretatur Aug. lib. 10. ciui. cap. 6. quando corpus ipſum inſtrumentum facimus, ad opus virtutis quodcumque exercendum, iuxta illud Rom. 6. Exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Exhibete ergo corpora veſtra hoſtiam, & ſacrificium.

ANNOTATIO I.

CVm offerre hoſtiam ſit Sacerdotum, videri alicui hæc ſententia poſſet non generalis, ſed Sacerdotibus propria. reſpondeo tamen cum Baſil. in regu. breui. reſp. 265. eſſe communem omnibus Chriſtianis. *Baſil.* Nec obſtat quod opponitur de ſacerdotibus: nam duplex eſt ſacrificium, vnum exterius, alterum interius. *Sacrificiũ an eſſet proprium Sacerdotũ.* Exterius eſt, quod re aliqua exteriori perficitur, qualia erant illa ſacrificia legis veteris, quibus animalia offerebantur, quale etiam eſt nunc, quod in miſſa offertur, nempe Chriſtus ſub ſpeciebus viſibilibus panis & vini. Interius eſt, quod animo fit, quando actum virtutis aliquem in Dei honorem exercemus, & operibus virtutis incumbimus, quod ſacrificium ſpirituale dicitur. vtrumq. ſacrificium per Sacerdotes offertur, tamen illud non eſt omnium, ſed quorundam, qui particulari nomine Sacerdotes appellantur, & inſtituti ad id muneris ſunt: at hoc omnium eſt, & huius reſpectu quilibet Chriſtianus ſacerdos eſt. de quo ſacerdotio dictum. 1. Pet. 2. Ipſi tamquam lapides viui ſuperædificamini, domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum: vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta.

Viuentem.

Digitized by Google

Viuentem.

DEſcribit Paulus huius hoſtiæ , ſeu ſacrificij, quod de corporibus noſtris eſt exhibendum, qualitates. Prima eſt (viuentem) ad diſtinctionem ſacrificiorum, quæ ex pecudibus & volatilibus fiebant , qualia erant Iudæorum & gentium; hæc enim occidebantur. corpora vero noſtra non ſic exhibenda ſunt hoſtia, vt occidi debeant, ſed ex viuentibus corporibus hoſtia eſt facienda Deo, non quidem occiſis, ſed mortificatis.

ANNOTATIO II.

Corpus duibus modis offertur & ſacrificatur Deo.

DVobus modis corpus offertur & ſacrificatur Deo. Vnus eſt quando in obſequium Dei , ſiue pro confeſſione fidei , ſiue pro honeſtatis & iuſtitiæ defenſione, morti veræ & reali exhibetur , quæ mors martyrium dicitur ; mors enim martyrum ſacrificium eſt, & qui martyrium pro Chriſto ſubeunt, ſua corpora hoſtiam exhibent. ita Paulus docuit. 2. Thim. 4. Ego enim, inquit, iam delibor, Philip. 2. Sed etſi immolor, ſuper ſacrificium , & obſequium fidei veſtræ , gaudeo, ideſt, ſi occiſus, & ſacrificium factus fuero , dum vos per fidem veſtram ſacrificium facio, gaudeo. Alter modus eſt, quando per carnis afflictionem , & miniſterium virtutis corpus mortificatur, vti diximus ſupra. Illud, non omnibus datum eſt , ſed quibus Deo placuit : hoc vero omnibus debet eſſe commune, & id eſt, ad quod in præſenti Romanos exhortatur, vt per corporis mortificationem , & exercitium bonorum operum, ſe Deo hoſtiam exhibeant . idcirco adiecit (viuentem) quia non occiditur corpus in hoc ſacrificio, ſed viuens mortificatur, caſtigatur, & ſubditur, ac miniſter , ſeu inſtrumentum ſpiritus ad iuſtitiam exhibendam efficitur.

2. Tim. 4.

Philip. 2.

Quoad expoſitiones attinet . Ambroſ. & Gregor. hom. 22. in Ezechi. verbum hoc aliter exponunt, nempè, vt corpus offerendum viuens ſit virtutibus; corpus enim deditum vitijs, mortua hoſtia eſt : virtutibus vero incumbens, viuens eſt. huic fauet illud. 1. Pet. 2. vt mortui peccato iuſtitiæ viuamus, & Roman. 6. Exiſtimate vos mortuos peccato, viuentes autem Deo . Erit ergo ſenſus . Exhibete vos mortuos peccato , & viuentes iuſtitiæ , & virtuti : at quia hæc hoſtia potius animam reſpicit , quàm corpus ; non videtur multum accommodata expoſitio, cum Paulus de corporibus loquatur. Chryſoſtomus ſerm. 20. & Theodoret. aliter interpretantur, nempe id dictum eſſe, ne audientes eorum corpora exhibenda eſſe hoſtiam , putarent debere ſe occidere , ſicut occidebantur animalia illa, quæ offerebantur; propterea dicit : Exhibete corpora hoſtiam viuentem. Expoſitio hęc, qua

Ambroſ. Gregor.

1. Pet. 2.

Rom. 6.

Chryſoſt. Theodor.

Digitized by Google

qua parte dicit, hanc vocem (viuentem) poſitam ad diſtinctionem ſacrificiorum, quæ de occiſis pecudibus fiebant, placet: qua vero parte adiungit id dictum, ne illi putarent Paulum exhortari, vt ſe occiderent, non probatur: nam non erant Romani adeo ſtupidi, vt in eum errorem ex verbis Pauli laberentur; maximè quia multa iam audierant de mortificatione cap. Rom. 6. 6. ſuperiori. Exiſtimo autem, id eſſe à Paulo dictum in deteſtationem illorum ſacrificiorum, quæ olim fiebant ab illis, vt doceret, Deum non exquirere tales iam hoſtias. Si autem aliquis velit dicere, talem vocem ad diſtinctionem martyrij poſitam eſſe, tunc affirmabimus, Paulum ea vſum eſſe, ne Romanis videretur, ſe exhortari eos ad martyrium, à quo facile ſe excuſarent, dicentes; occaſio non datur nunc; quando vero dabitur, tunc exhibebimus corpora noſtra hoſtiam: at in hac hoſtia nulla eſt temporis procraſtinatio; omni enim loco & tempore exhiberi poteſt. quæ vero per martyrium fit, debet quidem animi præparatione exhiberi ſemper, & ab omnibus; re autem non ſemper, ſed quando occaſio fuerit, quam non omnibus Dominus concedit. Hæc autem quæ animi præparatione fit, poteſt verbis præſentibus non ineptè accommodari in hunc ſenſum; Exhibete corpora veſtra hoſtiam viuentem, ideſt, dum viuitis, offerte vos paratos mortem ſubire pro Chriſto. qui ſenſus ſi ſolus conſideretur, imperfectus eſt: nam Paulus hortatur, vt non ſolum in hac præparatione viuamus, ſed etiam mortificationi corporis incumbamus. Si autem cum hac mortificatione illam etiam præparationem iungamus, erit ſenſus perfectus; tamen legitimus ſenſus huius vocis in commentario habetur.

Sanctam.

ALtera qualitas huius hoſtiæ & ſacrificij eſt, vt ſit Sancta, quæ ad diſtinctionem ſacrificiorum gentium poſita eſt, quæ ſacrificia non ſancta, ſed polluta erant. Sanctum in Scriptura dicitur quod Deo eſt dedicatum; vnde vaſa, templa, veſtes, quæ Dei obſequio & cultui erant deputata, ſancta dicebantur; ſimiliter & animalia, quæ in eius honorem offerebantur. plena eſt Scriptura huius vocis in ea ſignificatione. Sacrificium autem, vt dicit Auguſt. lib. 10. ciuit. cap. 3. vni Deo reſeruatum eſt ab omnibus nationibus; nemo enim ſacrificauit niſi Deo, aut vero, aut quem verum reputauit, licet falſus eſſet: illud autem, quod vero Deo offerebatur, ſanctum; hoc vero Dijs falſis oblatum, execrabile erat. Obſecrat ergo Paulus, vt corpora noſtra hoſtiam exhibeamus ſanctam, non Idolis & Dæmonijs, vt ante

Qualitas hoſtiæ & ſacrificij quomodo Sancta, & quid ſignificet Sanctum.

ante Romani faciebant, ſed vero Deo; tunc enim erit verè hoſtia ſancta.

ANNOTAITO III.

EST etiam aliud vltra hoc in hac voce ſignificatũ à Paulo, quod vt intelligas, aduerte. Qui mandata Dei tranſgreditur, aliquo bono apparenti trahitur, quod quamuis non ſemper credat mente, id eſſe Deum, tamen opere & effectu ipſo facit Deum, dum in eo finem vltimum ponit, & propter illud Deum verum ſpernit. Hinc auarus, diuitias; ambitioſus, honores; carnalis, voluptates; guloſus, cibos: omnis denique peccator bonum aliquod temporale Deum facit, dum illius cauſa Dei veri relinquit mandatum, & in id ipſum omnia ſua dirigit. hoc Paulus nos docuit, dicens Philip. 3. Multi ambulant, quos ſæpe dicebam inimicos Crucis, quorum Deus venter eſt. & Dominus Luc. 16. Non poteſtis ſeruire Deo, & Mamonę. & iterum Paulus. Tit. 1. Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negãt. Huius Dei falſi cauſa multi corpus affligunt, dum labores graues, vigilias, peregrinationes, famem, ſitim, & multas, incommoditates, ac mortificationes, boni temporalis aſſequendi cauſa, ſubeunt, quod in ambitioſis, auaris, cæteriſque peccatoribus experientia oſtendit, quos mundi martyres poſſumus appellare. hi exhibent corpora hoſtiam, ſed non ſanctam. Qui vero hæc omnia in Dei veri gloriam efficiunt, hoſtiam exhibent, ſed ſanctam, ad quam exhibendam Paulus exhortatur.

Philip. 3. *Luc. 16.* *Tit. 1.*

Deo placentem.

Sacrificij qualitas quomodo Deo placens.

TERtia qualitas huius ſacrifficij & hoſtiæ ea eſt, vt ſit Deo placens. hoc ponitur propter ſacrificia Iudæorum, quæ ſancta erant, vtpote Deo vero oblata, ſed iam non accepta Deo. pſal. 39. Sacrificium & oblationem noluiſti. Senſus ergo eſt. hoſtia iſta veſtra viuens eſt ſancta, non quales olim Dijs falſis offerebatis, quæ erant execrabilia: Deo etiam eſt accepta, & placens, non vt Iudæorum hoſtiæ, quæ Deo iam odio habentur.

ANNOTATIO IIII.

Omnis Hoſtia Sancta an ſit Deo placens.

POſſumus in hoc verbo aliquid aliud conſiderare. diceret enim aliquis. nonne ſi hoſtia eſt ſancta, erit etiam Deo accepta, & placens? Reſpondeo, non id ſemper eſſe: fieri enim poteſt, hoſtiam eſſe ſanctam, & Deo non placentem, quod in ſacrificijs antiquis Iudæorum facile

eſt

eſt intelligere: nam qui animalia illa iuxta legis ritum Deo vero offerebant, hoſtiam ſanctam exhibebant, tamen non Deo placentem, quando offerentium vita iniqua erat. vt enim Deo eſſet ſacrificium placens, non ſatis erat ea offerre, quæ offerebantur ſecundum legem, ſed & offerentes mundos eſſe oportebat. quam doctrinam tradunt Auguſtinus lib. de vera, & ſal. pœni. cap. 15. & Gregor. lib. 7. Epiſtol. 126. confirmantes eam illo Geneſ. 4. Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. reſpexiſſe ad perſonam prius dicitur, quia niſi Deo grata ſit, nec munera eius grata erunt. quod & Iſai. cap. 1. docet. Quo mihi, inquit, multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus, plenus ſum; holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum nolui, &c. & paulo inferius cauſa adiungitur. iniqui ſunt cœtus veſtri; manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine. Hoc idem contingit in hoſtia ſpirituali, multi ieiunant, peregrinantur, mortificant corpora ſua propter Deũ, tamen alia ex parte vita eorum reproba eſt, quia aut ſuperbi, aut ambitioſi, aut alijs vitijs dediti ſunt: tales exhibent corpora ſua hoſtiam, viuentem, ſanctam, quia opera illa in ſe bona ſunt; tamen non Deo placentem, quia ea opera in peccato facta, nec gratia, nec gloria digna ſunt; non tamen propterea mala ſunt, ſed non grata, quia mercedem non merentur.

August. *Gregor.* *Geneſ. 4.* *Iſai. 1.*

Rationabile obſequium veſtrum.

HAec ad præcedentia referuntur; ſunt enim per appoſitionem quandam dicta, quaſi diceret. hæc eſt hoſtia veſtra, ſeu cultus veſter rationalis, qui eſt Chriſtianorum; nempe exhibete corpora veſtra hoſtiam viuentem, &c. non qualis ille Iudaicus cultus, non qualis ille veſter prior. Rationabile poſitum eſt pro ſpirituali, iuxta illud 1. Petr. 2. Sacerdotium ſanctum ad offerendum ſpirituales hoſtias. quod paulo ante dixerat, rationabile. ſine dolo lac concupiſcite. Obſequium Græcè. λατρεία, ideſt cultus, ſeu ſacrificium, quod cultus quidem eſt. Eſt autem antitheſis ad cultum Iudæorum, qui corporalis erat. poſitum etiam eſt, vt diſtinguatur ab irrationali, ut ſit antitheſis etiam ad cultum gentium antiquum, qui erat irrationalis iuxta illud 1. Corint. 12. Cum gentes eſſetis, ad ſimulachra muta provt ducebamini, euntes, ideſt ſine ratione, & iudicio tamquam bruta ferebamini. at cultus Chriſtianorum ſpiritualis eſt, & rationales homines decet.

1. Petr. 2. *1. Cor. 12.* Quæ ſit hoſtia & cultus rationalis.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIO V.

Rationabile obſequiũ quod ſit & quotuplex.
Orig.
Chryſoſt.
Theodor.
Hieron.

SVperiora verba multi ex antiquis patribus ad præcedentia referunt, quaſi per appoſitionem quandam dicta, quam expoſitionẽ ſequuntur Orige. in præſenti. Chryſoſt. & Theodoret. & inter Latinos Hierony. epiſt. ad Pamach. cui expoſitioni nos conſenſimus in commentario. Chryſ. illud rationabile, ſpirituale interpretatur: Theodoret. vero, ratione vtens, ad differentiam ſacrificiorum antiquorum, quæ erant ex irrationalibus animalibus. Alij vero interpretantur aliter, tàm ex antiquis, quàm ex recentioribus. Primo loco Baſil. regu. breui. reſp. 230. hoc rationabile obſequium tamquam aliquid à præcedentibus ſeparatum intelligit. dicit ergo, obſequium eſſe continuum quendam, & ſine diſtractione cultum alicui exhibitum. qui duplex eſt; vnus irrationalis, quando nempe aliquis temerè, & inconſideratè, pro appetitu potius, quàm pro ratione, cultum & ſeruitutem impendit alicui, de quo 1. Corint. 12. dicitur, ad ſimulachra bruta, provt ducebamini. Alter eſt rationalis, quando aliquis ratione, & conſilio ducitur ad implendam diuinam voluntatem. de quo nunc dicitur, obſequium rationabile; vt nimirum conſideratè, ac circumſpectè diuinam impleamus voluntatem, eiuſq. mandata exequamur. ſic Baſil. interpretatur. Grego. Naz. apologet. 1. à præcedentibus diſtinguit, non tamen explicat ſenſum. Secundo loco Anſelmus intelligit hæc verba tamquam à ſuperioribus ſeparata, & diſtincta; tamen interpretatur in hunc ſenſum: Obſequium veſtrum ſit rationabile, id eſt, ſic bona veſtra opera facite, vt eorum rationem reddere poſſitis. Tertio, quidam ex recentioribus interpretantur, hæc verba ad præcedentia referentes, in hunc tamen ſenſum: Obſequium hoc veſtrum, nempe, vt corpora veſtra exhibeatis hoſtiam, ſit rationabile, & moderatum, ne quid nimis, corporum enim afflictiones debent eſſe cum moderamine, ne inhabile faciant corpus ad virtutis exercitium. Inter has expoſitiones omnes, illa videtur accommodatiſſima, quam in principio retulimus.

Baſil.
1. Cor. 12.
Gregor. Naz.
Anſel.
Author.

Et nolite conformari huic ſæculo.

Principiũ Chriſtianæ perfectionis dicitur duplex, ſcilicet oblatio corporalis, & ſpiritua-
Auguſt.

HOc eſt alterum Chriſtianæ perfectionis principium, quod ad animam ſpectat; illud enim corporum, hoc animarum eſt oblatio, vt ſentit Auguſt. lib. 10. ciuit. cap. 6. Perfectio autem ſpiritualis in duobus poſita eſt, nimirum in retrahendo animam ab his, quibus inficitur; & in conuertendo ad ea, quibus perficitur. De priori dicit nunc Paulus: Nolite conformari huic ſæculo; quam ſententiam alijs quidem verbis, ſed eodem ſenſu Iacobus

bus

Digitized by Google

lis, ſiue ſacrificiũ corporis & animæ.
Iacob. 1.
Ioan. 1. *can.* 1.

bus cap. 1. docuit. Religio munda & immaculata apud Deum, & Patrem hæc eſt, immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo, & Ioannes. 1. cano. 1. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. miro autem artificio vſus eſt Paulus; non enim dixit, nolite eſſe in hoc ſæculo; dum enim hanc mortalem vitam agimus, in hoc ſæculo ſtandum eſt. nec dixit, nolite vti hoc ſæculo; nam id nec neceſſarium eſt, nec impleri poteſt. neceſſarium quidem non eſt, quia non tenetur quilibet Chriſtianus priuare ſe diuitijs, abijcere honores, repellere dignitates. quæ omnia iuſte retinentur, ſi finis, & modus debiti adſint. impleri etiam non poteſt, quia etiam ſancti homines in hoc ſæculo viuere non poſſunt, niſi vtantur multis, quæ in eo ſunt; cibo enim, potu, veſtitu, aliqua mentis, & corporis quiete, & recreatione indigent; nec ſemper intenti eſſe poſſunt rebus ſpiritualibus. Dixit autem, nolite conformari huic ſæculo, quod longe aliud eſt, quam vti, & eſſe in hoc ſæculo. Græcè, non, conformari, ſed configurari legimus: ille autem configurat ſe huic ſæculo, qui figuram ſæculi huius aſſumit, de qua dictum eſt. 1. Cor. 7. præterit figura huius mundi. ille autem configurat ſe ſæculo, qui ea præcipue quærit, & diligit, quæ ſæculi ſunt; qui finem ſuum, & ſtudium, ac deſiderium maxime in his collocat, hic figuram habet mundi, & ſæculi; qualis enim mundus eſt, talis & ipſe efficitur, vanus, & fragilis, & inconſtans, ſicut & ſæculum; nec enim eius perfectio, & beatitudo conſtat, ſicut nec ſæculi ipſius; nec altior, ac dignior eſt, quàm ſint bona ſpiritualia, quibus adhæret, & cor ſuum apponit. Recte autem dixit nolite, configurari, & non dixit, ne configuremini, vt in arbitrio hominis id eſſe poſitum ſignificaret. Præceptum eſt hoc generale, quo animam ab omni graui peccato mundam nos conſeruare monet; qui enim peccat, bono huius ſæculi alicui ſe configurat.

1. Cor. 7.

Sed reformamini in nouitate ſenſus veſtri.

NOn ſatis eſt animam retrahere à malis, ſed oportet eam ornare bonis, ob id poſt illud prius, adiungit poſterius. figuram mundi fugite: formam autem nouam mentis aſſumite. Sunt nonnulla explicanda pro huius ſententiæ intelligentia. Primò vetuſtates in Scriptura ſignificant peccatum, & ea, quæ ex

Vetuſtates in Scriptura quid ſignificent.

peccato

peccato ſunt, & ad peccatum trahunt. vnde error, ignorantia, contentio, ambitio, & reliquæ omnes peccatorum ſpecies, praua deſideria, concupiſcentiæ, cæteraque huiuſmodi, in quæ nos Adam primus, & vetus homo induxit, nomi ne vetuſtatis comprehenduntur. Nouitas autem ſignificat gratiam, fidem, charitatem, remiſſionem peccatorum, cæteraque omnia, quæ ad grariam ſpectant, quæque nobis Chriſtus ſecundus Adam comparauit.

Secundo, omnes quidem in vetuſtate naſcimur, &, ſi per baptiſmum non innouamur, in ea permanemus. qui etiam poſt nouitatem baptiſmi peccat, in vetuſtatem recidit; renouatur autem per pœnitentiam in Chriſto.

Homo vetus & nouus qui dicitur.

Tertio propter hæc duo, ſcilicet vetuſtatem peccati, & nouitatem gratiæ. Scriptura diſtinguit hominem veterem, & hominem nouum, non quòd duo homines ſint, quantum ad ſubſtantiam: ſed quòd vnus ſit ſub diuerſis affectionibus, & ſtatibus: nam homo vetus dicitur, qui peccati vetuſtate tenetur: Nouus vero, qui in nouitate gratiæ per Chriſtum viuit. Ephe. 4. Deponite veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris, renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem.

Eph.1.

Nouitas quotupliciter accipitur.

Poſtremò nouitas hæc multipliciter appellatur. aliquando nouitas vitæ, propter nouam vitam gratiæ, ſecundum quam opera noua vitæ operamur, credentes, diligentes, ſperantes, Dei mandata implentes. Rom. 6. In nouitate vitæ ambulemus. Aliquando dicitur, nouitas ſpiritus, tùm quia Spiritus Sanctus in nobis habitat, tùm quia hæc nouitas eſt ab ipſo Spiritu Sancto, quo ſanctificamur. Rom. 7. Seruiamus in nouitate Spiritus. Dicitur etiam nouitas ſenſus, ideſt mentis; ſic enim in Græco textu habetur, vt in præſenti. & Ephe. 4. Renouamini Spiritu mentis veſtræ, quia in hoc ſæculo corpus non renouatur à corruptione, & miſeria, quam propter peccatum contraxit. Mens vero, & anima eſt, quæ renouatur ſurgens à morte peccati, & quæ fide, ſpe, charitate, doniſq. Spiritus Sancti illuſtratur, & ornatur. His ſuppoſitis, ſenſus Pauli facilis eſt intellectu. Accipite, inquit, formam nouitatis ſpiritus, ſeu mentis, vt præcipue cogitetis, diligatis, quæratis ea, quæ ſunt Spiritus, vt virtutibus animam implere ſtudeatis, vt operemini opera noua iuxta nouam hanc formam Spiritus Sancti.

Rom. 6. *Rom.7.* *Eph.4.*

Atten-

Digitized by Google

Attendenda eſt autem energia ſermonis. Vult nos non ſolum opera bona facere, ſed formam accipere ipſorum operum; ſicut enim ignis fortius, & perſeuerantius calefacit, quia formam habet, à qua calor eſt, ſic nos accipiamus formam nouitatis huius, vt ſecundum nouitatem operemur. Eſt conſideranda vocum proprietas; vſus enim eſt diuerſis verbis, vt ex Græco ſermone conſtat, quod & adnotat Chryſoſt. Σχῆμα, & Μορφὴ; figura, & forma, ac ſi Latine dictum eſſet: Nolite configurari ſęculo, ſed reformamini in nouitate. & Cyprian. epiſt. 77. ad. Nemeſia. legit. nolite configurari ſæculo huic, ſed transformamini. & lib. de exhortat. ad martyr. cap. 8. Figura enim eſt parum durabilis, & externa. forma vero eſt conſtantior, & interior, quæ ad ſubſtantiam pertinet; vt in figura ſæculi inconſtantia, & apparentia potius, quàm exiſtentia indicetur. In forma autem ſoliditas rerum ſpiritualium ac permanentia; bona enim mundi nobis nolentibus multipliciter pereunt; non autem ſpiritualia. Illud (in) non habetur Græce, nec Latine ſolet apponi caſui inſtrumenti; dicendum enim erat. Reformamini in nouitate, ſeu per nouitatem, vt nouitas ſit, ſecundum quam reformandi ſint. Græce etiam verbum maiorem habet ſignificationem, ac ſi dictum eſſet, transformamini, ideſt, abiecta illa figura, transformamini in formam nouam Spiritus.

Chryſoſt.

Cypri.

Figura, & forma in quo differant.

Vt probetis, quae ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta.

EXplicat, qualis, & quanta debeat eſſe hæc transformatio: ſenſus autem eſt. Transformamini ſic, vt probetis, quod bonum, & quod melius, & quod perfectum eſt. Voluntatem Dei appellat Paulus rem ipſam, quam nos facere vult Deus; in hac enim ſignificatione ſæpe accipitur. Matth. 5. Fiat voluntas tua, Matth. 13. Quicumque fecerit voluntatem patris mei. Sunt autem quæ vult Deus à nobis fieri triplicia; quædam enim bona ſunt, quædam meliora, quædam perfecta. Nubere bonum; at continere melius eſt. diligere amicum, bonum eſt; ei benefacere, melius eſt: Inimicum diligere, perfectum eſt: non ſe vindicare de lædente, bonum eſt; dare locum illius iræ, melius eſt. cibare eum, ſi eſurierit, perfectum eſt. præeſſe, diſtribuere, miſereri, bona ſunt, & meliora alijs multis; tamen ſi

Math. 5. & 13

Quotuplicia ſunt, quæ vult Deus fieri à nobis.

Pp fiant

Digitized by Google

fiant in ſolicitudine, ſimplicitate, hilaritate, perfecta ſunt: Debet ergo Chriſtianus conari ſemper in melius, vt non tantum bona faciat, ſed & meliora, & perfecta aggrediatur. Philip. 1. Charitas veſtra magis ac magis abundet, vt probetis potiora. hoc idem Paulus hiſce nominibus ſignificauit, vt probetis voluntatem Dei bonam, beneplacentem, & perfectam, ideſt, quod perfectum eſt, & Deo gratius. *Philip. 1.*

Attendendum eſt autem, verbum (probetis;) aliud eſt enim facere bonum, ſeu beneplacens, ac perfectum; aliud probare hæc; ille enim probat ea, qui non tantum facit, ſed particulari quodam iudicio, & guſtu percipit eſſe facienda; qui enim transformati ſunt diuina gratia, agnoſcunt quæ bona, quæ meliora, & quæ perfecta; ſicut guſtus corporeus percipit ciborum ſapores varios, & in ipſis delectatur; animalis homo etiamſi faciat aliquando bonum, & perfectum opus aliquod, non percipit, quod facit. Hoc duobus verbis ſignificatum eſt Pſalm. 33. Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus. *Pſal. 33.*

ANNOTATIO VI.

Voluntas Dei quot modis inſpiciatur.

ALiqua ſunt adnotanda. In primis, quod ad lectionem pertinet, quidam ſic legunt. Vt probetis, quæ ſit voluntas Dei, quod bonum, quod honeſtum, & quod perfectum, diſtinguentes quatuor gradus. ſic habet Origen. Ambr. & Auguſt. epiſt. 85. Vetus autem interpres legit. Quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta, vt hæc tria coniungantur voluntati Dei. quam lectionem Origen. fatetur eſſe ſecundum Græcos codices, eamque ſequuntur Clemen. lib. 2. ſtromat. Baſili. regu. breui. reſp. 276. Chryſoſt. ſerm. 12. Cyprian. epiſt. 77. & Hieron. lib. 1. contra Iouinia. & hanc in commentario amplexi ſumus. Præterea particula (vt) non habetur Græce, poſita tamen eſt ad ſenſus interpretationem: nam Græce ad literam ſic habetur (in probare vos, quæ ſit voluntas, &c.) quod Latine verti potuit (probantes, quæ ſit voluntas, &c.) Cyprianus autem loco citato, & lib. de exhort. ad martyri. legit (ad probandum:) ſi tamen legamus (vt) non eſt accipienda particula cauſaliter, quaſi finem indicet, propter quem transformari debeamus; verba enim Græca huic ſenſui non accommodantur, ſed eſt ſic interpretanda, vt modum denotet, quo transformari debeamus. quaſi dictum eſſet: transformamini ita, vt probetis, vti in commentario explicuimus.

Orig. Ambroſ. Auguſt. *Clem. alex. Baſil. Cypri. Hierony.* *Cypri.*

Inſuper verbum, probandi, multas habet in Scriptura ſignificationes. hoc tamen loco Baſili. Hieron. cum Origen. videntur interpretari pro eo, quod Latine dicitur:

Baſil. Hierony. Origen. Probandi verbum in Scriptura.

Digitized by Google

quot ſignificationes habeat. tur: Vt exquiratis, ſeu conſideretis. Accommodatius tamen in ea accipiemus ſignificatione, quam in cōmētario propoſuimus, nempe vt probare idem ſit, quod experiri, & quodam iudicio, & guſtu ſpirituali agnoſcere, quod proprium eſt ijs, qui ſic bona operantur, vt vere ſentiant, quantum interſit, bonum illud facere.

Dei voluntas bona quæ ſit. *Origen.* *Hierony.* Poſtremò, quod ad ſenſum attinet, multiplex eſt huius ſententiæ expoſitio. Primo loco Origen. & Hieronym. loco allegato hanc partem ſolam exponunt, nimirum, quæ ſit voluntas Dei bona. Pro explicatione, aduerte, quædam velle Deum ex iracundia; pro hominum enim peccatis mala pœnæ infligit: quædam vult ex indulgentia, propter imperfectionem multorum. vtraque dicuntur voluntas Dei, quia ea vult Deus, tamen nōn dicuntur bona voluntas. Iuxta hoc, Origen. dicit, voluntatem Dei bonam, dictam à Paulo, vt diſtinguat ab ijs, quæ ex iracundia vult, hæc enim non debemus nos facere; nec enim ſi Deus infligit famem, morbos, & cætera, debemus nos remedia negligere, vt faciamus Dei voluntatem. at Hieronym. dictam putat voluntatem bonam, vt diſtinguat ab ea, qua imperfecta multa permittit ex indulgentia, de numero quorum Hieronym. ſecundas nuptias eſſe dicit. eſt etiam illud lac, de quo. 1. Corinth. 3. dicitur. Lac vobis dedi tamquam carnalibus. Erunt ergo beneplacentia, & perfecta, quæ talia non ſunt. Sicque Origen. & Hieron. interpretantur. *1. Cor. 3.*

Baſil. Secundo loco Baſil. regu. breui. reſp. 276. totam hanc ſententiam diffuſe interpretatur, bonamque Dei voluntatem dicit id eſſe, quod non ex Dei iracundia procedit, vti interpretatus eſt Origen. ſed illud bonum, quod vult nos facere: at quia non ſatis eſt bonum facere, ſed id efficiendum eſt conuenientibus circumſtantijs, loci, temporis, perſonarum, cæteriſque adhibitis; ideo adiectum eſt illud (beneplacens;) bona enim non vt oportet facta, non ſunt Deo beneplacita. Quia vero & non omne tale, quod bene fit, perfectum eſt, cum melius fieri poſſit, idcirco addit (perfecta.) probandum ergo, & inquirendum non tantum, quod bonum eſt in ſe, ſed quibus qualitatibus bene fiat, & poſtremo, quod perfectum eſt, idque facere ſtudendum eſt. hæc eſt expoſitio Baſilij, à qua non multum differt ea, quæ in commentario poſita eſt, ſaltem quantum ad ſenſum ipſum.

Tertio loco Chryſoſt. ſerm. 12. aliter interpretatur. Bonam enim Dei voluntatem, legem veterem intelligit, quæ ex Dei voluntate bona data eſt. Beneplacentem autem, & perfectam voluntatem, dicit eſſe Euangelium, quod Deo eſt gratius, & perfectius. Erit ergo ſenſus ſecundum Chryſoſtom. Reformamini nouitate mentis, & ſic experiemini, & cognoſcetis; vel reformemini, vt ſic cognoſcatis quantum præſtet legi Euangelium, cum lex bona ſit; Euangelium vero beneplacens Deo, & perfectum. Taxat enim Paulus Iudæos, legem ſupra modum extollentes. ita locum hunc ediſſerit Chryſoſt. cuius expoſitio non videtur accommodata: nam Paulus pręcipue Romanis, & conuerſis ex gentibus ſcribebat, qui legem veterem non ita probauerant. *Chryſoſt.*

Digitized by Google

Anſel. Quarto loco Anſelmus duas profert expoſitiones. Prior eſt, vt hæc tria ad tres ſtatus referantur, incipientium, proficientium, & perfectorum. Poſterior eſt, vt hæc eadem reſpondeant tribus ſtatibus, coniugatorum, continentium, & virginum; ſitque ſenſus: reformamini nouitate mentis, ſicque cognoſcetis, quæ ſit voluntas bona Dei in incipientibus, ſeu coniugatis; non enim ſemper cognoſcitur, niſi mens ſit reformata, cum multa exiſtimentur eſſe ſecundum Dei voluntatem, quæ non ſunt. quæ ſit etiam voluntas beneplacés in proficientibus, ſeu continentibus; & quæ in perfectis; ſeu virginibus. Difficilius eſt hanc expoſitionem accommodare; non enim huic reſpondent, quæ ſequuntur; nec ea quibus Paulus hanc multiplicem voluntatem explicat, ſicut nec expoſitioni Chryſoſtomi.

Accommodatior igitur videtur ſenſus Baſilij. Id tamen mihi difficultatem ingerit, quia voluntas Dei bona non dicitur id tantum, quod in ſe bonum eſt, ſed quod debitis circumſtantijs fit: nam bonũ, cui circumſtantia, vt benefiat, deeſt, bonum opus non eſt, ſed potius vitium. idcirco non poteſt dici bona Dei voluntas, præſertim cum Græce ſit cum articulo: quæ ſit voluntas Dei illa bona. quod non diceretur, niſi bonum eſſet completũ, & recte factum, vt oportet. Idcirco aliter interpretatus ſum primã hanc partem, & conſequenter ſecundam: nam Baſili. ſecundam partem, nempe voluntatem beneplacentem explicat, ſicut nos primam, à cuius explicatione ob dictam cauſam receſſi. In tertia conuenio cum Baſilio: ſi ſenſum autem ſpectes, ad idem tendimus. Baſil.

Dico enim per gratiam, quae data eſt mihi, omnibus, qui ſunt inter vos.

QVæ ſit Dei voluntas bona, beneplacens, & perfecta, docere incipit. Cum autem in Eccleſia duo ſint fidelium ordines. vnus eorum, qui aliquo officio erga alios funguntur, alter eorum, qui ſimplicem gradum habent: & tam hi, quàm illi, non tantum quod bonum, ſed & quod beneplacens, & perfectum eſt, exercere debeant; idcirco generalem, & communem omnibus ſermonem inſtituit, dicens. Dico omnibus, qui ſunt inter vos; ideſt, ſingulis veſtrum. Græce in ſingulari eſt. Omni qui inter vos eſt, ideſt cuilibet, qui inter vos verſatur; vtque ſermoni auctoritatem adiungat, fidemque & obedientiam legentium conciliet: per gratiam, inquit, quæ data eſt mihi, ideſt, tãquam Apoſtolus hæc loquor; Apoſtolatũ enim gratiam ſibi datã appellat, iuxta illud Eph. 3. Mihi omniũ Sãctorum minimo data eſt Epheſ. 3.

gratia

Digitized by Google

Rom. 15. Galat. 2. gratia hæc. & Rom. 15. Per gratiam, quæ data eſt mihi, vt ſim miniſter. Galat. 2. Cognouerunt gratiam, quæ data eſt mihi inter gentes. Illa autem particula (enim) hanc ſententiam præcedenti connectit tamquam eius cauſam. quaſi diceret. Dixi vobis: reformamini nouitate ſenſus veſtri, ad probandum, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta: nam dico vobis omnibus, debere vos opera facere beneplacentia, & perfecta, qualia ſunt, quæ ſtatim ſequuntur.

ANNOTATIO VII.

PArticulam γὰρ Latine (enim) quidam ex recentioribus poſitam putant loco (igitur). quaſi ex ſermone generali Paulus ſingularia præcepta deriuet: idque affirmant, quia non intelligunt, qua ratione connecti poſſit præcedẽtibus, ſi cauſam ſignificet; nos vero in commẽtario id explicuimus, idcirco non eſt neceſſarium, talem particulam aliter exponere, quàm vetus interpres expoſuerit. Nomen autem illud (gratiam) Origen. & Ambroſ. *Origen. Ambroſ.* in præſenti, peritiam ſpiritualem, & ſapientiam Spiritus datam Paulo interpretantur, vt ſit ſenſus. quæ dico, non humana ſapientia, ſed diuina, quæ mihi à Deo data eſt, dico. *1. Cor. 2.* de qua ſapientia. 1. Corinth. 2. dicit: Sapientiam loquimur inter perfectos, ſapientiam vero non huius ſæculi. Rurſus, prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis.

Orig. Origenes idem alteram adfert interpretationem, vt nempe gratia ſignificet, quæ vulgo etiam dicitur gratia, qua aliquis gratus, & acceptus eſt aliјs, quæ multum facit ad fructificandum; qui enim gratus eſt, & acceptus, eius ſermo, & prædicatio proficua eſt; ſic enim Paulus quærebat placere alijs, vt eos Domino lucrifaceret. 1. Corin. 10. Per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant. *1. Cor. 10.* Chryſoſt. & Theodor. gratiam Spiritus Sancti intelligunt, per quam dicit ſe hæc dicere. *Chryſoſt. Theodor.* Hæ expoſitiones non ita facilè accommodantur contextui, ſicut ea, quam in commentario propoſuimus, vt ex ea ipſa conſtat.

Poſtremò illud (omnibus, qui ſunt inter vos) Origen. explicat. *Origen.* Omnibus qui sũt in Deo inter vos, ideſt, fidelibus in Chriſto; ille enim vere eſt, qui in Deo eſt. Hoc tamen ſubtilius eſt, quàm ad rem faciat. Græce ſingularis eſt ſermo. Cuilibet, qui inter vos eſt, ad ſignificandam generalitatem ſermonis, vt dicit Chryſoſt. *Chryſoſt.* omnibus enim loquitur, Prælatis, & ſubditis, ſeruis, & liberis, idiotis, & ſapientibus, mulieribus, & viris, ſenibus, & iuuenibus. Ideo dicit. Dico omni, qui inter vos verſatur.

Digitized by Google

Non plus ſapere, quàm oportet ſapere.

Voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta quomodo adimpleatur.

INcipit Paulus docere voluntatem Dei bonam, beneplacentem, & perfectam. Primo quidem in his, qui functionem aliquam in Eccleſia habent, poſtea in ſingulis fidelibus. In fungentibus autem aliquo officio, ea eſt Dei voluntas beneplacens, & perfecta, ſi nemo eorum ſapiat pluſquam oportet, ideſt, ſi vnuſquiſque iuxta menſuram proprij talenti, & muneris operetur, nec ſe ingerat in ea, quæ ad ipſum non ſpectant, nec limites tranſiliat ſibi conceſſos. Qui enim aliter faciunt, plus, quàm oportet ſapere, ſapiunt. Recte autem connectitur hæc ſententia ſuperioribus; qui enim ſapiunt plus quàm oportet, & ea faciunt, quæ ad eos non pertinent; aut maiora aggrediuntur, quàm iuſta menſura proprij muneris poſtulat, hi Dei voluntatem beneplacentem non probãt; quia opus quamuis in ſe bonum, ſi per eum, cui illud non efficere incumbit, fiat, vitium eſt, nec Deo placet. bonum enim erat, Arcam Domini labentem ſuſtinere, tamen non erat Ozæ id præſtare; idcirco non placuit Deo: & ſacrificium Deo offerre, bonum fuit, tamen non erat Saulis id munus, ideo non placuit. Nemo ergo ſapiat ſupra quàm oportet ſapere, ſi Dei voluntatem bonam, & beneplacentem, ac perfectam implere cupit: ſed efficiat, quod, & quantum ſibi conceſſum eſt pro portione proprij muneris, aut talenti.

ANNOTATIO VIII.

Orig. Sapere pluſquam oportet, quomodo intelligitur.

VArij ſunt Doctores in huiuſce ſententiæ explicatione. Primo loco Origenes eam interpretatur de modo in vnaquaque virtute ſeruando; virtus enim, ſi in extrema diffluat, vitium eſt. In iuſtitia ergo, fortitudine, prudentia, temperantia, cæteriſq. virtutibus curandum eſt modum ſeruare, ne nimij in eis exercendis ſimus; hoc enim eſt ſapere pluſquam oportet. Doctrina hæc vera eſt: quæ autem ſequuntur ſententiæ, non accommodantur huic interpretationi.

Secundo loco Chryſoſt. ſerm. 20. ad ſuperbiam, & arrogantiam hæc verba refert, in hunc ſenſum; ſcilicet, non de nobis plus quàm par eſt ſentiamus, aut præſumamus; ſunt enim, qui maiorem de ſe ipſis habent opinionem, quàm rei veritas poſtulet. hi ſapiunt ſupra quam oportet ſapere. quæ etiam interpretatio, licet vera ſit doctrina, tamen non connectitur aptè ſequentibus. *Chryſoſt.*

Tertio loco Irene. lib. 5. cap. 20. & Auguſt. epiſt. 47. de curioſ. & ſuperſ. *Iren. Aug.*

perſ. cognit. myſteriorum fidei hāc ſententiam intelligunt; quæ cognitio radix eſt errorum, & hæreſum, cum nemo ſe debeat in his myſterijs inquirendis intromittere vltra id, quod fides ei à Domino cōceſſa oſtendit; ſic enim faciens non ſapiet ſupra quàm oportet. huic expoſitioni adhæſit Gregor. hom. 13. in Ezechi. & Anſel. quæ etiam non multum reſpondet ſequentibus.

Gregor. *Anſel.*

Hierony. Quarto loco Hieron. lib. 1. contra Iouini. totum hunc locum cum præcedentibus, & ſequentibus de virginitate, & pudicitia interpretatur, quæ interpretatio non videtur ad Pauli mentem.

Baſil. Quinto Baſil. in regu. breui. reſp. 264. inquirens ſenſum illius verbi Pauli Philip. 1. Vt ſitis ſinceri. & illius 2. Corin. 2. Ex ſinceritate; dicit ſincerum appellari, quod alterius miſtionis expers eſt, & ſumme ab omni contrario depurgatum, atque ad vnam totum pietatem intentum, ad ea etiam omnia accuratè exequenda, quæ in ſingulis, & temporibus, & rebus ad huius propoſitum faciant, vt qui alicui muneri præpoſitus ſit, is ne ad affinia quidem ei muneri officia ab illo diſtrahatur. hæc Baſil. ad quorum confirmationem adducit hunc locum. Non ſapere plus quam oportet, quo ſignificat hunc ſenſum, nēpe ne homo diſtrahatur ab eo, quod muneris eius eſt, ingeratque ſe ijs, quæ ad ipſum non ſpectant; id enim eſt ſinceritatem, & puritatem non habere. Quod, vti diximus, dupliciter fit, & quando homo vltra ſui talenti menſuram ſe extendit, & quando etiam ea, quæ non ad eum, ſed ad alterum pertinent, exequitur. Idem Baſil. reſp. 235. clarius hoc explicuit, vbi ſic dicit. Non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem; vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram, quæ officij ſui ſunt, ſtudioſe diſcat, & perſequatur; neque curioſe vlterius quidquam exquirat. hæc Baſil. Hanc expoſitionem ſecutus eſt Ambroſius, & ei nos conſenſimus in commentario, vtpote ſequentibus maxime accommodatæ, quod in eorum interpretatione palam fiet, nec negamus cæteras expoſitiones eſſe probabiles. *Ambro.*

Philip. 1. *2. Cor. 2.*

Sed ſapere ad ſobrietatem.

CConnexa eſt hæc ſententia ſuperiori, tanquam eius antitheſis: nam qui ſapit, vt oportet, ſobriè, & temperatè ſapit: qui vero ſapit plus quàm oportet, non ſapit temperatè, nec modum tenet, qui in bonis operibus efficiendis neceſſario ſeruandus eſt, vt ſint Deo grata, placentia, & perfecta. Hebraiſmus quidam eſt; quæ enim per negationem dicta ſunt ſemel, iterum affirmatione repetuntur, vt efficacius tradantur. Quamuis etiam ſit particularis quædam ratio, cur Paulus hoc verbum addiderit, nempe vt modum, quem ſeruare oportet, doceret, qui ſequenti ſententia exprimitur, nimirum vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.

Digitized by Google

ANNOTATIO IX.

Iren. *Auguſt.* Quomodo quis ſapit ad ſobrietatem

MVltipliciter legitur verbum (ſobrietatem) apud Latinos Doctores. Irene. lib. 5. cap. 20. legit. Sapite ad prudentiam. Auguſt. epiſt. 47. Sapite ad temperantiam. Hieron. lib. 1. contra Iouinia. Sapite ad pudicitiam. Vetus interpres. Sapite ad ſobrietatem. Verbum Græcum eſt (σωφρονεῖν) quod omnia hæc ſignificat; idcirco Doctores varijs ſunt vſi interpretationibus. Sobrietas autem, quam *Auguſt.* Auguſt. temperantiam appellat, eſt modus, & temperamentum, quo vti debet vnuſquiſque, vt intra ſuos ſe terminos cohibeat, quam ſobrietatem Doctores citati multipliciter expoſuere; ſinguli pro ſuo ſenſu, vti retulimus annotatione præcedenti. *Hieron.* Hieron. autem locum totum de virginitate, ſeu pudicitia interpretatur, cuius expoſitio videtur difficile accommodari verbis, & contextui Pauli, vti ſuperius diximus.

Et vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.

DEclarat ſobrietatem, ad quam debet vnuſquiſque ſapere: ea autem eſt, vt ſapiat ſecundum fidei menſuram, quam vnicuique Deus impartitus eſt, ideſt, pro ratione talenti, muneris, aut functionis, quæ à Deo illi data, & concredita ſunt. fidem appellat talentum, ſeu munus alicui conceſſum propter fidelitatem, quam tenetur quiſque in eo exercendo ſeruare. Fidem enim ali-
2. Tim. 4 quando fidelitatem ſignificat. 2. Timot. 4. Fidem ſeruaui. & Math.
Matt. 25 25. Quia in pauca fuiſti fidelis. pro menſura ergo fidelitatis, & muneris, aut gratiæ ſibi à Deo concreditæ, vnuſquiſque operetur. Rectè autem vtitur verbo (diuiſit) quia non omnia ſingulis data
1. Cor. 12 ſunt, ſed his hæc, illis alia. 1. Corin. 12. Diuidens ſingulis prout vult: ſapiat ergo vnuſquiſque ſecundum ſui muneris portionem. Illud (vnicuique) poſitum eſt per traiectionem quandam; ordo enim eſt ſicut diuiſit Deus vnicuique menſuram fidei.

ANNOTATIO X.

Menſura fidei quid denotet.

IN primis adnotandum eſt, in Græcis exemplaribus non haberi illud (&) nec in aliquibus Latinis, & reuera neceſſarium non eſt: nam hæc ſententia explicatio quædam eſt ſobrietatis, ad quam ſapere oportet, ſi tamen legatur, non propterea ſenſus mutatur; connectit enim duas ſententias, quarum poſterior prioris continet explicationem, & determinationem.

Adnotandum eſt præterea, fidem

hoc

Digitized by Google

Chryſoſt. *Theodor.* hoc in loco variè à Doctoribus intelligi: nam Chryſoſt. & Theodor. per fidem intelligunt dona gratiæ, quæ per fidem tanquam per principium, & radicem obtinētur à Deo, vt nemo ſapiat, nec plus de ſe ſentiat, quàm ſint dona gratiæ accepta. *Orig.* Eodem modo Origen. intelligit fidem, nempe donum, quod per fidem accipitur, & obtinetur. *Auguſt.* *Iren.* Auguſt. vero, & Irenę. locis citatis in annotat. VIII. ipſam fidem interpretantur, intra cuius menſuram, & terminum debet ſe vniuſcuiuſq. intellectus continere. Cum enim hęc ſententia ſit ſuperiori connexa, varie exponitur, pro varietate ſenſuum præcedentium verborum, vt dictum eſt in eorum expoſitione. Mihi viſa eſt accommodata expoſitio, & contextui maxime conueniens, ſi fidem interpretemur fidelitatem, quam vnuſquiſque in munere ſibi conceſſo, & in talento accepto conſeruare tenetur; eſt enim frequens in Scriptura huius nominis ſignificatio, vt pro fidelitate accipiatur. per methonimiam autem appellat fidelitatem ea talenta, & functiones, ac gratias, quæ fideliter ſunt adminiſtranda.

Sicut enim in vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eumdem actum habent.

CAuſam præcedentis ſententiæ, nimirum, cur nemo ſapere debeat pluſquam oportet, ſed vt vnuſquiſq. ſe ipſum intra proprios talenti ſui termines, gratiæ, & functionis cōtineat, pulchra ſimilitudine aſſignat. Sumpta eſt autem ſimilitudo à corpore naturali, in quo quamuis multa membra vnita, & copulata ſint, non propterea efficitur, quo minus ſingula membra actiones habeant proprias inter ſe differentes; eſſetque corporis maxima perturbatio, ſi quod vnius eſt membri, alterum tentaret efficere; ita omnes fideles vnum corpus conficiunt in Chriſto: pro varietate tamen gratiarum, & munerum eis conceſſorum, quibus diuerſa membra inter ſe fiunt, neceſſe eſt varias, & diuerſas inter ſe habere functiones. Ex quo conſequitur, eſſe neceſſarium, vt nemo ſapiat plus quam oportet; eſſet enim confuſio, & perturbatio magna; ſicut eſſet in corpore naturali. Hoc exemplo vſus eſt idem Paulus 1. *1. Cor. 12* Corin. 12. alia tamen ratione, vt inferius explicabitur. Verbis igitur propoſitis proponit exemplum ipſum, triaque indicat, à quibus ſimilitudinem inducere intendit. Primum eſt, vnitas corporis: alterum eſt membrorum multitudo ſub vno corpore. attende autem hac voce (multa) non ſolam pluralitatem, ſed etiam varietatem, & multiplicitatem membrorum ſignificari. Tertium eſt actionum diuerſitas pro huiuſmodi membrorum multiplicitate; alia enim alias habent actiones, ſeu functiones.

Ita

Digitized by Google

Ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto.

APplicat exemplum propoſito ſuo, & primo loco quantum ad duas partes ſimilitudinis, nempe vnitatem corporis, & multitudinem membrorum: Multi, inquit, vnum corpus ſumus in Chriſto. Verbum (multi) multitudinem membrorum; vnum in Chriſto, vnitatem corporis ſignificat. Vnum corpus eſſe in Chriſto dicimur propter duo. Vnum eſt, quia nexus, ſeu vinculum, quo fideles vniuntur inter ſe, à Chriſto eſt, & ab ipſo procedit, & ipſius merito, ac virtute communicatur nobis; ſiue ſit nexus interior, ſcilicet fides, charitas, ſpes, gratia, cæteraque dona, & virtutes Spiritus Sancti; ſiue exterior, nimirum ſacrificium, ſacramenta, præcepta. de vtroque nexu locutus eſt Paulus Epheſ. 4. Creſcamus, inquit, in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate. Alterum eſt, quia ipſemet Chriſtus dignatus eſt ad huius corporis conſtitutionem conuenire, non vt membrum aliquod, vt cæteri, ſed tanquam caput ipſum, vt vere dicamus, caput corporis Eccleſiæ eſt Chriſtus. cæteri autem ſub hoc capite, membra. Epheſ. 1. Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam. Epheſ. 5. Chriſtus caput eſt Eccleſiæ. & Coloſſ. 1. Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ. Non ergo cum Chriſto tantum, ſed etiam in Chriſto vnum corpus ſumus.

Vnum corpus in Chriſto quonam modo ſumus, & alter alterius membra.

Epheſ. 1. Epheſ. 5. Coloſſ. 1.

Singuli autem, alter alterius membra.

APplicat exemplum quantum ad tertiam partem ſimilitudinis, nempe, ſicut in corpore naturali omnia membra non eumdem actum habent; ita etiam in hoc corpore myſtico fideles non eamdem habent functionem, & munus: ſed multiplex eſt, ita tamen vt alterum ſit alterius membrum, ideſt, mutuò ſe inuicem diuerſis functionibus iuuant; vnum enim alterius opera indiget, & vnum alteri operam præſtat. hoc eſt, quod ſignificat, quando dicit. Singuli, alter alterius membra, quod idem Paulus 1. Corinth. 12. expreſſit ſic: Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus: non poteſt autem oculus dicere manui, opera tua

1. Cor. 12

non

Digitized by Google

non indigeo; aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij; & paulo inferius, vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. Hoc eſt, quod nunc dicitur: Singuli, alter alterius membra; ideſt, multa membra mutuo ſe ſuis varijs functionibus iuuantia, & ſe inuicem indigentia. Nec mireris, Paulum plus accepiſſe in applicatione, quàm in exemplo expreſſerit; non enim dixerat: Multa membra habemus, ſingula alterum alterius membrum, ſed tantum dixit, multa membra non eumdem actum habent: nam exemplum eſt notiſſimum apud omnes, & facilè vnuſquiſque intelligit, ſingula membra corporis naturalis mutua opera indigere, & ſibi inuicem opem ferre.

Habentes donationes, ſecundum gratiam, quae data eſt nobis, differentes.

Functiones diuerſas eſſe in Eccleſia ſecundum gratiam.

PArs hæc diuiſa eſt à ſuperiori ſententia, in qua Paulus docet, non ſolum differentes eſſe functiones in Eccleſia, ſicut in naturali corpore, ſed etiam differentiam hanc eſſe ſecundum dona, & talenta, ſeu munera, ad tales peragendas functiones, data; vt, ſicut in corpore, non ſolum diuerſa ſunt membra diſtinctas actiones habentia, ſed ſingula membra differentes habent virtutes, ad actiones illas differentes exercendas, ita etiam ſint in myſtico corpore. hoc eſt, quod nunc dicit. Habemus, inquit, donationes, ideſt functiones, & operationes, quæ Græce χαρίσματα appellantur, differentes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis; ideſt, ſecundum differentiam gratiæ gratis datæ, aut talenti, ſeu muneris, aut officij nobis conceſſi; pro varijs enim gratijs functiones etiam variæ ſunt. Gratiam Græce χάριν vocat donum, talentum, munus; à quo χαρίσμα, ideſt functio ipſa, procedit. Eſt autem Hebraiſmus; participium enim pro verbo ponitur. Habentes, id eſt habemus. quo etiam vſus eſt inferius cap. 13. Scientes, quia hora eſt iam de ſomno ſurgere, ideſt, cum ſciamus. Græce habetur particula, δὲ, Latine (autem) habentes autem; indicat enim periodum hanc ſeparatam à præcedenti. Hoc autem adiunxit Paulus, vt doceat, quod ſuperius dixerat, non debere nos ſapere plusquam oportet, quod fit, quando functio vniuſcuiuſque reſpondet proprio talento, & muneri, vt donatio ſit, qualis gratia, & χάρισμα, qualis χάρις. Græce enim ſermo leporem habet propter vocum affinitatem, ac ſi Latine diceretur, habemus donationes ſe-

Rom. 13.

nes ſecundum dona differentes. Vtitur autem voce, gratiæ, vt hæc omnia gratuito nobis donata ſignificet à Deo per Chriſtum, in quo vnum corpus ſumus, tantoque cautius, & diligentius vnuſquiſque intra ſuæ functionis, & talenti limites ſe contineat, quanto ordo hic ſublimior eſt, nempe à Deo conſtitutus; vt qui eum perturbat, & pluſquam oportet ſapit, diuinæ ordinationi, & prouidentiæ reſiſtere videatur in his, quæ abſque vllo ſuo merito accepit. Hanc eamdem ſententiam alijs verbis docuit Paulus Ephe. 4. Vnicuique data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. Quo in loco gratiam appellat, quod in præſenti donationem, ſeu chariſma: donationem vero, quod hic dicit, gratiam; ſunt enim nomina communia.

ANNOTATIO XI.

Recentiores quidam hanc præcedentem ſententiam connectendam exiſtimant cum ſuperiori periodo, nempe (ita multi vnum corpus ſumus: ſinguli autem alter alterius membra, habentes donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, differentes) eo inducti argumento, quia in exemplo corporis naturalis tria poſita fuerunt, ſcilicet vnitas corporis, multitudo membrorum, & actionum multiplicitas. oportebat igitur his tribus alia in myſtico corpore explicare. quorum primum in eis verbis continetur (multi vnum corpus in Chriſto ſumus;) alterum in illis (ſinguli alter alterius membra;) tertium in propoſitis (habentes donationes differentes). Iſta expoſitio contraria eſt communi Græcorum, & Latinorum patrum expoſitioni; diuidunt enim hanc partem à ſuperiori periodo, nec ad exempli ſimilitudinem referunt. In plurimis etiam exemplaribus ſeparata ſcribitur, idque in Græco ſermone manifeſtius eſt, vbi habetur particula disiunctionis δέ. Latine autem ſenſus etiam id ipſum indicat; non enim intendit Paulus docere, in myſtico corpore reperiri actionũ multiplicitatem, ſed potius talem actionum, & functionum multiplicitatem eſſe ſecundum multiplicitatem gratiarum, ſeu donorum, quaſi illam multiplicitatem actionum iam edocuerit, vt reuera factum eſt: nam, vti in commentario diximus, illis verbis (multi vnum corpus ſumus in Chriſto) non ſolam vnitatem corporis, ſed etiam multitudinem membrorũ ſignificauit. ſequentibus autem, nimirum (ſinguli alter alterius membra) actionum, & functionum multiplicitas exprimitur, ita vt oratio his duobus ſit perfecta, & tota ſimilitudo completa. Quod eſt aduertendum pro recta huius loci intelligentia. Hinc conſequitur, illud participium (habentes) non eſſe connectendum cum verbo præcedenti (ſumus) vt hi recentiores affirmãt; nec etiam opus eſſe ſupplere aliquod aliud, vt alij recentiores cenſent; nempe ſic (habentes donationes differentes) ſiue prophetiam, ſecundum rationem

Digitized by Google

fidei, verſemur in ea; ſiue miniſterium, verſemur in miniſtrando; ſiue vt alij dicunt, ſapiamus ſecundum rationem fidei, ſiue ſapiamus ſecundum miniſterium, &c. multas enim in his ſententijs ecclipſes eſſe putant. hoc inquam ſuperfluum eſt, cum ſit Hebraiſmus frequens Paulo, participio poſito pro verbo, nempe (habentes autem) ideſt (habemus autem:) & prœter teſtimoniũ citatum in commentario, eſt etiam locus ad Rom. 6. Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter crucifixus eſt. & 2. Corin. 1. Spes noſtra firma eſt pro vobis, ſcientes, quod ſicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis conſolationis; ideſt, cum ſciamus. Illud autem eſt aduertendum, hoc loco (gratiam) non ſignificare gratiã Dei, ſecundum quam grati ſumus, aut ſecundum quam Deus nobis multa donat, ſed gratiam gratis datam, talẽtum, munus, aut donum, à quo eſt functio, quę dicitur χάρισμα ſicut 1. Corinth. 12. diuiſiones gratiarum ſunt, vti in commentario expoſitum eſt; huius enim diſtinctionis conſideratio ſenſum totius contextus alias obſcuri, & difficilis aperit.

Rom. 6. *2. Cor. 1.*

2 *Siue prophetiam ſecundum rationem.*

Chariſmata diuerſa dari ſecundum gratias differentes.

Prophetia & diaconia ſunt duo genera chariſmatum Eccleſiaſticorum.

Prophetia ſecundum rationem fidei quomodo intelligitur.

ENumerat Paulus diuerſa chariſmata, ſecundum gratias differentes data, vt doceat qualiter vnuſquiſque debeat ad ſobrietatem ſapere, & intra limites ſuos ſe continere; quia hæc eſt voluntas Dei beneplacens, & perfecta. Sunt autem duo chariſmatum, & functionum Eccleſiaſticarum genera. Vnum eſt prophetia, alterum diaconia; illa in docendo, & in verbo Dei tradendo: hæc in miniſtrando verſatur. ab illa incipit, quia prior eſt. Connexio autem huius ſententiæ cum præcedentibus ſic eſt accipienda. Habemus prophetiam ſecundum rationem fidei; verbum enim, ſeu participium illud præcedens coniungi debet ſequentibus. Eſt autem prophetia duplex. Prior futurorum, & occultorum cognitio, quæ non humano opere, ſed ſolo Dei dono habetur, ſecundum quam Dauid, Iſaiam, & cæteros Prophetas dicimus. Poſterior eſt difficilium ſcripturarum, & myſteriorum religionis noſtræ interpretatio, & intelligentia, quæ non ſolo Dei opere, ſed etiam humana induſtria comparatur. vtriuſque meminit Paulus 1. Corinth. 14. de poſteriori autem dicit. Aemulamini ſpiritualia, magis autem vt prophetetis. In hac ſignificatione accipitur in præſenti ſententia. vt enim conſtat ex ſequentibus, Paulus loquitur de ijs functionibus, quæ ex humana induſtria pendent, qualis eſt hæc prophetia: appellat autem prophetiam, non interiorem intelligentiam; hanc enim fidem vocat; ſed actum exteriorem interpretandi,

1. Cor. 14

Digitized by Google

tandi, & explicandi, quæ Religionis noſtræ ſunt, & quæ in ſcripturis continentur occulta, & difficilia. Fides autem non accipitur hic pro ſola fide, qua credimus, quæ omnibus eſt communis, etiam idiotis, ſed pro ipſa intelligẽtia perfecta rerum diuinarum, & Scripturarum, quæ non eſt communis omnibus, & inter gratias gratis datas numeratur à Paulo. 1. Corinth. 12. Alteri, inquit, fides in eodem ſpiritu. Prophetia ergo, donatio, chariſma, ſeu functio quædam eſt. Fides autem gratia quædam gratis data, ſeu talentum, aut donum, à quo prophetia procedit. Dicit ergo Paulus prophetandi functionem haberi ſecundum rationem, ideſt, menſuram fidei, & intelligentiæ, quæ data eſt homini, quæ cum non ſit æqualis ſingulis, nec erit prophetandi æquale exercitium. Radix errorum, & hæreſum fuit, & eſt, quando homines ingenio ſoluunt habenas, & tentant tractare myſteria recondita Scripturarum, obliti terminorum, & limitum intelligentiæ ſibi conceſſæ, de quibus dicitur. 1. Timoth. 1. volentes eſſe legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Prophetandum ergo eſt ſecundum menſuram. Græce Ἀναλογίαν fidei, & intelligentiæ conceſſæ.

1. Cor. 12.

1. Tim. 1.

ANNOTATIO XII.

Prophetia ſecundum rationem fidei quomodo intelligitur.

MVltiplex eſt huius ſententię interpretatio; quãuis enim omnes ferè ſupplendum eſſe verbũ cenſeant, non tamen conueniunt in eo ſupplendo, nec in ſenſu interpretando. Suppoſita igitur diſtinctione prophetiæ in commentario poſita, quæ præterquam, quod eſt Pauli, expreſſe traditur ab Origen. & Theodoret. Eſt prima expoſitio ipſius Origen. Chryſoſt. & Theodor. qui de vtraque prophetia locum hunc intelligendum exiſtimant. Ἀναλογίαν autem menſuram interpretantur, in hunc ſenſum. habentes donationes ſecundum gratiam differentes, ſiue prophetiam, quæ datur pro menſura fidei, vt quanta hæc eſt, illa ſit. Secunda eſt Ambroſ. qui de prophetia priori hunc locum intelligit in hunc ſenſum: habentes prophetiam ſecundum rationem fidei, ideſt, quæ datur quantũ cauſa fidei accipientis, pro qua datur, poſtulat. Tertia eſt Anſelm. qui de vtraque prophetia, ſed dupliciter exponit; vno modo; habẽtes prophetiam ſecũdum rationem fidei, ideſt, vt nihil extra fidei regulam loquamur, aut ſapiamus. Altero modo, ſecundum rationem fidei; ideſt, prophetia datur prout fides credentium, ſeu auditorum exigit capacitas, & ſalus. quæ expoſitio eſt eadem cum illa ex Ambroſ. citata. Aliqui recentiores ſupplendum cenſent verbum ſic. habẽtes prophetiam ſecundum rationem fidei, verſemur in ea. Mihi omnibus perpenſis viſa eſt expoſitio in

Orig. Chryſoſt. Theodor.

Ambroſ.

Anſel.

Digitized by Google

tio in commentario adducta maxime accommodata, nec opus eſt verbum ſupplere, cum iam præceſſerit; dictum enim eſt: habemus donationes ſecundum gratiam differentes, ſiue prophetiam ſecundum rationem fidei; ideſt, habemus prophetiam, quæ donatio quædam eſt, ſecundum rationem fidei, & intelligentiæ conceſſæ. ratio Græce ἀναλογία dicitur. Origen. menſuram interpretatur, alij proportionem, alij rationem. Cicero conuenientiam. Omnia autem hæc non mutant ſenſum.

Siue miniſterium in miniſtrando.

Diaconia quomodo in miniſtrando conſiſtat, & quid comprehendat.

PRoſequitur enarrare donationes, & gratias differentes, & poſt genus donationis, ſeu functionis, quæ dicitur prophetia, alterum genus enumerat, quod dicitur diaconia. connectitur autē hæc ſententia ſub eodem verbo. habemus chariſma miniſterij in miniſtrando; ideſt, fungimur miniſterio ſecundum gratiam miniſtrandi. Græce in vtroque loco idem eſt nomen διακονία, ſed in poſteriori loco additur articulus, nempe, ſiue diaconiam, in ipſa diaconia, vt diſtincta ſignificatio indicetur; prior enim ſignificat functionem, & operationem miniſtrandi, quæ chariſma, & donatio eſt: poſterior vero gratiam gratis datam, ſeu talentum, aut munus miniſtrandi, quod interpres obſcure vertit per participium (in miniſtrando;) nemo enim miniſtrat in Eccleſia, qui non habeat aliquam gratiam, titulum, aut ordinem, quo deputatur ad talem functionem, ne ſit confuſio, & vt ſinguli ei, quod ſuum eſt, incumbant, in eoque verſentur. hoc miniſterium diſtinguitur à prophetia, & verbi prædicatione, de quo Actor. 6. dicitur, eo quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum. & rurſus non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Quod miniſterium multiplex eſt, vt paulo inferius dicetur; quamuis enim prophetare ſit quoddam miniſterium, vt in eo loco Actor. 6. habetur. Miniſterio, inquit, verbi Dei inſtantes erimus; tamen hoc in loco miniſterium accipitur, vt ab illo diſtinguatur, & amplectitur miniſteria multa corporalia, quæ in Eccleſia ſunt, & omnia, quæ à verbi Dei doctrina diſtinguuntur; hoc enim officium prophetia dicitur. *Act. 6.*

ANNOTATIO XIII.

Theodor. Miniſteriū quid ſignificet.

THeodoret. miniſterium interpretatur prædicandi functionem, quam etiam miniſterium dici oſtendimus in commētario ex Act. 6. Chry-

Chryſoſt. 6. Chryſoſt. vero generaliter exponit pro quocumque miniſterio Eccleſiaſtico. Mihi magis placet interpretari quidem generaliter, non tamen adeo generaliter, vt complectatur Dei verbi prædicationē, & explanationē; hæc enim ad prophetiam pertinet, ſed per miniſterium nūc intelligi exiſtimo reliqua miniſteria Eccleſiæ, quæ in exercitio corporali verſantur citra verbi prædicationem, qualia ſunt, quæ narrat inferius Paulus: vt ſint duo genera gratiarum, & functionum, prophetia, & diaconia, vti diximus, ſub quibus multæ ſunt ſpecies. Ad horum autē ſingula chariſmata, & donationes ſunt multæ. Illud autem non eſt probandum, quod recentiores quidam hunc locum interpretātes faciunt, verbum ſic ſupplentes; qui miniſtrat, verſetur in miniſtrando, ſeu ſapiat in miniſterio. qui ſenſus alienus à Pauli mente eſt, qui intendit chariſmata enumerare diuerſa, ſecundum diuerſas gratias, & talenta, ſicuti prius generaliter dixerat. habemus donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, differentes. Senſus ergo eſt, habemus miniſterium, ideſt chariſma miniſterij in miniſtrando, ideſt, iuxta gratiam, & talentum miniſtrandi, nec eſt opus illo ſupplemento.

Siue qui docet in doctrina.

Docere in doctrina quomodo intelligitur.

PRopoſitis duobus generibus functionum, & gratiarum prophetiæ, & diaconiæ, enumerat duas ſpecies prioris, nempe prophetiæ, & vtrique diſtinctum, & proprium chariſma aſſignat. prior eſt, docendi functio. Senſus igitur eſt. qui docet, ideſt, qui habet chariſma, & functionem docendi, in doctrina, ideſt, ſecundum gratiam doctrinæ, & magiſterij; non enim omnes eamdem habent peritiam. Græce διδασκαλία, peritia, ſeu magiſterium, quam vertit interpres doctrinam. qualis ergo eſt didaſcalia, talis eſt functio, & opera docendi. Docere hoc in loco appellat, ea, quæ fidei & religionis ſunt, alijs aperire, eoſque de diuinis myſterijs inſtruere. quæ functio vna eſt ex ijs, quæ prophetæ ſunt, dicente Paulo. 1. Corinth. 14. Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, exhortationem, & conſolationem. quod dicit ædificare, in præſenti loco appellat, docere, idque ad prophetiam ſpectat. 1. Cor. 14

Qui exhortatur in exhortando.

POſterior functio prophetiæ eſt exhortari: is autem, qui hanc habet functionem, particularem habet gratiam, & talentum,

ſcilicet

Digitized by Google

ſcilicet exhortationem Græce Παράκλησιν, quo nomine ſignificat titulum, ſeu munus, & talentum ipſum exhortandi, quod præcedit functionē & operationem. Eſt autem exhortari ad doctrinam, ſeu ad ea, quæ tradita & edocta ſunt amplectenda, animos aliorum permouere, & inducere; nec ſemper pertinet ad eum, cuius eſt docere: nam aliquando vnus docet, alter exhortatur, diſtinctaq. eſt functio, vtraq. tamen eſt prophetæ, vt ex teſtimonio Pauli citato in præcedenti commentario conſtat.

Exhortari in exhortãdo quid denotet.

ANNOTATIO XIIII.

GRæce legitur eadem particula diſiunctonis, quæ in præcedentibus ſententijs habetur, nempe ſiue qui exhortatur. rurſus, illud (in exhortando) Græce nomen eſt (in exhortatione,) nec ſupplendum eſt verbum recentiorum, ſcilicet. Qui exhortatur, verſetur in exhortando, ſicut etiam, qui docet, verſetur in doctrina; is enim ſenſus, vti diximus in proxima annotatione, à mente Pauli alienus eſt, qui chariſmata varia numerat pro gratiarum varietate, vt diſcat vnuſquiſq. in ſuo munere ſe continere. Senſus ergo eſt. qui exhortandi functionem habet, is chariſma & donationem diſtinctam ſortitus eſt, nempe, Παράκλησιν, à qua dicitur exhortator, ſicut à munere docendi doctor, ſeu docens.

Obijcies; cur Paulus duas functiones prophetiæ retulit, nempe docere, & exhortari, cum 1. Corin. 14. tres eſſe docuerit, nempe, præter illa duo, etiam conſolari? ſcripturarum enim doctrina hominibus in preſſuris huius ſæculi ſolatium præſtat, dum ex promiſſionibus in ea contentis ſpem futurorum bonorum excitat. Reſpondeo, hanc functionem ſub verbo exhortandi comprehenſam nunc fuiſſe: nam Græcum verbum παρακλέω, & exhortari, & conſolari ſignificat, vt latius expoſui in commentarijs ſupra San. Ioannem.

Functiones prophetiæ quot ſint. *1. Cor. 14.*

Qui tribuit in ſimplicitate.

ENumerat functiones Diaconiæ tres cum ſuis chariſmatis, ſeu donationibus differentibus: quarum prima eſt, qui tribuit, id-eſt, qui eleemoſynas diſtribuendi functionem habet, propriam habet gratiam ad eam functionem exhibendam, nempe, ſimplicitatem. Græce dicitur. Qui diſtribuit, quo verbo ſignificatur functio diſtribuendi communes Eccleſiæ eleemoſynas inter fidedeles pauperes, de qua fit mentio act. 6. ad eam enim functionem ibi Apoſtoli ſeptem diaconos, quorum munus erat hæc diſtributio, elegerunt. fit etiam mentio. 1. Corint. vlti. & 2. Corint. 8. vbi de collectis agitur. Qui igitur talem gratiam, & fun-

Diaconiæ functiones quot ſint.

Act. 6.

1. Corint. vltim. & 2. Cor. 8.

& functionem habent, eam in ſimplicitate habent, quia ad illam exhibendam propter ſimplicitatem eliguntur. Simplicitas eſt quę opponitur dolo, fraudi, perſonarum acceptioni; tales enim ad functionem diſtributionis eleemoſynarum publicarum inſtitui debent.

ANNOTAITO XV.

Oecum. OEcumenius hanc ſententiam à præcedentibus, tamquam ad aliud propoſitum pertinentem ſeparat: at cum ſimilis ſit formæ cum illis, videtur ad idem tendere, nec ſeparanda, ſed coniungenda eſt cum eis.

Quantum autem ad ſenſum ſpectat, omnes fere antiqui expoſitores eam generaliter intelligunt de eo, qui dat eleemoſynam, & tribuit indigenti. Quidam recentiores generalius etiam interpretantur de omni eo, qui donat, & gratioſè tribuit alteri. Contextui tamen Pauli, qui loquitur de ijs, qui in officio aliquo Eccleſiæ conſtituti ſunt, magis quadrat, ſi particulariter exponamus de ijs, qui præfecti erant bonis Eccleſiæ diſtribuẽdis, & impartiendis in pauperes, vti in commentario dictum eſt; olim enim bona ſua fideles communia faciebant, & ante pedes Diſcipulorum adferebant, vt inde vnicuique pro vt opus erat, diſtribueretur, vti *Act. 5.* act. 5. Erantque præfecti quidam, quibus hæc cura demandabatur. act. 6. Fiebant etiam ſucceſſu temporis collectæ. Vnuſquiſque enim fidelium partem aliquam erogabat in vſus, & opem indigentium, vt ha- *1. Corint. vltimo.* betur. 1. Corint. vlt. & 2. Corint. 8. quæ à quibuſdam præfectis con- *2. Cor. 8.* ſeruabantur in eoſdem vſus. hi ſunt de quibus nunc dicit Paulus. Qui diſtribuit in ſimplicitate, ideſt, quidam habent chariſma diſtribuendi ſecundum gratiam ſimplicitatis.

Quid autem ſimplicitas hæc ſit, prædicti Doctores varie explicant. In cuius gratiam aduerte, ſimplicitatem opponi duplicitati: quando enim homo, in ijs quæ facit, aliud intendit præter id, quod in eo opere intendi debet, dicitur duplex corde: qui vero non aliud intendit, quàm quod intendi debet, dicitur ſimplex. notat autem Gregor. lib. *Gregor.* 4. Epiſt. 31. ſimplicitatem in Scriptura aliquando fatuitatem ſignificare, maxime quando ſola profertur: eſt enim fatui non conſiderare omnia, quæ ſunt conſideranda. Vnde ſimplex eſt per extremum ſimplicitatis. Aliquando vero virtutem, tuncq. maximè ſolere ſimplicitati aliquid adiungi, vt Iob. *Iob. 1.* 1. Erat ſimplex & rectus. Math. 10. *Matt. 10.* Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ; ſimplex enim verus & bonus eſt, qui nihil quidem prætermittit in ſuis operibus conſiderare ex ijs, quæ ſecundum iuſtitiam, & prudentiam conſideranda ſunt; aliena tamen, & contraria non conſiderat, ut ab eis moueatur: qui uero ea quæ ſunt conſideranda prætermittit, ſimplex & fatuus eſt. de quibus dicitur. 1. Corint. 14. Nolite pueri effici ſen- *1. Cor. 14.* ſibus, ſed malitia paruuli eſtote. & Gregor. lib. 1. mora. cap. 2. *Gregor.* Sunt

Digitized by Google

Sunt, inquit, nonnulli ita ſimplices, vt rectum quid ſit ignorent; ſed eo verè ſimplicitatis innocentiam deſerunt, quo ad virtutem rectitudinis non aſſurgunt, quia dum cauti eſſe per rectitudinem neſciunt, nequaquam innocentes perſiſtere per ſimplicitatem poſſunt: hinc eſt, quòd Paulus Rom. 16. diſcipulos admonet, dicens. Volo vos ſapientes eſſe in bono, ſimplices autem in malo. hæc Grego. Chryſoſt. autem hom. 36. in 1. Corint. In ſimplicitate, inquit, cauenda eſt ſtultitia; in prudentia cauenda eſt malignitas. cur igitur hoc ita ſit, ſimplicitas hæc, quæ gratia quædam eſt, quam diſtributionis functio ſequitur, coniuncta eſt rectitudini & prudentiæ, vt diſcernat diſtributor, quibus, & quantum, & quomodo eſt dandum. Perſonarum igitur acceptio non eſt in ſimplicitate, nec dolus, nec fraus: nam in his conſiderat homo, quæ non ſunt conſideranda; vbi vero non eſt dolus, nec fraus, nec perſonarum acceptio, ſed iuſtitia, & prudentia, ſimplicitas eſt, de qua nunc loquitur Paulus.

Chryſoſt.

Origen. *Ambr.*

In ſimplicitate tribuere quis dicatur.

Hanc expoſitores aliter explicant. Primo loco Origen. & Ambroſ. illum dicunt in ſimplicitate tribuere, qui non ob vanam gloriã tribuit; qui enim ſic tribuit, duplex eſt, quia actu exteriori videtur benefacere alteri: at ipſe ſibi benefacere intendit, dum propriam laudem quærit. Origen. quidem generaliter intelligit hanc ſententiam de omni eo, qui quouis modo tribuit. at cum Paulus particulariter loquatur de eo, cui incumbit ex officio diſtribuere communia bona pauperibus, vti diximus in commentario, non videtur ſimplicitatem ſic intelligere, vt Origen. dicit. Quamuis enim verè ſit duplex, qui ob vanam gloriam tribuit, tamen quod quærit Paulus illud eſt, vt ſine dolo & fraude, & acceptione tribuat; per hanc enim ſimplicitatem ſubueniri poteſt pauperibus, etiamſi vana gloria, qui tribuit, moueatur. Secundo loco Chryſoſt. & Theodoret. per ſimplicitatem intelligendam cenſent liberalitatem, vt ſine auaritia fiat donatio. hæc autem expoſitio nititur metaphoræ: nam qui liberaliter dat, manu extenſa dicitur dare; qui vero auarus eſt, manum habet clauſam: quod autem extenſum eſt, ſimplex eſt. manu ergo extenſa, & liberaliter tribuens, in ſimplicitate tribuit. Hæc etiam expoſitio procedit generaliter de omni tribuente.

Chryſo. *Theodor.*

Ad hanc ſimplicitatem addit alia duo Theodoret. ſcilicet, vt qui tribuit, non captet gloriam, ſed indigentis inopiæ ſubueniat, nec ratiocinetur, an quæ habet ſibi ſufficiant, ſed ſpem in Deo ponat. hæc tria ſimplicitatem faciunt ſecundum Theodoret. Tertio loco Auctor commentarij, qui nomine Hierony. circumfertur, dicit, in ſimplicitate dare eum, qui omnes petentes exiſtimat bonos, & indigere ijs, quæ petunt, nec inquirit cauſas, & ea, quæ à tribuendo impediunt. Quod intellige, ſeruata iuſtitia & prudentia. Sunt enim qui ſubtiliter erga indigentes, & petentes conſiderant multa, vt ſibi perſuadeant illos non indigere, vt ſe à dandi debito exonerent. & hæc ſimplicitas, quæ talia non conſiderat, vere eſt neceſſaria in diſtribuente. Comprehenditur tamen ſub ea, quã nos in cõmentario diximus; iſta.n.

Theodor.

Hieron.

inquiſitio, fraus, & dolus quidam eſt.

Recent. Quarto loco, quidam recentiores interpretantur ſic, vt qui dat, nihil mali intendat ab eo, cui dat; ſunt enim qui tribuunt alijs, vt eos alliciant, ad aliquid contra iuſtitiam, aut honeſtatem faciendum. hi non in ſimplicitate tribuunt. Hæc expoſitio generaliter de omni dãte procedit, & verum eſt, qui ſic dant, non in ſimplicitate tribuere, quæ ſimplicitas etiam eſſe debet in diſtribuẽte, de quo loquitur Paulus; tamen ea eſt generalis in omni actu virtutis.

Quinto loco, quidam alij recentiores explicant ſic. Eum tribuere in ſimplicitate, qui tribuit, non animo vt ei retribuatur amplius. de quo dicitur Eccleſi. 20. Datus inſipientis non erit tibi vtilis; ſeptemplices enim ſunt oculi eius; exigua dabit, & multa improperabit. Sexto loco alij recentiores exponunt, eum dare in ſimplicitate, qui non cõſiderat in eroganda eleemoſyna, an amicus, an familiaris, &c. ſed an indigeat. hæc tamen ſimplicitas comprehenſa eſt ſub ea, quæ data eſt à nobis: qui enim illa conſiderat, quæ non oportet, acceptator eſt perſonarum. Eccleſ. 20.

Qui praeeſt, in ſolicitudine.

HAec eſt ſecunda ſpecies functionis ad diaconiã pertinentis. ſenſus eſt. Qui aliorum curam gerit, quique hanc functionem in Eccleſia habet, quæ quoddam chariſma eſt, eam habet ſecundum gratiam ſolicitudinis, ideſt ſtudij, & diligentiæ; qui enim diligentes & ſoliciti ſunt, functioni huic apti ſunt, debentque ea gratia maxime vti. de huiuſmodi præfectura dicitur. 1. Thimot. 5. Qui bene præſunt præsbyteri, duplici honore digni ſunt; ſunt autem multi modi, quibus alij alijs præſunt, omnibus ſolicitudo neceſſaria eſt. 1. Tim. 5.

ANNOTATIO XVI.

Solicitudo in quo differat à diligentia, & ad quos ſpectet.

SOlicitudo Græcè σπουδὴ, quod Latine ſtudium, & diligentiam ſignificat: non ſunt autem idẽ apud Latinos, ſtudium, & diligentia: nam ſtudium ſignificat vehementem animi intentionem, & applicationem ad ea, quæ agere, facere, cognoſcereve intendimus, ſeu vt definit Cice. lib. 1. de Inuent. Studium eſt animi aſſidua, & vehemens ad aliquam rem applicata, magna cum voluptate, occupatio. Diligentia autem ſignificat celeritatem quandam in exequendis ijs, quæ agenda, aut facienda ſunt. vtrumq. eſt in eo, qui præeſt neceſſarium; debet. n. per ſtudiũ totis viribus incũbere officio ſuo, nec importunitatibus, moleſtijs, aut laboribus, quæ in aliorũ cura gerẽda ſunt, remitti. per diligentiã autẽ nihil debet eorũ, quę opportuna fuerint, prætermittere. Cic.

vtrumq.

Digitized by Google

2.Tim. 4. vtrumq. ſignificauit Paulus 2. Thi. 4. De priori dicit. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple. de poſteriori. Inſta, opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa; illud ſtudij, hoc diligentiæ eſt. Hoc vnico vocabulo Græcus ſermo vtrumque complectitur.

Attende autem, aliam eſſe ſolicitudinem illam, de qua. 2. Corin. 11. 2.Cor. 11 dicitur; Solicitudo omnium eccleſiarum; quamuis enim vnum ſit latinum nomen, Græcè diſtincta ſunt; in hoc enim loco Corint. habetur Græcè μέριμνα, quod proprie Latine dicitur ſolicitudo, quæ neceſſaria etiam eſt in eo, qui præeſt. tamen non idem ſignificat quod ſtudium, aut diligentia; ſed his addit timorem euentuum futurorum; ſolicitus enim cogitat multa, quæ euenire poſſunt impedimenta eius rei, quam intendit, & cui incumbit, ac timet, donec optatum finem conſequatur. facitq. hominem cautum, & prudentem, & ſtimulat ad adhibendum ſtudium, & diligentiam; affligit enim animum, donec effectus compleatur.

Qui miſeretur in hilaritate.

Haec eſt tertia ſpecies functionis ad diaconiam pertinentis. Senſus eſt. qui functionem habet miſerendi, taleque chariſma ſortitus eſt, id ſortitur ſecundum gratiam, & talentum hilaritatis; hilares enim maxime apti ſunt ad miſerendum. Attende, non loqui Paulum generaliter de omni eo, qui miſericordiam exercet erga alium; ſed de eis, qui curandis pauperibus deſignati erant, quales modo ſunt in Eccleſia hoſpitalarij, & olim etiam fuerunt; loquitur enim hic Paulus de Eccleſiaſticis functionibus. Huic autem peragendæ functioni maxime neceſſaria eſt hilaritas, quæ non ſolum in animi lætitia, ſed in quadam etiam vultus alacritate, & verborum affabilitate conſiſtit; hæc enim tria neceſſaria ſunt. primum quidem, ne ipſe, qui miſeretur, tædio, & nauſea ſuccumbat, quæ ſolent maxime ex infirmorum, præſertim pauperum aſpectu contrahi. Duo vero poſteriora, nempe, vultus alacritas, & verbi affabilitas, propter ipſos infirmos, qui ob infirmitatem mœrore affecti cum ſint, mœrori mœror addetur, ſi ij, quorum opera indigent, hilares & vultu alacres non ſint. tetricos enim, & moroſos, ac querulos infirmi abhorrent. præterea, quia infirmi, cum multis indigeant, ſolent multa petere, & continuò miſerentium opem implorare. hilares autem ad petendum, & implorandum ſuam operam alios inuitant; contra vero tetrici à petendo deterrent. idcirco in eo, qui miſeren-

Miſericordiæ qualitates, & officia.

Hilaritas, alacritas & affabilitas cur requirantur in miſericordia.

di functionem habet, gratia hilaritatis commendatur, & cum hilaritate functio hæc perficitur.

Habes iam functiones quinq. Eccleſiaſticas, duas ad prophetiam, tres ad Diaconiam pertinentes, cum ſuis proprijs gratijs, & talentis, vt diſcant, qui eas ſortiti ſunt functiones, ad ſobrietatem ſapere. quod tunc fit, ſi vnuſquiſq. eas exerceat ſecundum doctrinam, quam ſortitus eſt. Similiter qui exhortatur, ſecundum donum ſibi conceſſum; qui etiam tribuit; qui præeſt; & qui miſeretur, ſecundum gratias datas ea faciant; ſicque talia opera, erunt volutas Domini bona, beneplacens, & perfecta; & iſta facientes, voluntatem Dei talem probabunt, vt in principio dictum eſt.

ANNOTATIO XVII.

Hilaritas in miſericordia requiritur. *1.Cor.2.* Communiter expoſitores hanc ſententiam generaliter interpretantur de quocumq. miſericordiæ opus faciente, eandemq. exiſtimant eſſe cum illa 2.Corint.9. Vnuſquiſq. provt deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus. *Theodor.* Theodoret. ad beneficentiam extendit, dicens, lætitiam in eo, qui benefacit alteri, eſſe debere, quia lucrum eſt, alijs benefacere. vnuſquiſq. autem proprio lucro lætatur. Ego quidem fateor, miſericordiæ opera eſſe hilariter facienda, vt perfecta, & ſecundum Dei voluntatem beneplacentem fiant, *Eccleſ.7.* quod & Salomon Eccleſi. 4.monuit, dicens. Declina pauperi ſine triſtia aurem tuam, & redde debitum tuum, & reſponde illi pacifice in manſuetudine, Qui enim dat pauperi tetrico vultu, aut verbis aſperis, terret pauperem, ne iterum accedat ad illius operam implorandam. Non ſolum autem hilaritatem in miſericordia, ſed etiam in beneficentia neceſſariam eſſe fateor, vt perfectum fiat opus; qui enim triſti vultu, aut duro verbo in dando vtitur, donum minuit, efficitq. vt minus gratum ſit accipienti. quod Eccleſi. 18. Salomon docuit, dicens. *Eccleſ.18.* In bonis non des querelam, & in omni dato non des triſtitiam verbi mali; nonne ardorem refrigerabit ros? ſic verbum melius, quàm datum. & Eccleſi. 35. In omni, inquit, dato, hilarem fac vultum tuum. Hæc omnia vera ſunt; tamen quantum ego exiſtimo, Paulus, non de beneficentia, nec de miſericordia generaliter hic loquitur, ſed de particulari quadam functione, quæ erga infirmos, qui aliorum ope indigent, verſatur, vti diximus in commentario: eſt enim hæc ſententia connexa præcedentibus; in quibus Paulus, non de omnibus, ſed de ijs, qui functionem aliquam in Eccleſia habent, loquitur.

Dilectio

Digitized by Google

Dilectio ſine ſimulatione.

Chriſtiani perfecti qualitates & conditiones quæ?

Dilectio quomodo debet eſſe ſine ſimulatione, & quę dicatur.

QVæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta in ijs, qui aliquam functionem eccleſiaſticam in Eccleſia ſortiti ſunt, hactenus docuit; nunc generaliter in omni Chriſtiano id ipſum oſtendit, vt vnuſquiſq. fidelis probet, & experiatur non tantum bonum, ſed etiam perfectum, incipitq. à dilectione. Dilectio, inquit, bona eſt, ſed ſi ſit ſine ſimulatione, erit beneplacens, & perfecta. ſupplendum eſt verbum ſubſtantiuum, dilectio ſit ſine ſimulatione. ſic ſupplet Clem. lib. 2. ſtromat. more Hæbreo, cuius eſt verbum ſubſtantiuum ſubticere frequenter. Quæ autem ſit dilectio ficta, ſeu cum ſimulatione, docet Ioannes in ſua Epiſt. 1. cap. 3. Diligamus, inquit, non verbo & lingua, ſed opere, & veritate. Nota duas dilectiones fictas, & ſimulatas. Vna eſt, quæ fit verbo, quando aliquis amat quidem, ſed amor eius non ſe extendit ad opera, ſed ad ſola verba bona, erga eum, aut de eo, quem amat. Huic opponitur dilectio, ſeu amor coniunctus operi, quando qui amat, & verbo, & opere amorem internum oſtendit erga amatum. Ioan. 14. Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt, qui me diligit. & Iacob. 2. Si frater, aut ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis, ite in pace, calefacimini, & ſaturamini, non dederit autem ea, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit? Hæc igitur eſt dilectio ficta: quamuis enim qui ſic ſe habet interius, aliquo modo amet, tamen ad verba ſola progreditur. Altera eſt, quæ fit ſola lingua, quando homo non amat interius, tamen exterius amare ſe dicit. iſte amat lingua; cui opponitur amor, & dilectio in veritate. De illa dicitur Matth. 15. Populus hic labijs me honorat, cor autem longe eſt à me. Ioannes ergo verbo, opus; linguæ, veritatem, opponit, quia ficta dilectio eſt, quæ fit verbo, ſine opere, aut lingua ſola. Illa vera eſt, perfecta, & ſine ſimulatione, quæ fit opere, & veritate, tàm erga Deum, quàm erga proximum, ad quam nunc Paulus exhortatur. ſapienter autem poſt ſuperius dicta, hoc monet, quia qui ſine ſimulatione diligit, præerit in ſolicitudine, tribuet in ſimplicitate, & miſerebitur in hilaritate, habebit prophetiam ſecundum fidei menſuram, miniſterium in miniſtrando, docebit in doctrina, exhortabitur in exhortatione. perfecta enim charitas, perfecta efficit opera, & publica, & priuata.

Clemen. Alex.

Ioann. 1. epiſt. 3.

Ioan. 14.

Iacob. 2.

Matt 15.

ANNOTATIO XVIII.

Chryſoſt. Origen. Ambroſ. Anſel.

CHryſoſt. videtur de dilectione proximi proximam ſententiã interpretari. Origen. vero. Ambroſ. & Anſel. generaliter intelligendam cēſent de dilectione, tàm erga Deũ, quàm erga proximum, & ea expoſitio accommodatior videtur: nam vtraque dilectio reperitur cum ſimulatione, & ſine ſimulatione; nec Paulus limitatione vſus eſt, immo ipſa verba, & quæ ſequuntur, generalia ſunt, & vtriquè dilectioni communia. Quæ autem dicatur dilectio ſine ſimulatione, inquirendum eſt: nam Origen. & Ambroſ. affirmant eam eſſe, quæ eſt ſecundum Deum; omnis enim dilectio quæ non eſt ſecundum Deum, ficta eſt, & ſimulata. Mihi tamē nō videtur ita large Paulum loqui; aliter enim ſequentia verba ſuperflua eſſent; ſed vti proprietate vocabuli. fictum enim, & ſimulatum eſt, quod aliter apparet, quàm ſit. Vnde qui dilectionem exterius oſtendit habere, etiam ſi bona ſit, quam non habet, dicitur fictus & ſimulatus, taliſque dilectio ſimulata eſt, quæ fit illis modis, quos in commentario explicui: quando autem dilectio ſit ſecundum Deum, verba ſequentia declarant.

Odientes malum, adhærentes bono.

AD præcedentem ſententiam hæc etiam pertinet, per quam explicat perfectam dilectionem: nam & mali homines aliquando ſe diligunt ſine ſimulatione, quia corde, verbo, & opere ſe amant, ſed in malo; tuncq. dilectio non eſt ſimulata, tamen perfecta non eſt. Deum etiam aliqui diligunt ex corde, & opera aliqua bona faciunt, non tamen perfecta dilectio eſt. Debemus ergo talem habere dilectionem erga Deum & proximum, vt malum abhorreamus, & bono adhæreamus; vitium deteſtemur, & virtuti coniungamur. Hæbraiſmus eſt ſuperius adnotatus; participio enim loco uerbi utitur, quod etiam ſequentibus ſententijs repetit. Eſt autem emphaſis in uerbis Græcis à Chryſoſt. adnotata; eſt enim ἀποστυγοῦντες, ideſt abhorrentes, quod eſt amplius, quàm odiſſe. adhærentes Græce κολλώμενοι, ideſt agglutinati bono; ut enim uitium ſummopere fugiendum eſt, ab eoq. longe diſcedendum, ita uirtus amplectenda, ipſiq. adhærendum eſt. Eſt etiam contrariorum conſideranda antitheſis, quam attendit Origen. Non ſatis eſt amare uirtutem, temperantiam, iuſtitiam, cæteraſq. huiuſmodi; ſed odiſſe contraria uitia; qui enim amat uirtutem, & non abhorret uitium, non multum in uirtute perſeuerat: odium autem unius perficit amorem alterius.

Perfecta dilectio in quo conſiſtat.

Chryſoſt.

Origen.

Chari-

Digitized by Google

Charitate fraternitatis inuicem diligentes.

POſt dilectionem in genere ad particularem erga proximum deſcendit; quam beneplacentem & perfectam eſſe docet, ſi mutua dilectione fraterna ex animo nos dilexerimus. Eſt autem mira energia in verbis Græcis. Primo quidem illud (charitate fraternitatis) vnicum eſt nomen τῇ φιλαδελφίᾳ, quod nomen ſignificat dilectionem, qua fratres ſe amant, tamquam fratres ſub vno patre. Hac nos dilectione debemus inuicem nos amare. ſumus enim filij Dei in Chriſto, & inuicem fratres. eſt autem, vt recte adnotarunt Ambroſ. ſerm. 9. & Auguſt. ſer. 27. de verb. Apoſt. perfectior fraternitas ſpiritualis, quàm carnalis: ſi autem hæc mutui & magni amoris eſt cauſa, quanto magis illa? Secundo (inuicem) alij alios ament, vt ſit reciprocus; nemo permittat ſe amari, quin reclamet. Tertio, illud (diligentes) Græce eſt φιλόστοργοι, quod nomen Baſil. regu. breui. reſp. 242. explicat eos ſignificare, qui non vtcumque ſe diligunt, ſed cupide, & ex animo. eſt enim à verbo Græco Στέργω, quod ſignificat naturali quodam, & non facile ſolubili amore diligere, quali amore patres, & filij, & fratres naturaliter ſe diligunt. Inde φιλόστοργοι dicuntur, qui magno amore erga liberos afficiuntur, quiq. ſe huiuſmodi amore diligunt. nec eſt participium Græce, ſed nomen, vt non tranſeuntem, ſed continuam, & permanentem ſignificet dilectionem; aliud enim (amantes) aliud (amatores) ſignificat. Non eſt mirum, ſi tantum amorem exigat Paulus inter fideles, cum maiori & efficaciori ſint à Deo dilecti. cur ergo tanto amore homo non proſequatur hominem, quem Deus multo maiori proſecutus eſt? Illud (charitatem fraternitatis) legendum videtur in caſu auferendi, charitate fraternitatis; omnes enim textus Græci habent in caſu dandi, cui reſpondet Latinus ſermo in caſu ablatiuo, aut effectiuo.

Ambroſ. *Auguſt.* *Baſil.*

ANNOTATIO XIX.

VTi in commentario adnotauimus, veriſimile eſt, interpretem vertiſſe (charitate fraternitatis) ſic enim iuxta Græcum codicem legendum eſt; vitio vero ſcriptorum effectum eſt, vt in accuſandi caſu ſit poſitum. Illud tamen eſt aduertẽdum, Clem. lib. 2. ſtrom. hanc partem coniunxiſſe cum ſuperiori ſententia in hunc ſenſum (odientes malum, adhærentes bono, & charitati fraternitatis; quaſi diceretur: adhæreamus etiam charitati fraternitatis., quod ſequitur

Clemens Alex.

ſeparat

ſeparat (inuicem diligentes) communis tamen lectio eſt, quam interpretati ſumus, eamq. Origenes, Chryſoſt. & Baſil. regu. breui. reſp. 242. & Ambroſ. cum cæteris proſequuntur, immo idem ipſe Clemen. lib. 3. pædag. c. vlt. ſi interpreti eius credendum eſt, eam ſequitur.

Honore inuicem præuenientes.

Honore inuicem quo præuenire debeamus.

OCcurrit Paulus vni, quod maxime charitatem fraternam diſſoluit, idq. docet quod eam conſeruat, & auget; ambitio enim, & ſuperbia, quibus vnus alteri præferri conatur, vnusq. alterum contemnit, ac vilipendit, venenum ſunt charitatis fraternæ. contra vero, humilitas aliorum beneuolentiam conciliat, & inimicitias diſſoluit. Dicit ergo Paulus, honore inuicem vos præuenite. vnuſquiſque alterum ſtudeat primus honorare, nec expectet alterius ſalutationem, aut honorem, vt reſalutet, aut honorem referat; ſic enim fraternam charitatem conſeruabitis, & augebitis, & voluntatem Domini beneplacentem, & perfectam probabitis. honore enim alterum proſequi bonum eſt, & eum præire, beneplacens, & perfectum eſt. Non tollit Paulus ordinem ciuilem, & Eccleſiaſticum, quo vnus alteri præferendus eſt, & vnus alterum honore præire debet; ſed quod inter pares, & æquales fieri conuenit, docet, & quod etiam obſeruandum eſt inter impares, & inæquales, quando ad charitatem conſeruandam id opus eſt; ſi enim maior minores poteſt ab inimicitia, & odio reuocare honore præueniendo, debet id præſtare: animo etiam debet vnuſquiſque alium honore præuenire, etiamſi propter ſtatus ordinem opere non præueniat. tanta autem eſt hominum quorundam ambitio, & ſuperbia, vt non ſolum alios honore non præueniant, ſed nec ſequantur.

Honore inuicem præuenientes.

HOc quoque ad eandem charitatem fraternam refertur, eoq. illa multum perdurat, & creſcit, nimirum quando & ſtudio, ſeu ſedulitate, qua alijs fauemus, & officium præſtamus, celeres, & opportunos nos exhibemus; parum enim eſt honore præuenire; ſi non ijs, quos præuenimus honore, fauorem, officium, & opem præſtemus, idq. opportune; ſunt enim qui aut nullum officium alijs exhibent, aut ita ſerum, vt iam opportunitas omnis abierit. debemus ergo in ſtudio, fauore, beneuolentiaq. erga alios præbenda,

Digitized by Google

da, non pigri, ſed prompti, & expediti eſſe, vt illud erga proximum impleamus, quod Prouer. 3. dictum eſt. Ne dicas amico, Vade, & reuertere, cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare. Solicitudo Græce σπουδὴ, ſtudium Latine eſt, quaſi fauor, & amor, quæ alijs impendimus, & eorum beneuolentiam comparamus. Studium ergo erga alios bonum eſt. ſi vero ſit ſine pigritia, beneplacens eſt, & perfectum.

ANNOTATIO XX.

IDem eſt in hoc loco vocabulum Græcum cum illo ſuperiori (qui præeſt in ſolicitudine) ſententia vero hæc varie exponitur. Primo loco Oecumen. cum præcedenti connectit in hunc ſenſum. honore inuicem præueniamus, nec ſimus tardi, aut pigri, ſed diligentiam adhibeamus, & ſtudium, vt alios præueniamus in honore. Hoc tamen non ſatis accommodate dicitur: nam id eſt iam verbis præcedentibus ſignificatum, quando dicitur. præuenientes alios honore; nec ſolet Paulus verbis abundare. Secundo loco Chryſoſt. ad charitatem fraternam refert, & ſtudium interpretatur, beneuolentiam, ſeu amorem, quo alijs fauemus, & benefacimus; vocabulum enim Græcum id etiam ſignificat: monetq. Paulus, non ſolum alios debere præuenire, ſed etiam celeres eſſe, ac expeditos, fauore, & beneuolentia erga eos exhibendis. Hæc expoſitio accommodata videtur, eamq. ſecuti ſumus in commentario. Tertio loco Orig. & Theodoret. & Ambroſ. non ad charitatem fraternam, ſed potius ad dilectionem Dei referunt, vt velit Paulus, nos in bonis operibus faciendis omnem abijcere pigritiam, & tarditatem, quod quidem verum eſt, & neceſſarium, ſi doctrinam conſideres: tamen ſi mentem Pauli interpreteris, non videtur id accommodate dici: nam ad charitatis fraternæ perfectionē id deeſſe videbatur, nempe vt ſtudio, & fauore alios proſequeremur, nec honore contenti eſſemus; honor enim dilectionem fratris non perficit, ſi manus adiutrix, quando opus eſt, denegatur.

Oecum. Chryſoſt. Orig. Theodor.

Spiritu feruentes.

HOc ad charitatem erga Deum pertinet. Spiritum appellat Spiritus ſancti charitatem diffuſam in cordibus noſtris, qua incitamur, & velut impellimur ad opera quæcumque bona, & ſancta. Galat. 6. In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per dilectionem operatur. Hunc ſpiritum, & dilectionis affectum feruentem in nobis poſtulat Paulus; vt enim aqua, dum feruet, concitatur continuo, & in altum ſe erigit, vaporemq. ſurſum emittit, ſic charitas debet in nobis non otioſa eſſe,

Gal. 6. Spiritu feruentes, qui dicuntur.

Digitized by Google

eſſe, ſed continuis operibus vacare, in maioraq. ſemper proficere, ſeq. extollere, per orationemq. ac mentis contemplationem, deſideria, & intentionem, velut per vaporem in altum ſe erigere; ſanctorum enim orationes vaporibus aſcendentibus comparantur, Apoc. 5. & 8. Qui ſic ſpiritu feruet, voluntatem beneplacentem, & perfectam probat. hic feruor contrarius eſt illi tepiditati, contra quam dicitur Apocal. 3. Scio opera tua, quoniam neque frigidus es, neque calidus, vtinam frigidus eſſes, aut calidus, ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. *Apoc 5. & 8. Apocal. 3*

ANNOTATIO XXI.

Baſil.

Spiritus feruor, quæ requirat.

BAſil. reg. breui. reſp. 259. qui dicantur ſpiritu feruentes, ſic explicat: ſpiritu, inquit, feruens eſt, qui ardenti ſtudio, & inexplebili cupiditate, & aſſidua diligentia voluntatem Dei facit in charitate Chriſti Ieſu Domini noſtri, conuenienter illi, quod ſcriptum eſt; in mandatis eius volet nimis. Hæc Baſil. vbi charitatem Chriſti Ieſu in nobis exiſtentem, per quam voluntatem Dei facimus, ſpiritum interpretatur: feruorem autem in tribus poſitum eſſe docet. Primum eſt, ſi ardenti ſtudio fiat; ideſt, ſi opera tota animi intentione, & attentione faciamus. Secundum eſt, ſi fiat inexplebili cupiditate; ideſt, animus numquam ſatietur bene operando, ſed noua ſemper facere cupiat, iuxta illud Matth. 5. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam. Tertium eſt, ſi aſſidua diligentia fiat, vt à bene operando numquam ceſſemus. Hæc tria qui habet, ſpiritu feruet: & hoc eſt iuxta Dauid Pſal. 3. in mandatis Dei velle nimis. *Matth. 5* *Pſal. 111.*

Domino ſeruientes.

PRoſequitur Paulus operum dilectionis erga Deum perfectionem exponere, ſeruireq. nos Domino præcipit. Dominum appellat Chriſtum ipſum, cuius fidem profitemur, & cuius ſanguine à ſeruitute peccati in ſeruitutem Dei, quæ vera libertas eſt, tranſlati ſumus. Erat autem, quando hæc ſcribebat Paulus, Chriſti religio maximis perſecutionibus expoſita, & ijs, qui Chriſtum profitebantur, ſummo animi robore, & fidei conſtantia opus erat; idcirco ad hanc Chriſti profeſſionem, Chriſtianamq. vitam exhortans, dicit: Domino ſeruite, ideſt, Chriſti ſeruos fide, & opere, ac profeſſione exhibete; nolite timere eos, qui Chriſtum profitentes perſequuntur, & occidunt, ſed vos ſeruientes eſtote Domino: non autem dicit (Chriſto ſeruientes) ſed (Domino,) quaſi nomine ipſo ad ſeruiendum excitet, & animet, quaſi diceret: Seruite illi, qui

vere

vere Dominus eſt, & cuius vere ſerui eſtis. Recte autem præmittitur (ſpiritu feruentes); magno enim & feruenti ſpiritu opus erat Deo ſerui re qui dicatur. illis, qui tunc temporis Domino fide, & opere ſeruiebant. Ille vere ſeruit Chriſto, qui non ſolum credit, ſed vitam & opera ſua componit ſecundum legem Chriſti, eiusq. voluntatem in omnibus implet. Cauſam etiam tacitam hæc verba continent, cur ſpiritu feruere debemus: Domino enim ſeruimus, non quidem quales ſunt Domini temporales, ſed qui perfecte Dominus eſt, qui nos & fecit, & redemit, & ſaluauit.

ANNOTATIO XXII.

Origen. ORigenes duas refert lectiones. Vna eſt (tempori ſeruientes) altera eſt (Domino ſeruientes) quas ex affinitate verbi Græci ortas eſſe nemo dubitat: nam κυρίῳ, idem eſt, quod (Domino) καιρῷ, idem eſt quod (tempori:) abbreuiate autem illud ſcriptum maximã habet ſimilitudinem cum ſecundo: inde factum eſt, vt aliqui Latine verterint (tempori ſeruientes;) eam tamen interpretationem non recipit Origen. ſed legendum cenſet, ſicut & vetus interpres habet (Domino ſeruientes.) quam etiam lectionem *Chryſoſt.* ſequuntur Chryſ. Theod. & Anſel. *Theodor.* At vero Ambroſ. reijcit hanc com- *Anſel.* munem interpretationem, & legen- *Ambroſ.* dum cenſet (tempori inſeruientes) eo motus argumento, quia cum enumeret Paulus ſingula opera, quibus Domino ſeruimus, ſuperfluum videbatur, generalẽ ſententiã hanc ſuperaddere (Domino ſeruite:) legendum ergo exiſtimat (tempori ſeruientes) iuxta quam interpretationem ſenſus eſt, quoniam dixerat (ſpiritu feruẽtes,) ne hoc ſic acciperent, vt paſſim, & importune verba religionis ingererent tempore inimico, & per quod forte ſcandalum excitarent, ſtatim ſubiecit (tempori ſeruientes) vt modeſte, & cum honeſtate aptis, & locis, & perſonis, & conuenienti tempore, religionis fidem loquerentur; ſunt enim quidam etiam hoc tempore, quo pax eſt, qui ſic perhorrent verba Dei, vt audientes cum magna ira blaſphemẽt viam Chriſtianam: nam & ipſe Apoſtolus ſeruiuit tempori, quando quod noluit, fecit; inuitus enim circumcidit Timotheum, & raſo capite purificatus ſecundum legem aſcendit templum, vt Iudæorum ſopiret inſaniam. Hoc eſt, quod alijs verbis idem Apoſtolus monuit Epheſ. 5. Redimentes *Epheſ. 5.* tempus, quoniam dies mali ſunt. Sic Ambroſ. interpretatur, fateorq. & ſequentibus, & antecedentibus accommodatam eſſe interpretationem, & documentum valde vtile continere: nam aliqui etiam nunc nimio ſuo feruore, plus alijs nocent, quàm proſunt. prudentia opus eſt, ad quam pertinet ſeruire tempori, quantum oportet. Huic expoſitioni id ſolum aduerſatur, quod communis antiquorum ſenſus cum veteri interprete, non tempori) ſed (Domino) legendum cenſet, eaque de cauſa ſumus huiuſmodi lectionem ſecuti, quæ etiam accommodatiſſima eſt, nec argumentum Ambroſij conuin-

conuincit, quia non eſt hæc ſumma quædam, aut generale documentum, ſed particulare, quo temporibus illis perſecutionum, & afflictionum fideles exhortatur, vt Chriſti ſeruos ſe exhibeant, nec nomen eius erubeſcant, aut timeant, ſed Apoſtolos imitentur, qui ſeruos Chriſti ſe profitebantur. Rom. 1. Paulus ſeruus Ieſu Chriſti.

Spe gaudentes.

Remedia Domino ſeruiendi.

APpoſite connectitur hæc ſententia præcedenti: nam Domino inſeruire, illo tunc temporis multis erat tribulationibus, & perſecutionibus expoſitum. Monet ergo futura reſpicere, & bonorum promiſſorum ſpe gaudere; ſpes enim confirmat animos in obſequio Domini; quæ tanta eſt, vt gaudium generet. Rom. 5. Gloriamur in tribulationibus, ſcientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem ſpem, ſpes vero non confundit. Matth. 5. Gaudete, & exultate in illa die, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Eſt etiam nunc temporis ſeruire Domino arduum, & difficile; per multas enim tribulationes oportet intrare in regnum Dei. debemus igitur oculos in futura conuertere, & eorum ſpe gaudere. 2. Corin. 4. Id quod momentaneum eſt, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, ſed quæ non videntur. Plus igitur valeat maximorum, & æternorum bonorum, quæ expectantur, ſpes ad gaudium concipiendum, quàm mala præſentia breuia, & leuia ad triſtitiam excitandam, per quam retardemur, & deſiſtamus ſeruire Domino. qui ſpe gaudet, Domini voluntatem beneplacentem, & perfectam probat.

Rom. 5. *Matt. 5.* *2. Cor. 4.*

In tribulatione patientes.

SEcundum remedium adhibet, quo Domino perfecte ſeruiamus. Præſentes inquit tribulationes patienter feramus; patientia enim minuit, & extenuat aduerſitates, & tribulationes, conſequitur autem ſpem præcedentem; qui enim ſperat futura bona, mala præſentia, per quæ illa conſequitur, facile tolerat. Iacob 5. Patientes eſtote fratres chariſſimi vſque ad aduentum Domini: ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat humorem temporaneum, & ſerotinum. nulla virtus ſine patientia acquiritur, immo nec temporalia, & caduca ſine pa-

patientia

Digitized by Google

tientia aliquis conſequitur, nec ſine ea prudentia vlla eſt. De hac virtute Tertul. & Cypr. elegantes tractatus confecerunt.

Orationi inſtantes.

TErtium addit remedium, quo Domino ſeruire poſſimus, & quod maxime tribulationis tempore conducit. id autem eſt, orationi inſtare. Græcum verbum magis exprimit ſententiam προσκατεροῦντες à verbo προσκατέρεω, quod idem eſt, ac perſeuero, perduro in oratione. Ergo perdurantes, & perſeuerantes eſſe debemus. Orare bonum eſt; in oratione vero perſeuerare, beneplacens, & perfectum: ſine perſeuerantia enim oratio raro impetrat; idcirco Paulus hanc inſtantiã orationis ſæpius monet, & Dominus. Luc. 11 *Luc. 11.* illa parabola petentis commodato tres panes docuit, dicens. Si ille perſeuerauerit pulſans, dico vobis, & ſi non dabit illi ſurgens, eo quòd amicus eius ſit, propter improbitatem tamen eiũs ſurget, & dabit illi, quotquot habet neceſſarios. Recte autem connectitur hæc ſententia ſuperioribus: nam & Domino ſeruire, & ſpe gaudere, in tribulationibus patientem eſſe, & ab eis liberari, nemo viribus proprijs aſſequitur, totum à Deo eſt; igitur conuenienter oratur, & petitur ille, à quo ſola ea recipi, & obtineri poſſunt.

Neceſſitatibus ſanctorum communicantes.

PRædicta tria ipſiſmet facientibus conducunt; nempe ſpe gaudere, in tribulatione patientem eſſe, orationibus inſtare, & perſeuerare; ea enim ad Domino illo tunc præcipue tempore ſeruiendum erant neceſſaria: at quia charitas proximum amplectitur, & propter tribulationes, ac perſecutiones tunc temporis contra Chriſtianos factas, multi eorum ſubſidio temporali indigebant, multis neceſſitatibus oppreſſi, idcirco adiungit Paulus, quod beneplacens, & perfectum etiam in hac parte eſt. ſenſus igitur eſt. Dixi, vos hoc aduerſo tempore Domino debere ſeruire, voſq. eius ſeruos profiteri, quod quia arduum erat, ſpe, patientia, oratione vos communiui: at non vobis ſolis conſulere debetis, ſed alijs etiam, qui propter tribulationes, & perſecutiones, neceſſitatibus, & indigentijs corporalibus premuntur. Communicate ergo Chriſtianorum neceſſitatibus; ideſt, eas reputate veſtras, ac communes vobis cum illis, & quomodo veſtris ſubuenitis, ſubuenite & illis

Subuenire adinuicẽ debent Chriſtiani.

Digitized by Google

illis auxilium, opemq. impendendo, quomodo poteritis.

Nota efficaciam verbi (communicate) qui enim ſanctorum neceſſitatibus ſubuenit, ſicut communes facit opes ſuas cum eis, ita etiam commune habet lucrum cum illis, fitq. particeps meritorum, quæ ſancti in illis neceſſitatibus & tribulationibus tolerandis habent. quod Chryſoſt. & Theodoret. adnotarunt, immo & Paulus 2. Corinth. 8. In præſenti, inquit, tempore veſtra abundantia illorum ſuppleat indigentiam, vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum. Solebant Chriſtiani vnius prouinciæ Chriſtianis neceſſitate oppreſſis, qui in alia prouincia erant, ſubſidia mittere. Act. 11. Propoſuerunt, inquit, diſcipuli, prout quiſque habebat, in miniſterium mittere habitantibus in Iudæa fratribus; & dicebantur collectæ, quia ex multis dantibus colligebantur, quibus & præſentes, & abſentes neceſſitates ſubleuabantur, 1. Corin. 16. Per vnam Sabbati quiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei beneplacuerit, vt non cum venero, tunc collectæ fiant. Hoc eſt, quod nunc dicit; Sanctorum neceſsitatibus communicantes. Chriſtianos appellat ſanctos, vtpote Deo vero dedicatos, & per gratiam baptiſmi, & fidem ſanctos effectos, & vitio purgatos.

Chryſoſt. Theod. 1. Cor. 8. Act. 11. 1. Cor. 16

ANNOTATIO XXIII.

Origenes in aliquibus codicibus Latinis legi affirmat (memorijs ſanctorum communicantes) cum tamen Græce legatur (neceſſitatibus) χρεία enim neceſſarium, & indigentiam ſignificat. Ambroſ. lectionem priorem ſequitur, quamuis ad eundem reuocet ſenſum, efficaciorem tamen, nempe vt Paulus velit, Romanos ſanctorum vitam imitari, dumq. eos imitandos proponunt, neceſſitatibus eorundem ſubuenire. Hoc dicit eſſe ſanctorum memorijs communicare, eos nempe per imitationem reuocare in memoriam, & ſimilibus ſanctis ſubuenire. Hilar. lib. aduerſus Conſtanti. legit etiam (memorijs.) ſimiliter Petrus Chryſologus ſerm. 120. Noſtra tamen lectio communis eſt, & legitima. Quidam vertendum putant (vſibus ſanctorum) ne quis exiſtimet, non prius eſſe illis ſubueniendum, quàm in neceſſitatẽ ſint redacti. hæc tamen conſideratio non tollit noſtræ verſionis veritatem; loquebatur enim Paulus de ijs, qui indigebant. modo etiam non eſt ſubueniendum, niſi quando neceſſitas imminet, nempe quia præſens eſt, aut futura timetur; tales enim dicuntur neceſſitatem pati, non quod ſola extrema ſit conſideranda. nam cuicumque, & præcipue in graui neceſſitate, auxilium eſt ferendum.

Ambroſ. Hilar. Pet. Chryſol.

ANNO-

Digitized by Google

Hoſpitalitatem ſectantes.

Hoſpitalitatis commendatio.

HOc etiam erga alios exhibendum eſt, vt quod perfectum, & beneplacens Deo eſt, probemus, quod tunc maxime temporis, quando propter perſecutiones innumeri Chriſtiani exulabant, & à proprijs domicilijs expellebantur, neceſſarium erat, nempe hoſpitalitatem ſectari, eosq. recipere, propriasq. domos illis communes facere. Eſt aũt energia verbi multum perpendenda. Græce διωκόντες à verbo διώκω, quod ſignificat perſequor, fugientem apprehendo, quia præ modeſtia ſolent hoſpites recuſare hoſpitia, nec accedere, niſi vocati, & aliquando coacti. debemus ergo, non tantum hoſpitalitatem ſeruare, recipiendo accedentes, quod bonum eſt, ſed hoſpitalitatem ſectari, ad hoſpites accurrendo, ipſos vocando, & nolentes, ac recuſantes cogendo; hoc enim beneplacens, & perfectum eſt; idcirco dicitur (hoſpitalitatem ſectantes) quod Dominus Matth. 25. ſignificauit, dicens. Hoſpes eram, & collegiſtis me; quod Gregor. hom. 23. Euang. optime docuit, ponderans verbum Luc. 24. Coegerunt illum, dicentes, mane nobiſcum. Ex quo, inquit, exemplo colligitur, quia peregrini ad hoſpitium non ſolum inuitandi ſunt, ſed etiam trahendi.

Matt. 25
Gregor.
Luc. 24.

Benedicite perſequentibus vos.

Charitas Chriſtiana non ſolum ad amicos, ſed etiam inimicos extenditur.

CHriſtiana charitas, non ad Chriſtianos ſolos, aut ad amicos, ſed etiam ad eos, qui foris ſunt, & ad inimicos, ac perſecutores extenditur; idcirco addit Paulus, quod difficilius eſt. Benedicite perſequentibus vos. Recte autem poſt ea, quæ ſuperius dicta ſunt, hoc ſequitur; qui enim erga Chriſtianos, & amicos, eam, quam oportet, charitatem non exercet, multo minus exercebit erga exteros; cum & illis, qui amicos charitate proſequuntur, difficile ſit & arduum diligere inimicos. benedicite, inquit, perſequentibus vos. Eſt autem hoc præceptum Domini, Luc. 6. Benedicite maledicentibus vobis. benedicere amicis, & benefactoribus bonum eſt; at benedicere perſecutoribus, beneplacens eſt, & perfectum, & qui id facit, voluntatem Dei beneplacentem, & perfectam probat. Benedicere alicui, eſt bona

Luc. 6.

 precari

Digitized by Google

precari illi. Perſecutoribus ergo, qui nobis malum inferre conantur, nos contra debemus illis bona imprecari, & à Deo petere. Non dicit autem Paulus, Benefacite; quamuis enim hoc etiam faciendum ſit, tamen non ſemper fieri poteſt, quia aut non poſſumus, aut perſecutores contemnunt; at benedicere ſemper poſſumus, nec perſecutores id impedire valent. Nec dicit Paulus: Diligite perſecutores, quamuis id etiam ſit faciendum, quia non ſolò interiori affectu debemus eſſe contenti, ſed etiam affectui coniungendus eſt exterior effectus, vt ipſis perſecutoribus ſit manifeſtus; ſic enim Deus multum glorificatur. dum enim videt aduerſarius ſe à Chriſtiano, quem ipſe perſequitur, benedici, Dei veri magnitudinem & bonitatem docetur. magnitudinem quidem, dum tantæ virtutis eſt, quæ faciat ſuos non tantum non iraſci, nec mala imprecari perſecutoribus; ſed etiam benedicere, ac ſi benefactores eſſent. bonitatem autem, quia tam bonus eſt, vt propter eum Chriſtiani benedicant etiam aduerſarijs, ſicq. fidei veritas illuſtratur. Adde his, cum Chriſtianus mala huius ſæculi à perſequentibus illata adeo contemnit, vt & illis benedicat, ſe vitam feliciſſimam venturam ſperare demonſtrat; quo quidem Chriſtiana ſpes commendatur. Denique cum Chriſtianus ſe perſecutoribus bona optare, & precari oſtendit, charitatis perfectio manifeſtatur, quibus omnibus Deus glorificatur. Vltra hæc, ipſa etiam perſecutio minuitur; aduerſariorum enim furor Chriſtiana dilectione multum temperatur, & refringitur. Benedicite ergo perſequentibus vos. Hoc ſi faciẽdum eſt cum ijs, qui extra Eccleſiam ſunt, multo magis cum ijs, qui intra Eccleſiam: nam & hi aliquando perſequuntur.

Benedicite, & nolite maledicere.

HEbraiſmus eſt; quod enim per affirmationem dictum eſt, iterum negatione repetit; non tamen abſque cauſa ea phraſi vtitur Paulus, tum vt quàm arduum ſit hoc præceptum ſignificet, tum vt oſtendat, quanti illud obſeruare referat, tum demum, vt conſtantiam in eo implendo iniungat: ac ſi diceret, benedicite perſequentibus, etſi hi non deſtiterint perſequi, nec vos deſiſtatis benedicere, ſed iterum etiam benedicite; nec hæc ſit benedictio imperfecta, vt partim benedicatis, partim maledicatis; non ſic, ſed benedicite, & nolite maledicere, vt veſtra benedictio ſit perpetua, & perfecta.

Gaudete

Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.

Præceptũ generale obſeruandum tam cum amicis, quàm cum inimicis.

GEnerale præceptum tradit tam cum amicis, quàm cum inimicis obſeruandum, quo omnis inuidiæ affectus remoueatur, & generalis, ac communis cum omnibus dilectio indicatur; vult enim proſpera habere communia, vt gaudeamus cum gaudentibus, ideſt, gaudeamus de bono aliorum, de quo ipſi gaudent; & fleamus, & doleamus de eo malo, de quo ipſi flent, & dolent; hoc enim charitas communis poſtulat, & eo beneuolentia mutua conciliatur, & conſeruatur. Intellige hæc de gaudio, & fletu honeſtis. Gaudere hoc loco, non ſolum internum gaudium ſignificat, ſed etiam quod ſignis exterioribus propalatur; ſicut & fletus dolor eſt ſignis exterioribus declaratus. Eſt autem ſuauiſſimum præceptum; non enim dicit, gaudentium gaudium augete, & conſeruate; hoc enim non ſemper facere poſſumus; ſed gaudete cum gaudentibus, quod facile eſt. nec dicit: lachrymas, ſeu fletum aliorum tollite, quod fieri nequit, ſed educite lachrymas cum lachrymantibus; ſic enim & gaudia aliorum augentur, & lachrymæ minuuntur.

Idipſum inuicem ſentientes.

HAec ſententia ſuperiori eſt connectenda; ita enim cum gaudentibus eſt gaudendum, & cum flentibus eſt flendum, vt ſit ex animo gaudium, & fletus, vt eodem erga alios ſimus animo affecti: nam nonnulli gaudent; ideſt, ſigna lætitiæ oſtendunt cum gaudentibus, & lachrymas effundunt cum lachrymantibus, vt interius contrarium habeant animum ei, quem foris oſtendunt. non ſic Paulus vult nos gaudere, & flere cum alijs, ſed idem cum illis ſentientes, eundemque affectum habentes; qui enim affectum communem habent, gaudium, & fletum ex animo participant. verbum Græcum φρονοῦντες, aliquando ad affectum refertur, vt inuicem ſentire, ſit eundem affectum habere. Philippenſ. 2. Hoc idem ſentite in vobis, quod & in Chriſto.

Idipſum inuicem quõ ſentire debemus.

Digitized by Google

ANNOTATIO XXIV.

VErbum φρονεῖν, Latine ſentio, modo ad intelligentiam, modo ad affectum pertinet. Act. 28. Rogamus à te audire, quæ ſentis. Philip. 3. Quicumque perfecti ſumus, hoc ſentiamus. In his locis ad cognitionem, & intelligentiam refertur. at Philip. 1. Sicut eſt mihi iuſtum hoc idem ſentire pro omnibus. Phil. 2. Hoc enim ſentite in vobis; hæc ad affectum ſpectant. Iuxta hanc duplicem ſignificationem, varia eſt Doctorum interpretatio; quidam præcedenti ſententiæ hanc coniungunt. quidam vero diuidunt, & ſeparant. Primo loco Origen. ad præcedentem refert ſententiam, eiq. connectit, & verbum quantum ad affectum, & voluntatem interpretatur; vt ſit ſenſus. idem inuicem velimus nobis, nẽpe vt vnuſquiſque quod ſibi vult, alteri velit; quod autem ſibi nollet, nec etiam alteri velit. Qui hoc animo ſunt, gaudent cum gaudentibus, & flent cum flentibus. Secundo loco Chryſoſt. quamuis præcedenti ſententiæ hanc iungat, tamen verbi ſignificationem ad intelligentiam refert, vt idem ſit, id ipſum inuicem ſentire, ac æqualia de ſe inuicem cogitare, vt non magis de ſe, quàm de alio, nec de hoc, quàm de illo ſentiat, cum ſimus omnes Chriſtiani; qui enim ſentiunt inuicem idem, congaudent, & ſimul flent. Ad hanc expoſitionem reducitur, quod Ambr. dicit; inquit enim, hanc ſententiam illud idem ſignificare, quod Gal. 6. dicitur, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris, quaſi dicat, Conſidera de te, quod de alijs. Tertio loco Anſel. hanc ſententiam à ſuperiori ſeparat, & verbi ſignificationem ad intelligentiam refert, in hunc ſenſum; nimirum, idem omnes ſapiamus, nec ſint in nobis diſſenſiones, iuxta illud 1. Cor. 1. Idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Sunt hæ tres expoſitiones probabiles; mihi prima magis accommodata viſa eſt, idcirco ſecutus ſum eam in commentario.

Act. 28. Philip. 3. Philip. 1. Philip. 2. Origen. Chryſoſt. Ambroſ. Gal. 6. Anſel. 1. Cor. 1.

Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes.

Quæ ſpectent ad humilitatem, & deprimant ſuperbiã.

POſtquam, quæ perfectæ charitatis ſunt, docuit, quæ ad humilitatem ſpectant, & ſuperbiam reprimunt, tradit; humilitas enim, non ſolum virtutum omnium eſt fundamentum, & tutela; ſed etiam ad concordiam, & humanæ conuerſationis perfectionem neceſſaria; contra vero ſuperbia venenum eſt, omnia deſtruens, & euertens. Appoſite autem humilitatem Romanis, ad quos ſcribebat, cõmendat: nam hi, & propter imperiũ Vrbis, & multis alijs titulis, quibus cunctos populos ſuperabant, facile in ſuperbiam efferri poterant. Monet ergo duo; vnum eſt, ne alta ſapiant; ideſt,

Digitized by Google

ideſt, ne appetant ea, quæ mundus magna exiſtimat, & reputat, quaſi velint eminere, & ſupra alios eſſe, magniq. reputari; hoc enim eſt altum ſapere. Alterum eſt, vt humilia potius, & quæ vilia mundus reputat, amplectantur, & ab ijs velut abripi ſe ſinant; hoc enim eſt humilibus conſentire. vtrumque ad affectum pertinet; ſi enim affectus ab altis reprimitur, & ad infima conuertitur propter Deum, tunc cogitationes & opera facile ad humilitatem tendent. humilia appellat, vilia, & parua, qualis paupertas, conuerſatio cum hominibus ſortis inferioris, contemptus honorum, & dignitatum, & alia huiuſmodi, quæ ſeculi homines abhorrent, Dei autem ſerui amplectuntur.

ANNOTATIO XXV.

Aliqua adnotanda occurrunt. vnum eſt, illud (ſapientes) Græce idem eſſe participium cum illo, quod proxime interpres vertit (ſentientes) quod Chryſoſt. cum multis alijs ad intelligentiam refert, nempe non alta ſapientes, id eſt, non arroganter de vobiſipſis ſentientes, & exiſtimantes. Mihi tamen accommodatior viſa eſt expoſitio, ſi ad effectum referamus, qui radix eſt ſuperbiæ, nimirum ne appetamus ſublimia huius ſeculi; quidam enim ſunt, quos mundus generoſo animo appellat, qui in honores, dignitates, & in ea, quæ magnitudinem quandam, & eminentiam habent, procliues ſunt, & maxime propendent: contraria vero omnino abhorrent. hi facile efferuntur, & in ſuperbiam incidunt, quos Paulus monet, ſimulq. omnes docet, vt ab his ſublimibus huius ſeculi animum, & affectum auertamus, & in contraria declinemus; ſic enim virtutem humilitatis, quæ eſt vitæ Chriſtianæ magnum, & forte fundamentum, aſſequemur. Hinc conſequetur quod poſterius eſt, nempe non cogitare de ſeipſo arroganter, nec plus quàm par eſt de ſeipſo ſentire, quod etiam dicitur, non altum ſapere: nam, vti diximus in præcedēti commentario, verbum φρονεῖν ad intelligentiam, & ad affectum etiam pertinet, ſicut Latine verbum ſentio. Locus igitur hic alium ſenſum facit ab illo Rom. 11. Noli altum ſapere; quod enim illic dicitur, ad intelligentiam ſpectat; ſcilicet noli cogitare, & præſumere de te plus quàm oportet. Vbi Græcus ſermo vnicum habet verbum ex vtroque compoſitum, nempe ὑψηλοφρόνει. at in loco præſenti, non eſt vnum, ſed eſt nomen cōiunctū participio ὑψηλὰ φρονοῦντες quod ad affectū pertinet: cuius argumēto eſt antitheſis adiecta (humilib' cōſentiētes) quę affectui cōuenit.

Chryſoſt.

Nota documenta humilitatis.

Rom. 11.

Adnotandum etiam eſt, illud (conſentientes) Græce συναπαγόμενοι verti à quibuſdam (obſecundantes) à quibuſdam accommodantes;) verbum autem eſt συναπάγομαι, quod idē eſt, ac Latine, ſimul abducor, ſeu ſimul arripior: quo ſignificat Paulus, nō ſolum nos debere in

humilia conuerti, ſed impetu quodam ferri, quaſi abrepti, & abducti ab illis. Poſtremo adnotandum eſt, illud (humilibus) Græce ταπεινοῖς, communiter pro maſculino poſitum cenſeri, nempe pro perſonis abiectis, & vilis ſortis. mihi tamen accommodatius videtur, ſi in neutro genere accipiamus pro rebus ipſis abiectis, & paruis, cum ſit antitheſis illius (alta) quod in neutro genere eſt, ſenſus tamen in idem recidit.

Nolite prudentes eſſe apud voſmetipſos.

QVod ad exequendum proximum documentum apprime neceſſarium eſt, adiungit: nolite, inquit, prudentes eſſe apud voſmetipſos; prudentes quidem eſſe, neceſſe eſt, tamen apud voſmetipſos prudētes eſſe nolo. Ille prudens dicitur apud ſemetipſum, qui ſoli prudentiæ humanæ nititur, diuina ſapientia, & conſilio poſtpoſito: ſunt enim homines, qui rebus agendis ſola humana principia conſiderant, & per regulas ab humana ratione tantum ſumptas omnia dirigunt, & diſponunt, nec quæ Dei ſunt, & ad prudentiam Spiritus ſpectant, animaduertunt. quos errare, & grauiter delinquere in multis neceſſe eſt; cum ſola hominis prudentia, diuina reiecta, nemo valeat recte omnia operari. quod vitium Paulus Romanis diſſuadens, dicit. Nolite prudentes eſſe apud voſmetipſos. quam ſententiam pronunciauit Salomon Prou. 3. dicens. In omnibus vijs tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos; ne ſis ſapiens apud temetipſum, time Deum. miſcet enim ſapientiæ, & prudentiæ Dei conſiderationem, & timorem: contra prudentiam autem deſtitutam diuino conſilio inuehitur. Iſai. cap. 33. Perdam, inquit, ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Connectitur autem recte hæc ſententia ſic explicata ſuperiori; qui enim ſecundum hominem ſolum ſapiunt, & prudentes apud ſemetipſos ſunt, hi non idipſum inuicem ſentiunt, nec gaudent cum gaudentibus, aut flent cum flentibus. Chriſtiana vero prudentia id docet, & Chriſti charitas id implet.

[Margin: prudens apud ſemetipſum qui dicatur.]

ANNOTATIO XXVI.

SVperior ſententia multipliciter explicatur. Primo loco Origen. eum apud ſeipſum prudentem eſſe interpretatur, qui cum omni ſit prudentia deſtitutus, ſe prudentem exiſtimat, & iudicat, in ſuaq. ſola opinione, non reipſa prudens eſt. Secundo loco Chryſoſtomus ſer. 22. in hoc loco, & homil. 9. de laudibus Pauli, & Theodoret. hunc ſenſum

[Margin: Orig. — Chryſoſt. — Theodor.]

Digitized by Google

ſum adhibent; nolite prudentes eſſe apud voſmetipſos; ideſt, ne exiſtimetis veſtra ſola conſilia vobis ſufficere, ita vt aliorum conſilio non indigeatis. Ille eſt prudens apud ſemetipſum, qui aliorum conſilia detrectat, ſua ſemet prudentia in omnibus regere poſſe exiſtimãs. qui ſenſus veriſſimam doctrinam continet; eſt enim vitium maximum, ſolis ſuis inniti conſilijs, aliorum ſpretis, & maxime in perſonis publicis, idq. eſt ſtultitiæ, non prudentiæ: contra quod vitium Salomon, Prouerb. 26. inuectus, inquit: Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? magis illo ſpem habebit inſipiens. Præponit Salomon inſipientem ei, qui ſibi ſapiens videtur, quantumcumq. ſapiens ſit; hic enim ſuam ſibi ſapientiam ſufficere exiſtimans, aliorum conſilia non quærit, ab alijſq. diſcere contemnit; cumq. multa ignorari neceſſe ſit, nequeatq. vnus omnia, quibus opus habet, prouidere in multis errabit, vtpote à nemine adiutus, & omnium conſilijs deſtitutus. qui vero inſipiens eſt, ſibi non ſufficere agnoſcit, & aliorum opem, & conſilium implorans, minus errat, & prudentius agit.

Ambr. Tertio loco Ambroſ. illum dici prudentem apud ſemetipſum cenſet, qui prudens quidem eſt, tamen prudentiam, non in aliorum vtilitatem, ſed in ſuos tantum vſus conuertit. Senſus ergo eſt, prudentiam, ſeu ſapientiam, quam accepiſtis, communem cum alijs facite, & nolite vobis ſolis vſurpare, iuxta illud Salomon Eccl. 20. Sapientia abſconſa, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtroque? melior eſt qui celat inſipientiam ſuam, quàm homo, qui abſcondit ſapientiam ſuam. *Eccl. 20.*

Baſil. Quarto loco Baſil. regu. breui. reſp. 260. hunc locum ſic explicat, vt ille ſapiens, ſeu prudens apud ſemetipſum appellatus hoc in loco ſit, qui ſolam humanam prudentiam, non autem diuinam voluntatem ſimul conſiderat, illamq. huic præponit. quam expoſitionem ſecuti ſumus, & fuſius explicuimus in commentario; quamuis enim cæteræ veram doctrinam contineant, hæc tamen contextui præcedentium, & ſequentium verborum accommodatior eſt, menti etiam Pauli conformior, qui ad ea, quæ fidei ſunt, Romanorum mentes inducebat, vt agnoſcerent, omnem ſuam prudentiam, & ſapientiam humanam, qua abundabant, imperfectam eſſe, ſi non innixa ſit fidei, & Spiritus prudentiæ. Hunc eundem ſenſum Hieron. adhibuit illis verbis Iſaiæ 5. Væ, qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſipſis prudentes. quamuis Baſil. ibidem interpretatus ea ſit ſecundum primum ſenſum adductum ex Ambr. at verba hæc Pauli explicuit, vti dictum eſt. *Hieron. Iſai. 5.*

Nulli malum pro malo reddentes.

CONnectitur hæc ſententia ſuperiori; qui enim prudentiã humanam ſolã ſequuntur, Spiritus prudentia, & diuina voluntate reiectis, ſibi expedire perſuadẽt malũ pro malo reddere, æqualitatem quandam eam eſſe arbitrantes. Simul etiam, ne, ſi id face-

Digitized by Google

re prætermittant, aliorum iniurijs ſe exponant, facilemq. aditum ſibi nocendi alijs præbeant: at qui diuinam prudentiam amplectuntur, nec ſunt apud ſemetipſos prudentes, non hoc admittunt, eliguntq. potius omne malum pœnæ pati, quàm pro malo, malum reddere, illudq. & melius, & conducibilius, vt re vera eſt, iudicant, vtpote quo iuſtitia conſeruatur, & patientiæ corona, & charitatis præmium accumulantur. Recte Origenes adnotat, peius eſſe malum pro malo reddere, quàm malum alteri facere: hoc enim ex ignorantia fieri poteſt; illud autem ſemper ex malitia procedit.

Non reddere malum pro malo an omnibus perſonis dicatur.

Orig.

Non complectitur hoc præceptum perſonas publicas, quibus ex officio incumbit pro communi bono malefacta punire, & pro malis mala reddere; ſed ſermo eſt de perſonis particularibus, quibus pro malo, quod ab alijs acceperunt, malum reddere non debent. Nec etiam perſonæ publicæ mala reddunt pro malis, quæ ipſi acceperunt, quaſi ſeipſos vindicantes, ſed pro malis, ſiue in ſe, ſiue in alios illatis, qua ratione communem pacem, & tranquillitatem perturbant. Si autem pro malo non eſt reddendum malum, quanto minus pro bono? hoc enim deteſtabilius eſt. Tales ſunt illi, de quibus dictum eſt Pſal. 37. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi.

Pſal. 37.

Prouidentes bona, non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.

CONNEXA hæc eſt cum præcedenti ſententia, cauſam eius continens. cuius ſenſus hic eſt. Proſpicite, & procurate bona operari in conſpectu, non ſolius Dei, ſed etiam hominum omnium, vt non ſitis contenti habere approbationem veſtrorum operum à Deo ipſo, ſed etiam ab hominibus cunctis, apud quos verſamini: idcirco non debetis vlli homini, ſiue Chriſtiano, ſiue Gentili, ſiue Iudæo malum reddere pro malo etiam illato vobis; debemus enim non ſcandalizare, immo noſtro exemplo omnes ad bonum allicere, quantum in nobis eſt. Ideo prouide, & caute attendimus, & ſtudemus coram omnibus bonum operari, ne alij offendantur, ſi malum alicui fecerimus, aut ne ipſemet offendatur, aut odio nos afficiat. Verbum Græcum Προνοούμενοι à verbo Προνόουμαι, ideſt, proſpicio, conſulo, prouideo; quo ſignificatur, conſulto eſſe dandam operam, vt coram omnibus bona faciamus, non quidem ob gloriam propriam, ſed vt alios bono exemplo ad bonum conuer-

Cauſę cur malũ pro malo non reddendũ.

Digitized by Google

conuertamus, ſeu in eo confirmemus, neuè eos ſcandalizemus; quod totum in gloriam Dei cadit. Hanc ſententiam alijs verbis docuit, & explicuit Paulus. 1. Corint. 10. Sine offenſione eſtote Iudæis, Gentibus, & Eccleſiæ Dei; ſicut ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant.

ANNOTATIO XXVII.

Græci codices non habent illud (non ſolum coram Deo, ſed etiam) ſed ſententiam ſolam hanc continent (prouidentes bona coram omnibus hominibus.) atque ita Chryſoſt. & Theodoret. legunt, & interpretantur, idque probant recentiores quidam, adiecta illa verba eſſe exiſtimantes ex 2. Corint. 8. vbi Paulus totam illam ſententiam habet; prouidemus, inquit, bona, non ſolum corã Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. Mihi tamen magis probatur lectio noſtra, quam vetus interpres ſequitur, quæ etiam eſt Ambroſ. immo Baſi. regu. breui. reſp. 28. quod argumento eſt, exempla Græca antiqua ſic legiſſe, idque locus allegatus ex 2. Corint. 8. potius confirmat. vbi non tantum coram hominibus, ſed etiam coram Deo bona prouidenda docet. Nec contextui repugnant hæc verba, immo multum quadrant, vti expoſitum eſt in commentario. Aduerte præterea, Oecumen. alteram huius ſententiæ explicationem dare, ſcilicet, quia dixerat: malum pro malo non reddentes: hoc autem non ſatis erat, ſed etiam bona facere neceſſe eſt illis, qui malo nos affecerunt, idcirco adiungit, vt bene illis conſulamus, ac bene faciamus. quæ explicatio locum habet; ſi verba prædicta non legamus, quæ re vera legenda ſunt.

Chryſoſt. Theodor. *2. Cor. 8.* *Ambroſ. Baſi.*

Si fieri poteſt, quod in vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.

Alteram cauſam adijcit, cur malum pro malo nemini ſit reddendum, ſimulq. documentum tradit. ſenſus ergo eſt, nemini eſt malum pro malo reddendum, non ſolum, quia coram Deo, & omnibus hominibus bona prouidere oportet, ſed etiam quia pax, & concordia cum omnibus habenda, & conſeruanda eſt, vt nullam rixæ, contentionis, odij, aut inimicitiæ occaſionem alijs præbeamus; hoc enim eſt Deo beneplacitum: at quia non hoc ſemper fieri poteſt, nec in manu, & poteſtate ſingulorum eſt, idcirco Paulus addit duas limitationes. Vna eſt, ſi fieri poteſt: nam aliquando contingit, vt pacem habere non debeamus; ſi enim de

pietate,

pietate, aut de veritate agitur, præponendæ ſunt paci, reſiſtendumque eſt contradictoribus, & aduerſarijs, pugnandumq. eſt aduerſus eos; conſentire enim, & concordes eſſe, non eſſet vera pax; hæc enim tranquillitas eſt in recto, vero, bono, & honeſto. Altera eſt (quantum in uobis eſt,) ſunt enim qui pacificè agere nolunt, ſed contentiones, diſſenſiones, & diſcordias fouent. Cum his, quantum ad nos pertinet, & quod noſtrarum partium eſt, pacificè agendum eſt, nec prætermittendum, quin eos diligamus, benigne tractemus, & tamquam amicis benefaciamus, ſimulq. amici, quantum in nobis eſt, ijs, qui inimici eſſe volunt, non reſpondentes eis in ſuis inimicitijs, ſed geramus nos quaſi amicos, & ad eos, ſi inimici eſſe deſierint, recipiendos, exhibeamus paratos. deniq. nemini pro malo malum reddamus; hoc enim eſſet perturbare pacem, ex parte etiam noſtra.

ANNOTATIO XXVIII.

EX recentioribus quidam illud (ſi fieri poteſt) ſuperioribus connectunt, cum tamen antiqui patres diuidant, & ſequentibus coniungant, vt verè coniungi debet: nam ſi ad ſuperiora referas, ſenſum accommodatum non efficies; abſq. vlla enim limitatione debemus prouidere bona coram Deo, & coram hominibus. nec erat cur limitandum id eſſet his verbis (ſi fieri poteſt.) rectius Grego. lib. 8. epiſt. 45. cum ſequentibus copulat, & ſententiam cum hiſcè duabus limitationibus interpretatur. idem ſentiunt Orige. Chryſoſt. Theodoret. Hilar. in pſal. 132. & Ambroſ. cum cæteris patribus antiquis.

Non voſmetipſos defendentes chariſſimi.

QVod difficilius eſt poſtremò docet, & præcipit. non, inquit, vos defendentes; ideſt, non vlciſcentes, nec de acceptis iniurijs vindictam ſumentes. Attende progreſſum Pauli; iubet enim tria. primum benedicere perſequentibus. ſecundum non reddere malum malefactoribus. tertium non vlciſci de ijs, qui iniuriam nobis intulerunt. Minus eſt perſequi, quàm malum facere: nam non omnis, qui perſequitur, eò peruenit, vt afficiat malo, quod facere conatur. plus igitur nobis nocet malefactor, quàm perſequutor. Præterea minus eſt malefacere, quàm iniuriam inferre, quia non omnis, qui malum facit, iniuriam infert; eſt enim iniuria malum, quo alterius honor læditur: præſtat autem honor rebus multis temporalibus, in quibus vnus alteri nocet, eiq. malefacit ſinè iniuria.

Inimicos cur diligere debemus.

iniuria. hinc conſequitur, minus arduum eſſe benedicere perſequutoribus, quàm non reddere malum, ſed potius bonum malefactoribus. hoc vero minus eſt difficile, quam à vindicta abſtinere contra eos, qui nos iniuria illata prouocarunt; iniuria enim plus eſt, quàm malum abſolutè conſideratum, faciliuſq. homo remittit, tolerat damnum rerum, quàm honoris iacturam; omnia tamen Chriſtianus implere debet: qui vero minora implet, ad maiora & difficiliora præſtanda promptior eſt. non ergo vindicare nos debemus de acceptis iniurijs.

Conſulto autem Paulus in hoc tertio præcepto vſus eſt dulci verbo (chariſſimi.) Primò quidem, quia cùm hoc difficillimum ſit perſuaſu, beneuolentiam captat, quaſi diceret, rem amico animo erga vos doceo. Secundò, quia iram prouocat iniuria illata: dulce autem verbum mitigat. quaſi iratis ergo Paulus loquens, & vt vindictam deponant, ſuadens, dulciſſimo vtitur ſermone. Tertio, quoniam mundus eos contemnit, qui iniurias patiuntur, nec retaliant: at Deus noſter magnifacit, idcirco Apoſtolus, qui, quos diligit Deus, ipſe maxime diligit, chariſſimos appellat. Poſtremò, quod accommodatiſſimum eſt, charitatis mutuæ eos admonet; qui enim vindictam appetit, charitatis obliuiſcitur fraternæ, nihilque magis temperat animos à vindicta, quàm conſideratio, quòd amici ſumus omnes; idcirco huius charitatis admonet, vt à vindicta reuocet.

ANNOTATIO XXIX.

Vindictã eſſe repellendam.

ILlud (defendentes) Græcè eſt ἐκδικοῦντες, ideſt vlciſcentes, aut vindicantes, ſicq. debet verbum interpretis intelligi: nam defenſio aliquando iuſta eſt, nec prohibetur à Paulo: at vindicta, qua propriam iniuriam acceptam aliquis iniuriam inferẽdo propulſat, & malum malo retaliat, vetita eſt, in hancq. ſignificationem verbum hoc Doctores explicant.

Ambroſ. Quod autem ad ſenſum pertinet, Ambroſ. ſententiam hanc generalem eſſe exiſtimat, complectentẽ & priuatas perſonas, ſeu ſubditas inter ſe, quibus non licet vindictã ſumere de iniurijs acceptis, atq. ſuperiores etiam reſpectu ſubditorũ, non quòd vindictam non ſumant, ſed ne plus exigant, quàm poſtulat cauſa delicti, contra illud Eccleſi. 7. Noli eſſe iuſtus multum; eſt enim qui perit in ſua iuſtitia; volens.n. ſingulis peccatis reſpondere circa vindictam, mortem ſibi poteſt inuenire, tàm ſibi, quàm illi, quẽ plagis affligit. hæc Ambroſ. mihi hæc expoſitio difficilè accõmodari poſſe videtur; non enim dicit Paulus (non vindicantes) ſed (non vos ipſos vindicantes) Iudices autem, & ſuperiores delicta punientes, non *Eccleſ. 7.*

ſe ip-

Digitized by Google

ſe ipſos vindicant;nec enim ob proprium commodum delicta caſtigãt, ſed ob publicum; nec proprias iniu rias,ſed aliorum vlciſcuntur.Si quis autem iudex propriam iniuriam punire in aliquo; nimirum, ſi quis eum percuſſit, & vulnus dignum morte inflixit;ille autem pœnam, non ob commune bonum, ſicut cætera delicta in alios commiſſa caſti gat, infligeret,ſed ob propriam cau ſam,& vt ſe ipſum vindicaret, grauiter peccaret, quia non vindicat, ſicut oportet, ſed ſe ipſum vindicat, Non igitur Paulus de perſonis publicis, qui locum Dei tenent in terra, & ob bonum commune vindictam ſumunt contra malefactores, loquitur, ſed de particularibus vindictis, quas vnuſquiſq. ob propriã cauſam, & commodum ſumit,quiſquis ille ſit. nec ſi excedat ſuperior in vindicta, contra hoc præceptum facit, quamuis grauiter peccet; quando delicta ob bonum commune punit.

Sed date locum iræ.

Iræ quare & quomodo dandus eſt locus.

AVget ſententiam ad id, quod & difficilius eſt, & perfectius, quaſi diceret. Non vos vlciſcamini, quinimmo date locũ iræ; ideſt, patienter ſuſtinete, quæ aduerſarij irati in vos iactant, aut quod vobis inferunt malum; nec eis vos opponatis, etiam grauiora illata ferendo, potius quàm vos vindicando; ſic enim locum iræ dabitis, cum totam eorum iram in vobis compleri permiſeritis. hoc eſt illud idem, quod Dominus Matth. 5. alijs verbis docuit. *Math. 5* Audiſtis, quia dictum eſt, dentem pro dente, oculum pro oculo: ego autem dico vobis,non reſiſtere malo; ſed ſi quis te percuſſerit in dextera, præbe ei ſiniſtram; quaſi diceret; non tantum non vos vindicate, dentem pro dente, oculum pro oculo eruendo, ſed quod amplius eſt facite, ſcilicet, non reſiſtite malo,& ad grauiora patiendum uos promptos exhibete potius, quàm vos vindicetis. Particula (ſed) Græcis ἀλλὰ, augumenti eſt, Latine (quin potius,ſeu quinimmo;)quam ſignificationem alijs in locis exercet. Ioan. 16. Nemo interrogat me, quo uadis? ſed quia hæc locutus ſum uobis, triſtitia impleuit cor ueſtrum.

ANNOTATIO XXX.

Ira quotuplex ſit,& de qua loquatur Apoſtolus.

MVltiplex eſt expoſitio huius ſententiæ; eſt enim triplex ira. Vna Dei, qua inuehitur in malos. altera hominis ipſius, qui iniuria alterum afficit. tertia illius, qui prouocatur iniuria ſibi illata. Conueniunt Doctores hoc in loco, non loqui Paulum de ira illius, qui iniuria prouocatur: controuerſia autem eſt,an ſit intelligenda ira Dei, an ira illius, qui iniuriam infert. Eſt enim primo loco expoſi-

Chryſoſt. Theodor. Oecum. Auguſt.

Digitized by Google

expoſitio Chryſ. Theodoret. Oecumen. & Auguſt. enarra. pſal. 78. hanc iram, cui locus dandus eſt, eſſe iram Dei, qua malefactores punit, de qua dictum eſt Rom. 2. Theſaurizas tibi iram. Erit ergo ſenſus. Non vos vindicate, præripientes quod eſt Dei, ſed date locum iræ ipſius, relinquentes vindictam de iniurijs veſtris ipſi Deo, qui eam ſumet. iuxta hanc expoſitionem, hæc ſententia non auget præcedentem, ſed eam explicat; qui enim non ſe vindicat, Deo vindictam ipſo facto relinquit. Refert hanc expoſitionem Origen. ſimul cum altera, nec reprobat. *Rom. 2.*

Quidam alij de ira ipſius hominis iniuria afficientis interpretantur, nempe Origen. & Baſil. regu. breui. reſp. 244. Ambroſ. lib. 1. offi. cap. 21. & Anſel. Hi, quamuis conueniant, iram hanc, non Dei, ſed hominis interpretantes, varios tñ ſenſus ſequuntur; ideo ſecundo loco Baſil. loco citato, adfert duas expoſitiones. Vna eſt, vt idem ſit ſenſus huius ſentẽtiæ, & illius Dominicæ Math. 5. Non reſiſtere malo, ſed ſiquis te percuſſerit in maxillam dexteram, præbe ei & alteram: quam ſecuti ſumus, & declarauimus in commentario. iuxta quam expoſitionem, hæc ſententia auget priorem: nam non ſolum non eſt reddendum conuitium conuitio, malum malo, quod eſt non ſe vindicare, ſed etiam ira ſuſtinenda eſt aduerſarij, dando locum, donec impleatur, & amplius inferat malum, potius quàm vindicare ſe. *Origen. Baſil. Ambr. Anſel.* *Math. 5.* Dare locũ iræ quid ſit.

Altera expoſitio Baſil. eſt, vt idipſum ſit dare locum iræ alterius, quod eſt fugere, & declinare ab illius præſentia; temperatur enim ira, quando is, in quem excitatur, declinat à præſentia irati. hanc expoſitionem ſequitur Ambroſ. loco citato, & tertio loco numeratur. ait ſic: Reſiſte iræ, ſi potes, nempe, patienter ferendo, aut iratum mitigando; ſi non potes, cede, quia ſcriptum eſt. Date locum iræ. Iacob indignanti fratri piè ceſſit, & abeſſe maluit, & peregrinari, quàm excitare fratris indignationem. hæc Ambroſ. quàm expoſitionem refert etiam, & probat Anſel. *Baſil. Ambroſ. Anſel.*

Quarto loco Origen. non ad fugam hæc verba refert, ſed ad patientiam, nempe, vt patienter ſuſtineamus fratrem iratum contra nos, nihil illi reſpondendo, nihil contra faciendo; ſic enim euaneſcet ira illius. quæ expoſitio differt ab illa priori Baſilij, quam ſecuti ſumus: nam Baſi. interpretatur, vt non ſolum ſuſtineamus quod eſt illatum malum, ſed ad grauiora ferenda nos exhibeamus promptos, donec iræ motus compleatur. Sententia ergo hæc auget priorem, vti diximus: at Origen. interpretatur, vt non ſit augmentum, ſed explicatio prioris ſententiæ; idemq. ſit, non ſe vindicare, & dare locum iræ alterius, quod Ambroſ. lib. 1. offic. cap. 21. ſic explicat. Ne reſpondeas, inquit, irato ad iracundiam ſuam, cito culpa culpam excutit. Si lapides teras, nonne ignis erumpit? Si te contumacia reſpondentis mouerit, & peruerſitas impulerit ad indignationem; ſi non poteris mitigare mentem ſuam, reprime linguam tuam. hæc Ambr. *Orig.* *Ambroſ.*

Inter has expoſitiones mihi accommodatiſſima viſa eſt, quam ſecundo loco ex Baſil. retulimus; Paulus enim ſemper progreditur ad maiora, & difficiliora, vti diximus in commentario præcedenti,

idq.

idq. etiam ſequentibus probatur, in quibus difficiliora proſequitur admonere. Vnde non placet expoſitio tertio loco propoſita de fuga: nam adiungit Paulus; oportet nos cibare aduerſarium, & eum qui nos læſit; quod longe abeſt a fuga. nec probatur eadem de cauſa prima expoſitio, nec vltima: quamuis nolo negare, eſſe ſingulas probabiles, tamen ad mentem Pauli magis facere viſa eſt, quam diximus.

Interrogabit aliquis; eſtne hoc conſilium, an præceptum? reſpondeo, ſi in hunc modum expones, hominem debere eſſe paratum ſuſtinere grauiora mala, & non tantum quæ inferuntur potius, quàm ſe vindicare, & præbere ſiniſtram percutienti dexteram, potius quàm vindictam ſumere, præceptum eſt, & hic eſt ſenſus Pauli. Si vero exponas, hominem de facto debere præbere ſiniſtram, & ſuſtinere grauiora, quamuis poſſet ſine vindicta declinare, conſilium eſt.

Scriptum eſt enim, mihi vindictam, & ego retribuam.

Iræ cur dandus eſt locus. *Deut. 32.*

CAuſam reddit præcedentis ſententiæ, nempe cur non debeat Chriſtianus ſe vindicare, ſed potius totam indignantis iram, etſi grauiora inferat, ſuſtinere, quàm ſe vindicare. Cauſa eſt ex Scriptura ſumpta: eſt autem teſtimonium Deuter. 32. Mihi vindictam, & ego retribuam. Verba ſunt Dei ipſius. Ad me, inquit, pertinet vindicta, & vltio. ego ſum, qui retribuo mala, ijs qui mala operantur. munus hoc eſt meum, & ad me pertinet. non igitur homo debet ſe vindicare, quia id eſt præripere officium Dei. Græcè eſt in recto, & ſine illa particula (&) mihi vindicta, ſeu vltio, ego retribuam, ſicque legit Hieronym. epiſtol. contra Ruſi. *Hieron.*

Non tollitur hoc teſtimonio, quin Iudices ſumant vindictam de malefactoribus quibuſdam, quia id tamquam miniſtri Dei faciunt, nec etiam de omnibus malefactis eam ſumere poſſunt; non enim omnia delicta punire ad eos pertinet. Deus eſt, cui propria eſt generalis omnium delictorum vindicta. particularis autem vindicta de propria iniuria, non homini, ſed Deo relinquenda eſt. Qui ergo vindictam ſumit de iniuria propria, & non potius locum iræ dat, quod Dei eſt vſurpat, & grauiter peccat.

Tacitè reſpondet Paulus per hæc verba obiectioni cuidam; diceret enim aliquis: ſi non debet homo vindictam de propria iniuria ſumere, manebit ergo delictum inultum, & iniuſtitia impunita: huic reſpondet, non ſic eſt, immo multo acerbiori vindictæ reſeruatur; parum enim eſt, quod homo poteſt inferre mali: at Deus,

Digitized by Google

at Deus, & corpus occidere, & animam in gehennam mittere poteſt. Non ergo dicat Gentilis, Chriſtianos mala approbare, dum vindictam particularem reprimunt, non approbant, ſed grauiori iudicio, quàm ſit huius ſæculi, punienda relinquunt.

Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit, potum da illi.

AVget ſententiam, non ſolum vindicta non eſt ſumenda, nec tantum locus iræ dandus eſt, ſed inimicis, & à quibus iniuriam paſſi ſumus, & patimur, in neceſſitate eorum ſubueniendum eſt; ſi enim eſurierint, cibandi ſunt; ſi ſitierint, potum eis dare debemus. Attende autem, non eſſe dictum. inuita illum, aut conuiuia opipara præpara illis, ſed ciba eos, & da potum illis: nam, quando in neceſſitate non ſunt inimici, non tenemur ex præcepto hæc facere: quando vero grauem neceſſitatem patiuntur, vtique tenemur ea præſtare. Idcirco vſus eſt cibo ſimplici, & potu, quibus grauem neceſſitatem inimicorum ſignificauit. Id ipſum inſinuauit Dominus Matth. 25. Ite in ignem æternum, quia eſuriui, & non dediſtis mihi manducare; ſitiui & non dediſtis mihi bibere. quibus verbis graues quæcumque neceſſitates proximorum, tàm temporales, quàm ſpirituales comprehenſæ ſunt.

Inimico in neceſſitatibus eſſe ſubueniendum.

Inſinuat etiam Paulus his uerbis unum, nempe, quando inimicus indiget, tunc maximè poſſe uindictam ſumi de illo: debet tamen homo parcere, & eam non ſumere, etiam quando opportunitas eſt ſe uindicandi, quod ualde perfectum eſt: nam aliqui benefaciunt inimicis, quando ſunt potentes, nec de eis uindictam facere ualent; at quando infirmi ſunt, & indigent, tunc benefacere, ualde commendandum eſt. Attende uerbum (ciba) Græcè efficaciorem habere ſignificationem: nam ψωμίζω non eſt ſimpliciter cibo, aut nutrio, ſed indulgenter paſco, ueluti minutatim inſtipato pane, & fruſtillatim conciſo cibo, id quod fit apud nonnullos, erga eos, quibus fauent inconuiuijs; quo ſignificat Paulus beneuolentiam, qua tractare debemus inimicos, nempe, ut contrario modo nos erga eos geramus, nempè tamquam amicos, & beneuolos. Modus hic conſilij eſt, non præcepti. Sumpta eſt hæc ſententia, cum ſequenti, ex Salomo. prouerb. 25.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIO XXXI.

ILlud (ſed ſi) Græcè ἐὰν οὖν, ideſt (ſi ergo) aut (ſi itaq. :) iuxta quã lectionem dubitatio eſt, vnde hæc ſententia inferatur: nam particula huiuſmodi illationem, & conſequentiam indicat. Reſpondeo, inferri ex præcedenti. ſi enim non debemus nos vindicare, ſed omnis vindicta Deo eſt relinquenda, conſequitur, vt inimicis indigentibus cibo, & potu, aliauè graui neceſſitate laborantibus ſubuenire debeamus: nam negare tale ſubſidium, vindicta quædam eſt; non enim ſolum nocemus, quando malum inferimus, ſed etiam quãdo bonũ, quo alter indiget, ſubtrahimus. & hæc eſt legitima connexio huius ſententiæ cum ſuperiori, quam inſinuat prædicta particula Græca.

Gradus plures attendendi inter lædentem & læſum. *Auguſt.*

Attende, multos eſſe gradus in officio erga inimicum, & eum, à quo iniuria affecti ſumus, quorum aliquot numerat Auguſt. lib. 1. de ſermo. Domi. in mon. cap. 33. & 34. Primus eſt, nolle lædere aliquem, ſed ſi ipſe lædat, velle grauius lædere, quàm ſit læſus. hic gradus habet aliquid iuſtitiæ, quia non lædit, niſi læſus. Secundus gradus eſt, velle tantum lædere, quantum læſus ipſe eſt. hic habet maiorem iuſtitiam; non enim ſolum non lædit, niſi læſus, ſed etiam non lædit amplius; ſolent enim homines ſuperare iniuriam acceptam in retaliando; quem gradum lex vetus amplexa eſt: Dentem pro dente, oculum pro oculo. Tertius maioris eſt iuſtitiæ, nempe velle minus lædere, quàm læſus eſt. Quartus eſt eſt perfectæ iuſtitiæ, nihil velle lædere, etiam ſi læſus ſit. Quintus perfectioris iuſtitiæ, læſum eſſe, & paratum adhuc ſe exhibere, vt amplius lædatur. hic ad iuſtitiam pertinet. Perfectiſſimus eſt ſextus, qui eſt charitatis, quando læſus lædenti benefacit. & ſubuenit. Hos tres vltimos, perfectũ perfectiorem, & perfectiſſimum docet Paulus. Non ſe vindicare, perfectum eſt. Dare locum iræ, perfectius eſt. Cibare inimicum, perfectiſſimum eſt.

Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius.

Fructus collati beneficij erga inimicum.

NE graue nimium videretur, quod præceptum eſt, cauſam adijcit, per quam leuius, & dulcius illud effecit, ex fructu nempe, qui ex tali opere erga inimicum facto reportatur: is autem eſt; qui enim inimicum eſurientem cibat, & ſitientem potat, illum pœnitere acriter facit iniuriæ, quam ei intulerat; dolet enim vehementer, eum læſiſſe, quem in neceſſitate poſitus experitur amicum, ac beneuolum: cumque poſſet rependere malum, reddit bonum, eoq. ad ardentius amandum prouocatur. Beneficia ergo in inimicum collata, quo tempore poterat vindicta ſumi, ſunt uelut carbones ignis ingeſti ſupra caput, propter

pter vehementiam doloris, & pœnitentiæ, quibus corripitur inimicus, & propter ardorem dilectionis, & amoris, quo tali beneficio, & ſubſidio accenditur, & inflammatur. Fructus ergo magnus eſt: nam & ex inimico facit amicum, quod & ſibi, & illi vtiliſſimum eſt. Etiam hoc verbum eſt Salomon. Prouerb. 25. Salomon tamen addit alterum fructum, nempe, Dominus reddet tibi, quaſi diceret. Ciba inimicum, ſi eſurierit, quia & eum ex inimico facies amicum, pœnitereque eum compelles iniuriæ tibi factæ, & vltra hoc Deus operis tui boni, quo affeciſti inimicum, mercedem reddet tibi. *Prou. 25.*

ANNOTATIO XXXII.

Origen. Chryſoſt. Theodor. Eucher.

Carbones congerere ſuper caput inimici quid ſit.

ORigen. Chryſoſt. ſerm. 22. & Theodoret. & Eucherius in quæſt. noui teſtam. carbones congerere ſuper caput inimici interpretantur ſignificare, inimicum grauioris pœnæ reum facere, qui enim affectus beneficio adhuc perſeuerat in inimicitia contra benefactorem, dignum ſe maiori ſupplicio facit, maioreſque pœnas dabit in Dei iudicio. ſenſus igitur erit, ne durum videretur præceptum cibandi inimicum, quaſi Paulus diceret, ne tibi durum videatur hoc, quod doceo: nam beneficio tuo iſto grauiori ſupplicio dignum inimicum tuum facis, niſi reſipiſcat, & mentem mutet. Ne autem aliquis ex hoc dicto exiſtimaret, licere alicui benefacere inimico hac intentione, vt eum reum grauioris ſupplicij efficeret, adiunxit vltima verba. Vince in bono malum, quaſi diceret, non hac intentione mouearis ad cibandum inimicum. Hæc eſt mens Chryſoſt. & Theodoret. quãuis Theodoret. & Eucherius explicatius loquantur.

Mihi non admodũ probatur hæc expoſitio: nam ſi non debet homo cibare inimicum, vt eum grauioris ſupplicij reum faceret, ſuperfluum eſſet id dicere; nec enim per hoc inducebatur homo ad cibandum inimicum, tuncque illa particula (enim) quæ cauſam indicat, non poſſet accommodari, cum illud non ſit cauſa vlla cibandi inimicũ (congeres carbones ſuper eius caput). Multo igitur accommodatior eſt interpretatio Hieron. epiſt. ad Hedib. quæſt. 1. & Eucherij, qui vltra explicationem priorem, hãc etiam profert, nempe, carbones ignis cõgeri ſuper caput inimici, eo dici, quia tali beneficio cor inimici emollitur, eumque pœnitet, malum intuliſſe ei, à quo nunc cibatur, & ſubſidium recipit; nec eſt diſſimilis ſententia Auguſt. ſerm. 168. de tempore. qui ardorem charitatis hos carbones eſſe intelligit, qua inimicus accenditur: quorum expoſitionem ſecuti ſumus in commentario. Hoc supereſt dicendum, Auguſt. loco citato referre quoſdã, qui locum hunc eo ſenſu intelligentes, quem Chryſoſt. & Theodoret. interpretati ſunt, affirmaſſe, licere cuilibet benefacere inimico, vt eum *Hierony. Eucher.* *Auguſt.*

Digitized by Google

maioris ſupplicij apud Deum reum faceret; videbant enim iſti, ſi ſenſus is eſt, id conſequi ex verborum contextu: at re vera eorum dictum eſt falſum, & omnino reprobandum, cum ſit odio grauiſſimo perſequi inimicum, eique malefacere, quod eſt contrarium præcepto illi Dominico. Matth. 5. Diliges inimicum tuum. *Matt. 5.*

Noli vinci à malo: ſed vince in bono malum.

Malus in bono, quo modo vincendus.

CONfirmat eamdem ſententiam, & eſt ſenſus. noli vinci à malo, ideſt, ſi inimicum non cibas, efficieris malus, & inimicus ſicut ipſe eſt, & malum eius, nempe malitia, qua iniuria te affecit, facit te etiam malum, quoniam propter eam deſinis facere, quod teneris, & quod iuſtum eſt: ſi autem cibas, & benefacis, tu vincis bono tuo opere malum, quia inimicum conuertis, & facis amicum tibi, ſicut tu es, lucrariſque eum & tibi, & Deo. ne igitur exiſtimes te vinci, quando inimicum cibas, illique benefacis, non ſic eſt, ſed potius victoriam reportas, etſi non benefacis propter malum, quo ille te affecit, vinceris à malo, quia non ſolum non aufers ab inimico malum, ſed etiam tibi ipſi noces, & fis ei ſimilis, & malitia te, & illum comprehendit. bono vero tuo opere, & ab eo malitiam expellis, & tibi ipſi conſulis, ſicque non vinceris à malo, ſed potius vincis bono malum. Malum, malitiam appellat, per quam inimicus illi nocuit, qua etiam polluitur, qui non benefacit, quando opus eſt, vti diximus. Bonum autem vocat bonitatem, à qua eſt opus ipſum bonum, quo inimicum proſequitur. Eſt autẽ magna victoria malitię: ac ſi diceret, bonitate tua vince malitiam inimici, ne malitia inimici vincatur bonitas tua; qui enim non cibat inimicum, non ſolum malo ſeipſum afficit, ſed etiam maiori, quàm inimicus eum affecerit; inimicus enim intulit iniuriam, quæ eſt malum pœnæ: at ipſe ſibi infert malum culpæ, quod longe grauius eſt, quia grauiter peccat negando ſubſidium inimico. Qui igitur ſe vindicat, vincitur potius à malo inimici: vincitur etiam à paſſione animi propria, orta ex malo per inimici malitiam illato, vnde recte Ambroſius lib. 1. offici. cap. 36. dixit. Vindicare ſe non eſſe actum fortitudinis, ſed abiectionis, & timiditatis. *Ambroſ.*

CAPVT

CAPVT XIII.

Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinatae ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt: nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac: & habebis laudem ex illa: Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt: vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideo enim & tributa praeſtatis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis: niſi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam: Non adulterabis: Non occides: Non furaberis: Non falſum teſtimonium dices: Non concupiſces: & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis eſt dilectio. Et hoc ſcientes tempus: quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cum credidimus. Nox praeceſſit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honeſte ambulemus: non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & aemulatione: ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſiderijs.

Digitized by Google

Quæ ad humanam politiam conſeruandam requirantur.

TRaditis ijs, quæ ad vitam Chriſtianã perfectè componendam conducunt, ea nunc Paulus docet, quæ ad humanas politias conſeruandas ſunt neceſſaria: duo autem maxime hæc ſunt, nimirum ſubditorum erga principes, & magiſtratus obedientia debita, ac mutua inter ipſos inferiores iuſtitia, quæ Paulus Chriſtianis grauiſſime præcipit, & iniungit. Quod quidem inſtitutũ eo diſtinctius, & opportunius proſequitur, quo magis tũc temporis rumor, & opinio apud gentes inualeſcebat, per Euangelium politias humanas, regna, & reſpublicas ſæculares euerti, atque Chriſtianos ſuæ religionis prætextu, à principum, & maiorum obedientia ſe ſubſtrahere. Hanc fuiſſe vnam ex præcipius cauſis, propter quã Gentes perſecutæ ſunt Chriſtianos, docet Clemen. lib. 4. ſtromat. affirmans Chriſtianos perſecutionem paſſos tunc eſſe, quia per Euangelium Reipub. ciuili iniuria fieri videbatur. Idem teſtatur Auguſt. Concil. 31. in Pſal. 118. interpretans illud (Principes perſecuti ſunt me gratis). huic opinioni falſæ Iuſtinus Martyr Apolog. 2. ad Antoni. Imper. ſe oppoſuit, apertis rationibus, & efficacibus argumentis oſtendens, per Euangelium non tolli erga Principes obedientiam ſubditorum, nec politias ciuiles; ſed potius confirmari, & ſtabiliri, & in melius inſtitui: quam quidem veritatem nos paulo inferius enucleabimus. Inurebatur hæc nota etiam ipſis Apoſtolis; idcirco ſuis epiſtolis, tam diſertis verbis ſtuduerunt eum errorem ab hominum mentibus euellere; ad hanc obedientiam, & ſubiectionem, & Ciuilis Reipublicæ ordinationem conſeruandã Chriſtianos exhortantes, eiſque præceptum Dei declarantes. Quod tres ob cauſas præcipuè fecerunt, præter eam, quæ communis eſt, nempe veritatis doctrina. Prima, ne Gentes nondũ conuerſæ occaſionem oblatrandi contra Euangelium arriperent, eoque eorum animi ab eo recipiendo auerterentur. Secunda eſt, ne ipſi Chriſtiani iam conuerſi prætextu Euangelij ab obedientia erga maiores amouerentur, & libertatem Spiritus in libertatem malitiæ conuerterent, leges Ciuiles, & naturales contemnentes: quã vtramq. cauſam Petrus. 1. epiſt. cap. 2. edocuit, dicens. Subditi eſtote omni humanæ creaturæ propter Dominum, ſiue Regi, quaſi præexcellenti, ſiue Ducibus, tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum; laudem vero bonorũ, quia ſic eſt voluntas Dei, vt benefacientes, obmuteſcere faciatis imprudentiũ hominũ ignorantiã, quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ, libertatem, ſed ſicut ſerui Dei. hæc Petrus. His duabus cauſis accedit tertia, quæ eſt Chryſoſt. ſerm. 23. vt inutiles

Clem. alex.
Auguſt.
Iuſtin. Mar.
Petr. epiſt. 1. cap. 2.
Chryſoſt.

Digitized by Google

utiles, & præter neceſſitatem tentationes contra Euangelium factas amouerent; ſufficiebant enim inſidiæ, quæ veritatis cauſa intendebantur. Merito autem hæc ad Romanos ſcribuntur, apud quos & Imperij ſedes, & omnium perfectiſſima politia vigebat. A priori ergo ex illis duobus, nempe ab obedientia erga principes incipit.

Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.

GEneralis ſententia eſt, omnibus manifeſtans, poteſtatibus ſęcularibus obediri debere, nec hoc pugnare cum Euangelio. Græce illud (ſublimioribus) non eſt comparatiuum, ſed poſitiuum, quaſi dictum ſit, poteſtatibus præexcellentibus. Illud autem (anima) per ſynecdochem totum hominem ſignificat, quæ phraſis in Scriptura eſt vſitata, ea tamen artificioſe vſus eſt Paulus, vt hanc ſubiectionem debere eſſe ex animo, non exteriorem ſolam, fictam, aut ſimulatam, indicaret, ſicque Gentilium principum animos concitatos, tanta obedientia pacaret, beneuoloſque Euangelio faceret.

ANNOTATIO I.

Iren. IRenæus lib. 5. cap. 24. hæc verba ſic legit, ſenſum potius ſequens, quàm voces. Omnibus poteſtatibus ſublimioribus ſubiecti eſtote. Paulum autem loqui de poteſtatibus ſæcularibus teſtantur præter Irenæum Baſil. de conſtitu. monaſt. cap. 23. Auguſt. epiſt. 54. ad Macedoni. Chryſoſt. cæterique interpretes, idque ſequentia verba comprobant. Hoc tamen verum eſt, efficax inde ſumi argumentũ, ad cõfirmandam obedientiam erga poteſtates Eccleſiaſticas, quo argumento vſus eſt Baſil. loco proxime allegato, ſic dicens. Quàm magna ea obedientia ſit, qua erga Antiſtites ſuos religionis veræ præſtare cultores debent, eiuſque magnitudinem non aliunde explicare adnitar, quàm ex ſacroſanctæ Scripturæ auctoritate. Paulus Apoſtolus in ea Epiſtola, quam ad Romanos ſcribit, ipſis præcipit, vt excellentioribus poteſtatibus omnibus illi ſubiecti ſint, poteſtatibus, inquit, mundi, non ſpiritualibus, atque hoc ex ijs, quæ deinceps adiecit, declarauit, cum de tributis, & vectigalibus locutus eſt, quo in loco qui vel minimum poteſtati reſiſtit, eum ait Dei ordinationi reſiſtere. Si igitur qui mundo huic præſunt, & ex lege humana illã imperandi poteſtatẽ habuerunt, ijs diuina lex, pietatis cultores tãtopere voluit eſſe ſubiectos, &, quod maius eſt, quorũ vita tota tunc erat impietas, quã magna tãdẽ ei à pietatis cultore præſtãda obedientia eſt, qui à Deo conſtitutus præſes eſt, & imperandi poteſtatẽ à legibus illis acceperit? & qui defẽdi

Baſil. *Auguſt.* *Chryſoſt.*

Obediẽtia præſtanda Antiſtiti.

poteſt, cum non Dei ordinationi reſiſtere, qui Antiſtiti reſiſtat ſuo; præſertim cum apertiſsime Apoſtolus iubeat, omni in re parendum eſſe ſpiritualibus præpoſitis. Hebræ. 13. Obedite enim, inquit, præpoſitis veſtris, & ſubiecti eſtote eis. Hæc, & alia Baſilius. *Heb. 13.*

ANNOTATIO II.

OBlatrant hoc loco recentes hæretici, cōtra Eccleſiaſticorum exemptiones à ſecularium iuriſdictione, tamquam contrarias Pauli præcepto, Deique ordinationi repugnantes; ſuumque errorem confirmant verbis Chryſoſt. qui hunc locum interpretans ſic inquit. Iſta imperantur omnibus, & Sacerdotibus, & Monachis, non ſolum ſecularibus; id quod ſtatim in ipſo exordio declarat, cum dicit. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, etiamſi Apoſtolus ſis, ſi Euangeliſta, ſi Propheta, ſiue quiſquis tandem fueris; neque enim pietatem ſubuertit iſta ſubiectio. hæc Chryſoſt. Pro ratione inſtituti noſtri breui reſpondebo. *Chryſoſt.*

Principes ſeculares ſupereſſe perſonis, & rebus temporalibus, non autem ſpiritualibus & Eccleſiaſticis. 1. Reg. 18.

Aduertendum igitur eſt. ſicut Rex terrenus, cui Deus in res ad corpus pertinentes, poteſtatem dedit, vi Regij iuris, vt habetur. 1. Regum. 18. ob vtilitatem Reipublicæ, cui præeſt, poteſt ſubditorum filios tollere, vt faciat ſibi equites, & præcurſores; filias quoque, vt faciat ſibi focarias, & panificas. agros etiam, vineas, & oliueta, vt det ſeruis ſuis; multo magis, cui dedit Deus poteſtatem ſpiritualem, quæ animas reſpicit, is debet habere poteſtatem in filios, & filias, & agros. atque adeo in corpora ad vitæ æternæ finem aſſequendum. Quando ergo poteſtas ſpiritualis, aliqua re tēporali neceſſario indiget, aut valde vtilem iudicat ad officium ſuum ſpirituale peragendum, eam à fidelibus iure ſuo poſtulat, & obtinet, etiamſi à Principibus ſeculi eam debeat amouere; multo enim magis præſtat poteſtas ſpiritualis poteſtati ſeculari Principum, quàm hæc præſtet poteſtati particulariū hominum; cum ſecularis corporū, ſpiritualis animarum ſaluti incumbat. Hanc doctrinam multa teſtimonia, & exempla Scripturæ tradunt, è quibus vnum, aut alterum producam. Matth. 17. Cum tributū exigerēt miniſtri ſeculi, dixit Chriſtus Petro, Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, à filijs, an ab alienis? dixit Petrus, ab alienis. Dixit Ieſus. Ergo filij liberi ſunt: vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, &c. Nota poteſtatem ſpiritualem, quæ à tributo ſoluendo potuit eximere credentes; quod ſolutum eſt, non quia non potuit effici, ne ſolueretur, ſed propter vitandum ſcandalum. Præterea in epiſt. ad Philemon. inquit Paulus. Sine conſilio tuo nihil volui facere, vti ne velut ex neceſſitate bonum tuū eſſet. Vides, Paulum habuiſſe facultatem liberandi ſeruum à Domini poteſtate, tamen voluiſſe facere, vt Dominus ipſe id ex voluntate efficeret, & bonum voluntate factū conſequeretur meritum. Sunt multa alia, à quibus breuitati ſtudens abſtineo. Cum ergo poteſtas ſpiritualis, ad ſuum officium facilius, & efficacius peragendum, iudicauerit eximere aliquot genera perſonarū à poteſtate ſeculari, id profectò iuſte fa- *Matt. 17.* *Epiſt. ad Philem.*

ſte fa-

ſte factum eſt; nec aduerſatur huic Pauli verbum, qui omnes vult eſſe ſubiectos poteſtatibus ſublimioribus, non vero ſęcularibus; non tamē negat poteſtatem miniſtris ſpiritualibus, quando id expedire iudicauerint, eximendi quos, & quantū eis viſum fuerit. ſicut, nec Chriſtus, nec Paulus, etiam ſi tributum ſoluerit, & ſeruum ad dominum remiſerit, poteſtate ſua ſe priuarunt, ſed id tunc facere expediens cenſuerunt.

Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo.

CAuſam, cur omnes poteſtatibus debeant eſſe ſubiecti, adiungit; ideo appoſita eſt particula cauſalis (enim.) cauſa autem ea eſt, quia poteſtates, principatus, & magiſtratus, non à Diabolo, nec à ſola humana voluntate conditæ ſunt, ſed à Deo, eiuſque diuina ordinatione, & diſpoſitione. Si igitur Deo ſubiectos eſſe oportet, etiam ijs, quos ipſe diſpoſuit, & ordinauit, obedire conuenit; ipſis enim non obedire, eſt Deo repugnare, eiuſque ordinationi contradicere. Hæc cauſa non ſolis his verbis, ſed etiam ſequentibus comprehenditur. Dicit ergo primo, non eſt poteſtas niſi à Deo, poteſtatem appellat, ſicut in ſuperiori ſententia, principatum, & ſuperioritatem ſæcularem, per quam vnus alteri imperat, & præeſt. Omnium talium poteſtatum, quæ veræ ſunt, auctor eſt Deus. non quòd per ſe ipſum omnes inſtituerit poteſtates, ſed quòd ab ipſo, vt à primo principio, & cauſa procedant, quamuis per intermedias hominum voluntates: ſicut calor, frigus, ſanitas, cæteraque huiuſmodi bona à Deo ſunt; per medias tamen cauſas naturales effecta. Senſus ergo eſt, non eſt poteſtas, quæ non ſit à Deo. vſus eſt autem negatione, quia efficacior eſt ad generalitatem explicandam, & contrariam partem excludendam, ne fortè aliqui exiſtimarent, poteſtates, & principatus infidelium, & idolatrarum eſſe à Diabolo, ſicut & eorum infidelitatem, & idololatriam, quod non eſt, cum & hæ poteſtates ſint à Deo, non à Diabolo. Perpende, qua ratione Paulus incipit obedientiam erga Principes magnificare, cum eorum poteſtatem ad Deum ipſum referat. Cætera in annotatione require.

Poteſtatem non eſſe niſi à Deo, quomodo intelligitur.

ANNOTATIO III.

ADnotandum eſt in huius ſententiæ explicationem. Primo, eſſe longe diuerſa hæc tria, ſcilicet poteſtatem, vſum poteſtatis, & aſſumptionem hominis in poteſtatem. Ipſa poteſtas, qua Princeps

Digitized by Google

ceps vnus ſuper alios eſt, à Deo eſt, ſiue ſit, qui eam habet, fidelis, ſiue infidelis. Poteſtatis vero vſus non ſemper à Deo eſt, niſi quando bonus eſt: abuſus autem poteſtatis ab ipſo eſt homine, & Diabolo, ſicut voluntas à Deo eſt, abuſus eius in vitijs, & peccatis ab homine eſt, & Diabolo ſuggerente. Non ergo quia idololatrę poteſtate, & principatu abuſi ſunt cótra Euangelium, eorum poteſtas nó erat à Deo, erat enim: non tamen abuſus poteſtatis. Qui igitur legitime vtitur poteſtate, tunc vtrũque habet à Deo. ſic Gregor. lib. 18. mora. cap. 3. explicat illud. 1. Regum. 18. Spiritus Domini malus irruebat in Saul. quo modo, inquit, ſi Domini eſt, malus dicitur? Domini, inquit, erat Spiritus, quia poteſtas Dei erat: ſed malus dicitur propter abuſum poteſtatis à Deo acceptæ, qui abuſus ex malitia voluntatis illius erat. Aſſumptio vero in poteſtatem, nimirum qua hic, aut ille aſſumitur in principem, non ſemper eſt à Deo; quæ enim ſit legitimis medijs, & vijs, à Deo eſt: quæ vero iniquis, & illicitis, à Diabolo; non enim omnes, qui poteſtatem habent, in eam aſſumpti ſunt ex diuino placito, & Deo volente; dico volente, quia nihil etiam mali fit, niſi Deo permittente, qui propter hominum peccata permittit, malos homines in Principes, & Reges, etiam vijs malis aſſumi. propterea non dixit: omnis princeps, ſed, omnis poteſtas à Deo eſt. Hinc apparet, quàm arroganter, & impiè daemon ſibi vſurpauerit, & dominiorum poteſtatem, & liberam, ac voluntariam aſſumendi quem vellet in principatum. Luc. 4. Tibi, inquit, dabo poteſtatem hanc vniuerſam, & gloriã

Poteſtas, vſus poteſtatis, & aſſumptio ad illam quomodo differant.

Greg.

1. Reg. 18

Luc. 4.

eorum; quia mihi tradita ſunt, & cui volo do illa. Mentitus eſt in vtroque, vt dicit Irenę. lib. 5. cap. 24. oppoſitum docet nunc Paulus, non eſt, inquit, poteſtas, niſi a Deo, & Salomon Prouer. 8. Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.

Iren.

Prouer. 8.

Adnotandum eſt ſecundo, poteſtates ſæculares, a ſpiritualibus in hoc multum differre; illæ enim ſic ſunt a Deo, quòd inſtitutio per homines efficitur; per eos enim fit regia poteſtas, principatus, cæteraque ſimilia, vnde earum inſtitutio humana eſt, ſed ex Dei voluntate procedens, proptereaque dicuntur a Deo mediate eſſe: at poteſtas ſpiritualis ab ipſo Deo immediate inſtituta eſt; Chriſtus enim homo Deus, poteſtatem immediate dedit Petro, quæ in ſucceſſores emanat; ipſe inſtituit Epiſcopos; non enim voluntatis humanæ eſt, quod Epiſcopi ſint in Eccleſia, ſed diuinæ. Epheſ. 4. Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdã Prophetas, aliqs Euãgeliſtas, alios Paſtores. Act. 20. In quo Spiritus Sanctus vos poſuit Epiſcopos; non quod omnis poteſtas ſpiritualis ſit ab ipſo Chriſto immediate inſtituta, nam ſunt multæ ab homine, ſed quod prima poteſtas, vnde cęteræ dimanant, ab illo ſit; non ſic in poteſtate ſeculari.

Poteſtates ſeculares à ſpiritualibus, quo modo differant.

Adnotandum eſt tertio, ſi omnis poteſtas a Deo eſt, non debet homo obedire poteſtati contra Deum ipſum, vnde infidelibus, & malis principibus habẽtibus poteſtatem, quæ a Deo eſt, debet homo obedire in ijs, quæ contra Deum ipſum, a quo poteſtas eſt, non ſunt: quando vero eſt aliquid contra Deum, eiuſq. mãdata, tunc dicendum eſt cum Apoſtolis. Actor. 5. Obedire magis Deo opor-

Act. 5.

oportet, quàm hominibus. quam obediendi rationem Paulus hiſce verbis inſinuauit. Auguſt. ſerm. 6. de verb. Domi. pulchre hoc docet, oſtédens, qui non obedit homini iubenti id, quod rectum non eſt, non contemnere poteſtatem, ſed obedire maiori: ſicut ſi aliud iubet Proconſul, aliud Imperator, obediendum eſt Imperatori, nec id eſt poteſtatem contemnere. ſic, ſi aliud Imperator, aliud iubeat Deus, hoc faciendum eſt, non illud.

Auguſt.

Quæ autem ſunt, à Deo ordinatae ſunt.

PRoſequitur Paulus cauſam explicare, cur ſubiecti poteſtatibus ſublimioribus eſſe debeamus: dixerat autem, non eſſe poteſtatem, quæ non eſſet à Deo, huic annectit præpoſitam ſententiam, & eæ, inquit, quæ ſunt, à Deo ſunt ordinatæ, ideſt deſtinatæ, & conſtitutæ. quamuis enim Deus gentes, maioremque humani generis partem fide', veraque religione priuari permiſerit, regnum tamen temporale illis diſpoſuit, quo ab infinitis ſceleribus retraherentur, & in bonis quibuſdam iuſtitiæ operibus conſeruarentur, ne ſe inuicem more piſcium, aut beſtiarum conſumerent; idcirco enim Deus decreuit quoſdam imperare, quoſdam obedire. hoc eſt poteſtates ordinatas eſſe à Deo. Diſtincta autem eſt hæc ſententia à præcedenti, in qua dictum eſt, poteſtates non eſſe, niſi à Deo: in hac vero adiungitur, eas poteſtates, quæ ſunt à Deo, ordinatas, & decretas, conſtitutaſque eſſe ab ipſo: nam non omnia, quæ à Deo ſunt, ab eo ſic, per præceptum ſcilicet, ordinata, & deſtinata ſunt; infirmitates enim corporis, paupertas, fames, ſitis, calor, frigus, & cætera huiuſmodi à Deo ſunt, non tamen à Deo ſic ordinata ſunt; non enim præcipiendo decreuit, & ſtabiliuit nos eſſe infirmos, pauperes, fameſcere, aut ſitire; idcirco his reſiſtere poſſumus, eaque debemus à nobis expellere: at poteſtates, ac principatus conſtituit, & ordinauit, ideoque his reſiſtendum non eſt, nec licet à nobis expellere; quamuis enim hanc, aut illam poteſtatem ex cauſa aliquando liceat remouere, non tamen omnem poteſtatem, quia ex diuina ordinatione eſt, hominem obedire homini, etiam in temporalibus.

Quæ ſunt à Deo quomodo ordinata dicuntur.

ANNOTATIO IIII.

Anſel.

QVidam, inter quos eſt Anſel. legunt in neutro genere. & illud (a Deo) cõiungunt verbo præcedenti ſic. Quæcumque autem ſunt a Deo, ordinata ſunt; cum Græce ſit generis fœminini, & conne-

connectatur cum nomine (poteſtates) ita legit Irenæ. lib. 5. cap. 24. *Iren.* immo in quibuſdam codicibus repetitum legitur ſic: Quæcumque autem poteſtates ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Illudque (à Deo) verbo ſequenti adhæret, & hæc videtur legitima lectio: nam ſi illam ſequamur, ſenſus efficitur falſus; non enim quæcumque a Deo ſunt, ordinata ſunt. vti enim diximus in commentario, morbi, paupertas, cæteræque corporis calamitates a Deo ſunt; non tamen ſunt a Deo ordinatæ: nam huic ordinationi non liceret reſiſtere, nec deberemus impedire morbos, aut expellere eos, qui accidunt nobis. Ex quo ſequitur, verbum hoc (ordinatæ) non tãtum ſignificare diuinam prouidentiam, vt dicit Theodoret. *Theodor.* nec diſpoſitionem, & ordinem, quo diſpoſuit in Orbe varia, & multiplicia; ſi enim Paulus nihil aliud hoc verbo ſignificaret, non rectè concluderet, non licere reſiſtere poteſtati: nam reſiſtimus alijs multis, quæ ſunt ſecundum diuinam prouidentiam, & diſpoſitionem: ſed verbum hoc præter ordinem indicat præceptum, & firmitatem. Sicut Dux ordinat milites, non ſimplicem ordinem ponens, ſed etiam vnicuique locum ſuum indicens, & iniungens: ſic poteſtates dicuntur ordinatæ a Deo; non enim ab humano placito ſolo dependent, ſed etiam a diuino. quã uis hæ, vel illæ, vti diximus, humanæ ſint voluntatis. Ex hac ſignificatione rectè concludit Paulus, qui reſiſtunt, neque obediunt poteſtati, Dei ordinationi reſiſtere, & ipſi Deo non obedire. Verbum autem Græcum τεταγμένος, & verbum τάσσω, non ſolum ordinare, ſed etiam deſtinare, conſtituereue ſignificant.

Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.

Concludit ex præcedentibus duabus ſententijs argumentum; ſi enim poteſtates ſunt à Deo, & ab ipſo ordinatæ, & cõſtitutæ: qui igitur eis reſiſtit, ſeque ſubdere eis renuit, is ordinationi, & diſpoſitioni diuinæ reſiſtit, rebellemque ſe ipſi Deo exhibet; ſicut miles, qui in exercitu locum ſibi à Duce deſtinatum non tenet, Duci reſiſtit, ipſiusque ordinationi aduerſatur. Hanc ſententiam alijs verbis docuit Petrus. 1. epiſt. cap. 2. Subiecti, inquit, eſtote omni humanæ creaturæ propter Dominum, ſiue Regi, &c. quia ſic eſt voluntas Dei. quod Paulus ordinationem, Petrus voluntatem Dei appellat. Totus igitur ſyllogiſmus hic eſt. Omnis qui reſiſtit poteſtati ordinatæ à Deo, reſiſtit ordinationi Dei; Sed quicumque reſiſtit poteſtati, reſiſtit poteſtati ordinatæ à Deo; Igitur quicumque reſiſtit poteſtati, reſiſtit ordinationi Dei. Secunda propoſitio huius ſyllogiſmi probatur, quia omnis poteſtas à Deo eſt ordinata. Hoc argumentum, peccatum, & culpam reſiſtentis poteſtati, indicat.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIO V.

Principes etiam ſeculares habere poteſtatē condendi leges obligantes ad peccatum mortale.

ADuertendum eſt, qui præcepta, & iuſſa principum negligit, non tantum peccare contra Principes, ſed etiam contra Deum: nam etſi præcepta, & leges eorum ſint humana, quia immediate ab humana voluntate, & poteſtate procedunt, cum tamen ea poteſtas ſit a Deo ſtatuta, & diuina voluntate obedientia illi debeatur, cōſequitur, diuino præcepto mediatè contrauenire, qui poteſtatibus humanis obedientiam negat. Qui igitur vectigalia ab ipſis impoſita nō ſoluit, quiq. cætera, quæ iuſte decernunt. & imperant, non implet, Dei præceptum quodammodo ſoluit; hac enim ex parte, Principes poteſtatem habent condendi leges, etiam ſub peccato obligantes, quia eorū poteſtas a Deo eſt ordinata.

Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.

SEcundo, argumento confirmat, debere Romanos poteſtatibus ſubijci; non ſolum enim, qui reſiſtunt poteſtati, ordinationi Dei reſiſtunt, quod ad grauem culpam pertinet, ſed etiam ſibi ipſis damnationem acquirunt. Græce eſt temporis futuri, & ſenſus eſt: Qui poteſtatibus reſiſtunt, punientur: nam qui volunt eis obedire, à multis bonis operibus faciendis recedent, & in multa ſcelera, & crimina corruent, propter quæ ſe damnatione dignos, & ſupplicijs obnoxios facient. Hunc ſenſum ſequentia verba explicatius demonſtrant: nam Principes ad hoc ſunt conſtituti, vt pœnis, & ſupplicijs deterreant homines à ſceleribus perpetrandis, inducantque, & impellant ad bona faciendum. Qui igitur reſiſtunt Principibus, eiſq. ſe inobedientes exhibent, tali licentia laxati, frænoque nullo coerciti, à bono ſe auertunt, & in ea prorumpunt ſcelera, à quibus illi deterrent, ſicque pœnis obnoxios, & damnabiles ſe ipſos efficient. Vis ergo argumenti hæc eſt. Qui nolunt ſubeſſe poteſtatibus, ſuis cupiditatibus habenas laxare, &, omni abiecta virtute, in crimina, & ſcelera prorumpere, propter quæ & à Deo, & ab ipſiſmet Principibus puniuntur, ab ipſiſque damnationem recipiunt.

ANNOTATIO VI.

Chryſoſt. Qui poteſtati reſiſtit, cur peccet.

CHryſoſt. hanc ſententiam ſic interpretatur. Qui poteſtatibus reſiſtunt, luent pęnas, ferentq; ſupplicium huius inobedientiæ,

ſeu

ſeu reſiſtentiæ, tam a Deo, qui eos acerbiſſime caſtigabit, quàm ab ipſis principibus, a quibus eadem de cauſa punientur; quod ſi has pęnas euaſerint, illas non euadent. Refert ergo Chryſoſt. damnationem hanc ad ſupplicium Dei, & hominum: cauſam autem damnationis ad ipſam reſiſtentiã, & inobedientiam. *Anſel.* Anſel. damnationem ad pœnam mortis æternæ, quam Deus infligit inobedientibus, refert: conuenit autem cum priori expoſitione in cauſa damnationis, nempe quia reſiſtunt poteſtati. Denique fere omnes interpretantur; qui reſiſtunt, damnationem, ſiue Dei, ſiue hominum ſibi acquirere ob ipſam reſiſtentiam. Qui contextui accommodatus eſt ſenſus. Cui non aduerſatur is, quem commentarius continet, nempe, qui reſiſtunt poteſtatibus, in ea ſe conijcere ſcelera, propter quæ damnationem incurrunt, vtpote ſine fræno exteriori viuentes: nam Principes in hoc ipſum ſunt a Deo dati, & inſtituti, vt a talibus ſceleribus homines coerceãt, multiplicemque iuſtitiam repercutiant, vt dicit Irenæ. lib. 5. cap. 24. *Iren.* vbi ſic inquit. Quoniam abſiſtens a Deo homo in tantum efferauit, vt etiam conſanguineum, hoſtem ſibi putaret, & in omni inquietudine, homicidio, & auaritia ſine timore verſaretur, impoſuit illi Deus humanum timorem, non enim cognoſcebat timorem Domini, vt poteſtati hominum ſubiecti, ac lege eorum conſtricti aliquid aſſequantur iuſtitiæ, & moderentur ad inuicem, in manifeſto poſitum gladium timentes. hæc & alia Irenæ. Experientia autem ſatis eſt compertum, vbi minus viget rigor poteſtatum, homines euadere ſceleratiſsimos. quid ergo mali non perpetrarent homines, ſi principatus nullus eſſet? hoc eſt, quod nunc Paulus dicit, illos qui poteſtatibus reſiſtunt, nec earum frænum admittunt, ſibi ipſis acquirere damnationem, dum ea licentioſe perpetrãt. propter quæ ſe punitione dignos, & apud homines, & apud Deum efficiunt. Græce κρῖμα, ideſt iudicium, in Scriptura ſępe pro damnatione accipitur. Græce etiam habetur non (ipſi ſibi) ſed (ſibi ipſis damnationem accipient;) ſenſus tamen idem eſt. hanc expoſitionem verba ſequentia confirmant.

Nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali.

CAuſam præcedentis ſententiæ adfert, nimirum quare, qui poteſtati reſiſtunt, ſibi ipſis damnationem acquirent; ea autem eſt, quoniam Principes non deterrent homines à bene operando, ſed à malis perpetrandis; nec ad hoc ſunt conſtituti, vt timorem incutiant ijs, qui bona opera faciunt, ſed potius illis, qui malefaciunt, vt eos à malo retrahant, aut reuocent. Qui ergo reſiſtunt poteſtati, operibus bonis abiectis, malis intendent, ſpreto timore eorum, quorum eſt à malo patrando deterrere, & in bonum inducere.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIO VII.

Tertull.

GRæce ad verbum ſic habetur. Principes non ſunt timor bonorum operum, ſed malorum. Tertullian. in Scorpi. legit. Non ſunt timori bono operi, ſed malo. Vetus interpres habet. Non ſunt timori boni operis, ſed mali, hæc omnia in eumdem recidunt ſenſum. Quod vero ad connexionem ſpectat, Chryſoſt. hanc ſententiam ſic connectit, vt referatur ad illam propoſitionẽ. Omnis anima ſit poteſtatibus ſublimioribus ſubdita; quaſi hoc ſit nouum quoddam argumentum ad eam probandam, nimirum ex vtilitate, quam confert ſubditis principatus. Mihi tamen dura connexio videtur, multoque facilior eſt, ſi ad proximam referamus, tamquã eius cauſam, vt in commentario dictum eſt, idque totus contextus verborũ ſequentium comprobat.

Chryſoſt.

Vis autem non timere poteſtatem? bonum fac. & habebis laudem ex illa; Dei enim miniſter eſt in bonum tibi.

VTramque partem prædictæ ſententiæ confirmat; quoad priorem, ſcilicet, non ſunt timori boni operis, inquit, qui bonũ facit, non eſt, cur timeat poteſtatem, ſed potius laudem ab illa expectet; quia Princeps eſt Dei miniſter, inſtitutus in bonum tibi, ideſt, vt benefacias, & à malo retraharis, bonoque incumbas: qualis enim eſt Dominus, talis eſt miniſter. Deus non punit bona facientes, ſed in bonum incitat, commendat, & laudat, eiſque retribuit; non autem timorem incutit eis. Sic etiam Princeps, qui miniſter eſt Dei, non nocet, nec terret bonos, ſed potius ad bonum prouocat, commendat, & laudat. Similis eſt ſententia. 1. Petr. 2. Miſſus, inquit, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. ſermo hic eſt de timore pœnæ; qui enim bona facit, pœnam non timet ex bono opere, nec à Deo, nec ab eius miniſtro principe.

1. Petr. 2.

ANNOTATIO VIII.

Auguſt.

AVguſt. in lib. expoſitionis quorumdam propoſitionum huius epiſt. hunc interpretans locum adnotat, aliud eſſe laudari à poteſtate, aliud habere laudem à poteſtate. Illud eſt, quando homo propter bonum, quod facit, ab ipſa poteſtate, & Principe commendatur. Hoc autem eſt, quando homo ex hoc, quod bonum facit obediens poteſtati, exhibet ſe laude dignum, quamuis ab ipſa poteſtate non laudetur. Inquit ergo Auguſtinus, Paulum non dixiſſe, laudaberis à poteſtate, quia Principes non ſemper laudant bona operantes, & legem

gem implentes, ſed laudem habebis ex illa, quia efficies te laude dignum, ſiue Principes lucratus fueris Deo, ſiue perſecutionem eorum merueris, ſemper laudem habebis ex illis. Subtiliter hoc dictum eſt; quantum tamen ad verba attinet, laudem habere à poteſtate hoc loco idem ſignificat, quod commendabilem, & dignum laude ſe exhibere apud poteſtatem, ſiue actu laudetur, ſiue non.

Si autem malum feceris, time; non enim ſine cauſa gladium portat.

POſteriorem partem confirmat, ſcilicet. ſunt timori mali operis. ſi, inquit, malum feceris, timendum tunc tibi eſt; non enim fruſtra gladium portat, ſed vt malos puniat, & auertat. Ideo, qui malum facit, timeat pœnam infligendam à poteſtate. Gladius materialis ſignum eſt facultatis, quæ reſidet in Principe ſæculari, corpus occidendi, pœnaſuè alias infligendi contra malefactores, de qua facultate dictum eſt Matth. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem occidere non poſſunt. Illud (ſine cauſa) aduerbium eſt. Græce εἰκῆ. Latine inconſulto, temere, fruſtra, ſine cauſa. Significat in hunc finem gladium portari, vt malefactores mulctet, & caſtiget.

Princeps quare gladium portat.

Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit.

CAuſam adnectit, quòd non ſine cauſa gladium portet, quia, inquit, eſt miniſter Dei, non quidem in bonum, qualis erat bene operanti, ſed vindex, ſeu vltor in iram contra eum, qui malum agit. Iram appellat pœnam ipſam, quia eſt effectus iræ, & vindictæ. Eſt ergo vindex in iram, ideſt, ad vindictam ſumendã, pœnam infligendo eis, qui quod malum eſt, egerint. Qui igitur reſiſtunt poteſtati, ſibi ipſis condemnationem acquirent, vt ſuperius dixerat, & probandum acceperat.

Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram: ſed etiam propter conſcientiam.

COncludit ex prædictis, oportere nos eſſe ſubditos Principibus, non tantum metu pœnæ, quam infligere poſſunt in eos, qui male agunt: ſed etiam propter conſcientiam, tum ne voluntati, & ordinationi Dei reſiſtamus. Deoque ſimus inobedientes, tum etiam, ne malis operibus polluamur, à quibus illi deterrent,

Digitized by Google

terrent, bonaque abijciamus virtutis, ad quæ illi prouocant: nam in bonum, & in timorem ſunt à Deo ordinati. In hunc ſenſum vtitur ſimili voce Petr. 1. epiſt. cap. 2. Hæc eſt gratia, ſi propter conſcientiam Dei ſuſtinet quis triſtitias, ideſt, ne aliquid mali faciat, ſed vt ſeruet conſcientiam ſuam impollutam, & bonis operibus, ac iuſtitiæ det operam. Illud (neceſſitate) non ſignificat quaſi homo obedire debeat ea ratione, quia non poteſt excutere iugum Principis, qui potentior eſt, ſed id indicat, ſcilicet oportere, & obligari vnumquemque id facere; neceſſarium enim appellamus, quod tenemur facere. Luc. 22. Neceſſe erat occidi Paſcha. *1. Petr. 2.*

ANNOTATIO IX.

ADuerte, illud (neceſſitate) dupliciter legi, & intelligi ab interpretibus; recentiores enim quidam ſequentes aliquos codices, legunt (neceſſitati;) vt ſit ſenſus. Subditi eſtote neceſſitati, quæ vobis incumbit, obediendi Principibus. Iuxta Græcos tamen Doctores legendum eſt (neceſſitate;) in hunc enim ſenſum interpretantur. Neceſſe eſt, ſeu oportet vos ſubdi Principibus, vti in commentario interpretati ſumus, eaque expoſitio, & lectio legitima videtur. Græce habetur *ἀνάγκη*, quod & in recto, & in caſu dandi, qui loco ablatiui ponitur eſſe poteſt. inde orta eſt varietas lectionum, cum vera lectio ad literam iuxta verba Græca hæc ſit (ideo neceſſitas ſubdi,) ideſt, ideo neceſſe eſt vos ſubdi, vt recte habet verſio Syriaca. Auguſtinus lib. expoſitionis quarumdam prop. huius epiſt. & Anſelm. legunt quidem (neceſſitate) ſed eam neceſſitatem interpretantur huius vitæ; dum enim iuſti in hac vita ſunt, vtuntur temporalibus; idcirco ſubiecti ſunt Principibus, quibus temporalium imminet cura: rectius tamen, vti diximus, neceſſitas ſignificat obligationem præcepti, quia obligamur ſubijci poteſtatibus, vti diximus in commentario.

Ex neceſſitate quomodo ſubditi eſſe debemus.

Auguſt.
Anſel.

Aduertendum etiam eſt, vti paulo ſuperius diximus (iram) poſitam eſſe pro ſupplicio, vt exponit Theodoretus, iuxta illud Rom. 2. Theſaurizas tibi iram, & in multis alijs Scripturæ locis in ea ſignificatione accipitur. Poſtremò aduertendum eſt, illud (propter conſcientiam) Ambroſium explicare de conſcientia propria in hunc ſenſum. Subditi eſtote, non ſolum propter iram, ideſt, propter metum pœnæ præſentis in hoc ſæculo, ſed etiam propter futuram in Dei iudicio, vbi, accuſante propria conſcientia, punientur tales inobedientes. Quæ quidem interpretatio violenta videtur. Auguſtinus loco citato ad propriam etiam conſcientiam refert, tamen in hunc ſenſum. Subditi eſtote, non ſolum ad iram Principum euadendam,

Theodor.
Rom. 2.

quod

quod poteſt etiam ſimulatè fieri: ſed vt in tua etiam conſcientia certus ſis, illius dilectione, cui ſubditus ſis, te id facere iuſſu Domini; qui vult omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. quaſi diceret: Subditi eſtote, non ſolum propter metum pœnæ temporalis; ſed etiam vt iuſſa Domini impleatis, & eius voluntatem non tranſgrediamini. Obedire ergo oportet propter conſcientiam, ne peccemus contra Deum, dum non obedimus, cui Deus præcipit nos obedire. quo ſenſu eſt illud. 1. Petr. 2. Hæc eſt enim gratia, ſi propter conſcientiam Dei, ideſt, erga Deum, ſuſtinet quis triſtitias. quæ expoſitio accommodata videtur.

Propter conſcientiam quare obedire debemus.

Poſtremò quidam recẽtiores intelligunt (propter conſcientiam) aliorum ſcilicet, ne alios inducamus noſtro exemplo, vt inobedientes fiant: qui ſenſus accommodari non poteſt; nihil enim hic Paulus de ſcandalo agit. Omnibus perpenſis, mihi viſa eſt expoſitio accõmodatior, quæ eſt in commentario, ſcilicet propter conſcientiam propriam, ne grauetur criminibus, & ſceleribus, qui eos conſequuntur, qui poteſtati reſiſtunt.

Ideo enim & tributa praeſtatis; Miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes.

CAuſam, cur etiam propter conſcientiam ſubdi debeant Principibus, adiungit, eamque ſumit à ſigno quodam, quod eſt penſio tributorum. ſenſus igitur eſt: Obedite etiam propter conſcientiam, & non ſolo metu, quia ipſis tributis, quæ exhibetis, & præſtatis illis, hoc ipſum confitemini; ideo enim ea præſtantur, quia ſunt miniſtri Dei in hoc ipſum incumbentes, nempe, vt à malo, timore deterreant, & ad bonum prouocent ſibi ſubiectos, ne eorum conſcientiæ polluantur ſceleribus, ſed virtutum operibus intendant. tamquam ergo miniſtris veſtræ vtilitati inſeruientibus, tributa, quibus ſuſtentantur ſecundum ſtatum ſuum, ſoluitis.

Attende, Paulum tributorum meminiſſe, quia hoc erat inter præcipua, quæ Chriſtianis objiciebantur, nempe velle ſe religionis ſuæ cauſa à tributorum ſolutione eximere, vt conſtat ex Iuſtin. Apolog. 2. ad Antoni. Imper. Vt igitur Principes intelligerent, id procul eſſe a Chriſtiana doctrina, quin potius arctius per eam obligari Chriſtianos, ad illa ſoluenda, expreſſam horum facit mentionem: atque etiam vt ſciant Principes, ſe vtilitati ſubiectorum maximè debere incumbere, vt remotis ſceleribus, iuſtitiæ intendant; quoniam in hoc ipſum, Iuſtin.

& à

& à Deo ſunt ordinati miniſtri, & à populis, proprijs eorum expenſis collectis ex tributis, tamquam mercede quadam operis eorum, aliti.

Attende rurſus verbum (ſeruientes) Græcè ϖροκαρτεροῦντες, id-
eſt quadam aſſidua inſtantia incumbentes. Auguſt. lib. 4. de do- *Auguſt.*
ctri. Chriſt. cap. 20. vertit (perſeuerantes) idem eſt verbum, quod ſupra cap. 12. dictum eſt. (orationi inſtantes) quo ſignificatur continua, diligens, & intenſa cura, quam debent ſuperiores adhibere erga ſibi ſubditos, vt à malis retrahantur, & virtutibus incumbant.

Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.

Concludit ex ſuperioribus ſententiam, ſcilicet, generalem ſubiectionem, & obedientiam ijs, qui auctoritate publica funguntur. Reddite, inquit, ergo ſingulis, quæ eis debentur; quibus debetis tributum, reddite tributum; quibus debetis vectigal, red-
Tributum & vectigal in quo differunt. dite vectigal. Tributum, & vectigal eo differunt, quòd tributum ſoluitur ex facultatibus proprijs vniuſcuiuſq., aut ex perſonis ipſis, de quo Math. 22. Licet tributum dare Cæſari? Vectigal autem ex mercimonijs, & negotiationibus exigitur. vtrumque debetur Principibus; tamen quia exactores, qui nomine Principum ea exigunt, diuerſi ſunt. idcirco dicit Paulus. Cui tributum, tributum; & cui vectigal, vectigal. Præterea cui timorem debetis, reddite timorem, ideſt obedientiam, eorum iuſſis obtemperando. Hoc dicitur propter Duces, qui nomine Principum gubernant communitates.
de quibus dicitur. 1. Petr. 2. Subiecti eſtote, ſiue Regi, tam- *1. Petr. 2.*
quam præexcellenti, ſiue Ducibus, tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Hoc idem dicitur de Dominis reſpectu ſeruorum, de quibus ibidem dicit Pet. Serui ſubditi eſtote dominis veſtris in omni timore.

Poſtremò cui honorem debetis, reddite honorem. hoc dicitur propter ipſos Reges, Principes, & ſupremos dominos, iuxta il-
lud. 1. Petr. 2. Regem honorificate. Dicitur etiam generaliter *1. Petr. 2.*
propter omnes proximos, quos honorare debemus, nemini iniuriam vllam inferentes. qui enim eam infert, proximum ipſum exhonorat. de hoc generali honore loquitur Petr. 1. epiſtol. 2. Omnes, inquit, honorare: pertinet autem ad obedientiam Prin-

Digitized by Google

cipum honorare omnes, quia illorum eſt iniurias prohibere, & iuſtitiam inter ſubditos conſeruare.

Nemini quicquam debeatis.

Alter alteri quot modis poteſt debitor remanere.

PRoſequitur Paulus eandem ſententiam, verbo generali omnia complectens, nemini quicquam debere nos vult, ſed omnia debita ſoluenda; ita, vt nihil apud nos maneat inſolutum, in quo maxima pax, & tranquillitas hominum conſiſtit, ſi nempe vnuſquiſque erga alios ſe gerat, vt oportet, tàm ſuperiores erga inferiores, quàm hi erga illos, & inter ſe. Hoc autem non obſeruato præcepto, omnis iuſtitia, & charitas erga proximum diſſoluitur, & legis tranſgreſſiones, & omiſsiones multipliciter procedunt.

Niſi vt inuicem diligatis.

AB hoc generali præcepto vnum excipit debitum, quod inſolutum manere ſemper vult, nempe mutuæ charitatis, quã debet vnuſquiſque erga proximum cuſtodire. In cuius declarationem attende, tribus modis poſſe aliquem remanere debitorem alteri. Primò, quia nihil debiti ſoluit, vt ſi quis debeat alteri centum, & ex his nihil ſoluat. Secundò, ſi ſoluat partem, non tamen totum, vt ſi quis ex centum ſoluat quinquaginta; hic ſoluit, & manet debitor. Tertiò, quia ſoluit totum, quod debet ſecundum tempus, & locum; tamen non abſolute totum debitum exhaurit, vt qui ſingulis diebus tenetur alteri dare aurum, ſi vno die ſoluat, reddit debitum totum, ſed ſecundum tempus: remanet autem debitor. Iuxta hæc dicimus, tribus hiſcè modis poſſe aliquem charitatis debitum retinere, ſeu manere debitorem. Vno quidem modo, quia non diligit proximum, nec ea præſtat, quæ ex charitate debet. hic ſenſus non eſt à Paulo intentus, immo vult, nos diligere mutuo, & quæ charitatis ſunt inuicem exhibere, debitumque charitatis reddere, ſicut & alia debita. Altero modo, quando homo diligit proximum, ſed non quantum oportet, & quomodo debet diligere, ſed imperfectè. nec hic ſenſus eſt Pauli, qui omne debitum integrum reddendum eſſe præcipit, dum dicit: Nemini quidquam debeatis. Tertio modo, quando homo diligit proximum, & perfecte diligit affectu, & effectu. id tamen

non

Digitized by Google

non ſemel, ſed continuo, & quoties oportet. & hic eſt ſenſus Pauli. vult enim, nos mutuo diligere perfectè, ita tamen, vt ſemper diligamus, & quando oportuerit, ipſo opere charitatem exhibeamus; nec vmquam dicat homo, dilexi ſemel, & quod potui, bonum feci proximo, amplius non teneor. non hoc dicendum eſt, ſed poſt quantamcumque dilectionem, affectu, & opere exhibitam, debemus nos reputare debitores erga proximos, vt non ceſſemus diligere. Hoc eſt debitum charitatis permanere inſolutum. In qua re excedit charitatis debitum cætera omnia debita, nempe, vt ſemel ſolutum, iterum, atque iterum ſit ſemper ſoluendum; quod alijs verbis Petrus docuit. 1. Epiſt. cap. 4. Ante omnia, inquit, mutuam in nobis ipſis charitatem continuam habentes. Hic agnoſce perfectionem Euangelij, quod hanc charitatem præcipit, & efficit: atque hoc eſt alterum principium, quo maxime omnis humana politia conſeruatur, & promouetur, vt paulò inferius explicabimus. *1. Petr. 4.*

Qui enim diligit proximum, legem impleuit.

CVr charitas erga proximum eſſe debeat continua, cauſam affert, quia qui diligit proximum, legem impleuit: quaſi diceret: charitas eſt breuis ſumma, & epilogus mandatorum Dei. vnde qui diligit, totam legem ſummariè, & breui compendio implet: nam præcepta erga proximum ad hoc unum reducuntur, non inferre illi malum: qui diligit autem, non infert malum, idcirco charitas eſt ſumma mandatorum. Cum igitur legem ſemper implere debeamus, nec eius debitum vmquam finiatur, charitas etiam, quæ legem totam continet, continua perſeuerare in nobis debet.

Attende, ut ex ſequentibus conſtat, Paulum de lege mandatorum Decalogi, quæ omnibus etiam gentibus nota eſt, ſermonem facere, & non de omnibus, ſed de ijs, quæ ſunt erga proximum, ad quæ pertinet illud (nemini quicquam debeatis) & illud (reddite omnibus debita) tamen re vera omnis lex etiam ciuilis comprehenditur, quæ maxime in iuſtitia cum proximo ſeruanda conſiſtit: vnde qui recte diligit, legem impleuit. Nec tantum hoc eſt; ſed etiamſi de charitate erga Deum loquamur: Qui diligit Deum, omnia etiam mandata erga Deum implet, vt abſolute loquendo dici uere poſſit: qui diligit Deum, & proximum,

totam legem impleuit. Paulus verò, quia de ijs, quæ ad proximum pertinent, loquebatur, idcirco de charitate proximi hoc pronunciauit. quali autem ratione, qui diligit, legem impleuit, in ſequentibus explicatur. Græcè non dicitur (proximum) ſed (alterum) idem eſt in vtraq. lectione ſenſus.

Nam, non adulterabis; non occides; non furaberis; non falſum teſtimonium dices; non concupiſces: & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum ſicut te ipſum.

INductione per ſingula legis præcepta erga proximum, probat Paulus. Qui diligit, legem implere; præcepta enim ea numerata vno charitatis mandato continentur ſummarie, & breui compendio; qui enim diligit proximum, non infert malum illi. Igitur nec vxorem eius polluet, nec occidet eum, nec bona illius rapiet, nec bona illius concupiſcet, nec aliud quicquam mali, quod prohibitum eſt lege, inferet. Eſt ergo dilectionis mandatum, ſumma mandatorum breuis. Inſtaurari non aliud ſignificat, quàm ſummatim comprehendi. Auguſt. epiſt. 29. legit. Recapitulatur.

Dilectio proximi malum non operatur; plenitudo ergo legis eſt dilectio.

EXplicat, quomodo illa omnia mandata recapitulentur, ſeu ſummatim comprehendantur in dilectionis mandato. Dilectio, inquit, non operatur malum proximo, & qui mandat proximum diligere, ſummatim nullum malum proximo inferre iubet, nec adulterium, nec furari, &c. igitur legis plenitudo ſeu expletio, eſt dilectio, & charitas proximi, ideſt, qui diligit, legem implet totam, uelut in compendio, & epilogo. Cum igitur principatus verſentur in conſeruanda iuſtitia, & pace inter homines, malum omne prohibendo, quo ſe mutuo afficere ſolent, Euangelium perfectionem maximam adfert Principibus, quia præcipit, & inducit charitatem proximorum mutuam, quæ plenitudo eſt omnium legum, & totius iuſtitiæ. Græcè habetur. Dilectio proximo malum non operatur, ideſt proximo non infert malum. Si igitur dilectio eſt legis plenitudo, odium, & charitatis defectus totius legis eſt diſſolutio.

Plenitudo legis quomodo in dilectio. conſiſtat.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIO X.

ADuertendum eſt pro maiori declaratione huius doctrinæ, duorum Paulum meminiſſe, ſcilicet, & mandati, ſeu præcepti dilectionis proximi, & dilectionis ipſius. Mandatum, ſeu præceptum diligendi proximum, continet cætera mandata particularia erga proximum, non occidendi, non furandi, &c. velut compendium quoddam, & ſicuti genus continet ſpecies; nam qui diligere proximum, & illi malum non inferre mandat, generaliter prohibet, malum inferre, ſiuè in vxore, ſiuè in rebus, ſiuè in vita, & denique in alijs, quæ diſtinctis mandatis Dei prohibentur; in eodem etiam præcepto continetur quodcumque bonum, quod erga proximos facere iubemur; qui enim mandat diligere, mandat generaliter, vt ſi ſitit, demus potum; ſi eſurit: miniſtremus cibum; ſi infirmus, auxilium præſtemus; parentes honoremus, poteſtatibus obedientiam exhibeamus, & denique, vt omne debitum reddamus. Eſt igitur mandatum dilectionis proximi epilogus cæterorum mandatorum particularium. Et hoc eſt, quod dixit Paulus ſupra; mandata in hoc verbo inſtaurari, & recapitulari; diliges proximum ſicut te ipſum. appellat verbum, mandatum, ſeu præceptum. Sicut autem charitatis præceptum erga proximum complectitur ſummatim, & generice omne mandatum de proximo, ita præceptum dilectionis Dei continet etiam omne mandatum erga Deum. non vanè iurandi, ipſum colendi, pacta ſeruandi, & quidquid erga Deum faciendum præcipitur, & à quo abſtinendum mandatur. Hinc eſt, quòd Dominus omnia legis mandata ad duo, velut ad ſummam, & compendium generale reduxit, nempe, dilectionis Dei, & proximi. Matth. 22. Ab his, inquit, duobus mandatis vniuerſa pendet lex, & prophetæ. Hæc de mandato.

Mandatũ de dilectione quomodo contineat cætera mandata erga proximũ.

Si vero de ipſa dilectione loquamur, quæ præcipitur, & mandatur, ipſa eſt plenitudo, & complementum omnium eorum, quæ cæteris diſtinctis, & particularibus præceptis mandantur, tàm erga Deum, quàm erga proximum, ita vt qui diligit proximum, dici poſſit modo quodam omnia ſeruare, quae mandantur erga proximum ſeruanda. Similiter de Dei dilectione dicendum eſt. Et hoc eſt, quod ſecundo loco dicit Paulus; Plenitudo legis eſt dilectio, & qui diligit, legem impleuit.

Quo autem modo, qui proximũ diligit, ipſo diligendi actu dicatur legem implere, conſiderandum nunc eſt: duobus autem modis lex impleri dicitur. Vno modo, quando ſingula præcepta particularia implentur tàm affirmatiua, quàm negatiua. Et hoc modo, qui diligit, non dicitur totam legem implere; quia ſolo illo actu non miniſtrat cibum eſurienti, nec potum ſitienti, nec infirmo fert opem, nec cætera facit, quæ lege præcipiuntur. Nec etiam tunc implet præcepta negatiua in particulari, non furandi, non oc-

cidendi, &c. quæ tunc impleri dicuntur in particulari, quando po teſtate, & occaſione data furandi, & occidendi, &c. homo abſtinet, & præceptum ſeruat. Altero modo lex impleri dicitur, quando id fit, à quo tota lex dependet, vel in quod tota lex ordinatur, vel quo tota lex perficitur; & ſic qui diligit, totam legem impleuit, tùm quia dilectio eſt principiũ, & radix cæterum omnium, quæ mandantur; qui enim diligit proximum, habet in ſe principium, & cauſam, ex qua fiet, vt non occidat, non furetur, non malum inferat, cætera etiam bona quæ præcipiuntur, faciat. & hoc

1. Cor. 13. eſt illud 1. Corint. 13. Charitas benigna eſt, patiens eſt. non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non irritatur, nõ cogitat malum, &c. Eſt enim principium, & cauſa efficiens complementi cæterorum omnium, quæ mandantur. Qui ergo diligit, omnia implet virtute, & poteſtate, vt principio primo, & cauſa eorum.

Ioan. 14. Ioan. 14. Qui diligit me, mandata mea ſeruabit. Tùm quia dilectio eſt finis, & ſcopus, in quem tendunt cætera legis mandata. præcipimur enim, non occidere, non furari, &c. vt dilectio inter nos mutua conſeruetur. Vnde, qui diligit, omnia implet, ratione finis, & ſcopi, in quem omnia mandata ten-

1. Tim. 1. dunt. Hoc docet Paulus. 1. Timoth. 1. Finis præcepti charitas: tum etiam, quia ipſa modum generalem exhibet, quo cætera mandata perfecte fiunt: is autem modus eſt, quando implentur ſingularia ex dilectione; qui enim non occidit, non furatur, quia non poteſt, vel quia timet periculum, vel alijs de cauſis, imperfecte implet mandatum: at qui, quia diligit, id obſeruat, implet perfecte legem

1. Corin. 6. Omnia veſtra in charitate fiant. 1. Cor. 6.

Adde, qui implet ſine charitate præceptum, merito caret, & mercede: at qui ex charitate facit, meritum habet 1. Corint. 13. Si diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum; ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, &c. & charitatem non habuero, nihil mihi prodeſt. Paulus in præſenti primum modum implendi nobis ſignificare voluit, nempe, qui diligit, legem impleuit totam, virtute, & poteſtate, & velut principio quodam cæterorum, quæ mandantur, & quæ ſunt effectus dilectionis. Hæc ſunt quantum ad explicationem huius ſententiæ dicta. 1. Cor. 13.

Quod verò ad veritatem eius pertinet, adeo eſt vera, & certa, & indubitata ſententia, vt gentes ipſæ lumine fidei priuatæ aliqua ex parte eam attigerint: nam Ariſto. Ariſto.

lib. 8. ethi. cap. 1. affirmauit, amicitiam continere ciuitates, & ſi homines ſint amici, non eſſe opus iuſtitia; ſi vero ſint iuſti, indigere amicitia, & quod eſt maxime iuſtum, ad amicitiam pertinere, quaſi diceret: Si amor eſt mutuus inter ciues, non eſt opus legibus iuſtitiæ, quia ſine eis obſeruabitur quidquid eſt iuſtitiæ, propter amicitiam, & amorem: at ſi leges ſint, adhuc opus eſt amicitia, & dilectione: Quam doctrinam amplexus Tullius lib. de amicj. idem affirmauit, nempe, ſi ſe mutuo amarent homines, non indigerent lege, nec coactione iuſtitiæ, ſed ipſimet obſeruantiam omnem præſtarent, quo amore deficiente, leges parum proſunt. Si igitur amor, & dilectio

Digitized by Google

ctio naturalis tantum poteſt, & tam efficax eſt, vt iſti gentiles docuerunt, & rei veritas comprobat, perpende, quantò efficacior erit dilectio charitatis, quæ non diligit hominem propter hominem, ſed propter Deum ipſum. quo conuincitur Euangelij neceſſitas, quæ lex eſt charitatis, ad perficiendas humanas politias, quæ tanto perfectius, fortius, & durabilius perſiſtunt, quanto vinculum charitatis maius eſt amore, & dilectione humana, & quanto amplius præcepto diuino Euangelico mutua hæc charitas præcipitur, & ſtabilitur vltra naturale præceptum.

ANNOTATIO XI.

Orig.

Dilectio licet contineat plenitudine legis, non tamen aufert obligationem aut poſſibilitatem illam ſeruãdi.

DVæ hęreſes ſunt hoc loco refutandæ. Prior eſt antiqua Marcionis. hic, vt refert Orig. 2. dialog. contra eundem, totam legem veterem ceſſaſſe affirmabat, etiam quantum ad præcepta Decalogi, quod eo probat, quia charitas eſt plenitudo legis, igitur lex illa iam non eſt neceſſaria. quod, quantum ad cæremonialia, & iudicialia, verũ eſt: quantum vero ad moralia, & ea quæ Decalogo continentur, errabat iſte hæreticus: nam vt rectè adnotat Origen. mandatum dilectionis eſt epilogus cæterorum: epilogus autem non tollit ea, quæ epilogo continentur. Adde, dilectionē, vti diximus, dici plenitudinem, quia eſt cauſa implendi cætera; Igitur cætera eſſe debent; non enim aliquid dicitur cauſa eorum, quæ non ſunt. Plura contra hanc hæreſim proferre non eſt inſtituti præſentis.

Poſterior hæreſis eſt hæreticorũ recentiorum; hi enim fatentur, dilectionem perfectam eſſe legis plenitudinem, tamen in hoc ſæculo, qualis, & quanta eſſe debeat, ſciri poteſt, impleri autem non poteſt: vnde præceptum dilectionis viatori etiam iuſtificato impoſſibile obſeruatu eſſe dicunt. Quantum autem iſti errent, vel locus hic Pauli manifeſto oſtendit; ſi enim hæc dilectio haberi non poteſt in hoc ſæculo, quid eſt, quod Paulus ad eam nos exhortatur? nemo enim ſanæ mentis ea ſuadet, quæ omnino fieri non poſſe cognoſcit. Si igitur pręcipitur nobis dilectio, quæ legis eſt plenitudo, ergo eam in hoc ſęculo Dei gratia aſſequi poſſumus. Error autem horum inde proceſſit, quod non diſtinxerunt inter dilectionem in ſe perfectam, & eam, quæ eſt in præcepto, quod exemplo declarari poteſt. Si quis iubeat alicui perfecte currere, non iubet quẽcumq. curſum; homo enim non ita velociter currere poteſt, ſicut ceruus; ſed iubet eum curſum, qui ſecundum vires illius eſſe poteſt; iſq. perfectus dicitur, non in ſe, ſed habita ratione hominis; ſic dilectio perfecta in ſe, quantum eſſe poteſt. non eſt in hoc ſæculo, nec eſſe poteſt, cum neceſſe ſit viatori ceſſare aliquando ab actu, & ſine peccato veniali iuſtus non viuat: at non hæc eſt in præcepto: ſed quæ ab homine iuſtificato, iuxta vires arbitrij adhuc in mortali carne exiſtentis gratia adiuti, poteſt præſtari: & hæc perfecta eſt, non abſolute, ſed habita ratione ſtatus infirmitatis humanæ. quod quidem dilectionis præceptum impleri poteſt in hoc ſæculo, & qui ſic diligit, legem imple-

Tt 4 uit,

Digitized by Google

uit, taliſq. dilectio legis eſt plenitudo. vnde merito Concilium Triden. hanc hæreſim damnauit. ſeſ. 6. can. 18. Si quis, inquit, dixerit Dei præcepta homini etiam iuſtificato, & ſub gratia conſtituto eſſe ad obſeruandum impoſſibilia, anathema ſit. Plura proſequi in hac parte, alterius eſt conſiderationis.

Concil. Trident.

ANNOTATIO XII.

Per euangelium nõ tolli obedientiam ſubditorũ multis probatur rationibus.

MIro artificio ſatisfacit Paulus falſæ opinioni Principum Gentilium, qui ſubditorum ſuorum obedientiam tolli per Euangelium exiſtimabant, cum potius per ipſum illa ſtabiliatur, confirmetur, & roboretur multò magis, quàm erat ante Euangelium, idq. Paulus multis rationibus inſinuat.

Prima eſt, quia humanis præceptis adiungit diuinum: fortius autem eſt obedientiæ vinculum, quod non humana lege tantum, ſed etiam diuina obligat. Qui, inquit, poteſtati reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit.

Altera eſt, quia humanæ maieſtati adiungit diuinam; revereri enim hominem, quia Princeps eſt, magnum quid eſt, tamen quia miniſter Dei eſt, & eius vices gerit in terra, maius multò eſt, & eò magis reuerentia erga Principes augetur; cui quidem reuerentiæ innititur obedientia, hoc Paulus docet ſæpe, dicens. Miniſter Dei eſt, & gladium Dei portat.

Tertia eſt, timor, hic enim multum valet ad continendum homines in ſubiectione; idcirco enim pœnæ apponuntur tranſgreſſoribus, & gladium portant Poteſtates, vt per timorem homines iugo obedientiæ contineant. Euangelium autem timori humano adiungit diuinum. quantò igitur grauiores pœnas Deus infligere poteſt, quàm homo, quãtoq. magis Deo ſunt notæ trãſgreſſiones hominum, quàm Principibus, tantò efficacior eſt timor Dei ad continendum homines in obedientia. Hac duplici ratione, & argumento vtitur Iuſtin. apolog. 2. an Antoni. Imper. vt probet, obedientiam erga Principes Euangelio perfici: nam Principes non noſcunt omnes legum ſuarum tranſgreſſores; & quamuis noſcant, non poſſunt ſemper vindictam ſumere; & ſi aliquando poſſunt, non valent ſemper condignas pœnas infligere; & ſi valent, pœnæ hæ, cum temporales ſint, paruæ ſunt. at Deus omnem perſpicit tranſgreſſionem, nihilque eum latet, nemoque manum eius effugere poteſt; pœnam etiam æternam infligit. Potentior ergo eſt timor Dei. Idem etiam docet Tertul. apolog. cap. 45. Auguſtinus etiam in illud pſalm. 118. A verbis tuis formidauit cor meum. timorem Dei præponens timori Principum, ſic inquit. Habuerunt Principes ſua verba. occido. proſcribo, in exilium mitto: ſed hæc comparari non poſſunt huic, qui poteſt corpus, & animam mittere in gehennam; ob id à verbis tuis formidauit cor meum. hæc Auguſtin. Hunc timorem Paulus docet, quando dicit (non ſolum propter timorem, ſcilicet hominum, ſed etiam propter conſcientiam) & (qui reſiſtunt, damnationem acquirunt)

Tertul. Auguſt.

Quarta eſt, dilectio, & charitas erga

omnes; maiores, æquales, & minores; quæ quidem plus poteſt animos hominum mouere, & inducere ad obedientiam, quàm timor, vti in commentario adnotauimus, vbi teſtimonia Gentilium Philoſophorũ etiã addidimus. Hæc .n. facit obedire ex animo, & ſpõte, & plenitudo legum eſt. Hanc dilectionẽ, Principum iuſſa non faciunt: facit autem lex Euangelica, quam Paulus expreſſit, dicens: Omnes inuicem diligatis.

Quinta eſt, quia Euangelium aufert omnes radices inobediẽtiæ, & tranſgreſſionum legum humanarum contra Principes, quas ipſi Principes tollere non poſſunt: nam lex Euangelica prohibet ambitionem omnem, auaritiam, iram, inuidiam, & denique omne peccatum, non ſolum in opere, ſed etiam verbo; & quod maius eſt, etiam in corde, quod leges ciuiles, & humanæ non poſſunt efficere. Hæc vitia ſunt, quæ perturbant obedientiam erga Principes, eneruant, & aliquando omnino deſtruunt. Hanc rationem Paulus adfert, dicens (Abijcite opera tenebrarum.) & iterum (non in comeſſationibus, & ebrietatibus, &c.) & (carnis curam ne feceritis in cõcupiſcentijs.) hæc autem cõmunia ſunt ſubditis, & ſuperioribus; ſæpe enim vitia ipſorum ſuperiorum cauſa ſunt, cur minorem obediẽtiam ſubditorum obtineant. Quanto ergo Euangelium plenius vitia omnium prohibet, tanto fortius Principũ Regna, & obedientiam erga eos confirmat.

Sexta eſt, quia omnem virtutem continet; qui enim vere viuit ſecundum Euangelij regulam, omnino vir bonus eſt: virum autem bonum ſola humana pręcepta etiãſi omnia implerẽtur, facere non poſſunt: nihil autem magis confirmat regna, & principatus, quàm Principis, & ſubditorum vita bona; ſi enim omnes viri boni eſſent, omnes principatus ſtabiles eſſent. Prou. 29 Rex, qui iudicat in veritate pauperes, regnum eius in æternum firmabitur. Hanc rationem Paulus docuit, dicens: Induamur arma lucis, & induimini Dominum Ieſum Chriſtum.

His igitur ſex argumentis Paulus confirmat obedientiam Principum ſecularium, & eorum falſæ opinioni occurrit.

Obijcere aliquis poſſet, poteſtateſtatẽ ſecularẽ minui per poteſtatẽ Euangelicam: nam multæ perſonæ, ſcilicet Eccleſiaſticæ in multis eximũtur à iuriſdictione Principũ ſecularium, multi redditus Eccleſiaſtici liberi ſunt ab oneribus perſoluẽdis: Ciues etiã in multis tenẽtur magis obedire ſuperioribus ſpiritualibus. Igitur videtur diminutus Principatus terrenus per Spiritualẽ, & Euangelicũ. Reſpõdeo, non cenſeri diminutionẽ, quæ tendit in maiorẽ conſeruationẽ, & perfectiorem obedientiã, fatemur illa omnia; tñ, quia ex alia parte Eccleſiaſticus Principatus perficit, & roborat obedientiã ſecularem, non dicitur minuere, ſed roborare. Habemus exempla huius rei. Per principatus ſeculares diminuta eſt poteſtas patrũ in filios; coarctata eſt libertas ſingulorũ; quia à natura nemo eſt ſubditus, vt vni Principi daretur poteſtas; reſtricta eſt libertas, & poteſtas cæterorum. Tamen quia hæ poteſtates particulares non poterant reſiſtere damnis occurrentibus, contra vitã, honorẽ, & res ipſas, nec poterant conſeruare ſe, nec perdurare, data eſt vni

Poteſtatẽ ſecularem nõ minui per Euangelium.

poteſtas

poteſtas publica, qua multo magis conſeruantur, & perdurant ſinguli, quàm per proprias libertates,& poteſtates non reſtrictas. Ita nunc, etiamſi ex parte minutus videatur principatus terrenus, tamen quia Euangelium id diutius, & perfectius firmat, non debet cenſeri minui, ſed perfici. Hoc idem in arte experimur. Vt ex ligno fiat ſtatua, multæ partes reſcinduntur, vt figura introducatur: at lignum, vel lapis per figuram diutius conſeruatur, & multo pluris fit, quàm ſine tali figura,retentis etiam eius omnibus partibus. Quot nunc ſunt lapides, & ligna, quæ à multis annorum centurijs perdurant,quia imagines Sanctorum,autImperatorum ſunt inſculptæ, quæ ſi ſimplices lapides,& ligna eſſent, iam diu in cinerem, aut calcem conuerſa eſſent, aut in vili angulo laterent? Hoc idem eſt de poteſtate ſæculari; quæ etiamſi per Religionem Chriſtianam aliqua ex parte ſit reſtricta, tamen diutius, & firmius per eam permanet, & perdurat.

Et hoc ſcientes tempus.

EXaggeratio quædam eſt præcedentis ſententiæ: admonuerat enim, vt nemini quidquam deberemus, ſed vt omnes diligeremus, omnibusq. debita redderemus; quia dilectio plenitudo legis eſt, idipſum auget, & amplificat, dicens. Et hoc quidem, ſcientes temporis opportunitatem, & præſentem occaſionem. Illud (& hoc) particula eſt amplificationis, & exaggerationis; ſicut dicimus, iniuria affecit proximum, idq. publice, & coram omnibus; ita nunc dicitur. Reddite omnibus debita, & inuicem diligite omnes: idq. ſcientes occaſionem, & oportunitatem, quæ nobis eſt per Euangelium oblata. Illud (ſcientes) quamuis Hebraiſmus eſſe poſſit, vtitur enim Hebræus participio, pro verbo, quaſi dictum eſſet, & hoc cum ſciamus; tamen poteſt connecti verbis præcedentibus: Nemini quidquam debeatis; inuicem diligatis; reddite omnibus debita; idq. ſcientes. Illud, tempus, Græce καιρὸς, non tam tempus,quàm opportunitatem, ſeu occaſionem ſignificat; nec coniungitur cum particula (& hoc,) quia Græce (hoc) eſt neutri generis, tempus vero maſculini.

Quia hora eſt iam; nos de ſomno ſurgere.

Diei hora cur factus eſt aduentus Chriſti

EXplicat temporis opportunitatem; eſt enim hora excitandi ſe à ſomno, & ſurgendi. Metaphora quædam eſt ſumpta à noctis, & diei tempore: nox enim eſt opportunum tempus ſomno. dies vero vigiliæ; qui die iacet, & dormit, nimis importunè, &

Digitized by Google

nè, & indecenter id facit. Ante Chriſti aduentum, tempus nocti comparabatur; quia minus fides eius lucebat, & obſcuritas erroris, & infidelitatis totam occupabat gentilitatem: Chriſti vero aduentus, hora eſt diei, quando fides eius per mundum ſparſa, & Sol ipſe Chriſtus lumen per Orbem diffundere incepit, tenebris erroris expulſis. Somnus ergo peccatorum poſt Chriſti aduentum nimium indecens, & importunum eſt, vtpote hora diei iam facta. Tempore vero noctis, & infidelitatis, quamuis peccata mala eſſent, minus tamen reprehenſibilia erant, propter quandam noctis, & ignorationis Dei excuſationem. Opportunitas igitur hæc eſt, omnibus reddendi debita, & omnes diligendi, & totam legem implendi, quia hora aduentauit ſurgendi. Illud (quia) poteſt & cauſaliter, & expoſitiue accipi.

Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cum credidimus.

Cur hora ſit ſurgendi è ſomno, adueniente Chriſto.

CAuſam adfert, cur ſit opportunitas, & hora ſurgendi à ſomno errorum, & vitiorum, quia nunc, adueniente iam Chriſto, & eius Euangelio promulgato, habemus ſalutem viciniorem, & propiorem, quàm eo tempore, quando tantum credebamus, & ſola fide tenebamus, nempe ante Chriſti aduentum; tunc enim nondum ſalus erat effecta, nondum Chriſtus carnem ſumpſerat, nondum mortuus pro nobis erat, nondum pretium ſalutis dederat, nondum ſalutis ſacramenta confecerat. hæc omnia fide ſola, non re ipſa erant: & quamuis tunc hac fide, & ſpe futurorum peccatores, pœnitentia, & charitate interueniente, iuſtificarentur, tamen facilior eſt multo facta via ſalutis, quando hæc omnia, non ſola fide, ſed re ipſa ſunt exhibita. Iam Chriſtus carnem ſuſcepit, iam mortuus eſt, iam ſurrexit, iam ſedet ad dexteram Patris, iam efficaciſſima ſalutis remedia, & ſacramenta inſtituit, iam radios luminis, & fidei ſuæ lucidiores, & diffuſiores per Orbem expandit. Propior ergo, & vicinior eſt nobis nunc, tempore Euangelij, ſalus, quàm eo tempore, quando credebamus quæ futura erant, nondum tamen reipſa habebamus. Salus poteſt Chriſtus intelligi, qui propior eſt nobis dictus, quia iam carnem ſumpſit, & cætera, quæ promiſſa erant, & fide tenebantur, compleuit. Poteſt etiam intelligi ſalus ipſa, quam nobis contulit, quæ eſt remiſſio peccatorum, & reconciliatio cum Deo, & reliqua bona ſpiritualia; quæ quidem ſalus dicitur propior nobis, quia facilius, & copio-

ſius

Digitized by Google

ſius acquiritur, ipſo Chriſto Deo, & homine iam præſente, & ſalutis remedijs efficaciſſimis adhibitis.

ANNOTATIO XXIII.

Aliqui vertendũ cenſent (propius nos eſt ſalus) illud enim (nos) Græce ἡμῶν connectunt cum aduerbio, idq. accommodate fit. poteſt etiam conuerti, ſicut & vetus habet interpres, vt illud (ἡμῶν) coniungatur cum σωτηρία, ideſt (ſalus) per quandam traiectionem, ſicut & illud Ioan. 15. Maneo in eius dilectione. Illud autem (cum credidimus) non ad tempus ante priorem Chriſti aduentum, ſed ad tempus poſt eum, ante generalem tamen reſurrectionem quidam antiqui Doctores referunt, nempe ad tempus Euangelij ante finem ſæculi: tamen de hac expoſitione, quæ totum hunc textum complectitur, dicemus in annotatione ſequenti, poſtquam ſententiam hanc integram explicuerimus.

Ioan. 15.

Nox præceſſit: dies autem appropinquauit. abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

Qualis debeat eſſe vita Chriſtianorum

Perſeuerans in eadem metaphora, concludit, qualis debeat eſſe vita Chriſtianorum. Nox, inquit, præceſſit, ideſt tempus infidelitatis, & ignorationis Dei completum eſt, & appropinquante luce Euangelij, quæ dies eſt, illa nox receſſit. igitur cum ipſa nocte abijciamus opera noctis, quæ ſunt peccata; peccata enim maxime eorum ſunt, qui Deum, & myſterium ſalutis ignorant. Deo igitur iam tam perfecte per fidem agnito, remoueamus opera conuenientia tenebris, & ignorationi Dei. Epheſ. 4. Iam non ambuletis, ſicut & Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris habentes obſcuratum intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis. 1. Theſſ. 4. Non in paſſione deſiderij, ſicut & Gentes, quæ ignorant Deum. Cum etiam Sol iuſtitiæ Chriſtus illuxerit, iamq. dies Euangelij appropinquauerit, induamur arma lucis, ideſt, ea opera faciamus, & ijs veſtimentis induamur, quæ ſunt diei, & lucis. Epheſ. 5. Eratis tenebræ, nunc autem lux in Domino; vt filij lucis ambulate in omni bonitate, iuſtitia, & veritate. Hæc ſunt arma, & veſtimenta diei. perfectiorem explicationem in annotatione inuenies.

Epheſ. 4. 1. Theſſ. Epheſ. 5.

ANNOTATIO XXIV.

Notanda ſunt aliqua, primo illud (præceſſit) Græce eſt verbum προέκοψε, quod & proceſſit, & præceſſit ſignificat. Græci auctores,

Chryſoſt. *Theodor.* res, vt Chryſoſt. & Theodor. priorem ſignificationem ſecuti ſunt, nempe, nox progreſſa eſt, & in finem tendit, quaſi nondum ſit completa, ſed prope finem, idq. eorum expoſitioni quadrat, qui noctem tempus Euangelij interpretantur, vt in ſequenti annotatione explicabitur. pro qua lectione facit verbum ſequens (appropinquauit) quod Græce pręſentis temporis eſt. At Latini Patres amplexi ſunt poſteriorem ſignificationem. *Cypr.* Cypr. tract. de zelo, & liuo. ſic legit. Nox tranſiuit. & Hieron. Matth. 26. habet: Nox præterijt: dies autem appropinquauit. *Ambr.* Ambr. lib. 5. de ſacr. cap. 4. nox heſterna præceſſit: dies autem hodiernus appropinquauit. & ſer. 52. habet. Nox, inquit, præceſſit. non ſequitur: dies autem appropinquauit. *Auguſt.* *Gregor.* Auguſt. etiam epiſt. 80. legit, nox præceſſit, & Greg. lib. 29. mor. cap. 1. quæ lectio fauet expoſitioni; quam ſecuti ſumus, & probabilis eſt, quam etiam vetus interpres recepit. Quòd ſi legamus. Proceſſit nox: dies autem appropinquat, non propterea mutatur ſenſus, quē adhibuimus; cum enim tunc temporis eſſet initium Euangelicæ prædicationit, & naſcentis Eccleſię, dicitur dies appropinquare; nondum enim plena, & integra apud omnes erat cognitio Euangelij: nox autem legis, & temporis illius antiqui, dicitur progreſſa, non quod finita non eſſet, ſed quod non longe à termino & fine eſſet, nondum etiam omni ex parte tenebræ ignorantiæ expulſæ eſſent. Sol ergo iuſtitiæ Chriſtus ortus erat, ſed in dies fides eius augebatur. idcirco, nox progreſſa, & dies appropinquare dicuntur.

Nox præceſsit, quid ſignificet, ſicut dies appropinquauit.

Secundo adnotandum eſt, peccata appellari opera tenebrarum, tum quia ab his maxime committuntur, qui Deum, & ſalutis myſterium ignorant; tum quia velut illis propria, & minus difformia ſunt; illis enim, qui lucē Chriſti habent, ſunt valde diſſona, & inexcuſabilia.

Peccata, cur appellētur opera tenebrarum.

Tertio notanda eſt energia in verbo (abijciamus;) non enim tantum vult nos Paulus à peccatis ceſſare, & quæ commiſimus per pęnitentiam remouere, ſed ea abijcere. qui enim aliquid abijcit, procul à ſe repellit, vt non facile repetat, cum quadam etiam deteſtatione, & odio à ſe pellit, ne affectus aliquis iterum id recipere inducat. ſic nos oportet abijcere peccata, & vitia, vt procul ſint à nobis omni occaſione peccati reſciſſa, & cum quadam auerſione, & horrore peccatorum, vt omnino iterum peccare abominemur.

Quarto, bona opera appellat (arma) quia vere arma ſunt ſpiritualia. Epheſ. 6. Induite armaturam Dei; ſunt enim bona opera arma defenſiua, & offenſiua. Defenſiua quidem iuſtitiæ, & gratiæ acceptæ; qui enim iuſtificati ſunt, & gratiam acceperunt, eo maxime tuentur, & ſeruant eam, virtuteſq. cum illa acceptæ, ſi continuis vacent bonis operibus, quibus gratia, & iuſtitia accepta etiam augentur. Offenſiua autem ſunt inimicorum, & aduerſariorum, eo enim caro, quæ inimica eſt, minores habet vires contra ſpiritum, quo virtutum operibus ſtudioſius incumbimus, ipſamq. obedire Spiritui facimus. Dæmon etiā minus in nos poteſt, quo nos ſumus contra eum vigilantiores: eo etiam mundus ſuperatur, quo per bona opera temporalia ad Deo ſeruiendum conuertimur.

Bona opera cur appellentur arma lucis. *Epheſ. 1.*

Quintò,

Quinto notanda eſt mira ſignificatio illius verbi (induamus) quo plura,& notatu digna Paulus indicauit. Qui enim arma indutus eſt, ſic ſe habet, vt ea habeat,ſicut habere oportet: nam galeam habet in capite,ocreas in pedibus,arcum in manu, &c. minus etiam ei grauia ſunt, quàm ſi ea haberet in manibus,aut ſupra humeros. difficilius etiam exuit ſe eis, quàm ſi nõ eſſet indutus:nã qui in manu habet, facile proijcit. Hæc tria nos in bonis operibus efficiendis habere nos Paulus monet, nimirum vt induamus opera virtutum, ſingula opera facientes perfecte, & vt oportet. Præterea facile, ac cum voluptate, non grauate. Poſtremo, vt ab eis difficile dimoueamur. Hoc eſt induere arma lucis.Indicat etiam alia duo Paulus hoc eodem verbo; nimirum,ne contenti ſimus vnum, aut alterum opus facere, ſemel aut bis: ſed aſſueſiamus bona facere,& habitus,ac conſuetudines acquiramus continuas. Denique ſic faciamus ea, vt erubeſcamus,aut timeamus, quando non vacamus bonis operibus,ſicut nudi, & inermes inter hoſtes, aut coram multis adſtantibus erubeſcunt,& timent.Debemus ergo talia opera reputare, vt arma, & indumenta, quæ dicuntur lucis, quia per lucem fidei, & gratiæ fiunt, & habentur, ſine qua nemo perfecte bene operatur.

ANNOTATIO XV.

Nox, quæ præceſsit, & dies qui appropinquauit qui ſint.

NOn conueniunt Doctores in explicandis ſuperioribus ſententijs, nimirum, quæ ſit hæc nox, quæ præceſſit; & qui dies, qui appropinquauit, cæteraq. quæ hactenus expoſuimus; inuenio enim tres antiquorum Patrum interpretationes. Prima eſt eorum, qui noctem hanc,totum tempus vitæ poſt Chriſti aduentum, vſque ad diem iudicij intelligunt; diem vero,tempus poſt reſurrectionem, vt ſit ſenſus:Iam nox huius vitæ præceſſit,& tempus iudicij, aduentusque Domini ad iudicandum, quando omnes reſurgent, & iuſti plenam habebunt redemptionem, appropinquauit; nam iam vicinior, & propior nobis eſt, quàm à principio prædicationis, cum credebamus. Vult enim Paulus,expectatione proximi iudicij Chriſtianos à peccatis deterrere, & ad bona inducere.Hoc igitur eſt opportunum tempus. Hanc interpretationem ſequuntur Athan. qq. ad Antioch. q.90. Baſil. Iſai. 13. in illud. Ecce dies Domini venit. Chryſoſt.ſer.24 & Auguſt.epiſt.80.ad Iſich. Hi omnes de tempore iudicij hunc contextum cenſent intelligendum. *Athan.* *Baſil.* *Chryſoſt.* *Aug.*

Secunda interpretatio eſt eorũ, qui noctem hanc ad tempus ante aduentum Chriſti in carnem referunt: diem vero ad tempus præſens Euangelij. quam expoſitionem ſecuti ſumus, & explicuimus in cõmẽtario: quæ interpretatio eſt Cyprian. lib. de zelo, & liuo. Ambr. enarrat. in Pſal. 45. & ſerm. 52. & eiuſdem Aug. in lib. propoſ. huius epiſt. & Theodoret. *Cypr.* *Ambr.* *Aug.* *Theod.*

Tertia interpretatio media eſt Greg. lib. 29. moral. c.2. qui diem cum prima expoſitione ad tempus poſt reſurrectionem refert; noctem vero ad tempus ante aduentum in carnem; tamen hoc tempus Euangelij *Gregor.*

Digitized by Google

gelij dicit eſſe intermedium, quaſi aurora media eſt inter noctem, & diem. Aurora autem propior eſt, & vicinior diei, quàm nox. Nobis ergo propior eſt ſalus, & dies, quàm ijs, qui fuerunt ante aduentum.

Anſel. Orig. Anſelmus etiam ſecutus eſt aliam expoſitionem, quæ fuit Origen. vt diem appellet tempus poſt obitum vniuſcuiuſque; noctem vero tempus huius vitæ. Eſt autem vnuſquiſque vicinior tempori diei, quo magis mors appropinquat.

Auctor. Inter has, mihi omnium accommodatiſſima interpretatio viſa eſt ſecunda, quam ad mentem Pauli eſſe, efficacia aliquot argumenta demonſtrare videntur. Quorum primum illud eſt: nam inducit Chriſtianos ad induendum arma lucis, & ambulandum vt in die. Igitur dies eſt tempus huius vitæ poſt aduentum Chriſti: ſi enim dies eſt poſt reſurrectionem, Pauli argumentum vi ſua caret; cum enim nondum eſt dies, quamuis propinquus dicatur, non inde concluditur, ambulandum eſſe, vt in die, nec induenda eſſe arma diei. Vere igitur Paulus diem appellat tempus hoc Euangelij, de *2. Cor. 6.* quo 2. Cor. 6. dixit: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Alterum argumentum eſt, quia cum Chriſtus ſit Sol iuſtitiæ, & per Euangelium mundo illuxerit, non poteſt hoc tempus comparari nocti, ſed diei; orto enim Sole nemo dicet noctem eſſe, ſed diem, alias ſequitur: Si tempus hoc nox dicitur; ergo opera tenebrarum, & noctis, quæ ſunt peccata, deberent accommodari Euangelij tempori, quod eſt contra argumentum Pauli, qui ideo abijcienda monet opera tenebrarum, quia nox iam terminata eſt, & dies incepit. Tertium argumentum eſt ex illo verbo (cum credidimus) quod tẽpus præteritũ ſignificat, nimirũ tẽpus legis ante aduentũ Chriſti; ſi .n. tempus Euangelij ſignificaret, dicendũ erat (cum credimus) ſicut dixerat (nunc propior eſt noſtra ſalus.) Quartum argumentum eſt, quia hæc expoſitio, quam ſecuti ſumus, alijs locis eiuſdem Pauli conſona eſt, quæ in commentario citauimus. Noctem ergo appellat tempus ante Euangelij notitiam: diem vero tempus notitiæ Euangelij, quod maxime opportunum eſt ſaluti aſſequendæ, & in quo maxime decet virtutum operibus incumbere, proiectis vitiorum tenebris.

Sicut in die honeſte ambulemus.

PRoſequitur Paulus eandem illationem, ſcilicet: Si dies eſt, abijciamus opera noctis, & induamur arma, & veſtimenta diei, ambulemus honeſte, & cõpoſite, ſicut decet in die ambulare; quis enim in die non erubeſcet nudus incedere per vias; aut cum veſtimentis ſtatui hominis minime conuenientibus? Sic cum Chriſtianus verſetur iam in die, opera faciat, quæ decent Euangelium, qualia ſunt virtutum opera. Vtitur autem prima perſona plurali, abijciamus, induamur, ambulemus, ſeipſum alijs coniungens, vt exhortationem ab inuidia liberet, & increpationem tolerabiliorem faciat, vt recte adnotauit Chryſoſt.

Non

Non in comeſſationibus, & ebrietatibus; non in cubilibus, & impudicitijs; non in contentione, & æmulatione.

Opera tenebrarum quæ ſunt.

OPera tenebrarum aliquot, quæ noctis ſunt, & diei minime conueniunt, enarrat. Ambulemus igitur honeſte, non autem in comeſſationibus,&c. Comeſſationes ſunt frequentia conuiuia, quæ appetitu cibandi ſe fiunt. ſolent enim homines abundantiore cibo tunc vti; hinc ebrietates conſequuntur: plus eſt autem ebrietas, quàm comeſſatio; habent enim hæc duo verba exegeſin quandam. Cubilia appellat fornicationes: Impudicitia autem plus eſt, Græce ἀσελγεία, quæ pleniorem,& atrociorem petulantiam ſignificat, in quam homo facile ex ſimplicibus fornicationibus incidit:nam habent vitia gradus ſuos,& ex minoribus maiora prorumpunt. Contentio eſt, quæ in honoribus aſſequendis, & in humana gloria obtinenda fit, dum alius alium ſuperare nititur, ex qua æmulationes, & inuidiæ procedunt. Hæc opera ſunt tenebrarum, quæ Chriſtianos in die ambulantes maxime dedecent,& quæ proijcienda omnino ſunt. Horum meminit Paulus, quia frequentiora ſunt vitia, & quia carnalia ſunt, & origo infinitorum ſcelerum.

Sed induimini Dominum Ieſum Chriſtum.

COntraria ſuperioribus, à quibus abſtinendum dixerat, ſunt hæc, nimirum vt induamur Chriſtum. Induimur autem Ieſum Chriſtum, cum eius fidei innixi, charitatem ipſius, patientiam, humilitatem, cæteraſq. virtutes imitamur, ſimileſq. ei, quamuis non æquales, effici ſtudemus, illius mandata diligenter cuſtodientes,omniaq. noſtra ſtudia, & opera exteriora, & interiora in ipſum dirigentes. Hoc indumentum decet eos, qui in die Euangelij ambulant.

Attende autem vim, & efficaciam verbi (induimini:) nam ſunt veſtimenta,non ſolum interna,ſed etiam externa,quæ omnibus apparent. Qui ergo Chriſtum induit, debet non ſolum ſecreto Chriſtianus eſſe, ſed etiam, quando opus eſt, publice coram perſecutoribus apparere, ne contra eum dici poſſit illud Matth. 10. Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo. & Luc. 9. Qui erubuerit me, & ſermones meos, hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in maieſtate ſua. Debet ergo, Luc. 9.

qui

qui induit Chriſtum Dominum interius, & exterius coram hominibus omnibus eſſe,& apparere Chriſtianus,operibus, & fidei profeſſione. Quod quidem præceptum illis temporibus Pauli maxime erat neceſſarium.

Et carnis curam ne feceritis in deſiderijs.

COntraria etiam ſunt hæc ſuperioribus illis, ſcilicet comeſſationibus, ebrietatibus,& cæteris: ne,inquit,carnis curam feceritis, in explendis veſtris concupiſcentijs. Curam carnis abſolute non prohibet; dum enim in hoc ſeculo viuimus, carnis cura habenda eſt; quæ cum ſit mortalis, indiget ſuſtentatione in cibo,potu,veſtitu,ſomno, reliquisq. ad ipſius conſeruationem neceſſarijs: at quia ex corruptione peccati prouenit, vt concupiſcentiæ excreſcant, multaq. appetat caro vltra neceſſaria, quæ ad voluptatem, & luxum pertinent,quæq. contra rationem militant, idcirco opus eſt reſciſſione, vt amputentur hæc omnia, frænemusq. carnem, peccata moderando,& cohibendo.Et hoc eſt,quod dicitur. Curam carnis ne feceritis in deſiderijs, ſeu concupiſcentijs; ideſt, explendo eius concupiſcentias, & immodicis ipſius deſiderijs ſatisfaciendo. Cura quidem carnis habenda eſt iuxta rationis moderamen, non iuxta cupiditates illius. Locum hunc diffuſe proſequitur Gregor. lib.6. moral. c.40.

Greg.

CAPVT XIV.

INfirmum autem in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum. Alius enim credit ſe manducare omnia: qui autem infirmus eſt, olus manducet. Is, qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet: Deus enim illum aſſumpſit. Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum. Nam alius iudicat diem inter diem: alius autem iudicat omnem diem: vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. Qui ſapit diem, Domino ſapit: Et qui manducat, Domino manducat: gratias .n. agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo. Nemo .n. noſtrum ſibi viuit, & nemo ſibi moritur.

Siue enim viuimus, Domino viuimus: ſiue morimur; Domino morimur. Siue ergo viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit: vt & mortuorum & viuorum dominetur. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti. ſcriptum eſt enim: Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo. Itaque vnuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo. Non ergo amplius inuicem iudicemus: ſed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum. Scio, & confido in Domino Ieſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei, qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt. Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur: iam non ſecundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum. Non eſt regnum Dei eſca, & potus: ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto: qui enim in hoc ſeruit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus. Itaque quæ pacis ſunt, ſectemur: & quæ ædificationis ſunt, in inuicem cuſtodiamus. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei: omnia quidem ſunt munda: ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat. Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. Tu fidem habes? penes temetipſum habe coram Deo: Beatus, qui non iudicat ſemetipſum in eo, quod probat. Qui autem diſcernit, ſi manducauerit, damnatus eſt, quia non ex fide. Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

COmponit Paulus contentiones quaſdam, ortas inter conuerſos ex Gentibus, & eos, qui erant ex Iudæis, quæ verſabantur in delectu ciborum. In cuius declarationem aduertendum eſt, ſex abſtinentiæ differentias inueniri. Prima eſt naturalis; à cibis enim, & potibus, qui ſanitati nocent, & vitæ contrarij ſunt, naturaliter homines abſtinent, immo eos abhorrent, & quo præcepto vnuſquiſque vitam propriam conſeruare obligatur, eodem ab huiuſmodi ſeſe cohibere tenetur. Altera eſt abſtinentia moralis; cum enim homo ſit ratione præditus, & ea, quæ honeſta, & ſecundum rationem ſunt, proſequi debeat, efficitur, vt debeat temperate vti cibis, & potibus, qui ſolent corpus ita grauare, vt rationi nequeat inſeruire, caroq. repleta ciborum nimietate, & aliquando etiam eorum qualitate, in vitia

Sex abſtinentiæ differentiæ.

multa

multa prorumpat. Opus igitur eſt fræno vti, & temperate agere in cibis, & potibus, quantum ad quantitatem, & qualitatem ſumendis, quæ abſtinentia moralis dicitur, quia ad mores, & virtutum exercitium pertinet. Tertia eſt eccleſiaſtica, & religioſa, quæ ſecundæ morali hoc ſuperaddit, quod forma huius temperantiæ per Eccleſiam præſcripta eſt. Eccleſia enim generalem formam omnibus conuenientem præſcripſit, nempe à carnibus abſtinere, ſemelq. in die comedere, diciturq. ieiunium Eccleſiaſticum, ſiue quod Eccleſia formauit, & præcepit, ſiue quod vnuſquiſque propria deuotione ſibi imponit, quo non ſolum via ad mentis contemplationem paratur, vitiaq. multa impediuntur: ſed etiam corpus, caroq. rebellis mortificatur, & virtutibus exercendis accommodatius fit inſtrumentum, habetq. meritum apud Deum, & ſatisfactionem, ſi ex gratia procedit. Plena eſt Scriptura huiuſmodi ieiunio, & à Paulo commendatur adeo, vt vnam ex cauſis, propter quas à debito coniugali ad tempus vacare liceat, conſtituat ieiunium. 1. Corinth. 7. Nolite, inquit, fraudare inuicem, niſi forte ad tempus, vt vacetis ieiunio, & orationi. & 2. Corinth. 6. Inter ea, quæ miniſtros Dei maxime decent, ieiunium refert. Exhibeamus nos, inquit, ſicut Dei miniſtros, in laboribus, vigilijs, & ieiunijs. cuius etiam tanta eſt efficacia, vt Dominus Mar. 6. doceat eſſe genus dæmoniorum, quod expelli non poteſt, niſi in ieiunio, & oratione. Antiqui Patres encomia multa, & magnifica huius ieiunij ſcripta reliquere. Quarta abſtinentia eſt impia, & hæretica; fuerunt enim hæretici, qui à carnibus, & ieiunijs multis, tamquam immundis in ſe, abſtinendum docuerunt, de quibus meminit Iren. lib. 1. cap. 30. & Auguſt. de hæret. cap. 46. & Epiphan. varijs in locis, quos Paulus noſter prædixit, & reprobauit. 1. Tim. 4. In nouiſſimis, inquit, temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum prohibentium nubere, & abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione. Quinta abſtinentia eſt legalis, & Iudaica, quæ duplex erat. Prior perpetua, per quam abſtinebat ſe homo à multis animalibus, ſiue terreſtribus, ſiue aquatilibus, ſiue aereis, quibus prohibuit Dominus veſci. de ijs fit mentio Leuit. 2. Deut. 14. qualis erat caro ſuilla, leporina, & cæteræ multæ. his nullo tempore licebat veſci, dicebanturq. cibi communes, quia Gentes omnes eis vtebantur, ſimiliter & immundi, non quod in ſe, & ex natura ſua immundi eſ-

1. Cor. 7. *2. Cor. 6.* *Mar. 6.* *Iren.* *Aug.* *Epiph.* *1. Tim. 4.* *Leuit. 2.* *Deut. 14.*

ſent, vt fabulati ſunt hæretici, ſed propter figuram, & ſignificationem; ſic enim Deo illum tunc populum inſtruere placuit. Poſterior abſtinentia erat ad tempus: nam certis quibuſdam diebus abſtinebant ſe Iudæi à cibis quibuſdam, quibus alijs diebus veſci licebat: nam ſeptem diebus Paſchæ fermentato non veſcebantur, ſed ſolis azimis. Deuter. 16. Mos etiam erat deuouendi ſe Deo ſtatis diebus, in quibus vino, & omni eo, quod inebriare poterat, aceto, vuis ſiccis, & recentibus, vti non licebat ſecundum legem Nazaræorum, vt habetur Num. 6. Hæc vtraque abſtinentia legalis, & Iudaica dicitur, cuius meminit Paulus Col. 2. Nemo, inquit, iudicet vos in cibo, aut potu. Sexta abſtinentia eſt ſcrupuloſa, & infirma; olim enim nonnulli Chriſtiani abſtinebant ſe ab ijs cibis, qui immolati erant idolis, dicebanturq. idolothita, exiſtimantes eorum conſcientias eſu eorum pollui. cuius abſtinentiæ ſæpe Paulus meminit, maxime tamen 1. Cor. 8. & 10. quæ ſcrupuloſa, & infirma appellari poteſt, quia ex ignorantia quadam, & errore procedebat.

Deut. 16.

Coloſſ. 2.

1. Cor. 8. & 10.

Cum igitur hæc ita ſint, attendendum eſt, non de omnibus his abſtinentijs, ſeu ciborum delectibus Paulum tractare in hoc capite. Non quidem de prima, quia nulla erat contentio inter Chriſtianos de huiuſmodi delectu, ſed omnes vnanimes, ab his, quæ ſanitati, & vitæ aduerſabantur, abſtinendum eſſe ſciebant, idque obſeruabant. Non etiam de ſecunda, quia nec in hac contentio vlla erat; ſi enim ab his, quæ corpori nocent, abſtinendum erat; multo magis ab eis, quæ nocent animæ, & virtutis exercitium impediunt, & in vitia impellunt. Nec etiam de tertia, quod manifeſto argumento oſtenditur: nam eos, qui in hoc capite abſtinendum eſſe exiſtimabant, infirmos, & imperfectos in fide Paulus appellat: at qui ieiunia Eccleſiæ obſeruant, tales non ſunt; ſi enim ad fidei infirmitatem huiuſmodi ieiunia pertinerent, non ad ea exhortatus eſſet Paulus Chriſtianos, nec ipſe ieiunijs incumberet, nec miniſtros Dei ea docere docuiſſet, nec tantam virtutem Chriſtus eis dediſſet, vt dæmonia per ila expellerentur, nec à Patribus adeo magnifice commendata, & rigidiſſime recepta fuiſſent; nec enim ex fidei infirmitate, ſed ex deuotione, obedientia, pœnitentia, zeloque virtutis procedunt.

Non ergo eſt, quod Hæretici ſuam intẽperantiã hoc capite Pauli tueãtur. Nec etiã agit de quarta, quia illo tunc tẽporis inter Romanos,

nos, quibus ſcribebat, hæc hæreſis orta nondum erat. Conſequitur igitur, vt de quinta, & ſexta Paulus loquatur; in his enim verſabantur contentiones, & quæſtiones inter Chriſtianos illius temporis. Primo quidem, qui ex Iudæis erant aſſueti longo tempore legis obſeruantiæ, retinebant cum Euangelio abſtinentiam ciborum, quam conuerſi ex Gentibus illa lege non aſſuefacti, ſeq. liberos ab eius iugo credentes, reſpuebant. Præterea, qui erant ex Iudæis, & legis tempore Gentiles nimium auerſabantur, & idola deteſtabantur, non poterant induci, vt cibis, qui idolis erant immolati, veſcerentur, exiſtimantes huiuſmodi cibis ſe pollui, quos, qui inſtructiores ex Gentibus erant, non renuebant; ſcientes, cibos eſſe omnes mundos. Erant igitur contentiones, & nimis periculoſæ; quia charitatem diſſoluebant, & facilis occaſio infirmis, maxime ijs, qui ex Iudæis erant, dabatur retrocedendi à fide ſuſcepta. Idcirco Paulus, quæ obſeruanda ab omnibus ſunt, qualiterq. ſe gerere debeant, exponit.

Quæſtiones antiquorum Chriſtianorum de delectu ciborum.

In cuius rei maiorem explanationem aduertendum etiam eſt, Apoſtolos nouiſſe per Euangelium cæremonias illius legis ceſſaſſe, ab illiſq., obſeruationibus omnibus demptis, quæ ad moralia præcepta pertinebant, Chriſtianos liberos, & exemptos eſſe: tamen conuerſis recenter, maximeq. ex Iudæis, vti nonnullis earum permittebant, tum vt apud Gentes innoteſceret, legem illam, bonam, & à Deo ipſo latam extitiſſe; tum ne Iudæos, à multis annis aſſuetos illi legi, à ſuſcipiendo Euangelio deterrerent, ſi omnia ſimul relinquere cogerentur, & breui eradicarent, quod multo tempore fuerat plantatum, præſertim quia longa illa conſuetudine à quibuſdam cibis inſolitis abhorrebant, & nauſeam patiebantur, vt fieri ſolet, & maxime ab his, qui erant idolis immolati, quippe qui maxime idola deteſtati erant. Tum etiam, quia, qui hæc obſeruabant, quod præcipuum eſt, credebant, nimirum, non virtute legis illius, ſed Euangelij, remiſſionem peccatorum, & gratiæ reconciliationem ſe conſequi. Poſtremo, quia intra paucum tempus erant illæ omnes obſeruantiæ ex omnium animis euellendæ, illuceſcente magis ac magis Euangelica luce. Ijs vero qui ex Gentibus erant, vtpote non aſſuetis legis illius obſeruantijs, facilius Euangelica libertas recepta eſt. Chriſtianos autem, qui erant ex Iudæis, obſeruaſſe aliquas cæremonias legis illius cum Euangelio, adeo certum, vt Act. 21. ipſemet Paulus ſe purificauerit in templo, & Act. 18. Se totonderit ſecundum morem Nazaræorum. Ita enim Hieron. epiſt. Act. 21. & 18.

ad Auguſtinum. & ipſe Auguſtinus epiſt. ad Hieronymum inter- *Auguſt.*
pretantur. Timotheum etiam circumcidit, Actor. 16. quia ex *Act.16.*
matre Iudæa erat, vt ſic ſcandalum Iudæorum remoueret; erant enim tunc temporis hæc velut indifferentia ijs, qui credebant, non in eorum virtute poſitam eſſe iuſtificationem, ſed in Chriſti fide, & Euangelio. Hæc igitur obſeruantia, & maxime ciborum, erat in cauſa, cur contentiones ortæ eſſent inter eos, qui erant ex Iudæis, & eos, qui erant ex Gentibus: illis contendentibus eſſe abſtinendum ſecundum legem; his vero libertatem Euangelicam opponentibus. Eadem etiam contentio erat inter ipſoſmet de his, quæ idolis immolata erant, illis vtpote inſtructioribus manducantibus; his vero auerſantibus. Et re vera, qui abſtinebant, errabant, ſed error tolerabatur, vtpote nondum tunc veritate multum explanata. Qui vero libertatem Euangelicam, & talem abſtinentiam neceſſariam non eſſe credebant, hi vere ſentiebant. Idcirco hi perfecti, illi infirmi, & imbecilles appellantur.

Apoſtoli compoſitio ſuper quæſt. de delectu ciborum.

Componit igitur Paulus omnes hos, docens duo; vnum eſt, ne qui abſtinent, reprehendant eos, qui omnia manducant, nec tali vtuntur abſtinentia. Alterum eſt, ne qui omnia manducant, libertate hac abutantur.

Objicies, quæ cauſa eſt, quod in epiſt. ad Galat. acriter inuehitur in eos, qui Iudaicas obſeruationes obſeruabant, eaſq. efficaciter repellit: hic vero dulciter agit, eaſq. permittit? Reſpondeo, ibi cum eis agere, qui legi virtutem iuſtificandi tribuebant; non autem Euangelio: idcirco dogma hoc tamquam aduerſarium, & deſtructiuum Euangelij euertit. hoc vero loco cum eis agit, qui Euangelij virtutẽ agnoſcebant, & confitebantur; cæremonias tamẽ aliquas ſimul retinebant, tamquam à Deo inſtitutas: quod in initio permiſſum eſt conuerſis ex Iudæis, quibus nõ ſolidus cibus, ſed lac miniſtrandum erat, propter eorum imbecillitatem, & nimium legis zelum ex antiqua conſuetudine ab incunabulis imbibitum. Hæc prænotata ſint pro intelligentia huius capitis: cætera in eius expoſitione explanabuntur.

Infirmum in fide aſſumite.

Infirmus in fide qs dicatur.

INfirmum in fide appellat eum, qui minus erat inſtructus in fide, & à cibis olim prohibitis, aut à cibis immolatis idolo, abſtinendum cenſebat, quales maxime erant fideles ex Iudæis conuerſi.

Digitized by Google

uerſi. Alloquens ergo Paulus inſtructiores, & qui libertatis Euangelicæ maiori notitia pollebant, eos monet, vt aſſumant infirmos, ideſt, eos tolerent, & ad perfectam notitiam ducere curent, ad ſe aduocent, ſeq. ipſis coniungant, nec ſe ab eis ſegregent, eorum conuerſationem abhorrentes. hoc ſignificat verbum Græcum προσλαμβάνω, quo Paulus inferius vtitur cap. 15. Suſcipite, inquit, inuicem, ſicut Chriſtus ſuſcepit vos.

ANNOTATIO I.

Qvis ſit infirmus hic in fide, non eodem modo Doctores interpretantur. Primo quidem Chryſoſt. Theodoret. Hieron. lib. 2. con. Ioui. Ambr. & Anſel. cum multis ex recentioribus, infirmũ hunc affirmant eſſe conuerſum ex Iudæis à cibis legalibus ſe abſtinentem, vt in principio paulo ante diximus, totumq. caput præſens de huiuſmodi contentione inter conuerſos ex Iudæis, & Gentibus explicant, quamuis Ambr. in illis verbis (ſcio, & confido) dicat, aliquos ex Gentibus idem ſenſiſſe cum ijs, qui ex Iudæis erant, quantum ad hunc legalem delectum, id quod probabile eſt. Secundo loco Auguſt. in lib. expoſit. huius epiſt. infirmum, conuerſum quidem ex Iudæis interpretatur, non tamen propter abſtinentiam à cibis legalibus, ſed quia ab idolothitis ſe abſtinebat, nec de cibis legalibus vllam facit mentionem. de illa enim ſola contentione, quæ erat etiam apud Corinthios, vt ſupra retulimus, hunc locum intelligit. Quæ quidem expoſitio videtur antiquior Auguſtino: nam Clemens Alex. lib. 2. pædagog. cap. 1. abſtinentiam à cibis huius capitis cum ea, quæ eſt 1. Corint. 8. coniungit. idem etiam Baſil. regu. breui. reſp. 64. Quod quidem me compulit, vt vtramque ſimul expoſitionem coniungerem, & de vtraque abſtinentia à cibis Paulum interpretarer, præſertim cum ita Doctores citati interpretentur hoc caput de abſtinentia vna, vt alteram non reijciant. immo Baſil. in moral. reg. 54. cap. 1. qui loco proxime citato de idolothitis explicare viſus eſt, in reg. allegata, de lege prohibitis interpretatur, citans illud Coloſſ. 2. Nemo nos iudicet in cibo, &c. quod certum eſt, eſſe de cibo lege vetito. Erit ergo infirmus in fide, qui à cibis legalibus aut idolo immolatis abſtinebat, conſcientiam ſuam pollui arbitrans huiuſmodi cibis. Hoc verum eſt, maxime hos eſſe, qui erant ex Iudæis, qui vtroſque cibos damnabant; in hac enim epiſtola Paulus præcipue intendit componere ortas diſſenſiones inter eos, qui ex Iudæis, & eos, qui ex Gentibus erant, quamuis fieri poteſt, aliquos ex Gentibus imitatos eſſe eos, qui ex Iudæis erant, vt diximus ex Ambr. Quę expoſitio, quantum ſit accommodata, ſequentia demonſtrabunt.

Chryſoſt. Theodor. Hieron. Ambr. Anſel. Aug. Clemens Alex. Baſil. Coloſſ. 2.

Tertio loco Origenes nimium ſpiritualiter hæc omnia intelligit; putat enim nihil de cibis legalibus, aut corporalibus hic tractari, ſed ſpiritualiter interpretans, dicit, per *Orig.*

cibum ſignificari doctrinam altiorem, & ſubtiliorem, iuxta illud 1. Corinth. 3. Tamquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis. Qui igitur rudes, & incapaces erant, dicti ſunt non manducare, & à carnibus abſtinere, hosq. infirmos in fide interpretatur: nimis tamen hoc violentum, & durum eſt.

1. Cor. 3.

Recent.

Quarto loco quidam recentior, fidem interpretatur fiduciam, infirmumq. in fide appellat eum, qui minus fidit, & ſperat poſſe v[ir]tutibus incumbere, niſi ieiunio vtatur. Quæ expoſitio indigna eſt auctore catholico, vt facile cuiuis perito notum eſſe poteſt; vti enim ieiunijs, non eſt parũ fidere Deo, & eius gratiæ. Idcirco reiecta ſingulari interpretatione, cõmunis eſt amplectenda.

Dubitabit tamẽ aliquis non immerito, cum ſit fide tenendum, legis cæremonias, & obſeruationes illas ceſſaſſe, nec eſſe iam obſeruandas, videtur in fide errare, qui eas obſeruandas cenſet. Non igitur infirmus in fide eſt huiuſmodi cenſendus, ſed infidelis, & hæreticus. Similiter etiam, qui exiſtimaret abſtinendum ab idolothitis, eo ipſo, quòd idolo ſunt immolata, erraret in fide. Reſpondeo, non ſemper eos eſſe extra fidem, qui non omnes fidei veritates habent: ſed illos ſolum, qui non eas tenent, quæ per Eccleſiam ſunt manifeſte determinatæ, qualis eſt hęc, de qua agimus; tunc enim temporis nondum erat per Eccleſiã declarata, ſicuti nunc eſt. Vnde hi infirmi erant, ſed fideles, quia præcipua dogmata fidei recipiebant; quamuis hæc, quæ nondum erant plene determinata, & omnibus tamquam credenda propoſita, nondum recepiſſent.

Obſeruare cæremonias veteris legis an ſit error fidei.

Non in diſceptationibus cogitationum.

SAtis ſignificauerat modum, quo infirmi in fide tractandi erant, illo verbo (aſſumite) vti in commentario dictum eſt. Vt tamen magis rem exprimeret, & vt quorundam vitium augeret, adiunxit, non in diſceptationibus cogitationum; ideſt, non eos recipiatis, nec aſſumatis, vt cum ipſis contendatis, & diſceptetis, vtri bene, aut male ſentiant, & vt veſtras partes contra eos diſputetis, & defendatis contentioſe. Non vetat Paulus infirmos debere erudiri, & doceri veritatem à perfectioribus; ſed ne id fiat contentionibus, quæ non in vtilitatem infirmorum, ſed in propriam victoriam fiunt. Nec etiam ſine opportunitate, quando capaces nondum ſunt, ſed opportune, & cum charitate.

ANNOTATIO II.

Diſceptatio quid denotet.

GRæce loco præpoſitionis (in) non (ἐν) ſed (εἰς) legitur, quæ ac[c]uſandi caſum frequẽtius poſtulat, quaſi dictũ eſſet (nõ in diſceptationes cogitationũ.) quod qui[de]m cõfirmat hanc ſententiã cõnecti debere verbo

re verbo

re verbo præcedēti, & ad inſtructiores in fide referri debere. Illud (diſceptationibus) Græce nomen eſt διακρίσεις; (cogitationum) vero Græce eſt διαλογισμῶν quę quidē nomina aliqñ vnum & idem, aliquando autem diuerſa ſignificant. Hinc orta eſt multiplex interpretatio: nam Auguſt. libro illo expoſit. propo. huius epiſt. legit (non in diiudicationibus cogitationum) non dijudicemus, inquit, cogitationes infirmorum, quaſi ferre audeamus ſententiam de alieno corde, quod non videtur. Quidam alij legunt (non ad dijudicationes diſputationum:) alij (nō ad certamina diſputationum.) Vetus interpres habet (non in diſceptationibus cogitationum.) appellat cogitationes, opiniones interiores, quibus ſentimus, hoc vel illud eſſe faciendum; cogitabant enim infirmi, & exiſtimabant, à legalibus cibis, & ab idolo immolatis eſſe abſtinendum. Cogitabant etiam, & recte, perfectiores, eam abſtinentiam non eſſe neceſſariam, hos monet, ne contendant ſuper has ſententias, & opiniones cum infirmis importune, & ſine modo. Sunt quidem infirmi inſtruendi, ſed in ijs, quę neceſſaria tunc non ſunt; tolerandi, quouſque capaciores fiant, & veritas per Eccleſiam magis illuceſcat; contentiones enim indiſcretæ, & ſine opportunitate potius homines infirmos obſtinatiores faciunt in ſuis terroribus, & à veritate concepta auertunt.

Aug.

Alius enim credit ſe manducare omnia: qui autem infirmus eſt, olus manducat.

CVr diſceptationum cogitationum mentionem fecerit, cauſam reddit; ſunt enim, inquit, qui credunt ſe manducare omnia, ideſt, qui credunt ſibi licere omnia manducare, libereq. poſſe omni cibo per legem veterem prohibito, aut idolis immolato vti. Alij vero olera manducant, ideſt, exiſtimantes cibis legalibus, aut idolothitis veſci non licere, olera potius manducare volunt, quod dictum eſt per exaggerationē quādam, quaſi diceret: Etiamſi nullos alios cibos habeant, præter olera, quibus veſci liceat, ea eligunt potius, quàm talibus prohibitis, aut immolatis vti. Illi inſtructiores, hi infirmi ſunt in fide. His verbis Paulus, vt recte Hieron. lib. 2. con. Iouinian. æqualia merita inter ieiunantes non diſpenſat, ſed de cibis lege prohibitis loquitur, à quibus, qui erant ex Iudæis, abſtinebant: qui vero ex Gentibus, ſecus. Idem dicendum eſt de cibis immolatis idolo.

Hieron.

ANNOTATIO XXVI.

QVantum ad lectionem ſpectat, multi Latini codices legunt (manducet) ſicq. Ambroſ. & Anſel. interpretantur. in alijs vero

Ambr. *Anſel.*

Digitized by Google

habetur, in indicandi modo (olus, ſeu olera manducat) eaq. lectio eſt legitima, tùm quia Gręcè ita legitur, tùm etiam quia contextui magis accommodatur; non enim dicitur (credat ſe manducare) ſed (credit ſe manducare). Oportet ergo partem oppoſitam eſſe (alius olera manducat) vt ſit idem indicandi modus. hanc lectionem ſequuntur Gręci interpretes Chryſoſt. Theodoret. Oecumen. vt ex interpratione eorum deducitur. Inter Latinos autem Hierony. eam ſequitur: nam Eccleſi. 2. ſic legit (infirmus oleribus veſcitur) Eandē videtur probare Auguſt. in lib. expoſi. huius Epiſt. ſi eius expoſitionem attendamus. idcirco eam ſumus amplexi.

Infirmos veſci oleribus quomodo intelligitur, & quare?

Chryſoſt. Theodor. Oecum. Hierony. Eccleſ. 2. Auguſt.

Quòd vero ad ſenſum ſpectat, multis modis explicatur. Primo loco Origen. ad ſpirituales ſenſus recurrens, doctrinas communes, & faciles oleribus ſignificatas dicit, quæ infirmis traduntur: carnibus vero doctrinas altiores, quarum infirmi capaces non ſunt, comparatas exiſtimat, vt ſupra diximus. Quæ quidem expoſitio, vtpote dura, & ſingularis, non eſt probanda. Cæteri omnes de oleribus materialibus hanc intelligunt ſententiam; quamuis non conueniant, nec in modo exponendi, nec in cauſa, cur his veſcerentur infirmi.

Orig.

Secundo igitur loco Chryſoſt. & Theodoret. ſecundum verbum indicandi exponunt, nempe, infirmus olera manducat. Cauſam autem, cur oleribus, non autem carnibus, quæ prohibitę lege non erant, veſcerentur, eam eſſe dicunt, nimirum, pudorem; conuerſos enim ex Iudęis pudebat coram fidelibus ex Gentibus abſtinere à ſuilla carne, ceteriſq. lege prohibitis, idcirco ab omnibus abſtinebant, vt, pretextu abſtinentiæ, & exercitationis, viderentur non abſtinere à lege prohibitis, idcirco herbis veſcebantur. Hęc cauſa difficile ſuſtineri poſſe videtur, tùm quia, ſi Iudęi huiuſmodi iudicabant Gentes, & arguebant, quòd legis eſſent transgreſſores, non videtur veriſimile, eos puduiſſe à legalibus coram illis abſtinere. Tùm etiam, quia poterant, imo frequētius, in domibus proprijs veſci carnibus non prohibitis, vbi nemo aderat, propter quem eos puderet. Tùm demum, quia ijs, qui erant ex gentibus, Iudæos propter legem abſtinere, erat manifeſtum, eaq. de cauſa erant inter eos diſceptationes, quas Paulus prohibet.

Chryſoſt. Theodor.

Tertio igitur loco Auguſt. loco citato inquit, cauſam eam eſſe, quia cū in macellis publicis carnes permiſtæ venderentur, tàm quæ Dijs immolatę erant, quam communes, infirmi in fide neſcientes, an tales carnes eſſent immolatæ, nec ne, eligebant potius ab omnibus abſtinere, & olera manducare, ne forte ex errore, Idolothitis veſcerentur. Hęc etiam expoſitio difficultatem patitur: nam poterant vti ſæpe carnibus domi occiſis, vt gallinis, & alijs huiuſmodi: poterant etiam facile aſſequi, an carnes eſſent immolatæ, nec ne.

Aug.

Quarto loco Ambr. dicit hos oleribus veſci, quia putabant ab omnibus carnibus eſſe abſtinendum, Et legit in modo imperandi verbum, in hunc ſenſum. Olera manducet, ideſt ſinite infirmum, nec carnibus veſci ſuadeatis, ne conſcientiam ſuam polluat, dum contra eam agit. Non eſt minus difficile, hanc ſuſtinere interpretationem, cum non ap-

Ambroſ.

parcat,

Digitized by Google

pareat, fideles vllos tunc temporis exiſtimaſſe, omnes carnes ſibi eſſe prohibitas.

Anſel. Quinto, Anſelm. hac expoſitione Ambroſ. prius adducta, aliam adhibet, ſcilicet, cum Iudæus ſciret, alias in lege immundas, & prohibitas, alias non, ne erraret, & vt tutiorem partem amplecteretur, ab omnibus abſtinebat, & oleribus veſcebatur; in quibus nulla poterat eſſe ſuſpicio. Interpretatur etiam verbum impẽrãdi, ſicut & Ambro. Sed nec hæc expoſitio defendi poteſt: nam ſi Iudæi ante conuerſionem, quando vere lex vigebat, veſcebantur carnibus, nec eo timore premebantur, cum facillimo negotio dignoſcerentur, cur non etiam poſt conuerſionem id fieri poterat, maxime cum ſcirent, legem illam non habere tantam virtutem, quantam ante?

Idcirco mihi videtur dicendum, id à Paulo dictum eſſe, per quandam exaggerationem, vt contraponeret manducanti omnia, ideſt, omnes carnes, manducantem omnia, in eum ſenſum, ſcilicet, eſſe quoſdam adeo à carnibus lege prohibitis, & ab Idolothitis manducandis alienos, vt quando copia aliarum non ſuppeteret, eligerent potius oleribus veſci. Auctor.

Is, qui manducat, non manducantem non ſpernat; & qui non manducat, manducantem non iudicet.

DIuiſione perfectorum, & infirmorum facta, præceptum vtriſq. commune adhibet. inquit, qui manducat omnia, credens ſibi licere, qualis eſt, qui in fide inſtructus eſt, is non ſpernat infirmũ, & imbecillem, qui exiſtimans non licere veſci idolothitis, aut cibis lege prohibitis, ab eis abſtinet. Qui vero infirmus eſt, & abſtinet, non damnet, nec reprehendat eos, quos viderit veſci cibis, à quibus ipſi ſe abſtinent: proprium enim eſt ignorantibus, & ijs, qui pauca ſciunt, quæ ipſi mala, & illicita iudicant, in alijs reprehendere, & arguere, ſicut peculiare eſt ſapientibus, irridere, & contemnere facta ſimplicium. idcirco Paulus, his contemptum, illis iudicium, & damnandi alios temeritatem prohibet.

Deus enim illum aſſumpſit.

INcipit Paulus contra infirmum, & eum, qui erat ex Iudæis, agere, docens, eum non debere iudicare illum, qui erat ex Gentibus manducantem omnia. Merito autem exorditur agere contra eum, qui erat ex Iudæis, ac multis contra eum verbis contendit, tũ quia vere decipiebatur, & contra libertatem Euãgelicã iudicabat, quãuis ex ignorãtia, tùm quia is auerſabatur eũ, qui erat ex Gentibus, ægreq. ferebat gentiũ vocationẽ, ac Euãgeliũ. Dicit ergo. Qui nõ mãducat, ne iudicet, nec cõdemnet cõuerſũ ex Gentibus; Deus enim

enim illum aſſumpſit, & ad gratiam, & lumen Euangelij ſui vocauit. efficax eſt argumentum hoc; quis enim damnare tentabit, quem Deus probauit, & ad ſe aduocauit.

Tu quis es, qui iudicas ſeruum alienum?

PRoſequitur argumentum, ſi Deus illum aſſumpſit, & ad ſe traxit, tu quis es, qui ſeruum alienum iudicas? Sunt autem verba ſumpta à ſimilitudine dominorum, & ſeruitutis humanæ: arguere enim, & reprehendere ſeruos, non eſt eorum, quorum ſerui non ſunt, ſed dominorum, ad quos opera, & obſequia ſeruorum ſpectant: nam illius, ad quem opus pertinet, eſt tale opus probare, aut reprobare. Non ergo reprehendat, nec iudicet infirmus perfectum, & inſtructum, quia hic Chriſti ſeruus eſt. Eſt autem energia in verbis interrogationis, tu quis es? quaſi diceret, nimium de te præſumis, dum quod tuum non eſt, vſurpas, ſupraq. te ipſum vltra id quod es, te extolis, ſi iudicare, & reprehendere opera alterius præſumis, cum ſit Chriſti ſeruus, non tuus, nemoq. audeat alienum ſeruum corrigere: nec etiam inter hominum ſeruos. Reprimit, & reprobat Paulus iudicia particularia, de quibus dictum eſt Math. 7. Nolite ante tempus iudicare. Non autem Prælatorum, & Poteſtatum iudicia prohibet, qui tamquam miniſtri Domini iudicant, & Dominus per eos iudicia in inferiores pronunciat. Idcirco non dicuntur iudicare ſeruos alienos.

ANNOTATIO IV.

Chryſoſt. Theod.

CHryſoſt. Theodoret. multiq. alij, ſuperiorem quidem illã ſententiam (Deus illum aſſumpſit) interpretantur de conuerſo ex Gentibus, quem Deus aſſumpſit. idcirco non debet ab infirmo, & conuerſo ex Iudæis iudicari, & in hoc cõuenio cum ipſis. Proxima vero ſequentia verba dicta eſſe cenſent cõtra firmum in fide, ſeu eum, qui ex Gentibus erat, quem Paulus alloquens, inquit. Tu quis es, qui iudicas ſeruum alienum, nempe, infirmum, qui ex Iudæis eſt? Quæ expoſitio non videtur mihi probanda.

Deus illũ aſſumpſit, de quo intelligitur.

Primò quidẽ, quia diſtinxerat paulo ante infirmum ab eo, qui inſtructus erat, & omnia manducabat. huic vero illum ſpernere prohibuerat. Non videtur ergo recta verborum connexio, vt verba mutet, & cui prohibuerat ſpernere, modo tribuat verbum iudicandi. Ordo ſententiæ debitus poſtulat, vt permaneat in eadem diſtinctione; quã etiam paulo inferius repetit. Secundò, verba hæc continuatio ſunt præcedentium. Deus aſſumpſit illum, & ſuum fecit: tu vero quis es, qui iudicas ſeruum alienum, nimirum

mirum illum, quē aſſumpſit Deus? Ad eundem ergo referri debent. Propter hæc duo, quæ dicta ſunt in commentario, exiſtimaui accommodatiora. Quòd ſi ad diuerſos hæc eſſent referenda, dicerem potius, priora verba contra conuerſum ex Gentibus, qui ſpernebat, dici, nimirum. Deus illum aſſumpſit, ideſt, Deus aſſumpſit eum, qui ex Iudæis eſt, quamuis infirmus ſit. Ne ergo eum ſpernas tu, ô conuerſe ex Gentibus, cùm à Deo ille aſſumptus ſit. Quæ vero ſequuntur, dicta ſunt contra iudicantem Iudæum. Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum, nimirum conuerſum ex Gentibus? Duo ergo hæc ad duos, nimirum infirmum, & firmum referuntur. At nec hunc ſenſum verbis accommodatum reputo, cum hæc ſententia cum præcedenti ad vnum, & idem argumentum facere videatur.

Domino ſuo ſtat, aut cadit.

CAuſa eſt, cur alienus ſeruus non debet ab vllo præter dominum eius iudicari, quia domino ſuo ſtat, aut cadit, ideſt, quidquid ſeruus facit, vt ſeruus eſt, ſiuè male, ſiuè bene faciat, in vtilitatem, aut damnum domini cadit. Erit ergo domini, opera ſerui probare, aut reprobare. Hoc idem in ſeruis Dei, ſiuè enim male, aut bene faciant, id vel ad honorem, vel ad iniuriam pertinet Domini, cuius etiam erit omnia iudicare;

Stabit autem; potens eſt enim Deus ſtatuere illum.

POtiorem ſortem ſeruorum Dei docet, vt tanto minus audeat homo eos iudicare; ſtabunt, inquit, ideſt non ſolum benefacient; ſed etiam perſeuerabunt in iuſtitia; qui enim eſt eorum dominus, potens eſt eos ſtabilire, confirmare, & ſtare facere. Non ſic domini huius ſæculi ſe habent; iubere enim poſſunt ſeruis, quæ faciant, bona, ſed non ſuppeditare virtutem faciendi, nec permanendi. Hoc mihi inſinuare videtur, conuerſos ex Iudæis videntes illos, qui ex Gentibus erant, manducare omnia, nec ab Idolothitis, nec cibis lege prohibitis abſtinere, iudicaſſe eos ad vomitum Gentilitatis facile reuerſuros; quibus iudicijs temerarijs Paulus obuians dicit. Domino ſtant, & Domino cadent, ſi ceciderint: ſed meliora ſpero; ſtabunt enim, cum eorum Dominus potens ſit eos ſtabilire, & perſeuerantiam eis tribuere. Hæc ad infirmos referunt Chryſo. & cæteri, *Chryſoſt.*

cæteri, de quibus dixi in annotatione præcedenti, quaſi Deus potens dicatur infirmos facere perfectos.

Nam alius iudicat diem inter diem: alius autem iudicat omnem diem.

NOn eſt hæc ſententia cauſa ſuperioris; particula enim illa: nam. Græcè. μὲν. non eſt cauſalis, ſed diſtinctiua, Latine (autem:) refertq. Paulus alteram ſpeciem legalis abſtinentiæ, cuius in principio capitis meminimus; ſtatis enim diebus; qui erant ex Iudæis, à quibuſdam cibis abſtinebant, qui cibi non erant perpetuo vetiti, vt illi primi, ſed certo tempore: nam diebus Paſchæ fermentati panis non erat vſus: diebus etiam purificationis ſecundum morem Nazaræorum non licebat vino, aceto, vuis veſci: extra hęc autem tempora huiuſmodi cibi prohibiti non erant. Qui ergo erant ex Iudæis, hanc etiam abſtinentiam obſeruabant cum Euangelio, vt conſtat ex Paulo ipſo act. 21. & Aquila. acto. 18. Dicit igitur Paulus. Alius autem iudicat diem inter diem, diſcernendo dies, & in quibuſdam abſtinet à cibis certis: in quibuſdam verò, ſecus. Alius vero, nempe, qui ex Gentibus erat, omnem diem iudicat æqualem, hanc legis obſeruantiam non amplectens; veſcitur enim indifferenter cibis quibuſdam omni tempore, libertate Euangelij fruens.

ANNOTATIO V.

Indicare diem pluſquam die de quo intelligendū.

QVod ad verba ſpectat. Hiero. lib. 2. contra Iouini. ſic legit (alius iudicat diem pluſquam diē.) Aug. lib. propoſitionum huius epiſt. (alius iudicat alternos dies) quidā recentiores (alius iudicat diem prę die.) alij (alius iudicat diem diei conferens.) vetus interpres (alius iudicat diem inter diem.) Omnes hæ lectiones non mutant ſenſum, ſuper quo eſt multiplex interpretatio.

Origen. Chryſoſt. Theod. Ambr. Anſel.

Primò quidem Orige. Chryſoſt. Theodor. Ambroſ. & Anſel. affirmant, Paulum loqui in hac ſententia de abſtinentia, & ieiunio, in hunc ſenſum: Alius diebus interpoſitis ieiunat, alius cunctis diebus. Quæ expoſitio difficile accommodatur, cum Paulus de infirmis in fide præcipue ſermonem faciat, quos ſuſcipiēdos præcipit ab inſtructioribus. Infirmos autem appellat in fide, qui exiſtimabant id omnino debere fieri, quod revera non erat neceſſarium: de ieiunio autem non legimus aliquos tunc extitiſſe, qui ſingulis diebus ieiunandum eſſe ex obligatione crederent, quamuis ieiunarent continuo. Non igitur hi ſunt, qui infirmi in fide dicuntur. Præterea, nec etiam illi infirmi dici poſſunt, qui ſolis ſtatis temporibus ab Eccleſia ieiunabant. Non ergo Paulus hic loquebatur de hu-

Digitized by Google

de huiuſmodi ieiunio.

Theodor. Secundo loco Theodor. ad ſolos conuerſos ex Iudæis hanc refert ſententiam, quorum quidam à ſuilla, cæteriſq. prohibitis ſemper abſtinebant, quidam alij non ſemper, ſed quibuſdam diebus. Quæ interpretatio minorem habet probabilitatē; non enim legimus, conuerſos ex Iudæis à ſuilla abſtinuiſſe certis diebus, ſed aut ſemper, aut numquam: nam cum lex illas carnes ſemper prohibuiſſet, qui legis cauſa ab illis abſtinebant, ſemper abſtinere oportebat: quodſi legem ſeruandam nō eſſe credebant, conſequenter nullis diebus abſtinendum eſſe ab illius eſu propter legem ſciebant.

Aug. Tertio loco Auguſt. lib. propoſitionum huius epiſt. longe diuerſam exhibet interpretationem; exiſtimat enim, huius ſententiæ partes non eſſe hominibus aptandas, ſed vnam homini, alteram Deo, in hūc ſenſum. Alius iudicat diem inter diem, nempe homo, qui cum iudicet præſentia, aliud iudicat hodie, aliud cras; & quem hodie malum, conuictum, confeſſumq. damnauerit, cras inuenit bonum, & correctum. Vel contra, quem hodie iuſtum laudauerit, cras inuenit deprauatum, quia iudicat dies alternos. Alius vero iudicat omnem diem, nempe Deus, quia non ſolum qualis quiſq. hodie ſit, ſed etiam, qualis omni die futurus ſit, nouit. Hæc Auguſt. cuius interpretatio non videtur facile accommodari poſſe; ſi enim Paulus id dicere intenderet, non ea phraſi vſus eſſet, quæ æqualitatem quandam diuerſificatorum indicat; ſed potius diceret: Homo iudicat diem inter diem: Deus autem iudicat omnem diem. Adde, ea quæ ſequuntur, non aptari huic interpretationi. Qui, inquit, ſapit omnem diem, Domino ſapit. Igitur, qui ſapit omnem diem, non eſt Dominus ipſe.

Quarto loco, Hiero. lib. 2. contra Iouini. hanc ſententiam intelligit de delectu dierum, ſeu feſtorum: nam conuerſi ex Iudæis, dies feſtos legis obſeruabant; qui vero ex Gentibus erant, non vtebantur eo delectu. Quæ expoſitio, quāuis videatur prima facie accommodata, tamen vix accommodari poteſt: nam in toto contextu ſequenti, Paulus nullum verbum facit de obſeruantia feſtorum: ſed totus verſatur in abſtinētia, & delectu ciborum; quod me coegit ab hac expoſitione recedere, & in eum ſenſum hanc ſententiam interpretari, quæ etiam de delectu ciborum eſt, non tamen eodem cum priori, vt in commentario explicui, & per Scripturam confirmaui. Fateor quidem, fuiſſe etiam contentionem de dierum obſeruantia, vt ex Colo. 2. & Gala. 4. conſtat; tamen Paulus nunc de ſolo ciborum delectu agit. *Hieron.* *Colo. 2.* *Gala. 4.*

Vnuſquiſq. in ſuo ſenſu abundet.

Refertur hæc ſententia ad ſuperiora, nimirum. Et qui diem ſapit, & qui non ſapit: qui etiam manducat, & qui non manducat, ſenſu ſuo abundet, ideſt, contentus ſit mentis ſuæ perſuaſione, aliorum conſcientia, & facta iudicare deſi-

deſinat. Qui igitur credit eſſe manducanda omnia, contineat ſe in hac fide, & credulitate ſua: Qui etiam exiſtimat, non eſſe veſcendum omnibus, aut non omni tempore, huius ſuæ perſuaſionis terminos non tranſgrediatur, damnando contrariam perſuaſionem aliorum. Vnuſquiſq. denique mentis ſuæ perſuaſione conquieſcat, nec aliorum facta ſcrutetur, ad damnandum, aut contemnendum eos.

Abundare in ſuo ſenſu quomodo intelligitur.

ANNOTATIO VI.

ILlud (ſenſu) Græcè habetur (νοῒ), quod mentem, ſuperiorem vè rationalis animæ partem ſignificat. Verbum autem (abundet) Græcè eſt verbum Πληροφορέω, in paſſiua voce, quod idem ſignificat, ac plene perſuaſus ſum, compertum habeo: In actiua autem voce, plenam fidem facio. Eſt autem multiplex huius ſententiæ explicatio. Primo loco Auguſt. ſuperiorem ſuam interpretationem proſequens, in hunc modum hæc verba explicat. Vnuſquiſque quantum humano intellectui, vel homini conceſſum eſt, tantum audeat iudicare. Quæ explicatio verbis Græcis non multum accedit. Secundo loco Chryſoſt. ſic intelligit. Vnuſquiſque menti ſuæ ſatisfaciat, faciatq. quod iudicat eſſe faciendum, ſeu vt verbis Ambroſij vtar. Vnuſquiſque ſuo conſilio remittatur. Seu, vt verbis quorundam recentiorum. Liceat vnicuique ſua ſententia frui; quod intellige in rebus indifferentibus, quæ ſic, & aliter fieri poſſunt, qualis erat illo tunc temporis, nempe, in initio Eccleſiæ, delectus ciborum legis. In ijs autem, quæ indifferentia non ſunt, non eſt recipiendum, vt vnuſquiſq. in ſuo abundet ſenſu. Sic hanc cum alijs ſententijs huius capitis declarat intelligendam Baſili. in morali. reg. 54. cap. 1. Tertio loco, quidam recentiores ſic exponunt. Vnuſquiſque in ſuo ſenſu, ſiuè vnum, ſiuè alterum ex prædictis ſentiat, abundet, ideſt, in charitate ad ædificationem id faciat; abundare enim interpretantur in charitate, ad ædificationem facere, iuxta illud. 1. Corint. 14. Aemulatores eſtis ſpirituum ad ædificationem Eccleſiæ, quærite, vt abundetis. Hi autem non aduerterunt, non eſſe idem verbum Græcum in vtroq. loco, ſed longe diuerſum, ex quo efficitur diſtinctus vtriuſq. loci ſenſus. Quarto loco, quidam alij recentiores ſic intelligunt. Quilibet ſic in ſuo ſenſu maneat, vt ſit perſuaſus, ſaltemque ſibi ipſi ſatisfaciat, ſe non zelo nimio, nec contentionis ſtudio cuſtodire poſitionem ſuam ad victoriam, nec pertinaciter defendat, vt ſolent quidam, ne coram alijs ignorantiæ confuſionem ferant. Mihi viſa eſt expoſitio commentarij omnium accommodatiſſima.

Auguſt. *Chryſoſt.* *Baſil.* *Recent.* *1. Cor. 14*

Qui ſapit diem, Domino ſapit.

DVas cauſas adfert Paulus, cur vnuſquiſque ſuo debeat abundare ſenſu in huiuſmodi ciborum delectu, nec inuicem ſe iudicare, aut ſpernere. Prior eſt, quia vnuſquiſque benefacit, & Domino ſeruit, ſiue manducet, ſiue non manducet; aut ſapiat diem diſtinguendo, ſiue non diſtinguendo. Incipit autem ab abſtinentia legali, quæ perpetua non eſt, & cuius vltimo loco meminerat, dicens: Qui ſapit diem, ſiue iudicando inter vnum, & alterum, ſiue omnem iudicando, Domino ſapit, & in eius obſequium id facit, exiſtimatque rem Deo gratam facere; vtrumque enim bonum eſt, quamdiu lex illa non eſt omni ex parte reiecta.

Qui ſapit diem, Domino ſapit, quid denotet.

ANNOTATIO VII.

MVlti Græci codices habent vtramque partem, nempe (qui ſapit diẽ, Domino ſapit, & qui non ſapit diem, Domino non ſapit) Græcique auctores vtramq. interpretantur, Chryſoſt. Theod. Oecumen. Sunt etiam Græci aliquot codices, in quibus vna pars ſola legitur, ſicut habet vetus interpres, ſicque legunt Origen. lib. 2. contra Iouini. Ambr. Auguſt. cum alijs multis. Accommodatior lectio videtur, ſi vtramque legamus partem, idque contextus probare videtur: nam in ſeqnenti ſententia, in qua de delectu ciborum agit, vtraque exprimitur pars. Si tamen legenda eſt vna cum veteri interprete, tunc dicendum eſt, verbo vno vtramq. partem comprehendi, nimirum. Qui ſapit diem, ideſt, qui iudicat diem, ſiue eam diſcernendo ab alijs, & præferendo vnam alteri, ſiue non diſcernendo, ſed omnes ęquales faciendo, id in Dei obſequium facit, pro qua lectione illud multum facit, quod Paulus non repetijt idem verbum (iudicat) ſicut repetijt verbum manducandi, ſed vſus eſt verbo (ſapit) quod complectitur iudicium vtrumque. Verbum autem Græcũ eſt φρονῶν à verbo φρονέω, quod quidam interpretantur (qui curat diẽ) ſed in idem recidit.

Chryſoſt. Theodor. Oecum.

Orig. Ambroſ. Auguſt.

Quod vero ad ſenſum ſpectat, Auguſt. ſuperiorem ſuam interpretationem ſequens, hanc ſententiam ſic ediſſerit. Qui ſapit diem, ideſt, qui contentus eſt præſentia iudicare, Domino ſapit; ideſt, nihil contra Deum facit, nec quod eſt Dei vſurpat. cui explicationi conſentit Anſel. dura tamen videtur. Chryſoſtomus vero, & Ambroſius, quamuis de abſtinentia, & ieiunio, vti ſuperius dictum eſt, horum dierum rationem intelligant; tamen quod reliquum eſt, accommodate explicant, nimirum: Qui diem ſapit, Domino ſapit, quia in Dei obſequium id facit: hoc tamen diſcriminis eſt, quod Chryſoſtomus exiſtimat, Paulum ſignificare velle: qui ſapit diem, & qui non ſapit

Auguſt.

diem, vere gratum opus Deo facere; idcirco neutrum eſſe ſpernendum, aut iudicandum. quam expoſitionem ſecuti ſumus.

Poſſet autem alicui videri, vt mihi olim placuit, Paulum nolle dicere, hos bene, vel male facere: ſed id tantum; nempe in vſum Dei vtrumque tendere, & ipſi incumbere vtriuſque curam; ſicut, ſi ſeruus hoc, vel illud facit, domino ſuo facit, & ad eum pertinet, ita nunc vtrumque refertur ad Deum, ſiue ſapiat, ſiue non ſapiat, quod ſupra dixerat: Domino ſtat, & Domino cadit; prohibet enim Paulus iudicare, aut ſpernere proximum, in iſtis præſertim, quæ indifferentia ſunt, & bene, aut male fieri poſſunt.

Aduerte ergo, Domino ſapere, ſicut etiam inferius (Domino manducare) non ſignificare Domino gratum id eſſe, eumque, qui ea operatur, benefacere, ſed totum, ſiue bene, ſiue male fiat ad Deum ſpectare: nam etiam dicit Scriptura. 2. Reg. 12. Peccaui Domino, & Pſalm. 50. Tibi ſoli peccaui. Seruus enim bene operatur Domino, & male operatur Domino, quia in vtilitatem, aut damnum Domini opus eius cadit. Hoc tamen non obſtante, ad mentem Pauli magis accedit ſenſus Chryſoſtomi, quem ſecuti ſumus, & ſequentibus verbis multum confirmatur.

2. Reg. 12. *Pſal. 50.* *Chryſoſt.*

Et qui manducat, Domino manducat; gratias enim agit Deo; & qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.

An ſit facienda diſtinctio ciborum.

IDem proſequitur in delectu ciborum perpetuo. Qui manducat, inquit, omnia, cibos non diſtinguendo, Domino manducat; ideſt, in obſequium Domini id facit; gratias enim agit, quaſi rem mundam manducans; non enim ageret gratias, ſi immunda manducaret, & rem malam faceret. 1. Timoth. 4. Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Qui autem non manducat, Domino non manducat: nam etiam hæc, quæ manducat, cum gratiarum actione percipit, agitque Deo gratias in cibo illo, quo veſcitur, abſtinens ſe à prohibitis lege, aut Idolothitis. Attende (non manducare) non eſſe puram negationem: ſed miſtam habere affirmationem, nempe, veſci cibo non communi, reiecto communi, in illoque gratias agit. Vtrumque igitur Domino inſeruit, ſiue qui manducat, ſiue qui non manducat; ideoque non eſt, cur debeant ſe inuicem iudicare, aut ſpernere. Nota, gratiarum actionem in ſumptione cibi ex more fuiſſe.

1. Tim. 4.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIO VIII.

DVbitare aliquis poſſet, quomodo verum habeat, quod Paulus dicit. Qui manducat, Domino mãducare, cauſam ſubdens, quia gratias agit Deo: nam fieri poteſt, aliquem gratias agere Deo de eo, quod male agit, & bonum per errorem credit. Dependet huius loci intelligentia ex illo, quod in commẽtario allegauimus. 1. Tim. 4. abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarũ actione; & iterum. Nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. Aduerte igitur, quamuis omnis creatura Dei ſit bona, & cibi omnes mundi, tamen comprehenſi ſunt ſub maledictione illa, qua Deus in principio, poſt hominis peccatum, maledixit terræ in opere hominis, quæ quidẽ maledictio, fructus, & germina, & animalia cũcta terræ complexa eſt. Hinc apud fideles, etiam à Mundi exordio mos fuit, primitias Deo offerre, quibus ſanctificatio quædã ſuper cętera omnia petebatur. Hinc etiã ſolitum fuit ſemper vti benedictione menſę, & gratiarum actione; præter enim illam maledictionem, nihil eſt in cibis immundum. Hoc eſt quod dicit Paulus, per verbum Dei, & orationem ſanctificari cibos, & cum gratiarum actione ſuſcipiendos eſſe. His ſuppoſitis, facile eſt locum hunc Pauli intelligere; intendit enim docere, nihil mali facere, ſed bonum potius agere, qui manducat omnia cum gratiarum actione. Loquitur, quantum eſt ex parte cibi ſumpti, quia gratiarum actio aufert à cibo, ſi quid eſt mali, nempe maledictionem illam, virtute cuius ſolet ſæpe dæmon cibis vti in hominis nocumentum. Domino igitur manducat, qui omnia mãducat cum gratiarum actione, quantum eſt ex parte cibi: ſi tamen excedat, plus nimio manducans, aut quãdo non oportet, aut cæteris circũſtantijs poſtpoſitis, peccabit quidem, ſed peccatum hoc non eſt ex cibo ipſo, nempe ex ipſius immunditia: nam in Euangelio ſola benedictione, & gratiarum actione, omne, quod mali eſt, ex cibo ipſo tollitur. Hic eſt ſenſus huius ſententiæ; Paulus enim probat ſumptionem cibi cuiuſcumque, cum gratiarum actione, quantum eſt ex parte cibi; in hoc enim erat contentio. Simili ratione, qui non manducat communia, ſed cibos ſumit, quos exiſtimat ſibi licere, in eorum ſumptione gratias etiam agit, ideoque nihil mali facit. Qui ergo olus manducat, & qui ſuillam carnem manducat, gratias agit. Neuter igitur male facit, quantum eſt ex parte ciborum; nec dignus eſt iudicio, aut contemptu. Nolumus autem per hoc dicere, cibos, per maledictionem illam, aliquam in ſe contraxiſſe immunditiã, quaſi nõ liceat illis ſine benedictione veſci, ſitque peccatum illa non vti; ſed cibos nullam immunditiã in ſe habere, præter illam maledictionem extrinſece factam, qua ſæpe corporibus nocent, & inſtrumenta ſunt dæmonis, ad alliciendum homines ad peccandum, Deo id permittente, cui malo, benedictio, & gratiarum actio medetur.

1. Tim. 4

Domino manducare dicitur, qui omnia mãducat, ſimiliter qui non mãducat.

Nemo enim noſtrum ſibi viuit, & nemo ſibi moritur.

Nemo ſibi viuit, & nemo ſibi moritur, quomodo intelligẽdum.

HAec eſt altera cauſa, cur vnuſquiſque debeat ſuo ſenſu abundare; particulaque illa (enim) ad eamdem ſententiam, ſicut & proxima cauſa expoſita, refertur. Senſus autem integer hic eſt; ſumus enim omnes ſerui Chriſti, tam viuentes, quàm mortui: ipſe eſt, cui omnium factorum noſtrorum ratio reddenda eſt, ſiue bonorum, ſiue malorum. Nemo igitur audeat alterum iudicare, aut ſpernere, etiamſi male facere ſibi videatur, quia, qui id facit, iudicium Chriſti ſibi vſurpat, & ipſum præuenire præſumit. Dicit ergo. Nemo ſibi viuit, ideſt, nemo vitam habet, vt ea in ſuum commodum præcipue vtatur, quaſi ipſe ſit finis ſuimet, cuius nutui debeat in omnibus obtemperare. Nemo etiam ſibi moritur, ideſt, mors, & quod poſt mortem eſt, non eſt in ipſius morientis vſum, & obſequium, quaſi ipſe ſit dominus ſui, in cuius vſum omnia ſua tendant, ſicut ſerui omnia in dominorum vſum ſunt. Nemo igitur dominus eſt ſui: ſi autem nemo ſibi viuit, aut ſibi moritur, multo minus viuit, aut moritur alteri. Loquitur Paulus de vita, & morte naturali.

Siue enim viuimus, Domino viuimus; ſiue morimur, Domino morimur.

PRoſequitur eamdem ſententiam; cauſaque eſt proximæ; ideo enim nemo ſibi viuit, nec ſibi ipſi moritur; quia omnes viuimus Domino, & morimur Domino; ideſt, omnia viuentium, & mortuorum opera in Domini gloriam, & vſum cedunt, & ipſe eſt, in quem omnia tendunt multo magis, quã ſeruorum opera in dominorum temporalium vſum, & commodum ſunt ordinata.

Siue ergo viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus.

INfert Paulus, ſi Domino viuimus, & Domino morimur: non autem nobiſmetipſis: ergo Domini ſumus, ipſe eſt Dominus noſter: nos vero illius ſerui; nõ autem domini noſtriipſorum ſumus; qui enim alteri viuit, illius eſt ſeruus, Dominique eſt iudicare tamquam Domini: non autem noſtri; ſi enim nemo ſibi viuit, multo minus viuit alteri homini, ſed Chriſto. Meminit Paulus mortis,

vt do-

Digitized by Google

vt doceat, dominium Chriſti non in hoc ſæculo ſolo eſſe, ſed etiam in futuro: vt per hoc ſignificet, neminem iudicare debere alterum priuata auctoritate, ſed relinquendum eſſe Chriſto iudicium, quod etiamſi non fiat in hoc ſæculo ſemper cum viuis, erit tamen poſt mortem: nam omnium eſt dominus; nec qui viuit, per mortem deſinit eſſe ſub dominio Chriſti, ab ipſo iudicandus. Non negat autem Paulus, dominium quoddam humanum, quo vnus, alterius dominus eſt, ſed loquitur de dominio perfecto, & integro, quale non eſt vnius ad alterum, cum ſit in certis quibuſdam actionibus poſitum, & tam dominus, quàm ſeruus, Chriſti ſerui ſint, & dominum habeant. Opera etiam, quantum ad rationem culpæ, aut virtutis, reſpectu domini menſuranda ſunt; peccatum enim eſt, dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, cuius obedientia, virtus perfecta, & factum ſtudioſum eſt.

In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, vt & viuorum, & mortuorum dominetur.

Viuos, & mortuos, Domini eſſe probat à cauſa; hac enim de cauſa, Chriſtus mortuus eſt, & à morte ſurrexit, vt ex morte, & reſurrectione ſua, dominium in viuos, & mortuos exerceret, omnibuſque dominaretur, Chriſtus, vt Deus eſt, omnium dominatur, etiam morte, & reſurrectione ſecluſis. Loquitur autem Paulus de Chriſto, ratione humanitatis; vt enim homo eſt, dominus eſt dominio particulari, quia homines ſuo ſanguine redemit.

Aduertendum eſt autem, verbum Pauli (dominetur) aliud enim eſt dominari, aliud dominum eſſe: nam dominus eſt per poteſtatem. Dominatur autem per poteſtatis exercitium: dominus quidem erat etiam vt homo, propter vnionem ad verbum etiam ante mortem. Ioan. 13. Vos vocatis me, Dominus, & Magiſter, & bene dicitis; ſum etenim; tamen non dominatus eſt plene, nec exercuit poteſtatem dominij, niſi poſt mortem, & reſurrectionem, poſt quas dixit, Matth. 28. Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra; nimirum, quantum ad exercitium. Ex eo igitur, quòd mortuus eſt, & mortem vicit reſurgens, aſſecutus eſt dominandi exercitium ſupra omnes viuos, & mortuos; niſi enim reſurrexiſſet, dominari non poterat, quia per mortem non erat homo perfecte, cum anima eſſet à carne ſeiuncta: niſi autem mortuus eſſet, non domi-

Ioan. 13. *Matt. 28*

natus eſſet, quia dominari debere, decretum erat poſt mortem, per quam viuos, & mortuos redemit. Illud (in hoc) ſeu (ad hoc;) eſt enim in accuſandi caſu, cauſam ſignificat, vt recte adnotauit Irenæ. lib. 3. cap. 20.

ANNOTATIO IX.

DVo occurrunt hoc in loco aduertenda. Vnum eſt, non eſſe hunc locum contrarium illi Matth. 22. Non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum: nam in vtraq. ſententia nomen (mortuus) non eamdem habet ſignificationem; apud Matthæum enim, mortuus, ſignificat, qui omnino eſſe deſijt, ſicut animalia irrationalia mortua dicuntur, quia anima deſinit eſſe cum corpore. Non ſic homo mortuus dicitur; Saducæi enim illi negabãt animarum immortalitatem, & conſequenter reſurrectionem, quos Dominus Scriptura conuincit: nam dicitur Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, etiam poſt illorum mortem. Si igitur illi nihil eſſent, quomodo dicitur Deus illorũ? non enim Deus eſt eorum, qui nihil ſunt, ſed eorum, qui ſunt. Manet ergo Abraham, Iſaac, Iacob, etiam poſt mortem, nimirum eorum animæ: at in præſenti ſententia apud Paulum mortuus dicitur, qui per animæ ſeparationem à corpore, viuere deſijt hãc vitam communem, manente tamen anima. Sic dicimus mortuos, qui ex hoc ſæculo tranſierunt, & manent animæ, vel in Cælo, vel in Purgatorio, vel in Inferno. In hac ſignificatione dicitur Chriſtus dominari mortuis.

Matt. 22

Chriſtus cur dominus viuorum, & mortuorum.

Alterum ad verba ſpectat; multipliciter enim apud Græcos, & Latinos, hæc verba leguntur: nam Irenæ. lib. 3. cap. 20. & Ambroſ. ſic legunt. In hoc enim Chriſtus, & vixit, & mortuus eſt, & reſurrexit. Græci codices habent. In hoc Chriſtus, & mortuus eſt, & reſurrexit, ſicque legunt Chryſoſt. Theodoret. & Oecumen. Quidam etiam legunt (viuorum, & mortuorum). Alij contra (mortuorum, & viuorum). Aliqui duo tantum, adhibita coniunctione (& mortuus eſt, & reſurrexit) ſenſus idem eſt: nam ſiue legas tria, ſiue duo, mors & reſurrectio ſignificatur. Nos legimus cum veteri interprete, & ea lectio videtur legitima: nam quæ adduntur, verba ſuperflua ſunt, aut ad declarationem poſita.

Chryſoſt. Theodor. Oecum.

Tu autem, quid iudicas fratrem tuum? aut tu, quare ſpernis fratrem tuum?

EX præcedentibus rationem ſecundam, quam multis ſententijs eſt proſecutus, incipit perficere, & concludere. Eſt autem communis infirmo in fide, & firmiori. Si, inquit, omnes ſumus ſerui ſub vno Domino, & Iudice, quare ò tu, qui infirmus es, iudicas, & reprehendis fratrem tuum æqualem tibi ſub vno patre Deo,

Deo, & ſub vno Domino conſeruum? Tu etiam ò Gentilis, ſeu qui firmior es in fide, quare ſpernis fratrem tuum? Nota vim verbi (fratrem) ad ſignificandam æqualitatem in hac parte, ſiue ſit firmus, ſiue infirmus, fratres ſunt, & æquales ſunt in hoc, quod vnum patrem, vnum Dominum, vnum iudicem habent.

Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.

PRoſequitur idem argumentum. Nec tu ò Gentilis debes ſpernere infirmum Iudæum, nec tamen, qui ex Iudæis eſt, iudicare eum, qui ex Gentibus, & manducat omnia, & iudicat omnem diem. quia omnes, tam hi, quàm illi, ſtabimus ante tribunal Chriſti, qui omnium Dominus eſt; ipſe tunc iudicabit firmum, & infirmum, ipſi hoc iudicium incumbit; tunc damnabitur, qui dignus eſt damnatione; contemneturque, qui dignus eſt contemptu. Non eſt hominis nunc vſurpare, quod ad tribunal pertinet Domini viuorum, & mortuorum. Græce habetur (omnes ſiſtemur;) non erit enim in noſtra poteſtate euitare tribunal illud.

Scriptum eſt enim. viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu; & omnis lingua confitebitur Deo.

Omne genu quomodo Chriſto flectetur.

TEſtimonio Iſaiæ comprobat hoc vniuerſale Chriſti tribunal, ante quod ſtandum omnibus eſt. Sumpta eſt ſententia hæc ex cap. 45. non nullis mutatis à Paulo, ad maiorem explicationem: *Iſai. 45.* nam apud Iſaiam legimus. Per memetipſum iuraui, dicit Dominus: Paulus autem ipſa verba iuramenti deſcribit. Viuo ego, dicit Dominus. Quod autem Iſa. dixit (iurabit in Deum) Paulus dicit (confitebitur Deo) ideſt, fatebitur, Chriſtum Deum eſſe. (flectetur omne genu.) ita etiam habetur apud Iſa. Hæc ſignificat illud generale iudicium, quando boni, & mali Chriſtum in carne videbunt, tunc omne genu flectetur illi, omneſque confitebuntur eius diuinitatem, & iudicium ab eo ſuſcipient. Sermo eſt de iudicio viſibili, quod Chriſtus, vt homo exercebit, vt omnium iudex de quo dictum eſt Ioan. 5. Pater non iudicat quemquam, ſed omne *Ioan. 5.* iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem.

Itaque vnuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo.

COnnectitur hæc ſententia cum illa, Stabimus ante tribunal Chriſti. Reddet ergo vnuſquiſque pro ſe rationem; ſi enim vnus pro alio redditurus eſſet, non erat, cur omnes ſtarent, ſed illi ſoli, qui ſunt redditurì rationem: ſtabit tamen vnuſquiſque. Igitur vnuſquiſque reddet pro ſe rationem, ſi vnuſquiſque ſtabit ante tribunal Chriſti, & rationem reddet Deo. Igitur Chriſtus Deus eſt.

Non negat Paulus, multos rationem reddituros de alijs: nam *Heb. 13.* Prælati reddent rationem animarum ſuorum ſubditorum. Heb. 13. Ipſi enim peruigilant, quaſi pro animabus veſtris rationem reddituri; ſed negat eos rationem reddituros loco ipſorum, & pro factis illorum, quatenus eorum ſunt: ſed vnuſquiſque pro ſe reddet. quod ſi de alijs aliqui reddituri ſunt, ideſt, quatenus ad ipſorum facta pertinet, quod eſt aliorum, tamen reddent & illi rationem talium factorum, cum eorum opera ſint.

Non ergo amplius inuicem iudicemus.

POſtremo infert ex prædictis. Si vnuſquiſque reddet rationem in Domini tribunali de proprijs factis, nemo ergo iudicet alterum, ſed relinquat iudicium Domino, cuius eſt omnes iudicare. Hoc verbo comprehendit vtrumque, nempe infirmum, qui iudicabat, & damnabat firmiorem. Similiter etiam firmiorem, qui ſpernebat infirmum: nam etiã hic iudicabat infirmum; ſpernere enim iudicium quoddam eſt; iudicat enim ſpernens, eum quem ſpernit, dignum contemptu, ideoque ſpernit. Vide quàm multis Paulus prohibeat hominum iudicia particularia contra proximum; hinc enim multa mala procedunt, & maxime id, quod in præſenti Paulus remouere curat, ſcilicet diſſenſionem, & diſcordiam inter conuerſos ex Iudæis, & eos, qui erant ex Gentibus. Diſcordia enim eſt venenum charitatis, & ex illa ſæpe prouenit receſſus à fide, & Religione ſuſcepta.

Sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum.

DEclarat ſe, non omne iudicium prohibere. Nolo, inquit, vos inuicem iudicare, volo tamen potius, vt iudicetis vos ipſos, aduer-

aduertendo, ne fratri ponatis, ſeu detis aliquam occaſionem delinquendi, aut excidendi à fide. Offendiculum, Græce πρόσκομμα, & ſcãdalum hoc differunt, quòd illud eſt, in quod aliquis impingit, tamen non cadit. Scandalum eſt, in quod impingens cadit. Ille offendit, qui peccat, tamen fidem retinet. Ille ſcandalizatur, qui ita offendit, & peccat, vt fidem deſerat. Hæc nunc Paulus ſignificat. Quamuis non ſit hoc diſcrimen perpetuum. Poteſt etiam dici offendere, qui ex occaſione turbatur, & tentatur. Scandalizatur autem, quando in peccatum prorumpit. Iudicet ergo vnuſquiſque apud ſe, & omnino proponat, nemini offendiculum, aut ſcandalum ponere, dum nihil facit ex ijs, quæ prætermitti poſſunt, ne frater offendatur, aut ſcandalum patiatur; loquitur enim Paulus de eſu ciborum, qui tunc indifferens erat. Hoc, etſi præcipue ad conuerſos ex Gentibus pertineat, vt dicit Theodoret. tamen commune eſt vtriſque, ſcilicet infirmis, & firmioribus, vt dicit Chryſoſt. Eſt autem hoc in loco idem verbum (iudicare) quod ſuperius: tamen illic ſignificabat idem, quod condemnare: hic vero idem quod decernere, & apud ſe ſtatuere (ſed) Græce ἀλλά. Latine (potius) ſeu (quinimmo).

Offendiculũ, & ſcandalum in quo differant.

Theodor. Chryſoſt.

Scio, & confido in Domino Ieſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei, qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt.

Veritatem doctrinæ Euangelicæ tradit de huiuſmodi ciborum eſu, vt vnuſquiſque diſcat offendiculum, aut ſcandalum fratri non ponere. Scio, inquit, & confido in Domino Ieſu, ideſt, ſcio, & confido, me non decipi, ſed vera me ſcire in Domino Ieſu, ſcilicet ſecundum eius doctrinam. Scio autem, nihil eſſe commune, & immundum per ipſum, ideſt, Chriſtum, & ipſius Euangelium, ſecundum quod nihil eſt immundum, ſicut erat per legem: ſed, ſi quid eſt immundum, ei eſt immundum, qui tale eſſe exiſtimat; exiſtimanti enim aliquid malum, & immundum, etiamſi non ſit, ei malum eſt, ſi illud faciat, quia qui facit, quod malum putat, male facit. Cibi igitur nulli immundi ſunt ex Euangelio: ſi tamen aliquis exiſtimat immundos, ei immundi ſunt, maleque facit, ſi veſcitur; non quia communes ſunt, & immundi, ſed quia tales eſſe exiſtimat. Communes appellat immundos, & lege prohibitos, quibus veſci non licebat. Actor. 10.

Numquam

Numquam manducaui omne commune, & immundum. Dicebantur autem immundi cibi communes, quia Gentes eis vtebantur, non autem populus electus, & peculiaris Dei.

ANNOTATIO X.

Cibi cur dicuntur communes aut immundi.

Illud (cōfido) Græce eſt πέπεισμαι, quod ſignificat, perſuaſus ſum, ſeu compertum habeo. Idem ſenſus fere eſt, ſi legamus (confido) ſcilicet, ſecurus ſum, & fido, me non decipi in Domino, à quo didici, & ſcio, quæ doceo. Illud (per ipſum) Origen. Chryſoſt. & Anſelm. referunt ad (commune) in hunc ſenſum. Nihil commune eſſe ex ſe, & natura ſua. Quorum expoſitio non mihi probatur, ea de cauſa, quia ſenſus efficitur parum accommodatus, & ex parte non verus: nam conuerſi ex Iudæis non exiſtimabant, cibos ex natura ſua eſſe communes, & malos: nec ea de cauſa ab eis abſtinebant, ſed quia erant lege prohibiti. Præterea Paulus, non conſequitur, quod intendit docere: nam hoc perſuadere vult, nempe, in Euangelio, non eſſe cibos communes, aut immundos: non ſatis autem id exprimebat, dicens, nihil eſſe commune ex natura ſua: nam reſponderi poſſet, nec etiam in veteri lege fuiſſe tales cibos; tamen eſſe prohibitos à Deo, cuius prohibitio perſeuerabat. Verius ergo, & accommodatius dicemus, cum Theodoret. & Ambroſ. ſi ad Chriſtum referamus, per quem factum eſt, vt, illa lege ceſſante, nihil eſſet commune, aut immundum, ſed liceret omnibus veſci cibis. Qui vero exiſtimant, communes aliquos, communes eis ſunt, non quod in ſe communes ſint ex aliqua prohibitione, ſed ex conſcientia errante ipſorum comedentium. In principio huius capitis explicatius hæc omnia habentur. Illud autem (niſi) loco (ſed) poſitum eſt.

Orig. Chryſoſt. Anſel. — *Theodor. Ambroſ.*

Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur, iam non ſecundum charitatem ambulas.

Multis argumentis ſuadet Paulus, quamuis nullus cibus ſit communis, non tamen veſcendum eſſe cum ſcandalo proximi. Primum autem eſt in præſenti, quia eſt contra charitatem debitam proximo. Ad præcedentem autem ſententiam hæc pertinet, quaſi pars oppoſita in hunc ſenſum. Nihil eſt commune in Euangelio: ſi vero tu, qui hæc ſcis, noſti fratrem tuum, cibos communes exiſtimantem, contriſtari, & inquietari, dum videt te cibo communi vti, profecto, ſi eo veſcaris, contra charitatem fraternam agis; re enim indifferenti, & à qua abſtinere poteras, vteris cum ſcandalo, & nocumento proximi tui. Male ergo agis, non quia cibo communi vteris, quia nihil eſt commune in

Euan-

Euangelio, non etiam, quia tibi eſt commune: nam ſcis, nihil eſſe commune; ſed quia noſti fratrem tuum ſcandalizari, & turbari cibo tuo, & non abſtinuiſti. hoc quidem contra charitatem eſt, qua proſequendus eſt frater quilibet. Particula (enim) non reddit cauſam præcedentis. Græce enim eſt (εἰ δὲ) Latine (ſi vero) aut (verum ſi) ambulare autem non ſecundum charitatem, idem eſt, ac. Opera facere contra dilectionem, qua proximus eſt diligendus; præponere enim debemus eis ſalutem ſpiritualem cibo omni, à quo citra peccatum abſtinere poſſumus.

Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.

Cibo cur nõ veſcendum cum ſcandalo proximi.

AMplificat crimen veſcentis cibo, cum ſcandalo proximi, affertque argumentum ſecundum efficaciſſimum; nempe, Chriſtus pro illo infirmo vitam propriam expoſuit, & mortem ſubijt: tu autem non abſtines à cibo parui momenti, propter illum, ſed pluris facis eſcam, noli cibo iſto tuo, & re tam leui cauſam ruinæ præbere illi, pro cuius ſalute Chriſtus ſanguinem ſuum effudit, & mortuus eſt.

ANNOTATIO XI.

Ambroſ. AMbroſius hanc ſententiam, quaſi dictam infirmo in fide interpretatur, vt ſit ſenſus. Tu, qui abſtines à cibo, quem communem ex lege exiſtimas, ne ſcrupulum injjcias manducanti omnia, dubitareque facias, an abſtinendum ſit à tali cibo. *Chryſoſt. Theodor.* Chryſoſt. vero, & Theod. contrarium cenſent, dictam nimirum eſſe firmiori in fide, exiſtimanti, nullum cibum eſſe communem. Hic eſt, quem Paulus monet, ne contriſtet infirmum, aut eum turbet, occaſionem dando, à fide ſuſcepta, recedendi: ſed potius condeſcendat, & abſtineat à tali cibo, quandoquidem licite id facere poteſt, idque Paulus ſignificat, dicens. Noli cibo tuo illum perdere, ſi ad infirmum hæc ſententia dirigeretur, dicendum erat. Noli abſtinẽtia tua à cibo illum perdere.

Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum.

TErtium argumentum hoc eſt, quia datur occaſio alijs blaſphemandi Chriſti beneficium. Ne igitur demus occaſionem, vt libertas Chriſtiana, quæ bonum eſt nobis à Chriſto conceſſum, conuitijs, & maledictis proſcindatur ab infirmis in fide; cum enim vident, nos cibis communibus vti, idque ex Euangelica

lica libertate facere affirmantes, deteſtantur talem libertatem, quaſi aduerſariam legi, aut quaſi eius obſeruatu nimis arduam, cum à talibus cibis nimium abhorreant. Hæc ſententia facile explicatur per alteram Pauli. 1. Corinth. 10. non parum obſcuram, quæ talis eſt. Vt quid enim iudicatur libertas mea ab aliena conſcientia? ſi enim ego cum gratia participo, quid blaſphemor pro eo, quod gratias ago? Senſus eſt. Quare libertatem meam, qua cibis communibus vtor, ab alijs damnari facio, dum ea abutor cum ſcandalo aliorum, ſi ego Chriſti gratia, & beneficio participo, ideſt, manducandi communia facultatem habeo, quare occaſionem do, vt blaſphemer, & maledicar pro eo, pro quo, tamquam pro beneficio Chriſti gratias ago? in cauſaque ſum, vt Chriſti beneficium blaſphemetur, dum eo abutor? Hic eſt huius loci ſenſus, ex quo præſentis ſententiæ explicatio habetur. Bonum noſtrum, libertatem appellat ex gratia Chriſti conceſſam, qua à lege ſoluti ſumus, & veſci communibus poſſumus, non tamen debemus cum ſcandalo aliorum id facere; damus enim occaſionē, vt bonum hoc blaſphemetur, & maledictis impetatur. Particula (ergo) illationem indicat ex præcedentibus: ſi cibo non debemus perdere eum, pro quo Chriſtus mortuus eſt; igitur abſtineamus ab eo, cum ſcandalum eſt proximi, & quando, bono hoc, blaſphemandi alijs occaſio præbetur. 1. Cor. 10

Bonum noſtrum, quid dicat Apoſtolus, & quid ſit.

ANNOTATIO XII.

IN quibuſdam Græcis exemplaribus legitur (ὑμῶν) veſtrum, ſicque Chryſoſt. interpretari videtur. Vetus interpres legit ἡμῶν (noſtrum) ſenſus idem fere eſt, nec vllum detrimentum per hoc patitur: nam libertas, & illorum erat, quibus Paulus loquebatur, & ipſius etiam loquentis. vnde, & veſtra, & noſtra dici potuit. Quod autem hoc ſit bonum, varias interpretationes habet. Origen. legit, bonum, nomen, intelligitque Chriſtianam religionem, à qua abhorret infirmus audiens, vtendum illi eſſe cibis communibus, à quibus abſtinere ſolitus eſt. Chryſoſt. dicit eſſe fidem, aut ſpem futuri præmij, aut perfectam pietatem. Theodoret. fidem eſſe affirmat. Ambroſ. doctrinam Chriſti, ſiue vitam bonam, quę blaſphematur propter vnum, quod malum creditur ab infirmo, nempe manducare cibos communes. Anſelm. bonum, ipſam manducationem, quæ bona, & licita eſt, interpretatur. Multæ harum expoſitionum in idem tendunt, nimirum bonum hoc, eſſe Euangelium, quod blaſphematur ab infirmo audiente communibus veſcendum eſſe. Mihi probatur expoſitio cōmentarij, quę ex eodē Paulo de eodem ciborū vſu tractante. 1. Cor. 10. deduci viſa eſt.

Chryſoſt. Origen. Chryſoſt. Theodoret. Ambroſ. Anſel. 1. Cor. 10

Non eſt

Non eſt enim Regnum Dei eſca, & potus.

CAuſam adiungit, cur à cibo communi, quando ſcandalum proximi interuenit, abſtinendum eſt. & eſt Argumentum Quartum. Non eſt, inquit, Regnum Dei eſca, & potus, ideſt, non per hoc ſumus Deo grati, nec, peccatis deletis, ei reconciliamur, iuſque ad æternam beatitudinem acquirimus; nempe, quia manducamus, aut bibimus; ſi enim manducare, & bibere hoc efficeret, merito veſceremur cibis omnibus, quaſi neceſſarijs ad Dei gratiam, & beatitudinem aſſequendam: at cum hoc ita non ſit, debemus abſtinere, quando charitas proximi id poſtulat. Hanc ſententiam alijs verbis clarioribus Paulus expreſſit. 1. Corinth. 8. Eſca, inquit, nos nõ comendat Deo; neque enim, ſi manducauerimus, abundabimus; neque ſi non manducauerimus, deficiemus; Videte autem, ne forte hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis. Appellat Regnum Dei, gratiam, qua peccata delentur, & Deo reconciliamur, & ius ad beatitudinem æternam accipimus.

Non eſt Regnum Dei eſca, & potus, quomodo interpretatur.

Obijcies, nonne tenemur manducare, & bibere? etſi quis cibos omnes repellat, peccat, & homicida eſt ſui? nonne etiam, qui abſtinet à cibis ob carnis macerationem, bonum opus facit, & ad meritum vitæ id pertinet; quomodo ergo dicitur: Non eſt Regnũ Dei eſca, & potus? Reſpondeo, Paulum loqui de ipſis cibis ſecundũ ſe; non autem quando ex aliquo præcepto diuino, naturali, aut humano, homo manducare, aut abſtinere tenetur: tunc enim, non cibus, aut potus, ſed obedientia præcepti eſt, quæ ad Regnum Dei pertinet. hoc autem in loco Paulus agit cum ijs, qui veſcebantur communibus, quibus veſci non obligabantur, ſed abſtinere poterant, & ſic dicit. Eſca, & potus non eſt Regnum Dei. Non igitur damnat ieiunia Eccleſiæ, ſicut nec negat debere nos manducare, ad vitam ſuſtentandam, ſecuſque facientes excludi à Regno Dei.

Sed iuſtitia, & pax, & gaudium, in Spiritu Sancto.

Regnum Dei in quo conſiſtat.

OPpoſitam partem deſcribit, in qua Regnum Dei conſiſtit, vt in hoc incumbendum eſſe potius, quàm in veſcendo cibis communibus, doceat. Regnum ergo Dei ſunt, quæ ipſi Deo maxime commendabiles nos faciunt: quę ad tria reducuntur, iuſtitiam, pacem, gaudium in Spiritu Sancto. Hæc eſt iuſtitia illa, de qua

de qua dicitur Matth.6. Quærite primùm Regnum Dei, & iuſtitiam eius, nempe fidem, dilectionem, & omne virtutis opus; hæc enim ſunt, quæ iuſtos coram Deo nos faciunt. Pax eſt illa, de qua dicitur Ioan.14. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Quæ concordiam, & vnionem cum Deo, & proximo in omni bono ſignificat, & ortum habet à perfecta dilectione. Gaudium in Spiritu Sancto illud eſt, ad quod exhortatur nos idem Apoſtolus. Philip.4. Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete; hoc enim omnem bonam perficit operationem, & procedit ex ſpe futuri præmij, iuxta illud Iaco. 1. Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in tentationes varias incideritis, ſcientes, quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habeat. & Matth.5. Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cælis. Naſcitur etiam ex perfecta dilectione Dei; qui enim diligit, gaudet in ijs, quæ operatur, aut patitur propter eum, quem diligit. Et de bono ergo, propter ſpem, & de Dei honore propter dilectionem in omni bono opere gaudendum eſt. hoc eſt gaudere in Spiritu Sancto; quia in his, & de ijs, quæ à Spiritu Sancto ſunt, & per Spiritum Sanctum fiunt. Hæc ſunt, quæ nos Deo commendant, & in quibus Regnum Dei conſiſtit; nõ autem eſus, aut potus ſecundũ ſe, quatenus eſus, ſeu mãducatio, & potatio ſunt. Matt. 6. Philip. 4. Iaco. 1.

Qui enim in hoc ſeruit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus.

PRobat in his eſſe Regnum Dei poſitum, quia, inquit. Qui in his ſe exercet, & hæc propter Chriſtum facit, Deo acceptus eſt, & hominibus probatus, & commendatus; hoc enim ad Regnum Dei ſpectat, vt nimirum Deo placeamus, & proximis exemplũ bonũ præbeamus, vt videntes bona opera noſtra, glorificent Patrẽ, qui in Cælis eſt; idcirco, quantum in nobis eſt, debemus quærere approbationem hominum hac intentione, & fine; vt enim ſuperius dictum eſt, prouidemus bona, nõ ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Eſca, & potus per ſe non faciunt nos probatos nec Deo, nec hominibus, ſed iuſtitia, pax, & gaudium in Spiritu Sancto.

Itaque quæ pacis ſunt, ſectemur; & quæ ædificationis ſunt, inuicem cuſtodiamus.

INfert Paulus, ſi pax ad Regnum Dei pertinet, & iuſtitia, ſectemur ea omnia, quæ ad hanc faciunt pacem cum proximo; & cuſto-

Digitized by Google

cuſtodiamus inuicem, quæ ad ædificationem ſpectant, ea nempe, quæ iuſtitiæ ſunt, & virtutum opera: nam per hæc nos ipſos ædificamus, & perficimus coram Deo: alios etiam ad bonum bono exemplo prouocamus, quod eſt ædificare alios. Non ergo cum ſcandalo vtamur cibis communibus, quia ſcandalum contra pacem, & iuſtitiam eſt: nam contentiones efficit, & proximum infirmum deſtruit, ac perdit.

Noli propter eſcam deſtruere opus Dei.

Propter eſcam, quomodo deſtruitur opus Dei.

CONnexa eſt hæc ſententia præcedēti; quæ edificationis ſunt, cuſtodiamus; & noli propter eſcam, non ſolum non ædificare proximum; ſed etiam deſtruere; deſtruis enim opus Dei, cum ſcandalo veſcens communibus: nam infirmum à fide facis retrocedere, & in cauſa es, vt pereat in eo fides, quæ Dei opus eſt, aut ſaltem prouocas ad iram, & blaſphemiam, & perdis in eo charitatem, quæ etiam opus eſt Dei, & re minima, nempe cibo corruptibili, & qui ad Dei iuſtitiam non facit, euertis inſigne Dei ædificium, nempe fidem, charitatem, & religionem proximi.

Omnia quidem ſunt munda, ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat.

Cibi quomodo intelligūtur mundi.

REſpondet vni obiectioni Paulus; obijceret enim vtens cibo communi, nonne omnes cibi mundi ſunt? nonne per Euangelium ablata eſt immunditia legis? qua ergo ratione opus deſtruo Dei, & contra charitatem ago, ſi vtor cibo mundo, & licito? Reſpondet Paulus. fateor eſſe omnes cibos mundos, & legis immunditiam ablatam per Chriſtum, nec peccatum procedit ex cibi immunditia aliqua, cum nulla ſit; ſed malum, & peccatum, & damnatio proueniunt, quia eis cibis vteris cum offendiculo, & ruina proximi.

Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur.

ALteri obiectioni reſpondet. Si cibus mundus eſt; veſci illo, quomodo erit malum; & abſtinere ab illo, non erit bonum? Reſpondet Paulus. Cibus bonus, & mundus eſt, tamen abſtinere ab

re ab illo, quando fratris offenſio, ſcandalum, aut infirmitas interueniunt, bonum, & ſanctum, & Deo gratum eſt. Non ergo aliquid perijt tibi, ſi à tali cibo te temperes; immo lucraris, quia rem bonam, & gratam Deo facis, quando hoc facis propter proximum tuum. Bonum ergo eſt, non manducare carnem, nec bibere vinum, neque aliquid, in quo frater patitur detrimentum. Nota tria verba. Offenditur frater, quando non quidem à fide retrocedit, ſed prorumpit in maledictiones, blaſphemias, aut iudicia contra comedentem. Scandalizatur, quando deſerit ſuſceptam fidem. Infirmatur, quando dubijs, & tentationibus perturbatur. Significat per hæc Paulus, quando aliquod ſpirituale detrimentum proximo infertur, à communibus abſtinere bonum, & eis vti malum eſſe.

Tu fidem habes, penes te ipſum habe coram Deo.

TErtiæ obiectioni ſatisfacit, quam Paulus nomine firmioris in fide facit. Fidem habes, ideſt, obijcies mihi, te fidem habere, per quam cognoſcis nullum cibum immundum eſſe. Quomodo ergo, quod fide perfecta facio, malum eſt, aut ab eo abſtinendum eſt, aut quid mihi iſta fides prodeſt? Reſpondet Paulus, non ego dico tibi: quando moneo, vt à cibo communi abſtineas, vt hác fidem mutes, aut deſeras, immo tene, & conſerua illam; vera enim fides eſt, & recte facis, dum credis, cibum nullum eſſe communem. Habeto ergo fidem hanc, tamen non ea vtaris cum ſcandalo proximi; ſed conſerua apud te, & coram Deo, qui corda reſpicit: abſtine autem à cibo exteriori, non propter legem, aut propter cibi immunditiam, ſed propter proximum: non quidem credendo, cibum eſſe communem, ſed ſciendo non eſſe vtendum eo, cum ſcandalo proximi. Non igitur præcipio te abſtinere, vt à communi cibo, ſed vt à cibo, cuius eſus ſcandalum efficit alteri. Illud (coram Deo) appoſitum eſt, ne diceret, qui credebat. Si apud me occultam habeo fidem, quis retribuet mihi? huic obuians, inquit. Coram Deo habes, ipſi nota eſt; ipſe probat, & retribuet.

ANNOTATIO XIII.

Anſel. ILlud (apud temetipſum) Anſel. connectit cum præcedenti verbo, tamē Chryſoſt. & cęteri cum ſequēti, apud temetipſum habe. Multi etiã legunt priora verba interrogatiue: Tu fidē habes? tamē in Gręcis exem-

exemplaribus habetur ſine interrogatione, & verum id eſt; præoccupat enim Paulus obiectionem alterius, vti diximus. Chryſo. exiſtimat Paulum reprimere velle vanam gloriam firmiorum in fide, volentium vti communibus, vt fidem oſtenderent: tamen accommodatius dicimus, Paulum monere, ne ea abutantur cum Proximi detrimento.

Chryſoſt.

Beatus qui non iudicat ſemetipſum in eo, quod probat.

CONNEXA eſt hæc ſententia duabus ſuperioribus, cuius hic eſt ſenſus. dixerat non eſſe veſcendum communibus cum fratris ſcandalo; quòd ſi aliquis fidem habet, nullum eſſe communem cibum, fidem eam eo caſu apud ſe retineat, nec velit illa vti cum alterius detrimento, ſubiungit. Beatus, qui ſe ipſum non iudicat in eo, quod probat, ideſt. beatus ille eſt, & iuſte, recteq. facit, qui per id ſolum, quod approbat, & licitum in ſe cognoſcit, non ſe iudicat, quaſi bene faciat. contingit enim, aliquid in ſe bonum, & honeſtum eſſe, quod ſi fiat, male fiet; non enim omnia bona bene fiunt, cum oporteat multas qualitates conſiderare, & obſeruare in bono faciendo. ſic in præſenti accidit. Qui fidem habet perfectam, approbat cibum omnem bonum eſſe, liciteq. illo veſci poſſe, tamen non per hoc debet ſe iudicare, & exiſtimare; recte facere, ſi veſcatur: nam cum ſcandalum fratris, aut offenſio intercedit, vitium eſt, & peccatum. Iudicare ſe ipſum, idem eſt, ac iudicare ſe recte facere in eo, quod facit. 1. Cor. 4. Sed neq. meipſum iudico, ideſt non probo, & commendo me, quaſi iuſtum.

Qui non iudicat ſemetipſum in eo quod probat, quomodo intelligitur.

ANNOTATIO XIIII.

SVperior ſententia multiplicem lectionem, & multipliciorem interpretationem habet. Quod ad lectionem ſpectat, Auguſti. lib. expo. propo. huius Epiſtolæ videtur affirmatiue legiſſe ſic. Beatus, qui iudicat ſemetipſum in quo probat. Tamen mendum videtur impreſſoris, vt ex ipſiuſmet interpretatione ſequenti conſtat. Omnes autem legunt negatiuè, idq. Græcis exemplaribus eſt conforme. Tamen adhuc diuerſam lectionem Doctores adferunt: nam Athana. qq. ad Antioch. q. 127. ſic habet. Beatus, qui nihil iudicat in eo, quòd probat. Cypria. vero lib. de ſingulari. clerico. multo aliter legit. Beatus, inquit, q. nõ iudicat ſe ipſum in eo, quod probat aliũ. Communis lectio eſt, quã vetus interpres habet, quam ſequũtur Chryſo. Theodoret. Amb. & cæteri, quãq. nos ſumus interpretati.

Auguſt. *Athan.* *Cypr.* *Chryſoſt.* *Theodor.* *Ambr.*

Quantum autem ad ſenſum, maior, vti diximus, eſt diuerſitas. Primo Orig. ſic exponit. Beatus, qui cũ ſemel probauit nullum cibum eſſe communem, fixus perſeuerat in eo, nec ſe iudicat, & condemnat poſtea dubitando, an ſint cõmunes nec ne, an liceat veſci, an ſecus. Præterea, qui ſemel probauit caſte viuere,

Origen.

beatus, ſi permanet, nec poſtea oppoſitum committit, & ſe damnat. Hæc expoſitio dura videtur. Secundò Auguſt. loco citato ſic interpretatur. Beatus, qui in fide, quam approbat, nempe, qua credit eſſe vtendum communibus cibis, non iudicat ſe, ideſt, non ſe damnabilem facit, quia vſus ea eſt cum ſcandalo proximi. Hanc ſequitur Anſelm. quæ expoſitio difficile ſuſtinetur, quia in ea ſignificatione verbum hoc in Scriptura non reperitur. Tertiò Athana. ibidem. Beatus, inquit, qui quando aliquid comedit commune propter fratrem, ne eum ſcandalizet, à ſua conſcientia non damnatur, nec arguitur, quamuis cæteri incuſent illum. Quartò Cypriani expoſitio, ex ipſius lectione ſatis eſt aperta, nempe. Beatus, qui quod laudat in alio, non arguit in ſe. Quintò, Ambroſ. inquit. Beatus, qui quod facit, nõ iudicat apud ſe non eſſe faciendum; qui enim aliter ſentit faciendum, quàm facit, damnabilis eſt. Sextò Chryſoſt. præcedentem ſententiam contra vanam gloriam dictam interpretãs, hanc ſic explicat. Beatus, qui à propria conſcientia non accuſatur; quid enim prodeſt, ſi omnes te laudent exterius; tua vero conſcientia damnat? Septimo, Theodoret. ſic interpretatur. Beatus, qui non diſcernit cibum, quem approbat ad edendum, ſed credit apud ſe non eſſe communem, nec vllam eſſe diſcretionem. quam ſententiam dicit exponi ab eodem Paulo ſequenti ſententia. Fateor, has expoſitiones veras doctrinas continere, quæ his verbis per ſe ſumptis applicari poſſunt; tamen ſi contextus ratio habetur, omnium accommodatiſſima mihi viſa eſt expoſitio, quam in cõmentario proſecuti ſumus, & explicuimus. Vtitur enim Paulus tribus verbis in hac, & ſequentibus duabus ſententijs, nempe, Κρίνω, in ſequenti. Διακρίνω, Κατακρίνω, & Interpres varijs eſt vſus verbis (iudicat) & (diſcernit) (damnatus eſt) vt varias ſignificationes indicaret. Præterea (nõ iudicare ſemetipſum non videtur poſſe intelligi in hoc ſenſu: Non diſcernere cibum: nam illud (ſemetipſum) talem ſenſum reijcit. Omnibus deniquè perpenſis, quæ dicta eſt interpretatio, magis placet.

August. *Athan.* *Cypr.* *Chryſoſt.* *Theodor.*

Qui autem diſcernit, ſi manducauerit, damnatus eſt, quia non ex fide.

HAæc ſententia ad infirmum pertinet; poſtquam enim Paulus cum firmiori locutus eſt, illis verbis (tu fidem habes) & ſequentibus, alteram adnectit partem de infirmo, ac ſi diceret. Qui verò fidem hanc non habet, nempe, qua credat, nullum eſſe cibum communem; ſed diſcernit cibos, & exiſtimat, aliquos communes, immundos, & prohibitos eſſe, tunc ſi eis vtatur, damnatus eſt, ideſt peccat, & damnatione dignus efficitur: cauſa autem eſt, non quòd cibus immundus ſit, ſed quia non ex fide manducat, ſed potius contra id, quod exiſtimat, & aduerſus propriam conſcientiam. & hoc eſt poſtremum argumentum, quo Paulus perſuadere nititur, firmiori in

fide,

fide, ne cibo communi vtatur coram infirmis, quia inducet illos facto ſuo, aut timore, aut verecundia, aut alia de cauſa ad veſcendum vna cum eo, contra propriam conſcientiam ipſorum, quod eſt illis graue peccatum, vnde conſequitur, vt & ij peccent, qui peccandi cauſa fuere.

Attende verbum Pauli (quia non ex fide) non dicit (quia contra fidem agit) quia illa exiſtimatio, qua infirmus putat eſſe cibos communes, non eſt fides, ſed error, quamuis illo tunc temporis excuſabilis: exiſtimatio vero illius, quæ nullum cibum reputat communem, fides eſt, & veritas, fidemq. ſupra appellauit. Idcirco dicit, infirmum non ex fide agere, ſi comedat cibum, quem diſcernit. Iſta tamen negatio (non ex fide) non eſt pura negatio; ſed habens affirmationem admiſtam, nempe, exiſtimationem, qua putat, cibos eſſe communes; quæ vere fides non eſt. contra quam exiſtimationem agit, & inde peccatum committit.

Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

COnnectitur præcedenti ſententiæ (quia non ex fide;) omne autem, quod non eſt ex fide, ideſt, quod fit contra propriam exiſtimationem, & iudicium, etiamſi talis exiſtimatio ſit falſa, peccatum eſt; qui enim exiſtimaret eleemoſynam facere malum eſſe, etiamſi deciperetur in ſuo iudicio, tamen peccaret faciendo: quia non ex fide facit.

Quod nõ eſt ex fide quare peccatum, & quid ſit nõ eſſe ex fide.

Attende autem (non eſſe ex fide) non ſignificare, vti ſupra adnotauimus, puram negationem fidei; ſic enim infirmus olus manducando, à cibiſq. communibus abſtinendo, malefaceret, & peccaret, quod tamen illo tempore verum non erat, immo ſine peccato id fiebat, & tamen, non ex fide abſtinebat, ſed ex errore. Igitur (non eſſe ex fide) duo ſignificat. vnum eſt; ex fide non eſſe, quod ad negationem pertinet: alterum eſt, contra propriam exiſtimationem eſſe, nempe, habere iudicium, & exiſtimationem, non eſſe vtendum cibis communibus. Quidquid ergo ex huiuſmodi exiſtimatione eſt, peccatum eſt.

ANNOTATIO XV.

DVbitatio oritur, quare, qui fidem habet, creditq. cibos omnes mundos, nec diſcernit eos, licitè veſcitur eis, & licitè etiam abſtinet: at verè, qui diſcernit cibos, & exiſtimat eſſe communes, & immundos, licitè quidem abſtinet, tamen, ſi mãducat, damnatus eſt, & peccat?

Digitized by Google

Reſpódeo, eſſe magnam inter vtrũque differentiam; qui enim diſcernit cibos, exiſtimat eſſe contra legem, eis vti; idcirco peccat, ſi vtatur, quia cótra propriam exiſtimationem facit; putat enim, ſe contra legem agere, & quantum ex ſe eſt, tranſgreſſor eſt legis. At qui fidem habet, & credit, nullos eſſe communes, licite abſtinet, quia ſcit ſe non agere contra legem, abſtinendo; non enim abſtinet, quaſi ab immundis, & prohibitis, quos credit mundos, ſed abſtinet propter ſcandalum. quo caſu contra charitatis legem ageret, ſi non abſtineret. Vnde, qui credit, iudicat, & exiſtimat eo caſu abſtinendum eſſe.

Qui abſtinet, & qui manducat contra fidem, vel ex fide cur peccet, vel ſaluetur.

Quòd ſi obijcias iterum; Etiam is, qui putat cibos immundos, nec fidem habet, non peccabit, ſi eis vtatur, quando ſcandalum proximi conſequitur, ſi non manducat. Reſpondeo, Paulum non habuiſſe rationem huius caſus, quia illo tempore non euenerat, vt aliquis ſcandalizaretur de infirmo abſtinente, ita, vt infirmus debuiſſet manducare, ne ſcandalum alijs eſſet. Adde, non ſolere perfectum in fide ſcandalum pati ab infirmiori. econtrario potius fit, vt firmior ſcandalum præbeat infirmo. Idcirco Paulus conſulit, & præcipit huic, ne veſcatur communibus, propter ſcandalum: non autem monet infirmum, vt manducet communes cibos propter ſcandalum. Dico præterea, ſi caſus eueniſſet, in quo infirmus ſcandalizaſſet fratrem, abſtinendo à communibus, monitus fuiſſet à Paulo, vt manducaret, ne ſcandalizaret proximum: nam multa poſſunt contra legem poſitiuam fieri, qualis erat illa de abſtinentia à communibus; etiam, quando vigebat, quoties obſeruantia illius vergit contra legem naturalem, qualis eſt ea, de non ſcandalizando proximum. De his tamen plura dicere, alterius eſt inſtituti.

Quod ad ſenſum ſententiæ poſtremæ ſpectat, Chryſoſt. Theodoret. Ambroſ. & maxima pars interpretum id intelligit non eſſe ex fide, quod præterquam quòd eſt ex errore, & à veritate non procedit, eſt contra propriam exiſtimationem, & conſcientiæ dictamen; qui enim aliquid facit, etiamſi bonum in ſe ſit, tamen malum exiſtimat, peccat, iſq. ſenſus à Paulo intentus eſt: nam docet, eum, qui diſcernẽs cibum, & communem eſſe arbitrans, eo veſcitur, peccare, quia non ex fide id facit. Hinc conſequitur, hanc ſententiam non iuuare illos, qui contendunt, omnia opera infidelium, quantumcumq. bona in ſe, peccata eſſe, quia non ſunt ex fide. Sicq. eleemoſynæ, ieiunia, operaq. pia infidelium, peccata eſſe affirmant, quia non ſunt ex fidẽ, idq. Auguſt. multis in locis videtur docere, & maxime lib. 4. contra Iuli. c. 3. & 4. vbi hũc ediſſerit locum Pauli. & ante eum, Origen. in præſenti, loquens de operibus Hæreticorum. Quæ opinio, meo quidem iudicio parum eſt probabilis, vt alibi oſtendimus: quidquid tamen ſit, locus hic non facit pro ea opinione, nec talis ſenſus accommodari contextui præſenti poteſt; loquitur enim Paulus de fideli, quamuis infirmo, & imbecilli, qui, ſi manducet communia, exiſtimans eſſe immunda, peccat, quia nõ ex fide, & quod nõ eſt ex fide, peccatum eſt, cum tamen ille ſit fidelis. Non igitur ſententia hæc de infideli procedit, ſed generaliter, de om-

Non eſſe ex fide aliquid quid ſit.
Chryſoſt.
Theod.
Ambroſ.
Aug.

de omni, ſiue fideli, ſiue infideli, qui aliquid facit contra proprium conſcientiæ dictamen, ſiue in ſe bonum ſit, ſiue malum; is enim peccat. Peculiariter vero Paulus agit de eo, qui errat. quamuis ſit error excuſabilis; tamen contra id, quod exiſtimat, etiamſi erret, facit: hic enim peccatum committit, & dicitur, non ex fide agere.

Aduertendum etiam eſt hoc, Latinos interpretes in his verbis capitis finem facere; tamen ſcholia Græca, Chryſoſtomum, Theodoretum, & nonnullos alios, nonnullos addere verſiculos, quos Vetus interpres habet in fine capitis decimi ſexti poſt verbum (Amen) vſq. in finem. Origenes cum Latinis ſentit, idque veriſimilius eſt, quia huiuſmodi verſiculi ad finem Epiſtolę ſpectãt. Præterea, quod magis vrget: Principium ſequentis capitis connectitur cum hiſce verbis, ſecundum Latinam verſionem: non autem cum illis verſiculis appoſitis; quod argumento eſt, non ad hunc locum pertinere.

Chryſoſt. Theodor. Orig.

CAPVT XV.

Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. Vnuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem. Etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt: Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me. Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: vt per patientiam, & conſolationnm Scripturarum, ſpem habeamus. Deus autem patientiæ, & ſolatij det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundum Ieſum Chriſtum: vt vnanimes, vno ore honorificetis Deum, & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Propter quod ſuſcipite inuicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei. Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum: Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt: Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit: Lætamini Gentes cum plebe eius. Et iterum: Laudate omnes Gentes Dominum: & magnificate eum omnes populi. Et rurſus Iſaias ait: Erit radix Ieſſe, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes ſperabunt. Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo: vt abundetis in ſpe, & virtute Spiritus ſancti. Certus ſum autem fratres mei, & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, ita vt poſſitis alterutrum monere. Audacius autẽ ſcripſi vobis fratres ex parte tamquam in memoriam vos reducens: propter gratiam, quæ

Digitized by Google

data eſt mihi a Deo, vt ſim miniſter Chriſti Ieſu in Gentibus: ſanctificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto. Habeo igitur gloriam in Chriſto Ieſu ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam Gentium, verbo & factis: in virtute ſignorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti: ita vt ab Ieruſalem per circuitum vſque ad Illyricum repleuerim Euangelium Chriſti. Sic autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem: ſed ſicut ſcriptum eſt: Quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent. Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos, & probibitus ſum vſque adhuc. Nunc vero vlterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedentibus annis: cum in Hiſpaniam proficiſci coepero, ſpero quòd præteriens videam vos, & a vobis deducar illuc, ſi vobis primum ex parte fruitus fuero. Nunc igitur proficiſcar in Ieruſalem miniſtrare ſanctis. Probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Ieruſalem. Placuit enim eis, & debitores ſunt eorum. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles: debent & in carnalibus miniſtrare illis. Hoc igitur cum conſummauero, & aſſignauero eis fructum hunc: per vos proficiſcar in Hiſpaniam. Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Euangelij Chriſti veniã: Obſecro ergo vos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem ſancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum, vt liberer ab infidelibus, qui ſunt in Iudæa, & obſequij mei oblatio accepta fiat in Ieruſalem ſanctis, vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiſcum. Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis. Amen.

Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere.

Firmiores debere ſuſtinere imbecillitates infirmorum.

PRoſequitur idem argumentum, eos alloquens, qui firmiores, & peritiores erant in fide, quiq. libertatem Euangelicam amplectebantur, veſciq. omnibus ſibi licere exiſtimabant. Debemus, inquit, nos, qui firmiores ſumus, infirmorum, & eorum, qui minus in fide inſtructi ſunt, imbecillitates, ideſt ignorantiam, & ea quæ ex ignorantia faciunt, etiamſi moleſta nobis ſint, ſuſtinere; ideſt, patienter

Digitized by Google

patienter ferre, & quantum poſſumus illis opitulari, vt ad fidei perfectionem conualeant. Sumpta eſt metaphora à baiulis, qui portant, & ſuſtinent pondus: nam patienter agunt, & pondus ſubſtollunt. Loquitur autem Paulus in prima perſona, coniungens ſe ijs, qui omnia manducanda eſſe credebant, vt oſtendat eos rectè ſentire, nec remoueri debere ab ea fide, qua credebant licere omnibus veſci, nihilq. eſſe immunditiæ in cibis.

Et non nobis placere,

CONnexum eſt hoc verbum eidem ſententiæ; mos enim eſt Pauli, ad perfectiorem doctrinam tradendam, vti affirmatione, & negatione, vt illa quid agendum, hac à quo ſit abſtinendum, oſtendat. Debemus igitur ſuſtinere infirmorum imbecillitates, & nobis placere; ideſt, non noſtris commodis inſeruire, aliorum vtilitate neglecta; hoc enim eſt ſibi placere, ſcilicet voluntati propriæ ſatisfacere, & quæ ſibi grata, & vtilia ſunt, quærere, nulla aliorum habita ratione: Hoc enim verbum Græcum ἀρέσκω ſignificat; ſunt enim, qui omnia, quæ agunt, ad ſuum trahunt compendium, & ob priuati commodi ſtudium faciunt.

Vnusquiſq. proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem.

GRæcè eſt particula (γὰρ) (vnusquiſq. enim) cauſam indicat, cur non debemus nobis placere, ſed imbecillitates portare proximorum; ea eſt; quia debemus aliorum ſaluti incumbere, & ad id aſſequendum, voluntati eorum in multis obſecundare, etiáſi nobis grata, aut vtilia non ſint, dummodo ſine peccato fieri poſſint. Eſt autem placere proximo in bonum, condeſcendere, & obſecundare voluntati eius, vt ad bene operandum alliciatur, ſicq. ædificetur, & perficiatur in bono.

Etenim Chriſtus non ſibi placuit: ſed, ſicut ſcriptum eſt. Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me.

ARgumento, & exemplo efficaciſſimo probat, quod docuerat: nam Chriſtus, inquit, cuius veſtigia ſequi, & vitam imitari debemus, non ſibi placuit, non proprijs commodis ſeruiuit, qui proprio ſanguini, & vitæ non pepercit, vt noſtram operaretur ſa- Chriſtus noſtras portauit infirmitates.

 lutem,

lutem, qui noſtras imbecillitates ita portauit, & ſuſtinuit, vt improperia improperantium Deo ceciderint ſuper eum, ideſt, omnium hominum peccata, quibus Deus iniuria afficiebatur, ipſe ſuſceperit
Iſa. 53. punienda in carne ſua, & ſic pro nobis ſatisfaceret. Iſa. 53. Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra; diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Si ergo Chriſtus non ſibi placuit, ſed omnium peccata ſuſtinuit, cur homo, qui ſub eo militat, ſibi placebit, & non ſuſtinebit imbecillitates proximorum? cum nemo ſit, qui tanta, ac tot pondera peccatorum ſuſtineat, aut ſuſtinere valeat, quot, ac quan
Pſal. 68. ta ſuſtinuit Chriſtus. Vtitur Paulus teſtimonio pſal. 68. & breuitatis amator, ſolis verbis Scripturæ vſus eſt; tamen ſententia ſic eſt ſupplenda. Chriſtus non ſibi placuit, ſed imbecillitates omnium infirmorum ſuſtinuit, ſicut ſcriptum eſt. Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me. Illud autem (non ſibi placuit) non ſignificat, Chriſtum non ſponte, nec ex deſiderio, noſtram ſalutem operatum eſſe, qui vere ex ſummo amore, & animi promptitudine paſſus eſt pro nobis; ſed id tantum indicat; Chriſtum non pepercisſe ſuæ corporali vitæ, nec corporis vtilitati conſuluiſſe, vt noſtram ſalutem efficeret. cum enim poſſet non mori, & non pati, nam oblatus eſt, quia ipſe voluit crucifigi; tamen & mille grauia incommoda pati dignatus eſt pro nobis.

Quæcumq. enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.

CAuſam reddit, cur loco Scripturæ, qui non de nobis, ſed de Chriſto loquitur, vſus ſit ad perſuadendum alijs, infirmitates proximorum ſuſtinere. Senſus eſt, etſi locus allegatus de Chriſto ſonare videatur, nolite arbitrari, nihil ad nos pertinere: nam quæcumq. ſcripta ſunt, propter noſtram eruditionem & inſtructionem ſcripta ſunt, etiamſi non de nobis ipſis tractent. Scriptum quidē eſt de Chriſto teſtimoniū illud. (Improperia improperantium, &c.) tamen propter nos ſcriptum, & litteris perpetuis mandatum eſt, vt diſcamus eo exemplo, etiam pro viribus noſtris, aliorum conſulere ſaluti, & eorum infirmitates ſuſtinere. Græcè habetur. Quæcumq. præſcripta, ſeu ante ſcripta ſunt. quo ſignificat Paulus, ſe de veteris teſtamenti Scriptura loqui.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIO I.

QVidã recentiores exiſtimant, Paulum præſenti ſententia rationem reddere, cur in tota hac epiſtola Scripturarum teſtimonijs vſus fuerit. Ex quo fit, vt hæc verba, non ſolum ad præcedentem prophetiam Dauidis, ſed etiam ad cætera omnia ex Scripturis per totam epiſtolam allegata, referantur. *Chryſoſt.* Chryſoſt. vero ad præcedentia refert, in eo tamen ſenſu: Dixerat, improperia improperantium tibi, ceciderunt ſuper me, ideſt, quæ olim in Patrem commiſerunt Iudæi, blaſphemantes, & iniurijs afficientes eum, eadem in Filium perpetrarũt: præſcripta ſunt autem, ne nos eos imitemur. Sic explicat Chryſoſt. in cuius explicatione placet id, quod affirmat, ad præcedentia referri hanc præſentem ſententiam; non enim video, cur ad totam epiſtolam referantur; præſertim cum poſt hanc, multa teſtimonia, etiam ex Scriptura producat. Connexio vero, & ſenſus Chryſoſtomi non mihi ſatis accommodata videntur. Quæ vero dicta ſunt in commentario, faciliora, & aptiora exiſtimo. Ambroſius legit. In noſtram confirmationem: at rectius dicitur, in noſtram doctrinam, ſeu diſciplinam; per Scripturas enim docemur, & diſcimus. Græce (διδασκαλίαν.) *Ambr.*

Vt per patientiam, & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus.

Quæcumque ſcripta ſunt eſſe ſcripta ad noſtram doctrinam, quare?

QVo tendat hæc noſtra doctrina, ad quam ſcripta ſunt, quæcumque ſcripta ſunt, & qui eius ſit fructus, explicat. ſenſus eſt. Doctrina, quæ ex Scripturis conficitur, hoc efficit, & in id iuſtituta eſt, vt ex ijs, quæ in ea legimus, patientiam, & conſolationem aſſequamur, & per eas in ſpe de ijs, quæ promiſſa ſunt bona, confirmemur. Perpende ordinem. Hereditas æterna in præſenti ſeculo promiſſa eſt; non autem data. Neceſſaria igitur eſt ſpes, quæ fidem præſupponit; ſperamus enim, quæ nondum habemus, futura tamen credimus. Rom. 5. Per quem habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe filiorum Dei. Rom. 8. Spe enim ſalui facti ſumus. *Rom. 5.* *Rom. 8.*

Spei ſuſtẽtacula, quæ ſint.

Duo maxime hanc ſpem ſuſtentant, & roborant, patientia, & conſolatio; cum enim in præſenti aduerſitatibus multis impugnemur, & tentationibus agitemur, opus eſt patientia; impatientes enim ſolent, aut ſpe deficere, aut in ea multum infirmari: patientia autem eam ſtabilit. Ne autem aduerſantiũ continuatione, & multitudine opprimamur, conſolatio neceſſaria eſt, quæ vires, ne impugnatione nimia debilitẽtur, reparet, & confortet. Quæ etiã conſolatio ſpem confirmat, ſicut qui nimium fameſcit, horam prandij facilius exſpectat, & ſuſtinet, aliquo breui cibo prælibato; hoc .n. efficit conſo-

Digitized by Google

conſolatio. Patientia ergo, & conſolatio ſpem confirmat. Eſtq. rectus ordo etiam inter illa duo; patientia enim conſolationem parit: impatientia vero deſolationem: illa namque minuit, atque alleuat labores, & aduerſitates, quiq. ſe patientia minuit, ea, quæ contraria ſunt, minus ſentit. Hæc autem duo, patientiam ſcilicet, & conſolationem, Scripturarum lectio, & doctrina mirabiliter, & multipliciter efficit, & per exempla, quæ in ea continentur, & per exhortationes, quas in ea legimus; & per promiſſiones, quæ in ea nobis fiunt; & per præmia, quæ Deum ſuis ſeruis dediſſe inuenimus. Hic igitur eſt fructus doctrinæ Scripturarum illarum veterum. Multi alij ſunt: ſed horum meminit Paulus, quia agebat de infirmorum imbecillitatibus ſuſtinendis, ad quod exhibendum, hæc tria multum ſunt neceſſaria.

ANNOTATIO II.

Ambr. AMbroſius legit (per patientiam, & exhortationem) nam nomen παράκλησις vtrumque ſignificat, vt diffuſius diximus in Commentarijs in Ioannem: accommodatius tamen cum veteri interprete legimus (conſolationem,) hæc enim patientiæ recte coniungitur; per eam enim illa perdurat, & perficitur: quod etiam paulo inferius dicitur. (Deus patientiæ, & ſolatij;) temperauit enim iuſtus & miſericors Deus aduerſis proſpera, ne ſui in illis deficiant, aut in his ſuperbiant. 2. Cor. 1. Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.

Deus autem patientiæ, & ſolatij det vobis idipſum ſapere in alterutrum, ſecundum Ieſum Chriſtum.

NIſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborat, qui ædificat eam. Cum ergo Paulus firmiores in fide, & infirmos inter ſe de ciborum delectu diſſentientes, componere procurauerit, complementum à Deo petit. nam neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid: ſed, qui incrementum dat, Deus. Inquit igitur, Deus det vobis idem ſapere alterutrum, ideſt, vt eodem ſitis animo, & affectu erga vos mutuo, non quidem in malo; ſed ſecundum Ieſum Chriſtum; ideſt, in ijs, quæ ſecundum eius doctrinam, & voluntatem ſunt; ſic enim, neque infirmus iudicabit firmiorem, neque hic ſpernet illum: ſed erit mutuus conſenſus inter vos ſecundum Euangelium. Verbum (ſapere) vti ſupra diximus, commune eſt intellectui, & affectui. Illud tamen (in alterutrum)

Deus patientiæ, & ſolatij cur dicatur.

trum)

trum) ad affectum hoc in loco pertinere oſtendit. id quod etiam ſequens aduerbium demonſtrat. Appellat Deum patientiæ & ſolatij, inſinuans, patientiam, & conſolationem Scripturarum, quarum ante mentionem fecit, quæq. neceſſariæ ſunt ad mutuam concordiam ſecundum Euangelium, ab ipſo Deo eſſe, neminemq. illas aſſequi, niſi Deo auctore, ideoq. ab eo quæri, & peti debere. Eſt autem idem vocabulum Græcum, quod modo conſolationem, modo ſolatium interpres conuertit. Attende, Paulum miro artificio hæc verba adiunxiſſe; dum enim contentionem de ciborum delectu inter eos, qui ex Iudæis; & eos, qui ex Gentibus erant, componit, occaſionem arripit, omnes inter eoſdem diſſenſiones, & diſcordias remouendi; de quibus in tota epiſtola locutus fuerat, atque optimis, & epilogo, & fine eam concludit.

Vt vnanimes vno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

CONnexa ſunt hæc præcedentibus. Det vobis in alterutrum idem ſapere, & eodem vos affectu ſecundum Chriſtum proſequi, vt vnanimes, ideſt, vt ex hac animorum vnitate procedat concordia, etiam exterior, ſcilicet, vt vno ore Deum colatis, & quæ ad ipſius honorem ſpectant, exhibeatis. Denique vt ex vnione animorum interiori fiat concordia cultus, & religionis Dei. hoc eſt, vno ore Deum honorificare. Addit autem (Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti) vt Euangelium à lege diſcernat. Colebat Iudæus in lege Deum: ſed Patrem Chriſti Domini noſtri adhuc non aſſequebatur, myſterio Trinitatis, & Incarnationis nondum illi populo reuelato: in Euangelio vero, Deum, & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti colimus, quia hæc myſteria iam reuelata expreſſe profitemur. Dicit ergo Paulus ſe velle vnanimes eſſe eos, qui ex Iudæis, & Gentibus, vt vno ore Deum colant, non quidem ſecundum legis illius cultum, ſed ſecundum Euangelium: propterea addidit (Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti;) hæc eſt enim fides, & religio Chriſtiana. Illud (vnanimes) Græce (vnanimiter.)

Propter quod ſuſcipite inuicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos.

SI ergo vno animo, & vno ore debetis Deum ſecundum Euangelium honorare, & colere, ſuſcipite inuicem vos, ideſt, mutuo

Digitized by Google

Suſcipere inuic. in honorem Dei quō poſſumus. tuo vos iuuate, & remotis contentionibus, & altercationibus, ac diſſidijs, quæ tam ex ciborum delectu, quàm ex diuerſitate vocatorum ex Iudæis, & Gentibus orta ſunt, inuicem vos complectimini, ſicut & Chriſtus vos ſuſcepit, qui nulla diſtinctione facta inter Iudæos, & Gentes, pro omnibus mortuus eſt, omnes ad ſe vocauit; ſalutem, & remedia ſalutis communia fecit; & tamquam fratres, & filios ſub vno patre complexus eſt. Verbum (ſuſcipite) illud idem eſt Græce, quod in principio capitis præcedentis dictum eſt. (Infirmum in fide aſſumite.)

In honorem Dei.

VTrique parti connectitur hæc particula. Priori quidem in hunc ſenſum. Suſcipite vos inuicem in Dei honorem, ſcilicet, quia hæc mutua ſuſceptio in Dei honorē, & gloriam cedit; concordia enim, & conſenſio eorum, qui ſub vna ſunt religione, Deum ipſum apud eos, qui illum ignorant, commendat, ſicut & opera eorum bona, de quibus dicitur. Vt videntes bona opera veſtra, glorificent Patrem veſtrum. Poſteriori vero ſic. Sicut Chriſtus etiam ſuſcepit vos in eundē honorem Dei, redemptio.n. facta per Chriſtum, Iudæorum ſimul, & Gentium, in maximum Dei honorem, & gloriam cedit, vt in ſequentibus ipſe Paulus explicat.

ANNOTATIO III.

Orig. Anſel. Chriſtus quō ſuſcepit nos in honorem Dei. ORigenes, & Anſelmus poſteriori parti prædictam particulam connectunt; Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei, ſcilicet, vt per bona opera veſtra glorificetur Deus. *Chryſoſt.* Chryſoſt. poſteriori etiam copulat: ſed in hunc ſenſum, nempe, Suſcipite inuicem, ſicut Chriſtus ſuſcepit vos, vt per hanc vnitatem Dei honor manifeſtaretur, iuxta illud *Ioan.17.* Ioan. 17. Vt omnes vnum ſint, vt credat Mundus, quia tu me miſiſti. Ambroſ. vero priori coniungit. Suſcipite vos inuicem in Dei honorem, ideſt, ne nomen Dei in vobis aſſumptum euacuetur; multum enim Religioni detrahitur ex diſcordia eorum, qui ſub vno militant Chriſtiano nomine. Ego, cum & Chriſtus in honorem Dei nos ſuſceperit, & cum in ipſius etiam Dei honorem reſultet, ſi inuicem nos ſuſcipiamus, vtrique parti copulaui, & videtur accommodata expoſitio, ac his, quæ ſequuntur, multum conſentiens.

Dico

Digitized by Google

Dico enim, Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones Patrum.

Qua ratione Chriſtus oēs ſuſceperit

QVa ratione Chriſtus omnes ſuſceperit; Iudæos, & Gentes; idq. in honorem Dei ceſſerit, explicat; ſimul etiam modum diuerſum, quo ambo populi ſuſcepti ſunt, docet: nam Iudæos ſuſcepit ex quadam iuſtitia; ſcilicet, quia patribus eorum promiſerat; Gentes vero ex miſericordia. Suſcepti igitur ſunt vtrique propter Dei honorem: ſed in Iudæis Dei veritas; in Gentibus miſericordia manifeſtatur. Hic eſt totus ſenſus huius, & ſequentis ſententiæ. Incipit autem à Iudæis, qui Deo erant propinquiores, propter verum cultum antiquum legis. (dico) inquit, vox eſt explicantis quod præceſſit, quaſi diceret. Chriſtum dixi ſuſcepiſſe omnes propter Dei honorem. Iudæos quidem ſic ſuſcepit, vt ipſe factus fuerit miniſter, & prædicator eorum; in carne enim eis apparuit, & ore proprio docuit, Matthæi cap. decimoquinto. Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael. Propter veritatem Dei, ideſt, vt Deum veracem eſſe oſtenderet, qui quæ promiſerat implebat. Luc. 1. Suſcepit Iſrael puerum ſuum, ſicut locutus eſt ad patres noſtros. Propter veritatem igitur Dei, miniſter Iudæorum factus eſt, vt ſic, quæ promiſerat Deus, implerentur, ſicq. Iudæos ſuſcepit in Dei honorem, vt veritas, ideſt, veracitas Dei implentis, quod promiſit, declararetur. Luc. 4. Alijs ciuitatibus oportet me euangelizare, quia in hoc miſſus ſum. *Luc. 1.* *Luc. 4.*

Chriſtus quare dicitur miniſter circumciſionis.

Attende verba: Miniſtrum circumciſionis appellat; quia ex Iudæis homo factus, etiam ipſis ore proprio prædicauit Euangelium; per circumciſionem enim Iudæos ſignificat. Promiſſio autem hæc Patribus facta, multis Prophetarum oraculis conſtat, quibus Deus promiſit, Filium ſuum, non tantum carnem ex Iudæis ſumpturum, & ſalutem eorum operaturum, ſed eiſdem doctorem ſe exhibiturum, & præceptorem. Iſa. 2. Docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis illius, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Ioel 2. Filiæ Sion lætamini in Domino Deo veſtro, quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ. Et multo ante per Moyſem. Deuter. 18. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus; ipſum audies, &c. Veritatem appellat virtutem, non tantum, qua vera dicimus: ſed etiam, qua, quæ promiſimus, implemus: *Ioel 2.* *Deut. 18.*

Digitized by Google

plemus: quæ etiam fides, & fidelitas dici ſolet; de qua ſupra c. 3. dictum eſt. Numquid infidelitas eorum fidem Dei euacuabit? & rurſus. Eſt Deus verax; omnis autem homo mendax. Ecce qualiter ſuſcepit Chriſtus Iudæos in honorem Dei.

ANNOTATIO IV.

Particula illa (enim) Græce, non eſt cauſalis, ſed continuationem indicat ſermonis. (Δὲ) quaſi dictum ſit (dico autem;) tamen ſententia hæc vtroque modo lecta, accommodatur præcedentibus; ſi enim legas (enim) cauſam continet, cur Chriſtus in honorem Dei ſuſcepiſſe Iudæos, & Gentes ſit dictus, initio probationis ſumpto à Iudæis: ſi vero legas (autem) explicatio eſt eiuſdem ſententiæ: vtrumque autem verum eſt, & appoſite dicitur. Chriſtum vero, vt homo eſt, miniſtrum fuiſſe, & miniſtraſſe, ipſemet docuit, Mar. 10. Filius hominis non venit, vt miniſtraretur ei; ſed vt miniſtraret. Luc. 22. Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. Per circumciſionem autem, Iudæos ſignificari, ex Paulo conſtat, Gal. 2. qui ea figura ſæpe vſus eſt. Creditum, inquit, eſt mihi Euangelium, ſicut & Petro, circumciſionis; Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatu circumciſionis. rurſus: Vt ipſi in Gentes; nos autem in circumciſionem. Sunt huiuſce rei teſtimonia multa.

Mar. 10 · *Luc. 22* · *Gal. 2.*

Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum.

Chriſtus qua ratione Gentes ſuſceperit

Qua ratione Gentes ſuſceperit, exponit: repetendum eſt autem idem verbum. Dico, Gentes Deum glorificare, ideſt, Euangelium, quo Deum verum colunt, ſuſcepiſſe propter miſericordiam ſolam; non enim eorum patribus promiſſio facta eſt pro illis, ſicut facta fuit Iudæorum patribus. In Iudæorum ergo ſuſceptione, veritas Dei; in Gentium vero ſuſceptione, miſericordia declaratur. Hinc conſequitur, Chriſtum ſuſcepiſſe vtroſque in Dei honorem, vt eum & verum, & miſericordem manifeſtaret. Non negat Paulus, miſericordiam factam fuiſſe cum Iudæis; ſed, vltra eam, docet, veritatem promiſſionum interceſſiſſe, quæ in Gentium vocatione non fuit. Nec negat Paulus, Gentium ſalutem promiſſam etiam olim fuiſſe: ſed ea promiſſio facta fuit Iudæorum patribus. Vnde reſpectu Gentium, miſericordia ſola interceſſiſſe dicitur. His ſententijs, animoſitatem Gentium reprimit Paulus, & humilitatis iugo deprimit, ne aduerſus Iudæos ſe extollant, eoſq. contemnant, vt recte adnotauit Auguſt. lib. expoſit. prop. huius epiſt. in fine.

AN-

Digitized by Google

ANNOTATIO V.

INterpres vetus, occaſionem quandam miniſtrauit obſcuritatis huius ſententiæ; cum enim in Græco exemplari eadem ſit præpoſitio (ὑπὲρ) in vtraque ſententia, ſcilicet in illa (propter veritatem Dei) & in hac (ſuper miſericordia) & vtrumque nomen ſit in gignendi caſu, varia vſus eſt interpretatione; cum clarior efficeretur ſenſus, ſi in vtroque loco eadem ſeruata eſſet forma locutionis; vt ſicut ibi dictum eſt (propter veritatem) ita hic diceretur (propter miſericordiam.) eaq. varietas cauſa fuit, varios ſenſus excogitandi, præſertim recentioribus. Ego vero vniformitatem ſermonis Græci attendens, ſenſum propoſui, quem accommodatum, & legitimum exiſtimaui. Pro quo facit illud, quod ſcripſit Hieron. in illud Pſal. 34. Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi. Duo, inquit, ſunt credentes populi, vnus de Gentium populo, alter de Iudæorum. Iudæis repromiſſum eſt, quod veniret Saluator: nobis autem, qui extranei ſumus à lege Dei, non eſt repromiſſum. Miſericordia igitur eſt in populo Gentium; veritas in populo Iudæorum: quia quod repromiſſum eſt, venit, hoc eſt, quod repromiſſum eſt patribus, completur in filijs. Hoc eſt, iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt, pax miſericordia, veritas iuſtitia eſt. hæc Hier. hoc eſt illud Eph. 2. vbi Gentibus loquens, inquit, Eratis hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes. *Hieron.* *Epheſ. 2.*

Sicut ſcriptum eſt: Propterea confitebor tibi in Gentibus, Domine, & nomini tuo cantabo. & iterum dicit; Lætamini Gentes cum plebe eius.

NE Iudæus, propter promiſſiones, Euangelium ſibi ſoli vſurparet, Gentesq. excludendas exiſtimaret, teſtimonijs Scripturæ, hanc erga Gentes miſericordiam, per quam ſuſcipiendæ erant à Chriſto, confirmat, ſicq. prudenter, & efficaciter horum, & illorum diſſenſiones, ortas ex populorum diuerſitate, componit. Eſt autem primum teſtimonium ex Pſalm. 17. & 2. Reg. 22. quo Gentium vocatio prædicta eſt, & quidem ex miſericordia; verba enim confitendi, & cantandi Domino, miſericordiam indicant: hæc enim maxime fiunt pro beneficio gratis, & ex liberalitate impenſo, quale fuit, quod Deus Gentibus contulit. Alterum teſtimonium eſt ex Deuter. cap. 32. ſecundum verſionem Septuaginta, vbi Gentes populo Iudæorum coniungendæ prædicuntur, & ad lætandum inuitantur. quo etiam verbo miſericordia indicatur; bonum enim, quod ſine præuia promiſſione confertur, maioris lætitiæ, iucunditatis, ac laudis cauſa eſt. *Pſal. 17.* *2. Reg. 22.* *Deut. 32.*

Et

Digitized by Google

Et iterum: Laudate omnes Gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi.

TErtium eſt teſtimonium ex Pſal. 126. vbi & Gentes, & Iudæorum populi inuitantur ad laudem Chriſti pro futuro Euangelio. In quo teſtimonio, miſericordiæ, ac veritatis fit mentio expreſſa, quæ Paulus breuitatis cauſa prætermiſit, quia erat notiſſimum teſtimonium. Quoniam, inquit Dauid, confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum. Nec mireris, teſtimoniorum multitudine vſum eſſe; factum enim eſt id, tum vt Iudæis perſuaderet, commune eſſe etiam Gentibus Euangelium; illi enim Meſſiæ promiſſionem habentes, Gentes ad Euangelium admitti ægre ferebant; tum ne Gentes, Iudæorum infidelitatem videntes, ſuperbirent aduerſus eos, qui ex Iudæis erant; conſiderare enim illos oportebat, ex miſericordia eſſe ad Euangelium vocatos, quod quidem toties erat prædictum. *Pſal. 126*

Et rurſus, Iſaias ait: Erit radix Ieſſe, & qui exſurget regere Gentes, in eo Gentes ſperabunt.

POſtremum teſtimonium eſt Iſaiæ cap. 11. quo idem prædictum eſt. Eſt autem ſenſus: Erit radix Ieſſe, ideſt, permanebit tempore illo familia Ieſſe, qui fuit pater Dauid, & ex ea exſurget quidam regere Gentes, nempe Chriſtus, qui Gentibus Euangelij legem dabit, & in hunc Gentes ſperabunt, quaſi ex miſericordia ſalutis beneficium accepturæ. *Iſai. 11.*

Chriſtus cur potius dicitur radix Ieſſe, quã Dauid.

Attende, Prophetam dixiſſe radicem Ieſſe, non autem radicem Dauid; quia, quando venit Chriſtus, Dauid regnum ceſſauerat, & præciſum erat: familia tamen, & ſemen perdurabat. Chriſtus exſurrecturus dicitur, quia in eo regnum erat renouandum, & amplificandum. Iſaiæ 9. Super ſolium Dauid ſedebit. Luc. 1. Dabit illi Deus ſedem Dauid patris eius. Præterea recturus dicitur Gentes, quia legem daturus erat illis, qui ſine lege viuebant. Rurſus, dicuntur Gentes ſperaturæ in eum, propter inſignem miſericordiam, qua Deus eſt vſus cum eis, quæ omne bonum ſperandi ab eo argumentum illis futura erat. De illo enim, quem miſericordem valde erga nos experti ſumus, beneficia, & bona accipiendi maximam ſpem concipimus, propterea Gentibus ſpes hæc tribuitur. *Iſai. 9.* *Luc. 1.*

Digitized by Google

tur. Teſtimonium hoc aliter in Hebræo nunc legimus: at Paulus ſecutus eſt verſionem Septuaginta. Quæ dici poſſent ſuper hunc locum, prætermittimus. Quæ ad Pauli expoſitionem faciunt, protuliſſe ſat is eſſe arbitrati.

ANNOTATIO VI.

MVlti hæc omnia teſtimonia à Paulo producta arbitrantur, ad Gentium vocationem confirmandam, quod mihi non ſatisfacit: nam Paulus ſuſceperat probandum, quod de Gentibus dixerat, nimirum, eſſe quidem ſuſceptas à Chriſto; ſed non vt Iudæos, propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones Patrum; ſed propter miſericordiam. Loca igitur allegata vtrumque debent comprehendere, nimirum, Gentes vocatas eſſe, & ex miſericordia Dei. Idcirco in eo ſenſu ea explicare conati ſumus.

Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo, vt abundetis in ſpe, & virtute Spiritus ſancti.

COnuerſis ex Gentibus hæc dicta ſunt, occaſione ſumpta ex teſtimonio proxime citato, nempe (Gentes in hunc ſperabunt.) Deus, inquit, ſpei, qui nempe auctor eſt huius ſpei, & cuius beneficio factum eſt, vt vos in eum ſperetis, repleat vos omni gaudio, & pace in credendo, ideſt, concedat vobis ingens, & copioſum gaudium de eo, quod crediſtis, & Euangelium ſuſcepiſtis. gaudere enim in credendo, non aliud eſt, quàm gaudere de beneficio tanto accepto, quod fideles facti ſunt Chriſti; qui enim gaudet de ſuſcepta fide, non ſolum non retrocedit ab ea, nec pœnitet eum crediſſe, ſed plurimi facit beneficium fidei acceptum, & in ea confirmatur. Repleat etiam vos pace in credendo, vt in hac fide ſuſcepta, nullas cum fratribus diſſenſiones, aut contentiones habeatis, quales hactenus cum conuerſis ex Iudæis habuiſtis. de quibus & capite præcedenti, & ſuperioribus capitibus dictum eſt. Deus igitur vos gaudio & pace repleat in credendo, vt ſic repleti creſcatis in ea ſpe, ad quam Deus vos vocauit, vt ex Iſaia relatum eſt. Quanto enim maius eſt gaudium de fide ſuſcepta, & pax in ea cum fratribus, tanto maior concipitur ſpes recipiendi à Deo noua beneficia, & perueniendi ad perfectionem eorum, quæ ſunt promiſſa, vt ſic etiam creſcatis in virtute Spiritus ſancti. Creſcere in virtute Spiritus ſancti, eſt

creſcere in gratia, & donis ipſius; virtus enim Spiritus ſancti, gratia, & dona ipſius ſunt, quibus homo efficitur robuſtus in Spiritu, & potens ad opera magna facienda. Perpende, quàm efficaciter Paulus Gentes componit cum Iudæis in Euangelio ſuſcepto.

ANNOTATIO VII.

Deus ſpei cur dicitur.

DEum appellat ſpei, propter verbum præcedens (Gentes ſperabunt:) nam Deus etiam eſt fidei, & charitatis; hæc enim etiam à Deo ſunt: ſed verbum verbo connectens, vocat Deum ſpei. Illud (gaudio in credendo) Chryſoſt. interpretatur ſic. Repleat vos gaudio ad expellendam mæſtitiam, qua vos inuicem afficitis. quod fiet, ſi credideritis. Mihi magis accommodata videtur noſtra interpretatio, nempe, Repleat vos gaudio de fide, & Euangelio, quod ſuſcepiſtis. Gaudendum enim profecto eſt de tanto beneficio, quantum eſt Euangelium, & qui gaudio repletus eſt in credendo, & ſtabilis, & perfectus in fide erit. Illud etiam (& virtute Spiritus ſancti) idem Chryſoſtomus, quem aliqui recentiores ſequuntur, explicat (per Spiritum ſanctum) quaſi prædicta, ſcilicet gaudium, pax, fides, & ſpes, ſint ex Spiritu ſancto: cui expoſitioni fauet, in Græco codice deeſſe particulam (&.) quaſi dictum eſſet (in ſpe, in virtute Spiritus ſancti:) at nos ſequentes veterem interpretem, interpretati ſumus ſic, vt connectatur cum eodem verbo, quaſi id, in quo abundare petit. Abundare ergo in virtute Spiritus ſancti eſt creſcere in gratia, & donis ipſius, quibus anima fit robuſta, & potens ad quodlibet bonum arduum, & magnificum operandum. Nec iſta ſententia refertur ad Iudæos, ſed ad Gentes, de quibus prædixerat ex Iſaia (Gentes in eum ſperabunt;) & de quibus ſequitur (vt ſim miniſter in Gentibus:) ad hos enim præcipue hæc epiſtola dirigebatur.

Chryſoſt.

Chryſoſt.

Certus ſum autem, fratres mei, & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione; repleti omnes ſcientia, ita, vt poſſitis alterutrum monere.

ADmiranda eſt modeſtia, & prudentia Pauli; cum enim Romanos correxerit, & admonuerit, humilem nunc, & ſuauem mitigationem adhibet, tum vt correctionis acerbitatem minuat, tum vt animos eorum deuinciat. Certus ſum, inquit, fratres mei, ideſt, perſuaſum habeo, & credo, vos ipſos dilectione plenos eſſe erga proximos, ac ita repletos ſcientia, vt alterutrum vos ipſos admonere poſſitis, nec mea indigeatis exhortatione, aut inſtructione.

ctione. Quæ ergo ſcripſi, non eo ſcripſi, quòd de veſtra dilectione, & ſcientia dubitarem.

In admonitore duo requiri. Nota, duo in admonitore neceſſaria, charitatem, & ſcientiam: illam, quæ inducat ad proximi ſalutem procurandam; hanc, qua ſciat, quæ admonitione indigeant, & quomodo, & quando adhibenda ſit. Aduerte autem illam particulam (&) geminatam; ſenſum enim multum acuit, quaſi diceret. Certus ſum etiam ego, ſicut vos ipſi de vobis certi eſtis (quoniam & ipſi pleni eſtis) ſcilicet, ſicut & nos; Paulus enim præ humilitate, & amore, quãdam æqualitatem inter ſe, & illos admittit, quos non ſubditos, ſed fratres, & quidem ſuos appellauerat. Illa particula (quoniam) non cauſalis eſt, ſed declaratiua.

Audacius autem ſcripſi vobis ex parte tamquam in memoriam vos reducens, propter gratiam, quæ data eſt mihi à Deo.

CONnexa ſunt hæc præcedentibus; reiecta enim vna cauſa, propter quam videri poterat ſcripſiſſe, quæ dixerat, nimirum quia non erat certus de eorum dilectione, & ſcientia, veram cauſam nunc explicat. Audacius, inquit, ſcripſi ex parte, ideſt, paulo liberius, aut confidentius, quaſi in memoriam vos reducens, ideſt, non velut ignaros vos docens, ſed quaſi in memoriam reuocans, & velut ſæpe idem replicans, idq. propter gratiam, & munus mihi à Deo iniunctum; ſcilicet propter Apoſtolatum mihi non ab homine, ſed à Deo ipſo conceſſum, vt muneri meo, & Apoſtolatui ſatisfacerem. Diſcant Superiores, ſubditis, non ſuperbe, ſed humiliter imperare, & quidem ea, quæ ad muneris eorum rationem pertinent.

ANNOTATIO VIII.

VErbum (in memoriam vos reducens) Græce ἐπαναμιμνήσκων
Ambroſ. varie explicatur; Ambroſius enim interpretatur commonefacio. Audacius ſcripſi, tamquam vos commonefaciens, propter gratiam, quæ
Chryſoſt. data eſt mihi. Chryſoſt. minuit ſignificationem, nempe tamquam ſubmonefaciens, quaſi non docens, non reprehendens, nec etiam admonens, ſed ſubadmonens, ideſt, paululum admonens. isq. ſenſus, ſiue Ambroſij, ſiue Chryſoſtomi, multum eſt accommodatus: vt tamen interpreti noſtro ſatisfaciamus, nam Græcum verbum in ea etiam ſignificatione accipitur, aliter interpretamur, nempe, Scripſi, tan-

tamquam replicans, ſeu repetens, ſeu in memoriam vobis reducens, quæ iam ſciebatis. ſicque Theodoret. videtur exponere, nec eſt inepta, ſed ſatis apta expoſitio, præſertim, cum verbum Græcum vtramque admittat ſignificationem, caſumq. accuſandi poſtulet. Quod autem aliqui recentiores dicunt, nempe: Scripſi vobis, tãquam vitæ veſtræ memor, non multum accommodate dici videtur.

Theod.

Vt ſim miniſter Chriſti in Gentibus ſanctificans Euangelium.

PRoſequitur eandem ſententiam, & docet, in quem vſum acceperit gratiam, & munus à Deo: ad hoc, inquit, data eſt mihi gratia, vt ſim Chriſti miniſter in Gentibus, ideſt, vt Chriſto miniſtrum me exhibeam, apud Gentes ſanctificando eius Euangelium; hoc enim eſt miniſterium, ſanctificare ſcilicet Euangelium Chriſti apud Gentes, ideſt, Gentibus demonſtrare, Chriſti Euangelium eſſe ſanctum, & per ipſum eas ſanctificari debere.

ANNOTATIO IX.

Miniſterium Pauli quod fuerit.

MInifter, Græce dicitur, non διάκονον, ſed λειτουργόν, ideſt, ſacrorum miniſter, qualis ſacerdos eſt. per hoc enim ſignificat Paulus, ſuum miniſterium eſſe ſacrum, & ad cultum, & ad Religionem Dei ſpectans. quo quidem verbo, Chriſtum, cuius ipſe ſacrorum miniſter eſt, eſſe Deum confirmat. Illud autem (ſanctificans) Auguſtinus lib. expoſit. ad Roman. legit: Conſecrans Euangelium, quod in eundem recidit ſenſum; ſanctificare enim, & conſecrare Euangelium, eſt ipſum ſanctum, & ſacrum declarare, cuius virtute homo ſanctificatur, & Deo conſecratur. Hoc loco quidam recentes Hæretici ineptiſſime abutuntur, ad tollendum ſacrificium Miſſæ, quaſi ſacrificium non aliud ſit in Eccleſia, quàm prædicatio Euangelij: nec aduerterunt hoc ſacrificium ad illud genus ſacrificij pertinere, quod ſpirituale dicitur, ſicut & illud ſuperius cap. 12. Vt exhibeatis corpora veſtra animam viuentem.

Aug. *Rom. 12.*

Vt fiat oblatio Gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto.

ENarrato vſu gratiæ ſibi datæ à Deo, deſcribit finem. Sanctifico, inquit, Euangelium, tamquam miniſter ſacer Chriſti in Gentibus, vt Gentiũ oblatio Deo ſit accepta, & ſanctificata per Spiritum ſanctum, ideſt, vt Gentes per Euangeliũ dent ſacrificium

quoddam

Digitized by Google

quoddam acceptiſſimum Deo, & mundum, & ſanctificatum Spiritus ſancti gratia. Nota pulchram metaphoram huius ſacrificij ad ſacrificium exterius, quod olim in animalibus, nunc in vero Chriſti corpore, & ſanguine ſub ſpeciebus panis, & vini fit. Eſt enim ſacerdos hoſtia ipſa, & ſanctificatio, & conſecratio hoſtiæ. Sic Paulus Apoſtolus miniſter eſt in hoc miro Gentium ſacrificio. Sanctificatio eſt prædicatio Euangelij, quo Gentes ſanctificantur: ipſæ vero Gentes ſanctificatæ per Euangelium, ſunt hoſtia ipſa, & ſacrificium Deo gratiſſimum, & acceptiſſimum, & Spiritu ſancto ſanctificatum. Hæc eſt cauſa tota, propter quam Paulus dicit, ſe Romanos admonuiſſe: cauſa profecto Paulo digna. De hac hoſtia Gentium videndus eſt Origen. hom. 11. in Num.

ANNOTATIO X.

Gẽtes per Euangeliũ ſanctificari

ILlud (&) non habetur Græce, nec in aliquibus Latinis exemplaribus; tuncq. illud (ſanctificans Euangelium) ſignificat, non tantum oſtendere Gentibus, Euangelium eſſe ſanctum, & debere per illud ſanctificari: ſed etiam de facto Gentes per Euangelium ſanctificari, vt ſic efficiantur oblatio Deo accepta, vtpote ſanctificata per Euangelium Spiritus ſancti gratia. Quod ſi legas cum particula (&) eundem ſenſum admittit ſententia; tenetur enim declaratiue. At vero, ſi legenda eſt, &, in ſenſu copulatiuo, tunc alius eſt ſenſus; nimirum, vt ſit oblatio accepta, & ſimul ſanctificata; iuxta quam intelligentiam, illud ſuperius (ſanctificans Euangelium) non ſignificat, ſe ſanctificare Gentes per Euangelium, ſed, vti diximus, oſtendere Euangelium eſſe ſanctum, & per illud ſanctificari Gentes debere, vt ex hac oſtenſione Gentes illud acceptent, & ſanctificentur per ipſum, ac fiant oblatio accepta, & ſanctificata Spiritu ſancto. Parum eſt diſcriminis in vtroque ſenſu. ego ſecutus ſum veterem interpretem, & antiquos expoſitores Latinos, qui legunt particulam copulatiuam.

Aduerte, poſſe verba in alio ſenſu explicari, nempe, Sum miniſter in Gentibus, ſanctificando Euangelium; ideſt, per Euangelium eas ſanctificando, vt oblationes, quas ipſæ Gentes offerunt, ſint acceptæ, & ſanctificatæ: nempe opera, quæ faciunt bona, & quibus ſe exhibent hoſtiam; ſi enim per Euangelium ſanctificatæ non eſſent, Gentiũ hoſtiæ acceptæ, & ſanctificatæ non eſſent. Hic tñ ſenſus, licet, quãtum ad doctrinã, verus ſit, tñ, quantũ ad Pauli mentem, non eſt multũ probandus: nam ipſaſmet Gentes, Chriſto, & Euangelio credentes, appellat ſacrificium acceptum, vt recte Auguſtinus lib. expoſit. prop. huius epiſt. interpretatus eſt.

Digitized by Google

Habeo igitur gloriam in Chriſto Ieſu ad Deum.

Paulus de quo poterat gloriari.

EN Narratis ſui miniſterij vſu, & fine, magnificat fructum, non quidem vt ſeipſum commendet, aut iactet: ſed vt in Dei honorem, & gloriam, & fidelium, ſeu credentium confirmationem miniſterij magnitudo innoteſcat. Habeo, inquit, gloriam, ideſt, vnde glorier, & magna me feciſſe prædicem; non quidem virtute mea, ſed in Chriſto Ieſu; ipſe eſt, per quem hæc effecta ſunt. Habeo autem, vnde glorier ad Deum; ideſt, in ijs, quæ ad Deum pertinent. Gloriari eſt magna de ſe prædicare; hoc ſi fiat in propriam commendationem, quaſi ſibi tribuendo, quæ facta ſunt, ſibiq. complacendo, magnum crimen eſt, & damnatum ſæpe in Scriptura. Si vero fiat, vt Deus ipſe agnoſcatur, qui magna facit, & ipſi virtus factorum attribuatur, commendabile eſt. 2. Corinth. 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur. & 2. Corinth. 12. Pro huiuſmodi gloriabor: pro me autem, nihil; nam ſic gloriari, non aliud eſt, quàm magnalia Dei manifeſtare, & ipſius gloriam quærere. Habere ergo ſe dicit Paulus multa, de quibus in ijs, quæ ad Deum pertinent, glorietur, non in ſe, ſed in Chriſto Ieſu. (gloria) Græce eſt verbale nomen, Latine gloriatio. Notanda eſt autem particula (igitur) quæ illationem ex præcedentibus indicat, nempe Gentiũ oblatio accepta, & ſanctificata eſt per Euangelium Chriſti, quod meo miniſterio effectum eſt. Igitur habeo, vnde in Chriſto glorier ad Deum, ſeu in ijs, quæ ad Deum ſpectant, & diuina ſunt.

2. Cor. 10. & 12.

Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Chriſtus in obedientiam Gentium, verbo, & factis, in virtute ſignorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti.

DIxerat paulo ante (audacius ſcripſi) quaſi ſcripſerit plus quàm neceſſarium eſſet, ne quis exiſtimaret, etiam plus quàm facti veritas exigebat, nunc gloriari, propterea inquit: Habeo vnde glorier; non enim audeo aliquid dicere eorum, quæ non effecit Chriſtus per me, ideſt, nihil dico, quod vere non ſit virtute Chriſti per me effectum; ſinceram enim, & puram veritatem refero, & de his glorior, quæ per me Chriſtus operatus eſt in meo miniſterio, ad obedientiam Gentium, ideſt, ad pertrahendum Gentes ad

tes ad

tes ad obedientiam, & fidem Euangelij. Operatus autem eſt ea, Chriſtus per me, verbo, & f[illegible], ideſt, prædicatione, & miraculis. Signa appellat, quæ ſupernaturaliter effecta ſunt; tamen naturali via, modo aliquo fieri poterant, quales ſunt multarum infirmitatum ſanationes, & curationes. Prodigia vocat, quæ totam vim naturæ ſuperarunt, vt mortuorum ſuſcitatio, cæcorum illuſtratio, & alia multa. Rurſus, in virtute Spiritus ſancti, qua effecta ſunt miranda in animarum conuerſione, vt lupi, & leones, & efferati animi innocentiam amplecterentur, & multa alia, quæ longum eſſet narrare. Non audeo igitur aliquid dicere, quod non effectum eſt, ſed ea narro, quæ effecit per me Chriſtus, verbi prædicatione, & factis, ſeu operibus miraculoſis, & virtute Spiritus ſancti. In his glorior in Domino. Tanta, ac tot ſunt, quæ Chriſtus per ſuum miniſtrum Paulum effecit, vt, ne incredibilia viderentur, vſus ſit verbo hoc (non audeo.) & 2. Cor. 11. Deus, inquit, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti ſcit, quia non mentior. Chryſoſt. illud (factis) ad ſanctitatem vitæ Apoſtolorum omni admiratione dignam refert, qua ad fidem innumerabiles pertraxere, non minus, quàm miraculis ipſis, & virtute ſignorum, & prodigiorum. *2. Cor. 11*

Ita vt ab Hieruſalem per circuitum vſque ad Illyricum repleuerim Euangelium Chriſti.

PRoſequitur magnificare fructum factum in Gentibus, & Populis. Magnificatio autem ſumitur à multitudine conuerſorum ad Chriſti Euangelium. Tantum, inquit, fructus per me effecit Chriſtus, vt incipiendo à Hieruſalem vſque ad Illyricum, non quidem via recta, ad exitum feſtinando, ſed per circuitum progrediendo, repleuerim Euangelium Chriſti, nempe fidelibus, & credentibus. Appellat replere Euangelium, magnam multitudinem ad id ſuſcipiendum conuertere, & ad ipſius Euangelij obedientiam conducere, & pertrahere. Per circuitum dicit, quia ab Hieruſalem circumiacentes Regiones, Arabiam, Damaſcum, Antiochiam perluſtrando, peruenit ad Illyricum, quæ eſt extrema pars Macedoniæ, Regio ad Septemtrionem, & Orientem propinqua Italiæ, latiſſime vbique diſſeminando Euangelium.

ANNOTATIO XI.

Peragratio, & circuitus in prædicando.

ADmirandus profecto eſt hic Pauli circuitus, quo à Hieruſalem ad Illyricum perueniſſe ſe dicit: nam longam, multiplicem, plenamq. laboribus peregrinationem prædicandi Euangelij gratia continet, quam breuibus hic abſoluit, terminos ſolos ſtatuens Hieruſalem, & Illyricum. Primo enim à Damaſco, in Arabiam profectus eſt, vt ipſe ad Galatas ſcribit. Triennio autem peracto, Damaſcum reuerſus eſt, & inde Hieroſolymam cum Barnaba, videndi Petrum ſtudio. Deinde Hieroſolyma iterum egreſſus, è Ceſaræa venit in Tharſum, inde reuocatus à Barnaba venit Antiochiam, vbi ab Eccleſia Hieroſolymam mittitur, conferendi ſubſidij gratia, ad quam tãdem redijt; ibi iterum Spiritus ſancti ordinatione, longe in Gentes miſſus Seleuciam venit, hinc Cyprum appulit. Ab hac per Pamphiliam, Piſidiam, Lycaoniam ad Hieroſolymam peruenit. Ab hac iterum ab Apoſtolis miſſus, Sila, & Barnaba comitibus peragrauit Syriam, & Ciliciam, deinde Phrygiam, & Galatiam, & Myſiam Phrygiæ partem. Hac peragrata Troadem venit, vbi viſione vocatus in Macedoniam, Europam ingreſſus pertranſijt Atbicam, Bæotiam, Achaiam, Epirum, omneſq. regiones vſque ad Illyricum, quas omnes regiones prædicatione Euangelij Chriſti repleuit. Nemo profecto tãtam, tamq. multiplicem meſſem colligere potuit, niſi Dei virtute adiutus. Hic eſt circuitus, quem dicit, à Hieruſalem vſque ad Illyricum confeciſſe. Nec hic laboris, & peregrinationis finis fuit: nam ab Illyrico reuertens, multos labores, & peregrinationes ſubijt, quæ omnia nunc narrare, inſtituti noſtri non eſt, cum quæ dicta ſunt, ad huius loci intelligentiam ſufficere videantur. Illud (repleuerim Euangelium) quidam interpretantur; ſcilicet; Nihil omiſerim in prædicando, eorum, quę ad Euangelij veritatem ſpectant; hoc enim eſt implere Euangelium. At mihi Paulus videtur aliquid amplius ſignificare hoc verbo voluiſſe; nempe fructũ copioſum huius ſuæ prædicationis; eſt enim Euangelium, vt rete quoddam, quo piſces concluduntur. Replereq. Euangelium per metaphoram quandam dicit, multitudinem hominum ad Euangelij fidem, & obedientiam conuocaſſe, & pertraxiſſe. Sicut rete implere non aliud eſt, quàm copioſam piſcium multitudinem comprehendere. Hoc enim fuit magnæ virtutis Spiritus ſancti, in qua Paulus gloriatur; non ſolum, nihil omiſiſſe eorum, quæ ad Euangelij veritatem prædicandam ſpectant, ſed multis populis, & Gentibus, Euangelij fidem, & mores perſuaſiſſe, quod fecit Paulus ab Hieruſalem, per circuitum, vſque ad Illyricum. Illyricum autem, ſeu Illyris eſt lata Regio inter Italiam, Germaniam, Thraciam, Macedoniam, & Epirum, habens ab vno latere mare Adriaticum, ab altero Danubium. Hæc Regio dicitur nũc Sclauonia, vel Boſnenſis. vide Strabon. lib. 7. & Volater. lib. 8. Geographiæ

Replere Euangelium quid denotet.

Sic

Sic autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem.

AVget ſententiam præcedentem; non ſolum enim Euangelium prædicauit tám multis Gentium nationibus, ſed, quod mirabilius eſt, quibus non erat ante prædicatum, & qui nullam Chriſti notitiam habuerant. Difficillimum hoc fuit, & non niſi Dei virtute effici potuit. Sic autem, inquit, Prædicaui Euangelium, non quidem vbi iam erat prædicatum, & ijs, qui notitiam Chriſti habuerant: ſed ſic, vt non ſuper alienum fundamentum ædificarem, ideſt, ſic, vt non ſuper doctrinam ab alio Apoſtolo illis traditam, ego prædicator accederem. Alienum fundamentum appellat, non quidem alienum à Chriſto, cum eadem ſit doctrina Euangelij ab Apoſtolis tradita; ſed alienum fundamentum, ideſt, ab alio poſitum. Sic ergo prædicaui, vt non ædificarem, nec prædicarem poſt prædicationem illis nationibus factam ab aliquo Apoſtolo. Sententia hæc ſequenti perficitur.

ANNOTATIO XII.

GRæcè non eſt (ſic autem prædicaui) ſed (ſic autem annitens, ſeu ſummo ſtudio conatus euangelizare) eſt enim participium φιλοτιμούμενος, à verbo φιλοτιμέομαι, quod eſt anniti, & magno ſtudio conari, ad ſignificandum, quanto conatu, ſtudio, diligentia, ac labore Paulus Euangelium his nationibus annunciauerit. Illud autem (ne ſnper alienum fundamentum ædificarem) non facile intelligitur, & multipliciter exponitur. Primò quidem Origen. ſic interpretatur, non prædicaui Euangelium, vbi erat Chriſtus annunciatus, ne alieni operis, puta prædicationis ab alio factæ, gloriam ſurripere viderer, cui expoſitioni adhæſit Anſelm. Secundo loco Chryſoſtomus ſic explicat. Ne alieni operis mercedem arriperem. Neutra expoſitio mihi placet: nam non videtur cauſa legitima non annunciandi Euangelium, & prædicandi Gentibus, quibus prædicatum erat, quia videretur gloriam aliorum ſurripere, neque quia mercedem alieni operis vſurparet; tùm quia numquam licuiſſet prædicare, vbi prædicatio ab alio incepta eſt, quod dici non poteſt: tùm quia, eadem de cauſa, nec debuiſſet prædicare in Iudæa, vbi Apoſtoli iam prædicauerant: tùm etiam, quia non propter hoc, alieni operis merces ſurripitur apud Deum, qui vnicuique tribuit, iuxta id, quod laborauit:

Aedificare ſuper alienum fundamētum quot modis explicetur.

Orig.

Anſel.

Chryſoſt.

uit: tùm demum, quia non debemus ab eo, quod proximo vtile, & neceſſarium eſt, recedere, ea de cauſa, quia timemus videri alijs, vanam gloriam quærere. Tertio loco Ambroſ. hoc fundamentum de pſeudoapoſtolis interpretatur, quos Paulus ſua prædicatione præuenit, præcauens, ne illi ſuo veneno Gentes inficerent, ſi prius Chriſtum falſo annunciarent, quàm veritas manifeſtaretur. Quæ quidem expoſitio non videtur accommodari poſſe, vt ex ſequentibus cõſtat; loquitur enim Paulus de vera Euangelij prædicatione, quam ipſe primus in has nationes induxit.

Ambroſ.

His igitur dimiſſis, mihi valde probatur, quod in commentario dixi, vt ſit ſenſus. Si prædicaui, non vbi Chriſtus nominatus erat, vt non ſuper fundamentum ab alio iactum ædificarem. Illud (vt) reſpondet particulæ (ſic) Quæ ſententia non eſt cauſa vlla, cur non prædicauerit, vbi annunciatus erat Chriſtus, ſed eſt modus prædicationis. Et particula (vt) conſecutionem, & modum indicat, nempe, ſic prædicaui, vbi non prædicatum erat, vt vere dicere poſſim, me non ædificaſſe ſuper fundamentum alterius; ſi enim prædicaſſem, vbi annunciatus erat Chriſtus, iam meum ædificium erat ſuper fundamentum poſitum ab alio. Huic ſenſui fauet particula Græca, ab interprete, aut forſan à ſcriptore neglecta (ἵνα) ac ſi Latinè diceres (vt non ſuper alienum fundamentũ ædificarem) quæ particula reſpondet illi præcedenti (ſic). Si igitur ita verteres (prædicaui Euangelium, non vbi nominatus eſt Chriſtus, vt non ſuper alienum fundamentum ædificarem), tunc ſenſus eſſet ſine difficultate. Quòd ſi adhuc aliquis cauſam in his verbis ſignificari contendit, tunc ſic exponenda exiſtimo. Ne ſuper alienum fundamentum ædificarem, ideſt, ne operi, cui alter incumbebat, intenderem, cum ſuperfluum videretur, ædificanti coædificare, prætermiſſis ijs, quibus ædificandum erat.

Sed ſicut ſcriptum eſt, Quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt; & qui non audierunt de eo, intelligent.

Connectitur hæc ſententia præcedenti, & eam concludit. Non, inquit, prædicaui, quibus Chriſtus annunciatus erat, nec ædificaui ſuper fundamentum poſitum ab alio, ſed, ſicut ſcriptum eſt, ideſt: ſed prædicaui Euangelium, quibus numquam annunciatum fuerat, ſicut ſcriptum eſt. Solet Paulus breuitatis amator vti conſciſſis ſententijs, quando apertus eſt ſenſus. Ideo ad Orationis perfectionem aliqua ſupplenda ſunt verba, nempe: ſed prædicaui illis, quibus non erat annunciatum, ſicut ſcriptum eſt, &c. Teſtimonium eſt Iſai. cap. 52. quo vtitur, vt & Iudæis prædicandum eſſe Gentibus Euangelium confirmet, & ipſis Gentibus ſe vera narrare comprobet, oſtendens id, quod

Iſa. 52.

Deus

Deus prædixerat, & certiſſime futurum erat, per Paulum ipſum magna ex parte implere voluiſſe. Prophetia eſt de Gentium vocatione, quæ nullam Chriſti notitiam habuerunt, vtpote oraculis Prophetarum deſtitutæ, & lege Dei ſcripta carentes; in his enim promiſſio Chriſti continebatur, & eis fides tradebatur. Nec illis etiam Chriſtus in carne apparuit, cum ad ſolos Iudæos ſit miſſus. Quibus ergo non eſt annunciatum, videbunt, quia eis prædicabitur Euangelium; verbum enim videndi, ſæpe aliorum ſenſuum actionem indicat. Qui etiam non audierunt; nempe, nec voces Prophetarum, nec legem, nec Chriſtum ipſum; hi intelligent, ideſt credent. Videbunt ergo, & intelligent; videbunt, quia prædicabitur eis; intelligent, quia prædicationi credent, & aſſentient.

Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus ſum vſq. adhuc.

OCcaſionem ſumit Paulus ex narratis excuſandi ſe apud Romanos, quòd eos nondum inuiſerit: cauſa autem eſt, propter occupationes prædicationis Euangelij, apud intermedias Gentium nationes, quaſi diceret. Mea apud alias Gentes occupatio ſæpe impedimento fuit, quo minus ad vos accederem. Illud (propter quòd) ad præcedentia refertur, nempe, propter prædicationem alijs Gentibus vſq. ad Illyricum factam.

ANNOTATIO XV.

ILlud (plurimum) Græcè πολλά, ad multitudinem refertur, vt ſignificet, ſe pluries, ſeu ſæpe impeditum fuiſſe. Illud (prohibitus ſum vſque adhuc) Græcè non habetur: his tamen verbis vſus eſt in primo capite, cum de eadem re haberet ſermonem: ſiue legas, ſiue non, idem ſenſus perſeuerat. Græci expoſitores prætermiſerunt.

Nunc vero vlterius locum non habens in his Regionibus: cupiditatem autem habens veniendi ad vos, ex multis iam præcedentibus annis, cum in Hiſpaniam proficiſci coepero, ſpero, quod præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc.

PRoſequitur eandem ſententiam. ſenſus facilis eſt. Hactenus impeditus ſæpe fui propter nationes plurimas Gentium intermedias,

medias, quibus prædicaui primus Euangelium: at iam locum non habeo in his Regionibus, nempe, vacuum, in quo oporteat me prædicare, cum in eis repleuerim Euangelium. Habeo autem a multis retro annis deſiderium magnum ad vos veniendi. Hæc duo, nempe, prædicationis complementum in his nationibus, & antiquum deſiderium meum, veniendi ad vos, efficiunt, vt ſperem videre vos in tranſitu, cum in Hiſpaniam proficiſci cœpero. immo ſpero, me à vobis ipſis deduci illuc, ſcilicet, me aliquos ex vobis ſocios itineris habiturum. Nota Pauli ſapientiam, non dicit (videbo vos) ſed (ſpero videre vos) quia non ſunt tempora in noſtra poteſtate, ſed in Dei voluntate, quod præſentis erat, affirmat. Spero, inquit: at futurum ſub ſpe collocat: non autem, vt certum promittit. Dicit autem (præteriens) vt ſignificet, Romanos, non indigere prædicatione eius, quippe quibus Euangelium erat annunciatum, & acceptatum: ad Hiſpanos autem proficiſcebatur, quibus Euangelium maxima ex parte nondum innotuerat; quod iter approbatum iri ab ipſis Romanis prædicit, vt per hoc ſignificet, ſe iuſtam cauſam huius ſuſcipiendæ viæ habere, quæ tanta eſt, ut ipſi Romani, non tantum non eſſent impedituri: ſed etiam opem ad eam peragendam laturi.

Si vobis primum ex parte fruitus fuero.

COnnexum hoc eſt præcedentibus; Proficiſcar, inquit, in Hiſpaniam, ſi tamen prius uobis fruitus fuero ex parte; ideſt, veſtra conuerſatione expletus fuero. Hoc enim Græca verba ſignificant. Verbum explendi, cupiditatem, & deſiderium Pauli indicat, quo tenebatur videndi Romanos. Addit (ex parte) vt inſinuet inexplebile eius deſiderium, quod numquam ſatiari, aut ſaturari queat, vtpote ab illius ardentiſſima erga eos charitate, & dilectione promanans. Hoc autem addidit, vt temperaret uerbum (præteriens uidebo uos) quaſi diceret. non adeo in tranſitu hoc faciam, quin prius ueſtra conuerſione aliquanto tempore expletus fuero. ſic enim reſpondet cupiditati, quam dixerat, ſe habuiſſe à multis annis ueniendi ad illos.

ANNO-

ANNOTATIO XV.

Chryſoſt. CHryſoſtomus exiſtimat, Paulum, ne Romani nimium gloriarentur, dixiſſe (tranſiens videbo vos, cum in Hiſpaniam perrexero) at ne nimium eos deprimeret, adiunxiſſe (ſi prius vobis fruitus fuero) ſicut etiam dixerat ſuperius, Veniam ad vos, cum locum non habeam in his Regionibus; poſtea vero temperauit, dicens (cupiditatem habens veniendi ad vos) partim.n. deprimit, ne glorientur; partim ſubleuat, ne ſuccumbant. Mihi tamen hæc verba videntur ad laudem Romanorum facere, quaſi eſſent iam ita inſtructi in Euangelio, vt nõ indigerent præſentia Pauli, ſicut aliæ nationes indigebant, quibus nondũ erat plene annunciatum, quales erant tunc temporis Hiſpani.

ANNOTATIO XV.

Paulus vtrum venerit in Hiſpaniam. DVbitatio eſt, an Paulus in Hiſpaniam venerit, atq. perfecerit hoc, quod animo conceperat, & Romanis ſignificauit. Quantum enim ad aduentum Romam, certum eſt, eum perueniſſe Romam, immo inde digreſſum, poſtea redijſſe, & ibi cum Petro martyrium ſubijſſe: de aduentu vero in Hiſpániam, non ita conſtat inter Doctores. *Doroth.* Sunt tamen grauiſſimi Patres, qui id affirmant. In primis Dorothe. antiquiſſimus Græcus, in ſynopſi Patriar. & Apoſto. inquit. Paulus à Hieruſalem Euangelij prædicationem exorſus ad Illyricum, vſq. ad Italiam, & Hiſpanias prædicando progreſſus eſt. *Hiero.* Hierony. etiam Ephe. 3. in illud (propter quod peto ne deficiatis, &c.) inquit, Paulus, vel ad Hiſpanias perrexit, vel ire diſpoſuit: tamen idem Iſa. 11. ſic dicit. Paulus per Pamphiliam, Aſiam, & Macedoniam, & Achaiam, & diuerſas Inſulas, atque Prouincias, ad Italiam quoq. &, vt ipſe ſcribit, ad Hiſpanias, alienigenarum portatus eſt nauibus. Idem Amos. 5. Paulus effuſus eſt ſuper faciem vniuerſam terræ, vt prædicaret Euangelium, de Hieroſolymis vſque ad Illyricum; & ædificaret, non ſuper alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædicatum, ſed vſq. ad Hiſpanias tenderet, & à Mari rubro, vſque ad Occaſum curreret, imitãs Dominum ſuum. & Solem iuſtitiæ, de quo legimus. A ſummo Cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſq. ad ſummum eius; vt ante eum terra deficeret, quàm prædicandi ſtudium. Epiphan. hær. 27. *Epiph.* contra Carpocraſitas. Paulus, inquit, profectus eſt in Hiſpaniam. *Chryſoſt.* Chryſoſt. hom. 76. in Math. Videas Paulum à Hieroſolymis, ad Hiſpaniam vſque currentem. Idem in præfati. epiſt. ad Hebrę. cum biennium Romæ exegiſſet in vinculis, dimiſſus eſt: deinde in Hiſpanias profectus, inuiſit illos, Iudæos quoq.. ac tùm fortaſſe Romam reuerſus eſt, quando & ſupplicium iuſſu Neronis pertulit. *Theodor.* Theodo. in hoc loco affirmat, Paulum Spiritu prophetico prædixiſſe ſuũ in Hiſpanias iter, quod ſi ita eſſet, certo certius imple-

Gregor.

Anſelm.

impletum fuiſſe, tenendum eſt. Gregor. etiam lib. 31. mora. cap. 22. in Hiſpanias perueniſſe affirmat. Idẽ etiam Anſelm. Rom. 16. Ratio etiã fauet, quia Hieroſolymis, ad quas nunc proficiſci ſe dicit, rediens, anno quarto Neronis primo Romam peruenit, vbi biennio carcere detentus, dimiſſus eſt, nempe, anno ſexto. Cum igitur vſque ad decimum quartum annum Neronis, quando martyrium paſſus eſt, octo anni interceſſerint, his octo annis facillime potuit etiam Hiſpanis prædicare; cum non inueniamus aliquid, quod eum detinuerit. Cui addendum eſt, verbum huius Epiſtolæ, quo valde affirmat, & velut Spiritu Prophetico, vti diximus, prædicit profectionem ſuam in Hiſpaniam. Hoc igitur, tamquam multo probabilius, & veritati conformius, accedente tantorum Doctorum auctoritate, amplectimur.

Nunc igitur proficiſcor in Hieruſalem miniſtrare Sanctis.

EXcuſat ſe, quòd non ſtatim hoc iter arripiat. Nunc autem, inquit, profiſcor in Hieruſalem. quaſi diceret: Aliquid negotij ſupereſt faciendum, antequam ad vos veniam, quo abſoluto proficiſcar in Hiſpaniam: nunc autem proficiſcor in Hieruſalem miniſtrare Sanctis, ideſt, vt credentibus, ſeu Chriſtianis illic commorantibus, qui ex Iudæis ſunt, quaſdam eleemoſynas deferam, & impartiar. Sanctos appellat, in Chriſtum credentes, vt diximus ſupra in primo capite. Miniſtrare autem vocat ſubſidia temporalia conferre, ſine quibus vita hæc mortalis eſſe non poteſt. Huius itineris Pauli in Hieruſalem meminit Lucas. act. 19. & 20.

ANNOTATIO XVI.

PArticula (igitur) Græce eſt δὲ, quæ potius Latine ſonat (autem) & accommodatiorem efficit ſenſum: ſi tamen legamus (igitur) nam & aliquando particula Græca hanc habet ſignificationem, tunc ſenſum indicat, quaſi ex præcedentibus deductum, & illatum, in hũc modum. Completa eſt iam prædicatio in nationibus per circuitum vſq. ad Illyricum, tempuſq. eſt, vt in Hiſpaniam proficiſcar, & in tranſitu vos videam. Igitur, relictis his nationibus, proficiſcor in Hieruſalem, vt, negotio quodam neceſſario completo, in Hiſpaniam, & ad vos veniam. Illud, miniſtrare, Græcè eſt participium διακονῶν, quod verbum, etiamſi omne miniſterium Eccleſiaſticum aliquando ſignificet, hoc tamen loco accipitur pro eo, quod eſt proprium Diaconis; horum enim erat diſtribuere eleemoſynas in pauperes. act. 6. Quod quidem Paulus, pro magna erga ſuos charitate, ſubire non detrectauit.

Probaue-

Probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes Sanctos, qui ſunt in Hieruſalem.

CAuſam, cur in Hieruſalem proficiſcatur Sanctis miniſtrare, adiungit: ea autem eſt, quia Chriſtiani, inquit, qui ſunt in Macedonia, & Achaia, probauerunt, ideſt voluerunt, & approbauerunt, tamquam honeſtam & neceſſariam aliquam collationem facere pauperibus Chriſtianis, qui ſunt in Hieruſalem ex Iudæis: Collationem facere, eſt aliquid conferre, ſeu aliquas pecunias mittere in ſubſidium: quod quidem miniſterium per Paulum efficiendum erat. Idcirco, priuſquam proficiſcatur in Hiſpaniam, & in tranſitu Romanos videat, in Hieruſalem reuertitur: inde poſtea venturus ad illos. Perpende Chriſtianæ charitatis generalitatem; in Chriſto enim non eſt diſtinctio Iudæi, & Græci; ſumus enim omnes fratres in Domino.

Placuit enim eis, & debitores ſunt eorum.

COllatio hæc facta quidem eſt, quia eis ſic placuit, & viſum æquum eſt, & re vera debitores ſunt eorum, qui ſunt in Hieruſalem. Itaque rem bonam & honeſtam fecerunt, debitam etiam & iuſtam. Græcè idem eſt verbum, quod Interpres prius (probauerunt) modo (placuit) interpretatus eſt. Quod quidem verbum non tantum ſignificat placere, quod ad voluntatem, & affectum pertinet: ſed etiam intellectus approbationem, quaſi quod non ſolum libenter fit, ſed honeſtum, & conueniens iudicatur.

Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles; debent & in carnalibus miniſtrare illis.

CAuſa eſt, cur dixerit, eos, qui ex Gentibus ſunt, debere collationem facere illis, qui ſunt ex Iudæis; ſi enim Gentes participes facti ſunt Euangelicæ prædicationis, & bonorum ſpiritualium, quorum promiſſiones, & prædictiones Iudæi acceperunt, & per eos, qui ex Iudæis ſunt, nempe Apoſtolos, hæc bona communia facta ſunt Gentibus, æquum eſt, vt & ipſæ Gentes communicent Iudæis quæ minora ſunt, nempe bona temporalia, quibus illi carent.

Hoc

Hoc igitur cum conſummauero, & aſsignauero eis fructum hunc, per vos proficiſcar in Hiſpaniam.

HOc negotio perfecto, nimirum cum conſignauero hunc fructum, nempe eleemoſynas, quæ fructus quidam ſunt fidei Gentium, ijs, qui ſunt in Hieruſalem, tunc proficiſcar in Hiſpaniam per vos, ideſt, iſthac, vt videam vos in tranſitu. Illud (igitur) ex præcedentibus illationem inſinuat, nempe, quia iam in cæteris nationibus intermediis prædicauerat Euangelium, nec aliud negotium ſupererat, præter hoc vnum. Igitur, eo perfecto, iter in Hiſpaniam conficiendum erat per mediam Romam.

Scio autem, quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Chriſti veniam.

PRædicit per Spiritum, qualis ſit futurus aduentus eius Romanis. Certus ſum, inquit, quando ad vos venero, meum aduentum valde vobis fore frugiferum, meque venturum cum larga benedictione Euangelij Chriſti, ideſt, per meum aduentum, copioſum Euangelij fructum vobis Deum conceſſurum.

ANNOTATIO XVII.

GRæcè habetur (in plenitudine benedictionis Euangelij Chriſti) & ita legunt Chryſoſt. Theodoret. ac cæteri. Vetus vero interpres prætermittit illud verbum (Euangelij) quod etiam fecit Ambroſ. Eſt autẽ Hæbraiſmus duplex. Vnus eſt, quia præpoſitio (in) loco (cum) ponitur. Alter eſt, quia genitiuus ponitur loco adiectiui: Plenitudine benedictionis, ideſt cum plena & abundanti benedictione. Benedictio Græcè dicitur εὐλογία, quæ multiplicem habet interpretationem. Primo loco Origen. hunc locum ita interpretatur. Scio meum aduentũ multum vobis profuturum, quantum ad gratiam, & charisínata Euangelij, cæteraque ſpiritualia, quæ nomine benedictionis appellat, idque per prophetiam dictum exiſtimat. cui expoſitioni adhæſit Anſelm. & ego ſecutus ſum in commentario. Secundo loco Chryſoſt. eodem modo interpretatur benedictionem, ſed in alium ſenſum, ſcilicet. Scio cum venero, me inuenturum vos probatos, & bonis moribus iuxta Euangelium Chriſti fęcundos, quod argumenti genus mirabile eſſe dicit; laudibus enim præoccupat Paulus, quod per modum exhortationis dicere detrectat. Tertio loco Ambroſ. benedictionem intelligit, virtutem ſignorum, ſeu miraculorum,

Chryſoſt. *Theodor.* *Ambr.* Benedictionis plenitudo quid denotet. *Origen.* *Anſel.* *Chryſoſt.* *Ambroſ.*

lorum, in qua prædicit Paulus ad eos venturum, quia multa ſigna erat facturus. Quarto loco Theodor. benedictionem Euangelij Chriſti interpretatur, multa pericula, quæ paſſurus erat propter Euangelium, antequam Romam veniret, idque ſequentibus verbis conuenire videtur. Quinto, iuniores quidam, benedictionem, eleemoſynam interpretantur, quæ ſic appellatur 1. Corinth. 9. Vt ſit ſenſus. Certus ſum, cum venero, me apud vos multas eleemoſynas collecturum, ſicut factum eſt in Macedonia, & Achaia. Mihi omnium probabiliſſima viſa eſt expoſitio prima; quamuis reliquę tres ſequentes ſatis accommodatæ videantur.

Theodor.

Recent.

1. Cor. 9.

Obſecro ergo vos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem Sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum, vt liberer ab infidelibus, qui ſunt in Iudæa.

PRædicens, quæ futuræ erant aduerſum eum inſidiæ, & perſecutiones in Iudæa à perfidis Iudæis, orationes Romanorum fidelium implorat, non quidem, vt inſidiæ non eſſent, nec perſecutiones, ſed vt ab eis liberaretur. Horum periculorum meminit Lucas Actor. 20. Petit autem, & rogat per Dominum Ieſum Chriſtum, ideſt, moueat vos ad orandum pro me Chriſtus ipſe, cuius cauſam ago; & per charitatem Sancti Spiritus, ideſt, ad hoc ipſum etiam vos prouocet charitas Sancti Spiritus, qua tenemini proximos diligere. Valde efficacia ſunt hæc duo ad impetrandas orationes Romanorum pro ſe.

Act. 20.

Nota humilitatem Pauli, qui aliorum precibus apud Deum iuuari vehementer exorat: Et conſidera etiam, quantum proximorum auxilio indigeamus, cum Paulus ſibi opem ſpiritualem ab alijs ferri deprecetur. Græce maior eſt in verbis Energia; ſic enim habetur. Vt mecum certetis in veſtris orationibus pro me ad Deum. Certamen vocat feruentem orationem Deo factam, quaſi velint à Deo extorquere, vt ita dicam, quod petunt. Dicit (mecum) quia ſic debemus aliorum orationes petere, vt non deſiſtamus nos etiam orare. Illud (in orationibus) Hebraiſmus eſt frequens; caſui enim efficiendi apponi ſolet præpoſitio, qua Latinus non ſolet vti. Particula (ergo) Græce δὲ, ideſt (autem) poteſt etiam legi illatiue, nempe, ad vos venturus ſum poſt iter in Hieruſalem, & cum abundanti benedictione. Ergo orate, vt liberer ab infidelibus, vt citius ad vos valeam peruenire, & vt benedictione perfruamini.

Humilitas Pauli in commendando ſe precibus aliorum.

Et obſequij mei oblatio accepta fiat in Hieruſalem Sanctis.

CONtinua eſt hæc ſententia præcedenti; hoc enim etiam eſt, pro quo orationes eorum ad Deum petit, nempe, vt liberer ab infidelibus Iudæis, & vt meo miniſterio collecta eleemoſyna accepta ſit ſanctis, qui ſunt in Hieruſalem, ideſt; ad eos perueniat, illisque grata, & proficua ſit. Acceptam dicit, non tantum gratam, & hilariter acceptam: ſed vt ad illorum manus perueniat. Eleemoſynam miniſterio ſuo collectam, ei delatam, appellat oblationem obſequij mei, ideſt, quam collegi, & perfero tamquam miniſter Gentium. In annotatione amplius hic locus explicatur.

ANNOTATIO XVIII.

SVperiora verba interpretatus ſum, vt communiter habentur in Latinis codicibus, quamuis in eis non ſit plena conformitas. Græce aliter habetur: nam illud (obſequij mei oblatio) vno verbo ſignificatur *διακονία*. Illud autem (in Hieruſalem) connectitur cum relatiuo poſt nomen *διακονία*, & eſt præpoſitio *εἰς*, quæ accuſatiuo deſeruit, & motum ad locum indicat, quaſi Latine diceres. Et diaconia mea, quæ eſt ad Hieruſalem, accepta ſit Sanctis. tunc autem ſenſus eſt. Adiuuate me orationibus, vt liberer ab infidelibus, & vt hoc miniſterium meum, nempe, profectio cum eleemoſyna in Hieruſalem, ſit acceptum Sanctis, qui ibi ſunt, eiſque proſit. Vetus autem interpres interpretatus eſt, loco diaconiæ, ſeu miniſterij, obiectum ipſum, ſeu rem, quæ ex miniſterio efficitur, nempe, ipſa oblatio pecuniæ, & eleemoſynæ, miniſterio Pauli collectæ, & deportatæ: nam & fidem appellamus id, quod fide credimus, & res ipſas nominibus virtutum, quæ in eis verſantur, nominare ſolemus. Sunt quidem variæ lectiones in codicibus Latinis, ſenſus tamen idem fere eſt.

Vt veniam ad vos in gaudio, per voluntatem Dei, vt refrigerer vobiſcum.

Paulus cur cupit refrigerari.

PEto autem liberari ab infidelibus, & meam oblationem eleemoſynæ acceptam fore Sanctis, vt ad vos veniam per Dei voluntatem, ideſt, volente Deo, in gaudio, ideſt, gaudens de proſpero ſucceſſu viæ, & de eo, quod conſequar, quod deſiderabam, nempe, vos videre: ſimul etiam vt veniens refrigerer vobiſcum, ideſt, vt refociller vobiſcum, videns profectum ve-

ſtrum

Digitized by Google

ſtrum in Euangelio; hoc enim longis, & magnis laboribus defeſſum me recreabit, vt vos etiam videntes me, etiam refrigeremini, ſitque refrigerium mutuum. Illud (per voluntatem Dei) connectitur cum verbo (veniam).

Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis. Amen.

Conuenienti, & plena benedictione claudit Epiſtolam; per pacis enim ſalutationem eam incepit, & per pacis imprecationem, ei finem imponit. Pacem autem illis optat, propter multas contentiones ortas inter ipſos, & eos, qui ex Iudæis erant, quas omnes procul ab eis repelli deſiderat, dum petit, Deum pacis cum illis omnibus eſſe. Pax etiam complectitur eam, quæ ad Deum eſt, quæ in peccatorum remiſſione, gratiæ reconciliatione, continuoque virtutum augmento poſita eſt: huius pacis Deus auctor, & promotor eſt; idcirco ab ea eſt petenda. Hæc ſententia fideles, tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus complectitur.

CAPVT XVI.

Commendo autem vobis Phoeben ſororem noſtram, quae eſt in miniſterio Eccleſiae, quae eſt in Cenchris: vt eam ſuſcipiatis in Domino digne ſanctis: & aſſiſtatis ei in quocumque negotio veſtri indiguerit: etenim ipſa quoque aſtitit multis, & mihi ipſi. Salutate Priſcam, & Aquilam adiutores meos in Chriſto Ieſu; (qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt: quibus non ſolus ego gratias ago, ſed & cunctae Eccleſiae Gentium) & domeſticam Eccleſiam eorum. Salutate Epaenetum dilectum mihi, qui eſt primitiuus Aſiae in Chriſto. Salutate Mariam, quae multum laborauit in vobis. Salutate Andronicum, & Iuniam cognatos, & concaptiuos meos: qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui & ante me fuerunt in Chriſto. Salutate Ampliatum dilectiſſimum mihi in Domino. Salutate Vrbanum adiutorem noſtrum in Chriſto Ieſu, & Stachyn dilectum meum. Salutate Apellen probum in Chriſto. Salutate eos, qui

ſunt ex Ariſtoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui ſunt ex Narciſſi domo, qui ſunt in Domino. *Salutate Tryphaenam, & Tryphoſam: quae laborant in Domino. Salutate Perſidem chariſſimam, quae multum laborauit in Domino. Salutate Rufum electum in Domino, & matrem eius, & meam. Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen: & qui cum eis ſunt, fratres. Salutate Philologum, & Iuliam, Nereum, & ſororem eius, & Olympiadem, & omnes, qui cum eis ſunt, ſanctos. Salutate inuicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes Eccleſiae Chriſti. Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula praeter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis. Huiuſcemodi enim Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo ventri: & per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium. Veſtra enim obedientia in omnem locum diuulgata eſt. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo. Deus autem pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris velociter. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum. Salutat vos Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iaſon, & Soſipater cognati mei. Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi epiſtolam, in Domino. Salutat vos Caius hoſpes meus, & vniuerſa Eccleſia. Salutat vos Eraſtus arcarius ciuitatis, & Quartus, frater. Gratia* Domini *noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen. Ei autem, qui potens eſt vos confirmare iuxta Euangelium meum, & praedicationem Ieſu Chriſti, ſecundum reuelationem myſterij temporibus aeternis taciti, (quod nunc patefactum eſt per Scripturas Prophetarum ſecundum praeceptum aeterni* Dei, *ad obeditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti, ſoli ſapienti Deo, per Ieſum Chriſtum, cui honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

CAput hoc commendationes, & ſalutationes plurimas continet, quæ mirum in modum Pauli ardentiſſimam charitatem, & pluſquàm maternum, & paternum affectũ manifeſtant. Ab Hæreticis, & Schiſmaticis cauere eos admonet, & gratiarum actione Epiſtolam concludit. Eſt autem omni admiratione dignum, Paulum inter tot Populorum, & Gentium fideles, vndiq. curis, & ſollicitudinibus plenum, tantiſq. vndiq. tribulationibus vexatum, tam diſtinctam mentionem multorum facere, quos non tantum nominibus proprijs ſalutat: ſed etiã qualitatibus peculiaribus diſcernit. O pectus vere Apoſtolo Chriſti dignum, & Prælatis Apoſtolorum ſucceſſoribus exemplum ſingulare.

Commen-

Commendo autem vobis Phoeben ſororem noſtram.

COmmendat Paulus Romanis fœminam quamdam dictam Phœben, negotij cuiuſdam gratia Romam proficiſcentem, quam ſororem communem appellat, nempe, noſtram, propter fidei, & Religionis communionem; Chriſtiani enim, fratres, & ſorores ſunt in Chriſto, quod nomen, quædam tacita eſt, ad acceptandam commendationem, exhortatio. Huius Epiſtolæ, Phœben, tabellariam fuiſſe dicit Anſelmus, quamuis ſub dubio, quia res certa non eſt. *Anſel.*

ANNOTATIO I.

Phœbe mulier, quę fuerit. QVidam recentiores, hāc Phęben, vxorem fuiſſe Pauli affirmant, quam ſororem eo dictam cenſent, quia re coniugij non vtebatur: ſed cælebs viuebat. Horum ſentētia improbabilis eſt, tum quia fundamentum infirmum eſt; non enim eo dicta eſt ſoror, quòd vxor ſit cælebs: ſed quia in domino viri omnes, fratres; & fœminæ ſorores appellantur. *Iaco. 2.* Iaco. 2. Si frater & ſoror nudi ſint. *Matt. 12* & Matth. 12. Ille meus frater, & ſoror eſt. Tum etiam, quia nemo antiquorū expoſitorum id interpretatus eſt. Tum demum, quia vix poteſt ſuſtineri, Paulum vxoratum fuiſſe; ſunt enim grauiſſimi Patres, huic opinioni aduerſantes. *Hierony.* Hieron. enim in epiſt. ad Euſtochi. de cuſto. virginit. Paulum negat vxorem habuiſſe: immo fuiſſe virginem affirmat, id quod probat illo. 1. Corinth. 7. Vellem, vos omnes eſſe, ſicut me. Hoc idem Hieron. epiſt. ad Gerontiam, & in epiſt. ad Marcellam, de laudibus Aſellæ. *Ambroſ.* Idem aſſerit Ambroſius, in eo loco Pauli, dicens: Paulum iuuenculum præuentum fuiſſe à diuina gratia, & ad Euangelium vocatum. Id etiam confirmat lib. de Ioſeph. cap. 11. *Epiph.* Epiphani. etiam, hæres. 58. contra Valeſios, idem cum Hieron. ſentit, nempe, virginem fuiſſe, & vtitur eodem teſtimonio. 1. Corin. 7. Non deſunt autem, qui contrarium defendant: nam & inter antiquos quidam, huius vidētur opinionis extitiſſe: *Ignat.* nam Ignatius Mar. epiſt. 9. quæ eſt ad Philadelphenſes, inter eos, qui nuptijs operam dederunt, annumerat Paulum. Hoc tamen teſtimonium non eſt multum efficax: nam in antiquiſſimis quibuſdā exemplaribus, non reperitur nomen Pauli: vnde incertum eſt, Ignatium huius fuiſſe ſententiæ. Alterum eſt teſtimonium Clemen. Alexan. qui id ſentire viſus eſt: *Clem. Alex.* nam lib. 3. ſtromat. ſic inquit. Petrus, & Philippus, filios procrearunt: Philippus autem filias quoque ſuas viris tradidit. Et Paulus quidem certe non veretur in quadam epiſt. ſuam appellare coniugem, quam non circumferebat, quod non magno ei opus eſſet miniſterio. Dicit ergo: non habemus poteſtatem, ſororem, mulierem circumducen-

(Margin: Paulus an habuerit vxorem. *1. Cor. 7.*)

di, ſicut & reliqui Apoſtoli? Sed tunc quidem, vt erat conſentaneum miniſterio, quod diuelli non poterat, prædicationi ſcilicet attendentes, non vt vxores, ſed ſorores, circumducebant mulieres, quæ vna administraturæ eſſent apud mulieres, quæ domos cuſtodiebant; per quas etiam in gynæcium abſque vlla reprehenſione, aut mala ſuſpicione ingredi poſſet doctrina Domini. Hæc Clemen. qui Paulum vxoratum, ſicut & alios Apoſtolos tradit, & loco eiuſdem Pauli. 1. Corinth. 9. id probat: & cur vxorem non ipſe Paulus; cæteri vero Apoſtoli circumducerent, tradit. Nec hoc ſolum facit: ſed in eodem libro, locum illum, quo Hieron. & Epiphan. vſi ſunt, ad probandum, Paulum virginem fuiſſe, interpretatur de cælibatu, nempe, vellem, vos eſſe, ſicut ego cælebs ſum. At re vera multo probabilior, & veritati conformior eſt ſententia Hieronymi, Paulum numquam vxorem duxiſſe. nec explicatio illius. 1. Corinth. 7. à Clemente adducta accommodari poteſt: nam ibi Paulus loquebatur de his, qui matrimonio ſe iungunt; & ijs, qui ab eo ſe continent: docetque, ſine peccato poſſe hominem matrimonium contrahere: melius tamen eſſe ſic manere, nempe, ſine matrimonio, ſeque optare eos eſſe, ſicut ipſe eſt, nempe, ſine matrimonio; ſi enim de cælibatu interpreteris, tunc non efficietur ſententiæ connexio accōmodata. Teſtimonium autem, quo Clemens vtitur, nihil ad rem facit; non enim ibi de vxoribus Paulus loquitur; ſed de fœminis, quæ ſequebantur Apoſtolos ex deuotione, & fide, eis miniſtrantes. Audi verba Ambroſij ibidem. Mulieres, inquit, deſiderio doctrinæ Dominicæ, & cupidæ virtutum, ſequebantur Apoſtolos, & miniſtrabant eis ſumptus, & ſeruitia: ſicut & Saluatorem ſunt ſecutæ, miniſtrantes ei de facultatibus ſuis. Hæc Ambroſius. Idem ibidem dicit Theodoret. Idem docet pluribus verbis Auguſt. lib. de bono coniug. cap. 4. & ſequentibus. Hieron. etiam. Matth. 27. in illud (erant autem mulieres) ſic inquit. Conſuetudinis Iudaicę fuit, nec ducebatur in culpā, more Gentis antiquo, vt mulieres de ſubſtantia ſua victum, atque veſtitum prę ceptoribus miniſtrarent. Hoc, quia ſcandalum facere poterat in nationibus, Paulus abieciſſe ſe memorat; dicit enim. Numquid non habemus pōteſtatem ſorores mulieres circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli faciunt? Hæc, & alia Hieron. hoc idem ipſe Hieron. lib. 1. contra Iouinian. docet, vbi & locum Pauli interpretatur, & aliter non poſſe intelligi, ex ipſo contextu manifeſte probat. verba ipſius referam. Numquid, inquit, non habemus poteſtatem ſorores mulieres circumducendi? ex quo apparet, cum de alijs ſanctis dixiſſe mulieribus, quæ iuxta morem Iudaicum magiſtris de ſua ſubſtātia miniſtrabant, ſicut legimus, ipſi quoque Domino factitatum: nam & ordo verborum hoc ſignificat: Numquid non habemus poteſtatem mā ducandi, & bibendi, aut ſorores mulieres circumducendi? Vbi de comedendo, & bibendo, ac de adminiſtratione ſumptuum præmittitur, & de mulieribus ſororibus infertur. Perſpicuum eſt, non de vxoribus debere intelligi: ſed de ijs, vt diximus, quæ de ſua ſubſtantia miniſtrabant. Hæc Hieron. & poſt

pauca.

1. Cor. 9. *Author.* *1. Cor. 7.* *Ambroſ.* *Theodor.* *Auguſt.* *Matt. 27* *Hierony.*

pauca. excepto Apoſtolo Petro, nõ eſt manifeſte relatum, quòd Apoſtoli vxores habuerint: & cum de vno ſcriptum ſit, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus, ſine vxoribus eos fuiſſe, de quibus nihil tale Scriptura ſignificet. Hæc Hierony. Qui ergo hanc Phœben vxorem fuiſſe Pauli affirmant, longe à veritate recedunt. Adde, quamuis habuiſſet vxorem, nulla ratio, nec auctoritas probant, Phœben hanc fuiſſe. Soror igitur dicta eſt, propter fidei, & religionis, & charitatis in Chriſto communionem.

Quae eſt in miniſterio Eccleſiae, quae eſt in Cenchris.

Cenchris oppidum vbi ſitum.

EIus officium etiam non diſſimulat, vt hoc etiam Romanis perſuadeat commendationem. Eſt, inquit, in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris. Cenchris Pagus eſt Corinthi, vt dicit Origen. immo portus quidam ipſius; adeo enim nomen Chriſti, Pauli prædicatione dilatatum erat, vt non ſolum in Vrbibus, ſed etiam in Pagis fides eluceret. Miniſterium huius fœminæ, apud Eccleſiam, ideſt, congregationem fidelium Chriſtianorum, qui ibi degebant, erat illud, cuius meminit idem Paulus. 1. Timoth. 5. vbi de viduis loquens, inquit. Si hoſpitio recepit, ſi Sanctorum pedes lauit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtrauit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt. Quo in loco Theodoret. tale miniſterium, Phœben hanc ſortitam fuiſſe affirmat.

ANNOTATIO II.

Phœbes miniſteriũ quod fuerit in Eccleſia. *Orig. Chryſoſt.*

EST etiam in hoc eodem loco conſiderandum, quod fuerit huius Phębes miniſterium: nam dicta eſt in miniſterio Eccleſiæ fuiſſe. Græce διάκονον. Origen. & Chryſoſt. ad dignitatem Eccleſiaſticam quandam pertinere affirmant, qua ex Apoſtolorum auctoritate fungebatur. Cuius rei declarandæ cauſa adnotandum eſt, olim ordinem quendam Diaconiſſarum fuiſſe, vt conſtat ex Clemen. Romano, & alijs antiquis Doctoribus, quarum iam nullus vſus in Eccleſia extare videtur. Harum miniſterium Clemens varijs in locis explicat: nam lib. 8. conſtitut. Apoſtolic. cap. 28. ſic habet. Diaconiſſa non benedicit, neq. facit aliquid eorum, quæ Presbyteri, aut Diaconi faciunt, niſi quod ianuas cuſtodit, & Presbyteris miniſtrat, cum mulieres baptizantur, idque propter decorem, & honeſtatem. Hæc Clemens. & lib. 2. cap. 26. Nulla, inquit, mulier ad Epiſcopum, aut Diaconum ſine Diaconiſſa accedat. lib. 3. cap. 15. Hæ Diaconiſſæ mittebantur ab Epiſcopo, vel Diacono ad mulierum domos, propter Gentium ſcandalum vitandum, & adhibebantur in baptiſmo fęminarum, ad nudanda earum corpora, & ad illas liniendas. & lib. 3. cap. 19. Inſeruiebant

Clem. Roman.

Diaconiſſæ officiũ olim in Eccleſia.

Digitized by Google

fęminis infirmis. Huiuſmodi erant miniſteria harum Diaconiſſarum, de quibus Ignat. epiſt. 12. quæ eſt ad Antiochenſes. Saluto, inquit, cuſtodes ſacrorum veſtibulorum in Chriſto Diaconiſſas. Hæc Igna. erant enim fęminæ, tempore ſacrificij recluſæ quibuſdam locis, à viris ſeparatæ, quorum locorum veſtibula, & ianuas Diaconiſſæ obſeruabant. Hoc miniſterium, Phœben ſortitam eſſe probabile eſt, idque Origen. & Chryſoſt. ſignificãt; eligebantur enim ab Apoſtolis, ſeu Epiſcopis huiuſmodi mulieres, quarum qualitates etiam Clemens deſcribit. Theodor. 1. Timoth. 5. hoc miniſterium explicat, ſicut nos in commentario diximus, & forſan hoc erat coniunctum miniſterio illi; vtraque enim de cauſa, miniſtra dicta eſt.

Ignat. *Origen.* *Chryſoſt.* *Theodor.*

Vt eam ſuſcipiatis in Domino, digne Sanctis; & aſsiſtatis ei, in quocumque negotio veſtri indiguerit.

EXplicat commendationem, & petitionem ſuam Paulus, nempe, vt eam ſuſcipiatis in Domino digne Sanctis, ideſt, recipite, & tractate eam, vt decet recipere, & tractare Sanctos, & Chriſtianos, & hoc propter Dominum. Profecto, qui Chriſtianos recipit, vt decet & oportet Chriſtianos recipi, & propter Chriſtum recipit, omni humanitate, charitate, & largitate erga eos vtetur. Nec ſolum hoc petit, ſed etiam, vt opem ferant, & auxilium præſtent ei in omni negotio, in quo ipſam iuuare poterunt, ſi eorum opera indiguerit. Talem affectum Chriſtiana charitas poſtulat.

ANNOTATIO III.

Digne ſanctis ſuſcipere, & aſsiſtere quid ſignificet.

ILlud (digne ſanctis) duos ſenſus admittit. Vnus eſt. recipite eam, vt decet ſanctos, ſeu Chriſtianos recipere hoſpites, & accedentes ad eos. Alter eſt, eam recipite, vt ſancti recipi debent. & hunc ſenſum ſequitur Chryſoſtomus, & legitimus eſt; petit enim Paulus, Chriſtianam fœminam, ſanctam, & Chriſtianam ſuſcipi, vt Chriſtiani recipi debent. Poſſet etiam non improbabiliter dici, vtrumque ſenſum à Paulo ſimul eſſe coniunctum, nempe, recipite eam, vt decet Chriſtianos ſuſcipere Chriſtianos, & vt par eſt Chriſtianos recipi. Et hic mihi multum accommodatus videtur.

Chryſoſt.

Etenim ipſa quoque aſtitit multis; & mihi ipſi.

EFficaciſſima argumenta commendationis protulerat Paulus, quia ſoror noſtra eſt, quia miniſtra Eccleſiæ eſt, quia ſancta

eſt, &

eſt, & Chriſtiana, quia vos etiam Chriſtiani, & ſancti eſtis. his tamen non contentus ſuperaddit noua, quibus & ipſam laudibus effert, & Romanos multum ad commendationem ſuſcipiendam deuincit. At etiam ipſemet Paulus feruorem ſuæ charitatis erga proximos aperit, ſeque gratiſſimum demonſtrat: nam inquit: Etiam ipſa opem multis Chriſtianis tulit, & mihi etiam ipſi. Fœlix fœmina profecto, quæ Paulum ſuſcepit, quæque tantam commendationem per omnes mundi Eccleſias, vſque ad mundi finem, verbis, & teſtimonio tanti Apoſtoli obtinere meruit.

Salutate Priſcam, & Aquilam, adiutores meos in Chriſto Ieſu (qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt: quibus non ſolus ego gratias ago, ſed & cunctae Eccleſiae Gentium) & domeſticam Eccleſiam eorum.

Priſcilla, & Aquila, qui fuerint.

PRiſca, alias Priſcilla, & Aquila erant vxor, & vir ex genere Iudæorum, qui Corinthi degebant, quorum fit mentio Act. 18. Erant autem tunc temporis Romæ; quamuis enim Claudius Imperator Iudæos Roma expulerat, fortaſſe tamen aliquos ex gratia, ſeu fauore retinuit, aut ad tempus negotij alicuius peragendi cauſa admittebat. Hos ſalutari petit Paulus cum tota congregatione fidelium Chriſtianorum, qui domi illorum erant, nempe eorum familia Chriſtiana. Non priuat eos Paulus laude, adiutores ſuos in Chriſto appellat, nempe, in Euangelio Chriſti annunciando, quia in fidem propagandam operam ſuam nauarunt, vt etiam ex Actor. 18. conſtat. Nec hoc tantum, ſed & Act. 18.
mortis periculo pro ſaluanda vita Pauli ſe expoſuerunt: pro quo beneficio Paulus ſe agere gratias teſtatur, cum omnibus Eccleſijs Gentium; vita enim Pauli ſeruata in omnium Eccleſiarum vtilitatem redundauit, beneficiumque, & priuatum Paulo, & commune Gentibus fuit.

Salutate Epoenetum, dilectum mihi, qui eſt primitiuus Achaiæ in Chriſto Ieſu.

MAgna laus, & multæ virtutis indicium, peculiari quadam dilectione eſſe dilectum à Paulo, qui non temerario affectu, ſed iudicio diligere nouit. Hic primitiuus dicitur, quia

primus

Achæus primitiuus cur dictus. primus inter Achæos Chriſti fidem recepit, quaſi primitiæ Achaiæ dictus, & ea de cauſa forſan dilectus Paulo dictus. Eſt autem metaphora à ſacrificijs; primitiæ enim Deo offerebantur. ſic Paulus fideles offerebat Deo, quorũ primitiæ in Achaia Ephœnetus fuit.

ANNOTATIO IV.

Ambroſ. AMbroſius, primitiuum dicit, quaſi primum inter Achæos, vt ad dignitatem hæc primitas referatur: at Chryſoſt. Theodoret. & Anſel. ad fidei primitias pertinere affirmat, quia primus credidit inter Achæos, & portam Gentibus aperuit ad Euangelium ſuſcipiendum, idque vox Græca indicat ἀπαρχὴ, ideſt, primitiæ. Quidam legunt loco (Achaiæ) (Aſiæ.) ſicque legit Origen. in præſenti. & hom. 11. in Numeros. Eſtque argumentum pro hac lectione, quia 1. Corinth. 16. alij primitiæ Achaiæ dicti ſunt. Eam lectionem Chryſoſt. in exponendo ſequi videtur.

Chryſoſt. Theodor. Anſel. *1. Cor. 16*

Salutate Mariam, quae multum laborauit in vobis.

LAborauit Maria hæc erga Romanos in Euangelio introducendo, multumque ſtuduerat, & perpeſſa erat in eorum ſalute ſpirituali procuranda, quam ob rem eam Paulus ſalutatam eſſe vult. Nota laudem mulieris, non in ornamentis poſitam, ſed in ſalutis proximorum ſtudio. Aliqui codices legunt (in nobis) Chryſoſt. legit (in vobis) ſeu (erga vos) eaque lectio videtur legitima.

ANNOTATIO V.

Maria, quæ laborauit multum in Eccleſia, quæ fuerit. QVidam recentiores cenſent hanc Mariam eſſe illam eamdem, ad quam poſtea Ignatius epiſtolam miſit, quæ eſt ordine quarta, eamque appellat Mariam Caſſobolitem, quamq. miris laudibus in ea epiſtola extollit. quæ quidem opinio probabilis eſt.

Salutate Andronicum, & Iuniam cognatos, & concaptiuos meos, qui ſunt nobiles in Apoſtolis; qui & ante me fuerunt in Chriſto.

COgnatos appellat natione, quia & Iudæi erant, ſupra Rom. 9. qui ſunt cognati mei ſecundum carnem. Concaptiuos autem, quia cum illo participes tribulationum, & perſecutionum, quæ illi illatæ fuerant à perfidis Iudæis. Commendat etiam eos, quia *Rom. 9.*

Andronicus, & Iunia, qui fuerint.

Digitized by Google

quia nobiles in Apoſtolis fuerunt, ideſt, apud Apoſtolos fuerunt magni nominis, & plurimi ab illis facti, propter eorum inſignia opera. Addit etiam laudem ab antiquitate, qui, inquit, etiam fuerunt ante me in Chriſto, ideſt, qui prius me crediderunt, & Chriſtiani extiterunt. Nota Pauli humilitatem.

ANNOTATIO VI.

Chryſoſt. CHryſoſtomus, illud (nobiles in Apoſtolis) interpretatur, quia inter Apoſtolos, & Doctores fuerunt inſignes. id ipſum dicit *Theodor.* Theodoret. Alij ſic explicant, quia iudicio Apoſtolorum inſignes ſunt reputati. Quæ explicatio mihi videtur accommodata, quãuis & prior ſit probabilis. Perpende, quales viros, & fęminas habuit olim Eccleſia, & qualia eius exordia fuere.

Salutate Ampliatum dilectiſsimum mihi in Domino. Salutate Vrbanum adiutorem noſtrum in Chriſto Ieſu, Et Stachyn dilectum meum.

MAiori laude Vrbanum affecit, quem prædicationis, & certaminis adiutorem appellat: ſed & magnum eſt, dilectum à Paulo fuiſſe. Nemini adulari videtur, qui ſingulos, prout eorum ratio meritorum poſtulat, commendat. Græce (dilectum) non (dilectiſſimum) & (Ampliam) non (Ampliatum) habetur.

Salutate Apellem, probum in Chriſto.

MIra laus eſt, probum appellari in Chriſto ab eo, qui iudicio non errabat. Eſt autem probus in Chriſto, qui in re Euangelica omni ex parte probatus, nullaque ex parte corruptus eſt; nihil enim habere adulterinum, eſt bonorum colophon.

Salutate eos, qui ſunt ex Ariſtobuli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui ſunt ex Narciſsi domo, qui ſunt in Domino.

FAmilias, quæ crediderant ex domo Ariſtobuli ſalutat, & Herodionem cognatum, qui ex Iudæis erat. Similiter familiam Narciſſi, non omnes quidem, qui erant huius familiæ: ſed qui credi-

Digitized by Google

crediderant, ob id addidit, qui ſunt in Domino, inſinuans, non omnes fuiſſe Chriſtianos, vt notat Theodoret.

Salutate Tryphoenam, & Tryphoſam, quae laborant in Domino. Salutate Perſidem chariſsimam, quae multum laborauit in Domino. Salutate Rufum electum in Domino, & matrem eius, & meam.

LAbor hic in Domino, eſt opera, quæ à fidelibus exhibetur pro Chriſti Euangelio, non ſolum erga ſe, ſed etiam erga alios, quam egregiæ hæ fœminæ præſtiterant. Rufus electus in Domino dicitur, quia pietate, & Religione eximius. Matrem eius, Paulus ſuam appellat, communemque vtrique ducit, quia beneficia acceperat ab ea, & quod proprio filio carne, Paulo ſubſidio profuit. Inſignis laus hæc eſt, Pauli matrem à Paulo vocari. Illud (chariſsimam) Græce habetur (dilectam).

Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermem, & qui cum eis ſunt, fratres.

AD eamdem familiam hi omnes pertinebant, quam ſua ſalutatione Paulus ornauit; Quis non miretur diſtinctiſsimam Pauli erga ſingulos notitiam, cum nondum tunc temporis Romæ fuerit?

Salutate Philologum, & Iuliam. Nereum, & ſororem eius, & Olympiadem, & omnes, qui cum eis ſunt, ſanctos.

HOs etiam ſalutat, cæteroſque Chriſtianos, quos ſanctos appellat, qui cum eis, vel de eorum familia ſunt. Quidam codices, non Olympiadem, ſed Olympam habent, & eſt viri nomen: ſicque Græce legitur. Hi omnes nobis ignoti nunc ſunt, futuri notiſsimi, quando in æterna beatitudine eorum conuerſatione fruemur.

Salutate inuicem in oſculo ſancto.

QVoniam ipſe abſens Romanos amplecti non poterat, per ipſosmet facit, rogans, vt ſe inuicem amplectantur, & ſalutent

Digitized by Google

Oſculum ſanctum in Eccleſia quid fuerit.

tent ipſius nomine, ne vllum contempſiſſe videretur, idque in oſculo ſancto, ideſt, Chriſtianis digno, honeſto, modeſto, ſincero, fraterno, ac ab omni dolo alieno. Huiuſmodi oſculo mos erat Chriſtianis, vt habetur ex Tertul. lib. de orat. ſe ſalutare, in ſignum pacis, & amicitiæ mutuæ. Quo ſigno Iudas abuſus, reprehenſionem recepit à Chriſto dicente Luc. 22. Iuda, oſculo Filium hominis tradis? His eiſdem verbis, quibus nunc vtitur Paulus, vſus etiam eſt. 2. Corinth. 13.

Tertull. *Luc. 22.* *2. Cor. 13*

Salutant vos omnes Eccleſiae Chriſti.

OMnium Chriſtianorum nomine eam Ciuitatem merito ſalutat, quæ omnibus Chriſtianis præſidet; Romana enim Eccleſia omnium Eccleſiarum caput eſt, & magiſtra, in qua Chriſti vicarius, Eccleſiæque vniuerſalis Epiſcopus Pontifex Romanus, verus Petri ſucceſſor reſidet.

Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula praeter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis.

ADmonet Romanos, in doctrina fidei à Principe Apoſtolorum Petro accepta conſtantes eſſe, & eos vitare, qui diſſenſiones in ea doctrina inducunt, ex quibus offendicula, & ſcandala, quæ à fide recedere faciunt, procedunt. hos homines obſeruare, & agnitos diligenter habere iubet, vt ab eis, tamquam à peſte fugiant. Declinate, inquit, ab eis; cum huiuſmodi enim diſputatio, & conuerſatio nociua eſt. Hoc maxime propter Iudæos dictum cenſet Theodoret. qui per legis ſtudium, credentes ab Euangelij veritate auertere conabantur. Illud (præter) loco (contra) poſitum eſt. Probat Paulus Petri doctrinam Romanis traditam, quam certam, & ſinceram, fidelemque eſſe, etiam abſens, ſciebat.

Huiuſmodi enim Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo ventri.

CAuſam enarrat, cur ab his ſit declinandum, idque facit, eorum qualitates deſcribens; quarum prima eſt, quia non ſeruiunt

ſeruiunt

Qualitates eorum qui diſſenſiones, & offendicula in Eccleſia faciebant.

ſeruiunt Chriſto Domino noſtro, ideſt, non ea docent, quæ ſecundum Chriſti Euangelium ſunt. Altera eſt per Antitheſim: ſed ea tradunt, quæ in ſui ventris vtilitatem faciunt, nimirum ea concionantur, & docent, per quæ corradant ab alijs pecunias, & lucra temporalia, quibus ſuum ventrem expleant: non audientium, ſed propriam quærunt vtilitatem.

Et per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium.

TErtia eorumdem qualitas eſt, vti dulcibus ſermonibus, & benedictionibus, quibus ſimplicium, & innocentium corda ſeducant, & lucrum inde extorqueant. Per benedictiones, Græce εὐλογίας, adulationes, & aſſentationes ſignificat. Dulces ſermones, Græce χρηστολογίας, blandiloquentiam intelligit, per quam verba compoſita, & ea, quæ humanis deſiderijs grata ſunt, dicuntur, appetitibus vanis ſatisfacientia, non hominum morbis ſpiritualibus medentia. Sunt hi, vt medici, qui infirmo grata, non proficua porrigunt. Græce, non (innocentium) ſed ſimplicium, & doli expertium, ἀκάκων, ideſt, ſine malitia; hi enim facile ab huiuſmodi doloſis hominibus ſeducuntur.

Veſtra enim obedientia in omni loco diuulgata eſt.

HAec ſententia, cum ſequentibus, cauſam exponit, cur Paulus Romanos rogauerit obſeruare illos, qui diſſenſiones, & offendicula contra receptam doctrinam faciunt, ab ipſiſque declinare: ea autem eſt. Quia, vos quidem ſuſcepiſtis doctrinam Apoſtolicam prompto, & alacri animo, & hoc mihi perplacet, & de eo gaudeo: ſed opus eſt prudentia, noloque vos ſimplices eſſe in malo: ſed ſapientes in bono. Rogo ergo vos obſeruare prædictos, non quòd ignorem obedientiam veſtram, & ſimplicitatem in malo, ſed quod deſiderem ſapientiam, & prudentiam in bono conſeruando. Hic eſt totus contextus, in quo mira ſuauitas, & prudentia Pauli in admonendo elucet; vt enim dulcem faciat admonitionem, quaſi imprudentiæ illos arguens, laudem præmittit in eo, quod laude dignum erat. Cætera in ſequentium explicatione referam. Dicit ergo. Omnibus

Obedientia Chriſtianorum in Eccleſia in quo cõſiſtebat.

Digitized by Google

nibus Eccleſijs manifeſta eſt veſtra obedientia, qua Euangelio prompte, & perfecte crediḋiſtis.

ANNOTATIO VII.

CHryſoſtomus hãc ſententiam, occupationem quandam eſſe cenſet, quaſi diceret: Quæ modo dixi, & quorum mores in genere depinxi, ad vos nihil ſpectant, qui promptiſsime fidem amplectimini. Hanc expoſitionem, neque particula illa (enim) neque ſequentia facile admittunt. Idcirco accommodatius exiſtimaui, quod in commentario dixi.

Gaudeo igitur in vobis.

HOc etiam verbo admonitionem dulcem efficit, & tamquam ab amico animo procedentem facilem receptu reddit. Eſt igitur, inquit, quod in vobis gaudeam, nempe de tanto bono, quantum eſt obedientia fidei, nec hæc eſt cauſa, cur vos rogem, & admoneam cauere, & declinare ab huiuſmodi hominibus. Cauſam ſequenti ſententia declarat.

Sed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.

HAec eſt cauſa meæ rogationis. Quia volo, & deſidero, vt ſitis in bono prudentes: in malo vero ſimplices; ſic enim non ſeducemini ab his, qui diſſenſiones, & offendicula faciunt. Faciles fuiſtis in obedientia Euangelij, & de hoc gaudeo; ſed quia facilitas credendi obnoxia eſt fraudi, niſi adſit prudentia; idcirco volo vos eſſe prudentes in bono, vt ſectemini, quæ ſectanda ſunt, & impoſturas, ac dolos, & fraudes malorum hominum repellatis. Simplices autem in malo, ignorantes thecnas, dolos, & artes, quibus mala perpetrantur, vt non ea faciatis. Præceptum Domini hoc eſt. Matth. 10. Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes; & ſimplices, ſicut columbæ. Eſt vtraque coniungenda; vt enim dicit Gregor. 3. p. paſtor. admonit. 12. In electorum cordibus debet & ſimplicitatem columbæ aſtutia ſerpentis acuere; & ſerpentis aſtutiam columbæ ſimplicitas temperare: quatenus, nec ſeducti per prudentiam, calleant; nec ab intellectus ſtudio ex ſimplicitate torpeſcant.

Matt. 10

Greg.

Deus

Digitized by Google

Deus autem pacis conterat Sathanam ſub pedibus veſtris velociter.

OCcaſione horum hominum, qui offendicula, & diſſenſiones faciunt, ad Deum ſe Paulus conuertit, eum rogans, vt conterat cito Sathanam ſub pedibus credentium; ideſt, Populum Chriſtianum ſuperiorem, & potentiorem efficiat omnibus ijs, qui Euangelio contradicunt, & aduerſantur, Chriſtianiſque obſtaculo ſunt, quo minus credant: idque velociter, & citius faciat, ne multi pereant horum aduerſantium cauſa. Appellat autem Deum pacis, quia Deus eſt, à quo pax iſta effici, ſperari, & peti debet. Tacite petit Paulus, Reges, & Principes Idololatras, omneſque poteſtates Euangelium oppugnantes, conuerti à Deo, aut de medio tolli, locoque eorum fideles conſtitui, vt Populus Chriſtianus à perſecutione huiuſmodi liberatus augeatur, & mirum in modum creſcat. Tunc erit Sathan ſub pedibus credentium, quando, ſi quis aduerſarius ſupererit, longe inferior viribus, & potentia Chriſtiano populo fuerit. Exaudita eſt oratio Pauli; cito enim Romanum Imperium ad Chriſtum eſt conuerſum, factaque Roma etiam per exemplum Religionis caput.

ANNOTATIO XIII.

Chryſoſt. Theodor. CHryſoſt. & Theodoret. per Sathan Diabolum intelligit, qui magiſter eſt omnium diſſenſionum. *Origen.* Origen. hoc non recipit, eo argumento, quia, ſi Diabolus eſſet contritus, non remanſiſſet ad exercitium Chriſtianorum. Dicit ergo, Sathan hoc loco accipi generaliter pro omni ſpiritu aduerſante credentibus. Nec aduertit, hoc idem argumentum fieri poſſe contra ipſummet. Reſpondeo igitur, Sathan in Scriptura aliquando vſurpari, non pro Diabolo proprie: ſed generaliter pro aduerſario etiam homine; nomen enim hoc idem ſignificat apud Hebræos, quod apud Latinos, aduerſarius. ſic 3. Regum. 5. dicitur. Non erat Sathan; ideſt, non erat hoſtis, neque qui contradiceret. Hoc autem loco poteſt vtroque modo accipi; tamen accommodatius eſt, ſi accipiamus pro Diabolo: quamuis enim homines Euangelio aduerſentur; ille tamen eſt, qui per eos operatur: & quando Idololatræ, & aduerſarij conuertuntur, ille eſt, qui conteri dicitur, iuxta illud Ioan. 12. Princeps huius mũdi eijcietur foras, & omnia traham ad meipſum. & illud Luc. 11. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet; ſi au-

Sathan in Scriptura, quid ſignificet.

3. Reg. 5.

Ioan. 12.

Luc. 11.

ſi autem fortior illo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Significabat hiſce Dominus, infidelitatem, & idololatriam, per quas regnabat Sathan in Mundo, eijciendas: & Gentes ad Chriſtum, & eius Euangelium ſuſcipiendum conuertendas. Et hoc eſt, quod Paulus nunc rogat, velociter à Deo fieri. Dicitur autem, Conteri ſub pedibus credentium, non quod eſſe deſinat, ſed quòd imbecillis ita fiat, vt viribus longe ſit minor, & inferior credentibus, nec audeat, quæ ante audebat.

Conterere ſub pedibus quid denotet.

Aduertendum eſt præterea, illud (conterat) Græce haberi in futuro (conteret) quaſi ſit prædictio Pauli, eius, quod futurum erat, ſicque Origen. & Chryſoſt. interpretantur. Vetus interpres legit (conterat) quaſi ſit deprecatio Pauli. ſicq. legit Hiero. Ezech. 32. & Græcos codices eſſe varios conuincitur ex Theodoret. qui Græcus cum ſit legit (conterat) rogationem Pauli hanc eſſe affirmans. idem Origen. hom. 3. exod.

Orig. Chryſoſt.

Hiero.

Theodor.

Origen.

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum.

HOc recte connectitur præcedenti. Sit vobiſcum gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, qua non ſolum Deo reconciliantur homines, peccatis deletis, & filiatione Dei accepta: ſed fiunt robuſti, & potentes vt Sathanæ, etiam nondum contriti, potentia eis non noceat, valeantque ei reſiſtere, ſeque incolumes, & puros ab eius nequitia, fraudibus, & perſecutionibus conſeruare.

Salutat vos Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iaſon, & Soſipater, cognati mei. Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi epiſtolam, in Domino.

SAlutationes nunc eorum, qui cum Paulo erant, Romanis mittit. Timotheus hic eſt, quem circumcidit, & Epiſcopum ordinauit, ad eumque duas illas epiſtolas miſit, quæ inter canonicas habentur; quem adiutorem appellat, quia ſecum in Euangelio prædicando laborauit. Hos tres appellat cognatos, quia ex Iudæis erant, vel quia forſan ſanguine, & carne coniuncti. Quidam fidelis nominatus Tertius ſuam interponit ſalutationem, Paulo conſentiente, qui ſe hanc ſcripſiſſe epiſtolam affirmat; ſiue quia, Paulo dictante, ille excipiebat; ſiue quia à Paulo prius ſcriptam, deſcribebat, vt ad Romanos tranſmitteretur. Illud autem (in Domino) poteſt coniungi vtrique verbo. Scripſi in Domino; ideſt, propter Dominum; aut, ſaluto in Domino, ideſt ſalutem,

Tertius qui fuerit ſcriptor huius epiſtolæ.

quæ à Domino Chriſto eſt, vobis precor. Et hic ſenſus accommodatior eſt.

Salutat vos Caius hoſpes meus, & vniuerſæ Eccleſiæ.

HOſpitem appellat; cum enim propriam domum non haberet, apud alios maxime fideles diuertebat. Erat autem hic Caius, qui non ſolum Paulum hoſpitio excipiebat, ſed erat ſolitus Chriſtianos frequenter huc, & illuc tranſeuntes excipere. Idcirco dicitur, hoſpes vniuerſæ Eccleſiæ. Eſt autem hyperbole, vniuerſæ Eccleſiæ; non enim omnes, quotquot erant fideles, ſed illac tranſeuntes excipiebat. Eſt autem in gignendi caſu, vt conſtat ex Græco textu. Et eſt magnæ virtutis teſtimonium, alumnis fidei domum aperire, & eos fouere. Hic Caius erat Corinthius, vt Theodoret. de quo habetur 1. Cor. 1. Gratias ago Deo meo, quod neminem veſtrum baptizaui, niſi Criſpum, & Caium. act. 20. fit mentio alterius Caij Derbæi. Etiam act. 19. alterius Caij Macedonis. Hic autem noſter Corinthius eſt alius ab illis duobus.

Caij quot fuerint.

Theodor.
1. Cor. 1.
Act. 20.
Act. 19.

Salutat vos Eraſtus Arcarius Ciuitatis; & Quartus frater.

ARcarius dicitur Græce œconomus ciuitatis, ſeu diſpenſator ærarij, ſiue quæſtor. Per ciuitatem, Corinthum, vbi hæc ſcripta eſt Epiſtola, intelligit. Eraſti huius fit mentio. 2. Timoth. 4. Eraſtus, inquit, remanſit Corinthi. Vltimus ſalutator, Quartus eſt, qui appellatur frater, quia fidelis erat. Fratrem autem in Domino dici, magnus eſt honor.

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.

HOc eſt vltimum, Vale, quod Epiſtolas claudere ſolet. Bonum autem maximum impertit Romanis; gratia enim Chriſti nihil in hoc ſeculo maius, nec æquale vlli deſiderari poteſt.

Mihi Paulus in fine huius Epiſtolæ ſimilis videtur patri chariſſimo, & amantiſſimo, qui à filijs diſcedens, poſt vltimum, Vale, iterum atque iterum ad colloquium reuertitur, amoris affectu tractus, & detentus. Sic Paulus in fine capitis præcedentis. Vale dixit, in capite decimo ſexto, iterum. Salutant, inquit, vos omnes Eccleſiæ. iterum. Gratia Domini vobiſcum. Nunc poſtremo. Gratia Domini

mini vobiſcum. Amen. Et nec hoc finem dicendi facit; ſed poſtremo loco Deo gratias altiſſimas, & profundiſſimas, & omni ſapientia, ac doctrina plenas agit, dicens.

Ei autem, qui potens eſt vos confirmare iuxta Euangelium meum, & prædicationem Ieſu Chriſti.

ACtione gratiarum epiſtolæ finem vltimum imponit, qua actione, Euangelij antiquitatem, & excellentiam declarat, vt Gentes Deum magnificent, & plurimi faciant, illud recepiſſe. Eſt autem vltimo verbo connectendum hoc, quod nunc dicitur, nempe honor, & gloria ei, qui potens eſt vos conſeruare, & ſtabilire, iuxta Euangelium meum, ideſt in Euangelio, quod ego annuncio; ſtatim declarans ait. Et prædicationem Ieſu Chriſti. Senſus ergo eſt, Gloria ſit ei, ſcilicet Deo, qui vos poteſt confirmare, vt perſeueretis in Euangelio, quod annuncio, quod eſt de Chriſto Ieſu, ſeu quod eſt prædicatio de Chriſto Ieſu: prædicare enim Chriſtum Ieſum, ideſt filium Dei, hominem factum aduenisse, & per eum ſalutem, ac redemptionem hominum effectam eſſe, & credentibus in eum communicari, hoc eſt, Euangelizare, & prædicare Chriſtum Ieſum. Prudenter dicit (potens eſt vos confirmare) ne Romani ſibi fiderent, Euangelio iam ſuſcepto: nam poterant cadere, & retrocedere; neceſſaria eſt perſeuerantia, quam nemo ſuis viribus aſſequitur: ſed diuino auxilio opus eſt. Nemo ergo ſuperbiat, ſed Dei opem ſemper imploret.

Secundum reuelationem myſterij.

EXplicat qualitatem prædicationis huius. Secundum, inquit, reuelationem myſterij, ideſt. prædicatio hæc non eſt alicuius rei humano lumine, & virtute intellectus humani cognitæ: ſed per reuelationem myſterij; erat enim myſterium diuinum, & res arcana, quæ non innotuit, niſi ex diuina reuelatione, & manifeſtatione. 1. Cori. 2. Vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum: ſed in virtute Dei. Math. 11. Nemo nouit filium, niſi Pater; neq. Patrem nouit quis, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.

Prædicatio Pauli non ex humano lumine ſed per reuelationem myſterij diuini.

1. Cor. 2. Matt. 11.

Digitized by Google

Temporibus æternis taciti.

HOc myſterium, quod reuelatione agnitum eſt, tacitum, & occultum fuit temporibus æternis; non fuit quidem nouum inuentum: ſed ab æterno excogitatum à Deo, & in ipſo reſeruatum. 1.Cor.2. Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula. Erat ergo temporibus æternis hoc, quod nunc prædicamus, ſed abſconſum in Deo. 1. Cor. 2.

Quod nunc patefactum eſt per Scripturas Prophetarum ſecundum præceptum æterni Dei, ad obedientiam fidei.

Myſteriũ abſcõditũ ab æterno nunc patefactum.

HOc myſterium, quod temporibus æternis fuit tacitum; nunc, ideſt, in tempore patefactum eſt per Prophetarum ſcripturas, ad obedientiam fidei, ideſt, vt ab hominibus crederetur per fidem, & obedirent, Dei verbo credentes. Dicitur, obeditionem fidei, quia homo intellectum captiuat, & ſubijcit, vt aſſentiat per fidem ijs, quæ neceſſaria ratione non probantur. Illud (nunc) tempus creatum indicat, vt ab æterno diſtinguatur, nec refertur ad præſens Pauli: ſed ad totum illud, quod fuit legis tempore; quod enim ante ſæcula Deus præordinauit, per Prophetarum oracula patefieri ordinauit, vt crederent homines, myſterium hoc prius, quàm reipſa executioni mandaretur. Abac.2. Iuſtus meus ex fide viuet. Ordinationem, Dei præceptum appellat: dicit autem (ſecundum ordinationem æterni Dei) quaſi dicat: Patefactum eſt illud idem, quod ab æterno Deus ordinauit, & diſpoſuit faciendum; vel quia præcepit Deus Prophetis, vt id reuelarent alijs. Abac. 2.

In cunctis Gentibus cogniti.

HOc myſterium, quod ab æterno tacitum erat, & in tempore patefactum eſt per Prophetas, vt fide teneretur ab hominibus; hoc iam cunctis Gentibus eſt manifeſtatum, & cognitum per Apoſtolorum prædicationem. Perpende totum progreſſum myſterij; fuit quidem ab æterno diſpoſitum, & in Deo abſconditum; fuit poſtea per Prophetas patefactum, in tempore, hominibus, vt crederent. Poſtremo agnitum, & reuelatum Gentibus. Hoc eſt Euangelium. Hæc eſt prædicatio Chriſti, quam Paulus dixerat

Soli ſapienti Deo per Ieſum Chriſtum, cui honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

PEriodum concludit. Ei, inquit, qui potens eſt vos confirmare in hoc Euangelio, & prædicatione talis, ac tanti myſterij, qui ſolus eſt ſapiens, ſit honor & gloria per Ieſum Chriſtum in ſæcula ſæculorum. Gloriam, & honorem Deo optare per Chriſtum Ieſum, idem ſignificat, ac optare, Deum agnoſci, & coli ab hominibus ſecundum Euangelium Chriſti, nimirum, vt omnes Chriſtiani fiant, & Deum ſecundum Euangelium Chriſti venerentur. Chriſtus enim ſua doctrina, & opera Patris gloriam quærebat. Ioan. 17. Pater clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te. Gloria eſt manifeſtatio Dei in hominibus. Honor autem, cultus Deo exhibitus.

Attende autem, quod ad verba attinet, duo. Prius eſt, hanc verborum repetitionem, & multitudinem, nempe (ei) & (ſoli Deo) ad idem referri, nempe ei, qui ſolus eſt ſapiens. Illud autem (cui) phraſis eſt Hebræa, poſt antecedens, etiam vti relatiuo: ad Deum autem refertur, quaſi dictum eſſet. Ei, ſoli ſapienti, ipſi gloria per Chriſtum. Poſterius eſt, dictum eſſe (ſoli ſapienti Deo) vt ſignificaret Paulus, per nullam hominum ſapientiam, hominem potuiſſe viam ſalutis agnoſcere. Solus Deus eſt, qui eam nobis per fidem manifeſtauit, idcirco ſolus ſapiens dicitur, quia ſolus ſalutis viam inuenit, & docuit. Abac. 3. Hic eſt Deus noſter, hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit eam Iacob ſeruo ſuo, & Iſrael dilecto ſuo.

Deus cur ſolus ſapiens. *Abac. 3.*

ANNOTATIO IX.

Chryſoſt. Theod. GRæci auctores, Chryſoſtomus, Theodoretus, cum cæteris, vti ſupra diximus, hanc totam gratiarum actionem conſtituunt in fine capitis quartidecimi. Vetus autem interpres, cum Latinis, hoc in loco collocant. Multi etiam Latini codices non legunt illud (cui) quod ſententiam valde obſcuram efficit, ſed expungunt, quod Græce dicitur ᾧ. Si vero legamus, non ad Chriſtum, ſed ad Deum ipſum referendum eſt, ita, vt tria vnum & idem oſtendant, nempe illud à principio poſitum (ei.) & rurſus (ſoli ſapienti) & (cui) quod idem eſt, ac ſi dicas. Ei, qui ſolus eſt ſapiens Deus, ipſi gloria per Ieſum Chriſtum in ſæcula; illud enim ᾧ poſitum eſt loco αὐτῷ, ideſt (ipſi.) In Græcis codicibus non habetur (ſæculorum) nec (honor) ſed (gloria

in ſæcula, amen.) ad ſenſum parum refert, cum idem perſeueret: probabilius eſt, Græcos codices habuiſſe hæc, quæ vetus interpres expoſuit. Atque hæc ſunt, quæ in huius Epiſtolæ explanatione aſſequi potuimus. Sit gloria omnipotenti DEO, & glorioſiſſimæ MATRI eius, Amen.

FINIS.

FRAN-

FRANCISCI TOLETI E SOCIETATE IESV, S·R·E· PRESBYTERI CARD.

SERMONES QVINDECIM ſuper Pſalmum trigeſimumprimum.

AB EODEM IN HIS COMMENTARIIS relati, vtpote ad intelligendam Pauli Epiſtolam neceſſarij.

IPSI DAVID INTELLECTVS.

Pſalm. XXXI.

BEATI, quorum remiſſæ ſunt iniquitates: & quorum tecta ſunt peccata.

Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus.

Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die.

Quoniam die, ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua: conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & iniuſtitiam meam non abſcondi.

Dixi: Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis ſanctus, in tempore opportuno.

Verumtamen in diluuio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris: firmabo ſuper te oculos meos.

Digitized by Google

Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.

In camo & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit.

Lætamini in Domino & exultate iuſti: & gloriamini omnes recti corde.

SERMO I.

ANTEQVAM ad ipſius Pſalmi expoſitionem accedamus, aliqua primum explicare oportet, quæ ad ipſius intelligentiam multum faciunt. Vnum eſt de titulo huius Pſalmi; quamuis enim non omnes Pſalmi in Hebræo nunc titulum habeant, iſte tamen eo non caret. eſt autem talis: Intellectus Dauid. *Ledauid Maſchil.* vbi illud verbum (Intellectus) nominandi caſus eſt: at Septuaginta verterunt in genitiuo, quia appoſuerunt titulo, Pſalmus intellectus Dauid. illud nomen appoſitum (Pſalmus) facit, vt (intellectus) genitiui ſit caſus. at quia in Hebræo non habetur, niſi, Intellectus Dauid, fit vt ſit in recto; ad ſenſum autem nihil facit; idem enim eſt, ſiue hoc, ſiue illo modo dicatur. Nomen autem Maſchil, quod Septuaginta verterunt *συνέσεως*, Hieronymus vertit, Eruditio Dauid. eſt enim à verbo *Sachal*, quod eſt, intelligere, inde nomen deriuatur ſignificans intelligentiam, ſeu eruditionem, aut ſcientiam. Difficultas autem eſt, an ſit nomen hoc ſumendum in ſignificatione hac verbali: nam non deſunt qui dicant eſſe nomen cuiuſdam inſtrumenti, quo iſte decantabatur Pſalmus, quod nomē in aliquibus alijs Pſalmorum titulis reperitur, vt in 41. 43. 44. 52. & alijs. tamen communis ſententia, Græcorum, Latinorum, & Hebræorum, eſt, non inſtrumenti nomen, ſed ſignificationem habere ſuam verbalem, & natiuam. Hoc autem multis probari poteſt, Primò, quia ſi nomen inſtrumenti proprium eſſet, nec Septuaginta, nec Hieronymus vertiſſent ſecundum ſuam verbalē ſignificationem, ſed retinuiſſent vocem, aut vertiſſent aliqua denotante inſtrumentum. Secundò, quia non diceretur tunc, intellectus Dauid, ſicut nec dicimus, inſtrumentum Dauid. ſed dictum eſſet, ſuper, aut in Maſchil, ſicut dicitur, quando fit alterius inſtrumenti mentio ſuper octaua, prima, tertia. quod conuenit multo magis argumento, quod in Pſalmo continetur, vt non inſtrumenti nomen, ſed ſignificationis ſuæ natiuæ ſit nota. Cum communi ergo ſententia dicimus, in titulo hoc nomen Maſchil ſignificare intellectum, ſeu, vt vertit Hieronymus, eruditionem.

Sed hinc eſt altera difficultas, quæ ſit iſta eruditio, & intellectus. ad quod Lyra locutionē Hebræam conſiderans, quia dicitur, Intellectus

De titulo Pſalmi.

לדויד משכיל

Maſchil, Heb. quid ſignificet.

שכל

Hieron.

Quæ ſit eruditio, quã ſignificat Maſchil.

ctus ipſi Dauid, nam ל nota eſt datiui caſus, dicit hunc intellectum eſſe eum, qui datus eſt Dauidi à Deo, quando reuelauit peccatum adulterij, & homicidij ſibi dimiſſum eſſe; de hoc enim in hoc Pſalmo agitur. Quia ergo Dauid intellexit ſibi peccatum dimiſſum, & hanc intelligentiam nõ per ſe conſecutus eſt, quia nemo mortalium vi propria attingere valet, an in gratia ſit, ac ſibi dimiſſum peccatum, ob id dicitur (Intellectus ipſi Dauid) ideſt, intelligentia facta Dauid ipſi, nempe à Deo per reuelationem. ſed hæc explicatio non placet, vt intellectus ſit, quo, ſibi eſſe dimiſſum peccatum, noſſe datum eſt. conſentio, hunc Pſalmum tractare de peccato commiſſo cum Berſabe contra Vriam, tamen tituli ſenſum non probo: ſed ſi velimus proprietatem illam datiui caſus retinere, cõuenientius exponemus, ſic ſumpta expoſitione ex ipſomet Pſalmo, in quo dictum eſt peccatoribus, aut iuſtis ne ad peccandum declinent: Nolite fieri ſicut equus, & mulus, in quibus non eſt intellectus. Cum igitur aliquis peccat, aut in peccato eſt, dicitur eſſe ſine intellectu, quia imprudentiæ, & ſtultitiæ eſt peccare: quãdo autem à peccato reſipiſcit, dicitur intellectum recipere. quia igitur in hoc Pſalmo Dauid ſui peccati meminit commiſſi, & qualiter diuina gratia reſipuerit, & ad Deũ ſit conuerſus, & conſequenter ex inſipientia & ſtultitia ad ſapientiæ intellectum venerit, ob id titulus materiam Pſalmi virtute continẽs, eſt, Intellectus Dauid, ideſt, agitur in hoc Pſalmo de intellectu, & ſapientia data à Deo Dauid, qua à peccato graui, quo in inſipientia & ſtultitia detinebatur, reſipuit, & ad Deum conuerſus eſt. iſte ſenſus reſpondet vere naturæ Pſalmi. Doctrinam autem hanc veram eſſe etiam in ipſo Dauid, ipſemet confirmat Pſal. 37. dicens de ſtatu peccati ſui: Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. vbi ſe inſipientem, & ſtultum propter peccatum fatetur. quo in loco Baſil. hom. in eundem Pſalm. inquit: Stultum ſuum factum nominat; omne enim peccatum per ſtultitiam fit: virtus autem, quoniam ipſa prudentia eſt, quæcumque ſecundum ipſam fiunt, laude ac virtute digna declarat. hæc Baſil. Merito igitur, quia in Pſalmo hoc fit mentio, & agitur de reſipiſcentia & conuerſione, dicitur (intellectus,) nam apud Latinos, qui ad bonum conuertitur de malo, reſipiſcere, ideſt, ſapientiam recuperare dicitur. & quia hoc à Deo datum eſt, dicitur, ipſi Dauid, in datiuo: Septuaginta enim etiam per datiuũ verterunt; immo quando dicitur, Pſalmus Dauid, vertunt per datiuum, ſicut etiam in Hebręo habetur, vt ſignificetur per hoc; quæ in Pſalmis dicuntur, Dauidem eſſe à Deo doctum, & à Deo ipſum didiciſſe, quæ docebat, & cantabat.

Hic eſt vnus modus exponendi hunc titulum conueniens. poteſt eſſe etiam alter conueniens, vt intellectus hic & eruditio ſit non ſolum Dauidi datus, ſed etiam, quem ipſe nobis dat, quia nos ſuo facto, & verbis docet, & admonet, quomodo ad Deum conuerti debemus; quomodo à Deo non recedere debemus. & hoc multum quadrat illi verſiculo huius Pſalmi, vbi dicitur: Intellectum tibi dabo, & inſtruam te. No-

Digitized by Google

te. Nolite fieri ſicut equus,&c. quæ verba ſunt Prophetæ nobiſcum loquentis, vt ibi explicabimus: quo in loco vtitur verbo *Sachal*, à quo nomen Maſchil deriuatur, & ſic videtur titulus hic facere hunc ſenſum: Intellectus & eruditio, quæ nobis dat & tradit Dauid & facto, & verbis, & ſic totam materiam Pſalmi continet titulus. Nec huic expoſitioni obſtat, quod dicitur in datiuo; nam omnia, quæ in Pſalmis continẽtur, quibus ſæpe Dauid nos docet, & admonet, ſunt à Spiritu ſancto ipſi data: & ſic in datiuo caſu ſemper ponitur in alijs etiam Pſalmis. quamuis ergo intellectus hic ſit, quem docet Dauid omnes, dicitur non in genitiuo, Dauid ipſius, ſed in datiuo, ipſi Dauid, quia prius hoc ipſe accepit, quàm alijs communicaret. vtroque igitur modo titulus exponi poteſt, & vtrumque ſcilicet ſenſum continet titulus, quod eſt tota materia huius Pſalmi.

שכל

Alterum conſiderandum ante Pſalmi explicationem eſt de voce hac *Selah*, quæ in hoc Pſalmo, & alijs Pſalmis ſæpe reperitur, de qua magna eſt controuerſia, & hucuſque nihil certi, & indubitati repertum eſt. Pro quo aduerte, non in ſingulis Pſalmis reperiri, ſed in aliquibus: rurſus nec in tota etiam Scriptura reperitur, extra Pſalmos, & Canticum Abacuc. nec valet id factũ, quod carmina ſunt, nam nec in omnibus Pſalmis reperitur, cum tamen omnes ſint carmina, & extra Pſalmos liber Iob, & aliqui, præter hunc, libri Salomonis ſint carmine conſcripti, nec tamen vox hæc ibi reperitur. in Pſalmis autem non reperitur, niſi ſeptuaginta tribus vicibus, in noſtro autem præſenti Pſalmo ter reperitur. Multiplex autem tam Hebræorum, quàm Græcorum, & Latinorum eſt dicendi modus. nam ſunt multa, quæ quæri poſſunt; vnum eſt, an ſit vox ſignificatiua, an non. alterum eſt, ſi ſit vox ſignificatiua, an ſit pars ipſius carminis, an non, tertium eſt quid ſignificet. in his multæ exiſtũt opiniones. circa primum aliqui dicunt apponi verſiculo, non vt partem, neque vt vocem ſignificatiuam, ſed tantum vt ſignum quoddam cuiuſdam effectus. & in hoc adhuc varij ſunt, nam quidam dicunt eſſe ſignum ſilentij & intermiſſionis ſpiritus, & quietis cuiuſdam; alij eſſe ſignum metri commutationis, alij eſſe ſignum, quod ſenſum orditur alium à præcedenti; alij ſignum diſtinctionis rithmi, nam olim cãtabantur Pſalmi voce humana adiuncta inſtrumento; aliquando autem intermittebatur aut inſtrumentum, aut vox humana, & huius ſignum erat hæc vox. harum quatuor ſententiarum meminit Hieronymus epiſt. ad Marcellam, vbi hoc interrogatus expendit. Theodoret. in prologo Pſal. fere has recitat, & ipſe aliam quintam dat, ſignum nempe eſſe viciſſitudinis cantus, non vt quarta illa ſententia dicebat, ſed quia diuerſa inſtrumenta erant, quibus vtebantur, & diuerſi adhuc ſoni in eodem inſtrumento hæc vox viciſſitudinem denotabat, vt inſtrumenta, aut ſoni, quibus vox humana iuncta erat, variarentur, ac ob id à Septuaginta dicit traductam eſſe διάψαλμα. Vatablus Pſal. 4. addit aliam quintam, ſeu potius ſextam, vt vox hæc nota eſſet, vocem à cantoribus intendendam, diligentiq. eſſe meditatione

שלה

Maſchil num ſepe riatur in ſingulis Pſalmis.

Maſchil num ſit vox ſignificatiua.

Theodor.

Digitized by Google

tione expendendum quod præceſſit. & poſſumus exemplum addere, ſicut nunc apud cantores ſcribi ſolet, bemol, ſic tunc notabat vocem eſſe intendendam in verſiculo, cui apponebatur, vt notaretur eſſe id magna dignum meditatione. Auguſt. Eugub. Pſal.4. citat adhuc ſeptimam ſententiam Hebræorum quorumdam, dicentium non eſſe ſignificatiuam vocem, ſed apponi verſiculis, ornatus cauſa, vt apud Homerum φά, κῶν, δὴ, & alia. qui ſignum intentionis vocis dicunt, affirmare poſſunt aliquo modo eſſe ſignificatiuam, à verbo *Salal*, quod ſignificat exaggerare, accumulare.

Auguſt. Eugub.

שלל

Circa ſecundum, qui tenent vocem eſſe ſignificatiuam, varij ſunt; alij enim partem eſſe ipſius verſiculi affirmant, & coniungendam cum alijs vocibus, & exponunt, vt ſignificet, ſemper. & ſic legunt illud Pſal.4. Exaudiuit me de monte ſancto ſuo ſemper. iſtam citat Theodoret. loco allegato, & videtur eſſe Chaldæi Interpretis, nam loco *Selah*, apponit *Leghalamin*, in ſecula. alij dicunt ſignificare idem quod, ſane, profecto, ita eſt, & affirmare, quæ præceſſerunt in verſiculo. huius meminit Auguſt. Eugub. tanquam quorũdam Hebræorum. meminit etiam Auguſt. eodem Pſal. alij faciunt particulam, ſed non ſignificatiuam, ſed ornatus cauſa, vt illi ſuperius citati in ſeptima ſententia; illi enim verius ad hunc locum pertinent, nam faciunt particulam verſiculi. & ſic qui partem faciunt, alij ſignificatiuam, alij non ſignificatiuam dicunt eſſe. & qui ſignificatiuam, alij dicunt ſignificare, ſemper; alij, ſane, &c. alij extra verſiculi ſententiam & ſignificatiuam eſſe affirmant, vt dicemus modo circa tertium de ſignificatione ipſius, quia adhuc iſti varij ſunt.

שלה
לעלמין

De tertio igitur, nempe de ſignificatione varia eſt opinio. Auguſt. Pſal. 4. ſequens Septuaginta, qui verterũt diapſalma, dicit hanc vocem Græcam ſignificare interuallum, & denotare ſilentium, & intermiſſionem in pſallendo. verba Auguſtini hæc ſunt, diapſalma vetat ſuperiorem ſentẽtiam cum poſteriori coniungi; ſiue enim Hebræum verbum ſit, ſicut quidam volunt, quo ſignificatur, fiat, ſiue Græcum, quo ſignificatur interuallum pſallendi; vt pſalma ſit, quod pſallitur, diapſalma interpoſitum in pſallendo ſilentium, vbi quædam requies diſtinctæ continuationis oſtenditur. ſiue ergo hoc, ſiue illud ſit, ſiue aliud aliquid, certe illud probabile eſt, non recte continuari, & coniungi ſenſum, vbi diapſalma eſt interpoſitum. hæc Auguſtinus. quæ ſententia eſt eadem cum tertia ſuperius poſita inter à Hieronymo narratas, niſi quod Auguſtinus ſignificatiuam vocem affirmat. Hieronymus autem varius eſt, nam in Pſal. 4. dicit quidem ſignificare ſemper. & in hoc probat magis Aquilę verſionem, qui ita traduxit: quàm Septuaginta, Theodotionis, & Symmachi, qui verterũt, diapſalma. propterea citat dicentes eſſe muſici ſoni ſignaculum, & tandem dicit ipſe, hanc particulam apponi, vt denotet, ea, quæ præceſſerunt, aut quæ ſequuntur, ad æternitatem pertinere. at idem Hieron. in epiſt. ad Marcellam, allegata, citatis quatuor vti diximus ſententijs, ipſe tandem dicit, ſicut Latini opere completo ſolent apponere, explicit, aut, feliciter, aut quid ſimile, ita

Maſchil quid ſignificet. *Auguſt.*

Hieron.

ita Hebræi vnum horum trium, אמן *Amin*, amen, aut שלום *Salom*, pax, aut סלה *Selah*, in æternum, ſiue ſemper; vt enim quæ ſcripta ſunt, confirment, dicunt, amen; vt tranſlata feliciter proteſtentur, dicunt, pax; vt ſcribenda, ſeu ſcripta commemorent, & celebrent, dicunt, *Hieron.* ſemper. vnde ſecundum Hieronymum eſt nota ſignificatiua, nam ſignificat quod dicimus, ſemper, & eſt nota finalis, & eſt nota ſignificans, ſeu indicans quæ dicuntur eſſe commemoranda, & eſt nota extra verſiculi partes. citat in ea epiſt. *Origen.* Origen. dicentem, qui verterũt diapſalma, intellexiſſe per eam muſicæ particulam cantilenæ, aut rithmi immutationem. rurſus ibidem dicit, Septuaginta, Theodotionem, & Symmachum loco סלה *Selah*, vertiſſe diapſalma. in quo non eſt *Eugub.* audiendus Auguſt. Eugub. Pſal. 4. qui negat, Septuaginta id poſuiſſe, ſed vocem Hebræam retinuiſſe, ab imperitis autem ſcriptoribus id eſſe poſitum: tamen magis eſt profecto credendum Hieron. qui id aſſirmat, ſimiliter Theodoreto in prologo, & communi ſententiæ Doctorum. hæ ſunt opiniones circa hanc vocem.

At re vera nulla earum plene ſatisfacit: nam cur non in alijs Pſalmis ponitur propter eos, in quibus poſita eſt, cum militent omnia dicta in eis, nam ſenſus fit mutatio, varijs inſtrumentis, & voce humana cantabantur, erant aliqua ad æternitatem pertinentia, ſine claudebantur: denique militant omnia, propter quæ in aliquibus ponitur, ſecundum quamcumque ex opinionibus prædictis, quarum nulla reddit cauſam, cur in his ſolum ponitur locis, in quibus poſita inuenitur: vnde nihil ad plenum habere hactenus potuimus. Inter ea autem, quæ probabilius dici videntur, illud eſt, vt ſit nota quædã extra verſiculum vocis cãtantium intenſionis, vt per eam vocis mutatio, & inteſio ſignificetur, ſeu eorũ, quæ verſiculo præcedẽti, qui voce intenta cantabatur, cõtinentur, eſſe ſententiam notabilem, ſeu quia ad æternitatem pertinet, vt dicit Hieron. ſiue quia ad Chriſtum, ſiue quia ad myſterium aliquod gratiæ, ſiue quia digna eſt moralis ſententia, ſiue aliud notabile continetur: in Pſalmo autem præſenti, quem explicandum ſuſcepimus, ter ponitur, vt ſuis in locis explicabitur.

Tertium conſiderandum ante eius explicationem eſt, de eiuſdem qualitate. *De qualitate Pſalmi.* eſt autem Pſalmus hic de numero ſeptem, qui pœnitentiales dicuntur, & eſt ordine ſecundus: pro quo aduerte ex Innocen. in prolog. ſeptem Pſal. pœnit. plures extare Pſalmos ad pœnitẽtiam pertinentes, tamen Eccleſiam hos ſeptem elegiſſe ex multis, vt numero ſeptenario comprehenderentur. Quod ſi petas, cur ſeptem tantum, & non plures ſunt electi: reddit tres cauſas huius: Prima, quia numerus ſeptenarius ſacratus eſt, vtpote multa myſteria in ſe concludens, vt multis ipſe probat exemplis, vt igitur ſacrato numero pœnitentia clauderetur, tantum ſeptem electi ſunt. Altera eſt, quia peccata omnia, quæ præuaricando committuntur, ſeptem ſunt numero, generice ſignificata illis ſeptem gentibus, quas Dominus de terra promiſſionis eiecit: ſeptenario ergo numero pœnitendo deleantur. Tertia eſt, quia totum hebdomadæ tempus ſeptem diebus clauditur, in qui-

in quibus omne committitur peccatum, ſeptimo ergo Pſalmorum numero diluātur, quæ ſeptē committūtur diebus. His poſſumus addere quartam cauſam. totum vitæ huius tempus ſeptem diebus numeratur; tot enim hebdomadam faciunt. hebdomada autem multiplicata menſem, menſis annum, & annis totum tempus clauditur: vnde vita æterna ventura octaua dicitur, & octauum ſæculum poſt huius vitæ ſæcula ſeptem ſuccedit. Vt igitur notetur, & indicetur totum huius vitæ tempus eſſe pœnitentiæ, non ſolum quia in hac vita ſola pœnitentia prodeſt, ſed etiam quia dum viuimus, ſemper de peccatis admiſſis dolere debemus, ob id numero ſeptenario Pſalmi pœnitentiæ comprehenduntur. eſſe autem totum huius vitæ tempus tale, docet eleganter Gregor. lib. 6. epiſt. 22. ad Gregoriam cubiculariam Auguſtæ, quæ petierat, vt à Domino Gregorius peteret reuelari peccata eius ſibi eſſe dimiſſa. cui Gregorius reſpondet hæc verba: Quod dulcedo tua in ſuis epiſtolis ſubiunxit, importunam ſe mihi exiſtere, quoaduſque ſcribam mihi eſſe reuelatum, quia peccata tua dimiſſa ſunt, rem & difficilem, & inutilem poſtulaſti. difficilem quidem, quia ego indignus ſum, cui reuelatio fieri debeat. inutilem vero, quia ſecura de peccatis tuis fieri nō debes, niſi cum iam in die vitæ tuæ vltimo plangere eadem peccata minime valebis, quæ dies, quouſque veniat, ſemper ſuſpecta, ſemper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare. hæc Gregorius. Quintam etiam addere poſſumus cauſam, quia ſeptenarius numerus totum hominem ſignificat, vt dicunt Gregorius & Innoc. in principio expoſit. pſal. 1. pœnit. dicentes, per quaternarium, corpus quatuor conſtans elementis, per ternarium, animam iraſcibili, concupiſcibili, rationaliq. conſtantem parte ſignificari. totus ergo homo ſeptenario comprehenditur; pœnitentia autem ad totum hominem pertinet; eſt enim cordis & animæ contritio, & corporis maceratio, & caſtigatio. & ſic Dauid & animam contritione, & corpus ieiunio, cilicio, & alijs afflictionibus caſtigabat, merito igitur ſeptenario numero pœnitentiæ pſalmi cōtinentur. His etiam cauſam ſextam addere poſſumus, quia pœnitentia ſeptem in homine operatur, quæ Paulus expreſſe docet 2. Cor. 7. ſic dicens: Ecce hoc ipſum ſecundum Deum contriſtari vos, quantam in vobis operetur ſolicitudinem, ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam. Ecce ſeptem opera pęnitentiæ, quorum ſingula explicare longum, & extra noſtrum propoſitum eſſet. His tandem ſeptimam adiungere poſſumus cauſam ex fructu ipſius pęnitentiæ; per quam ſeptem Spiritus ſancti dona animę infunduntur, per quæ ſeptem vitiorum genera excluduntur, quod in hymno in feſto S. Magdalenæ Eccleſia docet, canens ſic: Lauda mater Eccleſia, lauda Chriſti clementiam, qui ſeptem purgat vitia, per ſeptiformem gratiam. his igitur de cauſis pſalmi ad pœnitētiam pertinentes ad ſeptenarium numerum ſunt ab Eccleſia reducti; ſunt autem hi è multis electi, quia magis in eis aut actus pœnitentiæ, aut fructus, aut materia

Gregor. Innocen. 2. Cor. 7.

ria pœnitentiæ, quæ peccata ſunt, deſcribûtur: & qui magis ad compunctionem cordis faciunt, & ſtatum peccatoris, & pœnitentis deſcribunt.

Non eſt autem nouum in Eccleſia, quod hi ſeptem pſalmi, pœnitentiales vocentur. & hoc numero complectantur, & ſic decantandi proponantur, ſed eſt vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudo, cuius argumentum id eſt, quod ſub hoc numero & nomine antiquiſſimi Doctores ſuper eos commentaria ediderunt. quales ſunt S. Gregorius, Innocentius III.

Materia huius Pſalmi.

Quarto conſideranda eſt materia huius Pſalmi, ea autem eſt duplex; vna remota, altera proxima. remota, eſt peccatum, quod Dauid perpetrauit adulterij cum Berſabee, & homicidij contra Vriam. hoc enim eſt, quod huius Pſalmi materia eſt, quamuis eius mentio diſtincta non fiat. proxima autem materia eſt, huius peccati ad tempus impœnitentia; non enim ſtatim pœnituit Dauid peccaſſe, ſed diſtulit pœnitentiam. hinc ipſe dicit, Quoniam tacui, &c. rurſus eiuſdem peccati confeſſio; nam flagellis admonitus & excitatus à Deo, peccatum conuerſus confeſſus eſt, de quo dicit: Confitebor aduerſum me iniquitatem, &c. rurſus eiuſdem peccati remiſſio, de qua dicitur: Remiſiſti iniquitatem peccati mei, &c. rurſus peccati præmunitio, nam petit, ne permittat incidere amplius in peccatum, de quo dicit: Erue me à circumdantibus, &c. hæc omnia ad materiam proximam Pſalmi huius pertinent, in quo agitur de impœnitentia temporali, de conuerſione & confeſſione, de remiſſione, de præmunitione, cum alijs, quæ ad hæc ordinantur.

Occaſione huius, aliquid de materia remota in præſenti tractandum eſt, nempe de peccato Dauid, & quamuis multa conſideranda eſſent, vnum tantum breuiter diſcutiam, nempe, vnde Dauid tam Deo charus, & tot ac tantis virtutibus præditus incidit in tam graue peccatum. Hoc autẽ quæſitum duplici ex capite procedit. vnum ex parte ipſius Dauid, quid nempe illum in peccatum labi fecit. alterum ex parte Dei; cum enim certiſſimum ſit, neminem peccare, niſi Deo permittente, quæri poſſet cur Deus hominem ſibi charum incidere in tantum peccatum permiſerit, cum, ſi voluiſſet, vtique ſuo poſſet à peccato conſeruare iuuamine, & auxilio. Quantum ad primum reſpondere poſſumus facile cum Auguſt. qui lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 21. cauſam ex parte ipſius docuit, dicens: Dauid in vnam fœminam illicite irruit æſtu quodam ætatis, & temporalium rerum proſperitatibus abreptus. vbi duo ponit, quæ ipſum Dauid labi in tale peccatum fecerunt: at difficilius eſt, ex parte Dei permittentis cauſas aſſignare.

Cauſa cur Dauid peccauerit cum eſſet iuſtus.

Auguſt.

Dico igitur, cauſas eſſe nonnullas à ſacris Doctoribus aſſignatas, cur Deus negauerit ipſi Dauid auxilium, quo de facto à peccato caueret, permiſeritq. in tale ac tantum pecatum ad tempus labi. Prima eſt, vt quædam extollentia, & iactantia Dauid compeſceretur, & cognoſceret, non eſſe in ſe cur ſe extolleret, ſed à Deo eſſe totum bonum. hanc cauſam aſſignat, & explicat Baſil. hom. in Pſal. 37. per verba ſequentia. Deo, inquit, permittente,

Baſil.

mittente aduerſarius in Dauid vires ſuæ malitiæ exacuit, & promouit, vt diſceret, non temere proferre, non mouebor in æternum, quoniam enim gratia Domini confortatus, & inualeſcens plurimum aliquando neſcio quid magnum de ſeipſo ſentire cępit, ita vt arrogantiuſcule loqueretur, ac diceret, ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum, huius rei gratia merito traditus tentatori eſt, qui vbi animam eius attigit, grauiore diſpendio eum affecit, quàm Iob. hæc Baſil. in epiſt. autem ad Chilonem Anachoretam diſcipulum ſuum, idem Baſil. ſic dicit: Nec ipſum Dauid futilis incogitantia ſui ſiuit hinc emigrare omni ex parte irreprehenſibilé, per illud in Vriam deſignatum piaculum. hæc Baſil. Hieron. lib. 2. aduerſus Pelagian. ſic dicit: Dauid, qui dixerat confidenter: Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meũ, quoniam ante oculos meos miſericordia tua eſt, & complacui in veritate tua: & iterum: Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum. & pes meus ſtetit in directo, quamquam iudicij veritatem Dei miſericordia temperaret; tamen quia hoc auſus eſt dicere, relinquitur parumper fragilitati ſuæ, & vt vos dicitis, arbitrij libertati, & per adulterium lapſus in homicidium poſtea loquitur: Miſerere mei Deus ſecundum magnam, &c. hæc Hieron. Auctor etiam imperfecti in Matt. quod tribuitur Chryſoſtomo hom. 1. Quoniam Dauid de nimia iuſtitia ſua confidens dicebat. Domine Deus meus ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis. itẽ. iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Deus. dimiſſus eſt vt circumueniretur à carne, non vt iniuſtitia eius oſtenderetur, ſed vt eius iactantia compeſceretur. vide de hoc egregiam doctrinam Gregor. lib. 33. moral. c. 11. Altera cauſa etiam ex parte diuinæ permiſſionis eſt, propter maius bonum ipſius Dauid, vt hoc lapſu in maiorem ſurgeret perfectionem, quod etiam aliquando ſolet Deus cum alijs iuſtis permittere. quam cauſam tradit, & explicat Ambroſ. in Apologia Dauid. cap. 2. vbi ſic inquit: Sancti Domini, qui conſummare pium certamen geſtiunt, & currere curſum ſalutis. ſi forte, vt homines, corruerint naturæ magis fragilitate, quàm peccandi libidine, acriores ad currendum reſurgunt, pudoris ſtimulo maiora reparantes certamina, vt non ſolum nullum attuliſſe æſtimetur lapſus impedimentum, ſed etiam velocitatis incentiua cumulaſſe. Hæc, & alia de hoc peccato Dauid Ambroſius dicit, ad diuinam referens prouidentiam, qua fit vt peccatum proſit ipſi peccanti prædicto modo. Doctrina eſt Auguſt. lib. de correct. & grat. c. 9. vbi de electis loquens, ait: Talibus diligẽtibus Deum omnia cooperantur in bonum, vſque adeo omnia, vt ſi qui eorum deuiant & exorbitant, etiam hoc ipſum faciat eis proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores.

Hieron. *Chryſoſt.* *Ambr.* *Auguſt.*

Tertia cauſa etiam ex parte Dei eſt propter nos, & imitationẽ noſtram, vt illorum virtutes imitaremur, nec detrectaremus hoc nos facere non poſſe, cum illos aliquid ſuper nos fuiſſe cauſaremur, ob id Deus in peccata cadere eos propter noſtram permiſit vtilitatem. inter hos Patres ſanctos vnus fuit

Dauid.

Dauid. hanc doctrinam & cauſam aſſignat Ambroſius in apolog. Dauid. cap. 2. cuius verba ſunt hæc. Aliàs quoque prodeſſe peccatum poſſumus comprehendere, & prouidentia Domini ſanctis obrepſiſſe delicta; propoſiti enim ad imitandum nobis ſunt, & ideo curatum eſt, vt & ipſi aliquando laberentur. nam ſi inoffenſum à vitijs inter tot lubrica huius ſæculi curriculum peregiſſent, dediſſent nobis occaſionem infirmioribus æſtimandi, cuiuſdam ſuperioris eos naturæ, ac diuinæ fuiſſe, vt delictum recipere, & culpæ conſortium habere non poſſent. quæ opinio vtique vt exortes nos illius ſubſtantiæ ab impoſſibili imitatione reuocaret. pręterijt igitur illos paulisper Dei gratia, vt nobis ad imitationem vita eorum fieret diſciplina; & ſicut innocentiæ, ita & pœnitentiæ magiſterium de eorum actibus ſumeremus. ergo dum lapſus eorum lego, conſortes etiam illos infirmitatis agnoſco, dum credo conſortes, imitãdos eſſe præſumo. hæc Ambr. *Ambr.*

Quarta huius cauſa ex parte diuinæ prouidentiæ eſt, vt Dauid, ſicut & alij ſancti viri in omni genere virtutum probarentur, quarum vna eſt pœnitentia, qua contra peccatum pugnatur, vt nobis eſſent exemplo, qualiter peccata tegere, & ſurgere ab eiſdẽ debemus. Hæc cauſa datur ab eodem Ambroſio, in apolog. Dauid c. 3. vbi eam ad hoc propoſitum dat, & ſimul confirmat. ne cui difficilis doctrina videretur. aliqua ipſius verba proponam: Quid, inquit, ſi Dominus Deus, cum aliquod virtutis ſpecimen dederit, in alio voluerit probare, num liquet, quod etiam ſanctum Dauid fide nobilem, præſtantiſſimum manſuetudine, manu fortem probare voluit, quemadmodum vitium tegeret, lapſum emendaret, vt nos doceret, quemadmodũ admiſſum poſſimus operire peccatum? niſi forte alicui vilis cauſa videtur, vt propter noſtram correctionem tantus erraret Propheta, cum propter omnium redemptionẽ infirmitates noſtras Chriſtus ſuſceperit, qui peccatum pro nobis factus eſt, cum peccatum non cognouerit, & indignum æſtimatur, nec veriſimile creditur, quod Dauid propter poſteritatis profectum vnius lapſus opprobriũ inciderit, cum ipſe Dominus ſit pro nobis factus opprobrium. ergo futuræ diſpenſationis myſterium in ſuis ante præmiſit. & ſeruuli quidem conditionis ſuæ peccata portarunt, ideo non potuerunt etiam peccati eſſe ipſi exortes: Dominus autem onus ſuſcepit alienum, ideo ſolus fuit ſine conſortio delictorum. hæc & alia Ambroſ. quibus ipſe conſentit in præfatione Pſal. 37. dicens: Ideo mihi Dauid videtur guſtaſſe peccatum, vt doceret quemadmodum peccatum poſſet aboleri. *Ambr.*

Quinta adhuc ex parte diuinæ prouidentiæ cauſa huius fuit, quam idem Ambroſ. in apolog. eadem, cap. 3. aſſignat, nempe propter figuram diuini myſterij, quam multis probat, & docet hoc factum de Berſabee prius adultera, & Vria occiſo figuram fuiſſe myſterij per Chriſtum celebrati, & ob ſignificationem hanc fuiſſe à Deo permiſſum illud Dauid peccatum, qualiter autem hoc factum explicetur, & applicetur ſignificationi, non eſt noſtrum modo enarrare, ſatis eſt cauſam hanc attigiſſe diuinæ permiſſionis *Ambr.*

Digitized by Google

miſſionis circa peccatum Dauid. Hoc autē factum Dauid, quamuis malum in ſe, figuram tamen diuini fuiſſe myſterij non ſolum Ambroſius affirmat, ſed etiam Auguſt. lib. 22. con. Fauſt. cap. 37. & Gregor. lib. 3. moral. cap. 16. vbi etiam hanc explicant figuram. propter has cauſas moderate, & reuerenter de peccato Dauid loqui debemus, præcipue cum tanta ſit deletum pœnitentia, & tantis ac tot repenſum operibus, vt recte docet, & monet Ambroſ. in apolog. Dauid, cap. 1. & ſequentibus. & Hieron. lib. 2. contra Pelagian. poſt illa verba ſuperius citata, cur Dauid peccare ſit permiſſus, dicit. Non hoc dico, quod virum ſanctū accuſem, de quo ſcriptum eſt, quod omnes voluntates Dei fecerit, ſed quod multis alijs bonis hæc vitia compenſarit, & ſaluatus ſit miſericordia Dei, cuius iudicium eſt in ponderibus, neque enim iniuſtus eſt Deus, vt tantum peccata condemnet, & bonorum operum non meminerit. hæc Hieron.

Auguſt. Gregor. *Ambr. Hieron.*

Vltima cauſa huius diuinæ permiſſionis aſſignatur ab Aug. lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 23. vbi de hoc peccato Dauid, & de aliorum ſanctorum Patrum peccatis loquēs dicit hæc verba: Si qua peccata magnorum virorum legerit, tametſi aliquam in eis figuram rerum futurarum animaduertere, atque indagare potuerit, rei tamen geſtæ proprietatem ad hunc vſum aſſumat, vt ſe nequaquam recte ſuis factis iactare audeat, & præ ſua iuſtitia cæteros tamquam peccatores contemnere, cum videat & tantorum virorum & cauendas tempeſtates, & flenda naufragia: ad hoc enim etiam peccata illorum hominum ſcripta ſunt, vt Apoſtolica illa ſententia tremenda ſit vbique, qui ait: quapropter qui videtur ſtare, videat ne cadat. 1. Cor. 10. hæc Aug. Ex quibus omnibus explicatum manet, quod propoſuimus conſiderandum de materia remota huius Pſalmi, nempe de peccato Dauid, vnde in ipſū ſit lapſus. materiam autem propinquam, nempe impœnitentiam temporalem, confeſſionem, & conuerſionem eius per pœnitentiam, peccati condonationem & remiſſionem à Deo factam, & præcautionem, longum eſſet earum qualitates nunc exprimere velle, etiam & ſuperfluum, cum maxime in Pſalmi expoſitione ſint hæc omnia ſigillatim tractanda.

Auguſt. *1. Cor. 10.*

Vltimo loco conſiderandum, ante Pſalmi enarrationem, ſupereſt diuiſio, & partes eius. ſunt aūt hæ quatuor. Prima eſt velut præfatio, & proœmium beatitudinem hominis deſcribens, quæ multū ad narrationem intentam facit. Secunda eſt, in qua de ſua impœnitentia, conuerſione, & alijs prædictis agit. Tertia eſt, qua vtile conſilium, vt verus malorum expertus, ex charitate nobis omnibus exhibet. Quarta eſt, qua connectit omnia cum præfatione, vt principio medium, & finis ſibi reſpondeant, & connexione quadam conſona colligentur, quæ omnia in ipſo narrationis proceſſu manifeſta erunt. Alia præterea, quæ dicta ſunt, præmitti poſſent, ſed generalia ſunt, & communia omnibus Pſalmis, à quibus nunc abſtinendum eſſe arbitror, quia ad intelligentiam Pſalmi, quem enarrandum ſuſcepimus, non ſunt neceſſaria, & eſſet à propoſito longe diuerti. hoc vnum ſat ſit, hunc Pſalmum eſſe à

Diuiſio Pſalmi.

Ccc Dauid

Digitized by Google

Dauid compoſitum, & de ſeipſo in eo agere, in quo nemo diſcordat.

SERMO II.

Beati.

Auguſt. AVGVSTINVS lib. 10 confeſſion. c. 20. duplicem diſtinguit beatum, vnum in ſpe, alterum in re. non quod duplex ſit beatitudo, eſt enim vna ſola, ſed quod ad eam duplex ſit reſpectus, vnus eorum, qui eam iam conſecuti ſunt, & poſſident actu, quia dicuntur beati in re; alter eorum, qui ad eam tendunt, & nondum adepti ſunt, & dicuntur beati in ſpe, non dicuntur autem beati in ſpe, qui eam tantum ſperant, nam peccatores, & qui male viuunt ſperant beatitudinem, ſed qui ſic viuunt, vt eam conſequi mereantur, dicũtur beati ſpe. Adde, quod peccatores etiam, & male viuẽtes ſperant quidem beatitudinem, non ſic, quaſi eam ſe putent conſecuturos ita viuendo, ſed quod animum habent mutandi vitam in eam, in qua digni beatitudine ſint. Beatus igitur in ſpe eſt iuſtus, & fidelis bene viuens in hoc ſæculo. Horum duorum beatorum ſæpe in Scriptura fit mentio, etiam in Pſalmis, vt alia autẽ teſtimonia prætermittamus;
Pſal. 83. de beatis in re dicitur Pſal. 83. Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæculã ſæculorum laudabunt
Pſal. 1. te. De beatis in ſpe Pſal. 1. Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum. & 113. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Sumitur in Scriptura beatus etiã in alia ſignificatione, pro poſſidente aliquod bonum etiam temporale, ſed talis beatitudo imperfecta eſt, nos nunc loquimur de perfecta, qualis eſt in patria, & quam iuſtus ſperat, quæ remouet omnem defectum, & auſert omne malum, & implet omni bono. cum igitur ſit duplex beatus, ſermo nunc eſt de beato in ſpe, qui eſt iuſtus, & fidelis, hunc nunc Dauid deſcribit, & ſic omnes Doctores exponunt, & ſic Paulus Rom. 4. intellexit. *Rom. 4.*

Quorum remiſſæ ſunt iniquitates.

EXplicat qui beati ſint, & in Hebræo ſingularis eſt ſermo, nempe, cui remiſſa eſt iniquitas; at quia indefinitæ hæ propoſitiones vniuerſalibus comparantur, inde eſt, quod Septuaginta plurali vſi ſunt ſermone in vertendo. Pro verbi propoſiti declaratione exponenda ſunt aliqua, quæ ſit iſta iniquitas, quæ hæc remiſsio, & à quo iſta fiat remiſsio. *De qua iniquitate intelligatur iſte Pſalmus.*

Quantum ad primum verbum Hebręum eſt *Peſagh*, quod eſt à verbo *Paſagh*, quod ſignificat præuaricari, rebellare, recedere, quod eſt eorum, qui à Principe rebellant, & eius deſerunt obedientiam. ſic habetur 2. Paral. 21. Rebellauit Edon ne eſſet ſubditus. & 3. Reg. 12. Receſsit Iſrael de domo Dauid. inde nomen illud in ſua propria, & natiua ſignificatione notat rebellionem *פשע* *פשע* *2 Par. 21* *3. Reg. 12*

Digitized by Google

nem, præuaricationem; vſurpatur autem ſæpe in Scriptura pro alijs generibus peccatorum, grauium & mortalium, etiam ſi præuaricationes tales non ſint, quibus verus Deus relinquitur, & ad filios fit conuerſio. & merito quodlibet mortale ſic vocatur, nam in omni ſcelere eiuſmodi eſt quædam legis diuinæ inobedientia, & tranſgreſſio. communiter Doctores, vt paulo inferius apparebit, affirmãt, hoc in loco pro quolibet graui peccato generaliter ſumi, non pro aliqua peccati ſpecie, & ſic in ſignificatione vſurpata, quæ communis eſt, non in propria & natiua ſumitur. Hoc Septuaginta verterunt ἀνομία, quaſi ſine lege, ſeu contra legem.

Orig. & ſic exponit Origen. lib. 4. in epiſt. ad Rom. vbi hac de cauſa ἀνομίαν & iniquitatem Latine dici affirmat.

Remiſsio quid ſignificet. Quantum ad ſecundum verbum Hebræum eſt *Caſa*, quod ſignificat dimittere, parcere, indulgere, tollere. כשא Septuaginta vſi ſunt verbo ἀφαιρεῖν, quod ſignificat auferre, ſeu tollere, quando homo peccat, per peccatum manet debitor Deo pro ſatisfactione: nam peccando Deum affecit iniuria, & ſic velut obſtringitur vinculo peccati, & debitum contraxit: quando à peccato liberatur, debiti huius fit remiſſio & donatio. ob id peccati ablatio dicitur remiſsio, & dimiſſio, & indulgentia, quia donatio quædam eſt. quia vero per hãc remiſsionem dicitur, qui erat peccator, iam non peccator, ob id peccatum tolli affirmamus, quia iam non facit hominem peccatorem, debito ablato. vnde in verbo, remiſsionis, inſinuatur non ſolum, quod tollitur peccatum, ſed quod gratis, & dono tollitur; hoc enim eſt debitum remittere, quod magis ſignificatur in verbo Hebræo, quàm in Græco; illud enim tollere ſimiliter, & remittere ſignificat, quaſi ſit ablatio remiſsiua, & gratis facta, quod non ita ſignificatur verbo Græco. Beatum igitur illum vocat Dauid, qui cum peccator eſſet, à peccato liberatus eſt. vbi Auguſtinus bene dicit hoc in loco. Beatum vocat, non in quo inuentum non eſt peccatum; ſic enim nemo noſtrum eſt, ſed in quo peccatum inuentum remiſſum eſt.

Quantum ad tertium, certum eſt, poteſtatem primariam peccata tollendi & remittendi, Dei eſſe, quod teſtimonio Scripturæ notum eſt, Iſaiæ 43. Ego ſum qui deleo iniquitates tuas. Verba ſunt Dei. & Matth. 9. Phariſæi ignorantes Chriſtum Deum eſſe, & audientes peccata ab eo dimitti, dixerunt, hic blaſphemat, quaſi quod Dei eſt ſibi vſurparet. nec Chriſtus id negat, ſed edito miraculo probat, ſe Deum eſſe. id etiam rationibus conuincitur. Primo, quia peccatum eſt iniuria Deo illata à peccatore, at remittere iniuriam ipſius eſt, cui eſt illata. Secundo, in peccato eſt lata ſententia æternæ mortis à Deo contra peccantem, quæ in remiſſione reuocatur, at nemo ſuperioris ſententiam reuocat, niſi ſuperior ipſe, & ſolius Dei eſt ſuam reuocare ſententiã, & mortis delere chirographũ. Tertio, quia in remiſſione peccati, gratia, & charitas infunduntur, quibus fit heres æternæ vitæ, at hæc nemo facit, aut donat, niſi Deus. ipſius eſt igitur remittendi peccata poteſtas prima. In nouo Teſtamento communicauit, ſeu partitus eſt hanc poteſtatem hominibus, quibus quaſi mini-

Remiſsio à quo fiat.

Iſai. 43.

Matth. 9

ſtram, & famularem dedit poteſtatem remittendi peccata, quæ in noſtris reſidet ſacerdotibus, ſed hæc à Deo eſt, & vt Dei miniſtri remittunt peccata, ob id Ioan. 20. dum hanc dedit, Spiritũ ſanctum donauit, dicens: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Ante Euangelium nemo talem ſortitus eſt poteſtatẽ, & merito, quia nondum Deus homo factus erat; poſtquam autem factus eſt homo Deus, conuenienter diuinam hanc poteſtatem hominibus cõmunicauit. Cum igitur hæc ita ſint, facile eſt dubio ſatisfacere, à quo remiſſæ dicantur nunc iniquitates. Dico intelligendum eſſe à Deo, ac ſi diceret: beati, quibus Deus peccata remiſit; etiam enim, quando homo remittit, Deus eſt, qui principaliter remittit. ſed ſermo eſt in præſenti de poteſtate principali, & de remittente primario, quia hæc doctrina Pſalmi non ſolum eſt pro Euangelio, ſed generalis pro omni ſtatu etiam ante Euangelium; ſemper enim eſt, erit, & fuit beatus, vnde peccata ſunt dimiſſa. loquitur igitur de eo, qui ſemper in omni ſtatu remittit, qui Deus eſt. eſſe autem hunc ſermonem generalem pro omni ſtatu, docet Paulus Rom. 4. vbi hunc locum generaliter etiam ante legem exponit, quia ſemper homo non ex operibus, ſed ex fide & gratia iuſtificatus eſt.

Ioan. 20. *Rom. 4.*

Hinc infero non videri expoſitionem Baſil. & Theodoreti huic aptam eſſe loco. dicunt gratiam baptizati Euangelici hic prophetari, quæ talis ac tanta eſt, vt facillime remittat peccatum: nam vel tantum attritis, & credẽtibus omnia peccata ita remittit, vt ſimul & vniuerſas culparum labes, & totam remittat pœnam. hos dicit Dauid beatos, ad ſe comparans, qui non ſic, ſed multis laboribus, & fletibus hanc remiſſionem ſit conſecutus; dicit ergo Theodoret. hæc verba: Propheticis oculis noui teſtamenti gratiam præuidens, atque remiſſionem, quæ per ſanctum baptiſma credentibus ſuppeditatur. hos beatos eſſe prædicat, vt qui ſine labore peccatorum remiſſionem recipiunt: & exordiens in hæc verba prorumpit, Beati quorũ, &c. cum ergo luctibus, & crebris lacrymis liquefactus ſim, cumq. in multas calamitates hac de cauſa inciderim, felices illos atque beatos nuncupo, qui citra laborem peccatorũ veniam benignitate Dei adepti ſunt, nam erga ipſos tali liberalitate vtitur, vt non modo peccata remittat, verum peccata oblitteret, vt nec veſtigia quidem peccatorum remaneant. hæc Theod. At quamuis verum ſit hanc facilitatem eſſe in Nouo Teſtamento, veraq. eſſe quæ dicit, tamen puto non fuiſſe hunc ſenſum Dauid: nam tunc beatitudinem collocaret in facilitate, non in remiſſione, quæ communis erat ſibi cum ijs, qui noui Teſtamenti ſunt: at non ſic eſt, ſed beatos vocat ob remiſſionem, ſiue facile, ſiue difficulter ſit habita, & re vera hæc eſt perfecta beatitudo. & rurſus, vti ex Paulo diximus, ſermo hic eſt de remiſſione communi, ſiue quia tunc temporis à Deo fiebat, ſiue facta, ſiue futura erat. omnes hi beati dicuntur in ſpe, & re vera ſunt, & fuerunt.

Baſil. Theodor.

Et quorum tecta ſunt peccata.

PRoſequitur exponere, quos vocet beatos, & addit, eos eſſe, quibus

quibus etiam tecta ſunt peccata. In quorum verborum explicatione multa ſunt tractanda, nempe, quæ ſint hæc peccata, quid ſit peccata eſſe tecta, & an ſit iſte diſtinctus gradus beatorum à præcedenti, & in quo ſenſu totus hic verſiculus ſit à Paulo Rom. 4. citatus. eſt autem ſermo apud Hebræos ſingularis, cui remiſſæ ſunt iniquitates, & cuius tecta peccata, quamuis Septuaginta numero vtebantur plurali; quorum: peccata vero & iniquitates, etiam in Hebræo ſingularia ſunt.

Rom. 4.

Quantum ad primũ in Hebræo eſt *Chataah* à verbo *Chatah*, quod ſignificat errare, ſicut qui à ſcopo & via errat, inde peccare etiam ſignificat, & nomẽ ſignificat peccatum, ſi autem proprietas vocabuli conſideretur, non quodcumque peccatum ſic dicitur, ſed illud quod per errorem, ſeu ignorantiam quandam committitur, vnde Septuaginta verterunt ἁμαρτία, quod eſt à verbo ἁμαρτάνω. quod ſignificat idem etiam cum Hebræo, aberrare, & peccare, quamuis tam Hebræum, quàm Græcum vſurpentur in Scriptura ſæpe generaliter, pro quouis genere peccati. & re vera quoduis peccatum ſic dici poteſt, quia omne peccatum error eſt à ſigno hominis, qui Deus eſt, & deuiatio à via ſalutis, & ſic generaliter dicitur Iſai. 53. Omnes quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam. & Pſal. 57. errauerunt peccatores ab vtero. eſt igitur diſcrimen inter iniquitatem, & peccatum, quantum ad Hebræum, & Græcũ idioma prædictũ, vt peccata dicantur iniquitates, ſcilicet *Peſagh*, & ἀνομία, quatenus tranſgreſſio legis ſunt, vt autem deuiationes ſunt à fine vltimo, & ab ipſa via perueniendi ad ipſum, dicuntur *Chataah*, & ἁμαρτία. peccatum autem Latine deuiatio eſt à regula, & ſic generaliter dicimus peccatum artis, naturæ, & moris. vnde peccatũ, eſt diſceſſus à regula recta operandi, quod conuenit quodammodo cum Hebræo, & Græco vocabulo, quamuis Origen. lib. 4. in epiſt. ad Rom. peccatum dicit vocari, quatenus eſt contra rationis regulam, & conſcientiam propriam; iniquitas vero quatenus cõtra legem, & præceptum. His ita propoſitis, dubium eſſe poteſt, quomodo hic ſumatur peccatum, an proprie, an generaliter. non deſunt qui non pro omni peccato ſumi dicant, ſed pro alijs diſtinctis à priori, ſcilicet, iniquitate, vt in ſequenti verſiculo dicemus. communis tamen, & vera expoſitio Doctorum eſt, vt pro eodem ſumantur hæc duo, quamuis, vti diximus, diuerſis rationibus. variatio autem vocabulorum fit, non vt diſtinctæ res ſignificentur, ſed vt in peccato eodem diſtinctæ ac variæ deformitates inſinuentur. & rurſus, cum varijs oporteret vti verbis ad exprimendam peccati remiſſionem, ſcilicet verbo remittendi, & tegẽdi, ornatus cauſa etiam nomina variarentur: huius tamen verbi completa explicatio in ſequenti verſiculo habebitur.

חטאה
חטה
Cur peccata dicantur iniquitates.
Iſai. 53.
Pſal. 57.
פשע
חטאה
Orig.

Quantum ad ſecundum, aduertendum eſt, diuerſimode peccata dici tegi: nam homo dicitur tegere peccata, ſimiliter & Deus, ſed aliter. nam Deus peccata tantum aliena tegit, ſcilicet noſtra, nam propria non habet. at homo tegit peccata & propria, & aliena. De proprijs dicitur Prouerb. 10. Os impiorum operit iniquitatem. & rurſus, Abſcondunt odium labia

Peccata quo tegi dicantur.
Prou. 10.

menda-

Digitized by Google

mendacia: de alienis ibidem dicitur: Odium ſuſcitat rixas, & vniuerſa delicta operit charitas. quo etiam modo illud 1. Pet. 4. intelligitur:

1. Pet. 4

Charitas operit multitudinem peccatorum. quãuis hoc alio etiam modo intelligi poteſt, vt in quadam concione ſuper hunc locũ diximus, & paulo nunc inferius dicemus: Homo tegit peccata aliena, non ea tollendo, ſed aut remittendo, aut ſuſtinendo: & propria non ſemper tegit tollendo; at Deus aliena tegit tollendo, vt iamiam explicabimus. Hoc in loco certum eſt, quando dicitur: Quorum peccata tecta ſunt, loqui de hominibus, quorum teguntur peccata, at à quo tegantur, an à Deo, an ab ipſo homine, & qualiter tegantur, non ita certum eſt, ſed varij ſunt Doctores, quorum expoſitiones adducam, vt, quid verius ſit, magis poſtea appareat.

Primo igitur loco aliqui exponunt, tegi peccata, quando ea Deus temporalibus, & manifeſtis pœnis non punit, vt hoc ſit tegere, quod non punire, & pœnam condonare, vt remiſſio ad culpam, tectio ad pœnam referatur. iuxta hanc expoſitionem Deus eſt qui tegit peccata hominis. Hęc expoſitio eſt Auguſtini in hoc loco, vbi inquit: Si tegit Deus peccata, noluit aduertere, ſi noluit aduertere, noluit animaduertere, noluit punire. iſta expoſitio non eſt aliena à phraſi Scripturæ: nam aliquando ſic dicuntur peccata tegi, & à contrario, quãdo puniuntur, diſcooperiri, quia pœna ipſa culpam manifeſtat. Tren. 4. Viſitauit iniquitatem tuam filia Edom, diſcooperuit peccata tua. & Pſal. 84. Operuiſti omnia peccata eorum, mitigaſti omnem iram tuam.

Augu.

Pſal. 84

Secundo loco alij exponunt, vt peccata tegi ſit, accepta remiſſione peccatorum, quæ commiſſa ſunt, bonis operibus ſequentibus emendari, iuxta illud Rom. 6. Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ. ſic homo tegit peccata, dum, accepta à Deo remiſſione, ipſe diuino auxilio bonis operibus vacat, & ornat animam ſuam. hæc expoſitio eſt Ambroſij lib. 2. de pœnit. cap. 5. Vtrumque, inquit, beatum dixit, & cuius iniquitas remittitur per lauacrum, & cuius peccatum tegitur bonis operibus; quando enim agit pœnitentiam, non ſolum diluere lachrymis debet peccatum ſuum, ſed etiã emendationibus factis operire, & tegere delicta ſuperiora, vt non ei imputetur peccatũ. ergo tegamus lapſus noſtros poſterioribus factis, mundemus fletibus. hæc Ambroſ. Hoc idẽ Gregor. hom. 4. in Ezech. dicit: Peccata, inquit, tegimus, cum bona facta malis actibus ſupponimus; omne enim, quod operitur, inferius ponitur, & hoc vnde operitur, ſuperius deducitur. quando ergo abdicamus mala, quæ fecimus, & eligimus bona, quæ facimus, quaſi tegimen ei rei ſuperducimus, quam erubeſcimus videre. hæc Gregor. Idem lib. 32. moral. cap. 2. dubium mouens ſuper hunc locum, quomodo Deo, cui nihil eſt occultum, peccata tegi poſſint, reſpondet per eadem verba prędicta. Ante hos Doctores idem dixit Origen. hunc locum exponens lib. 4. in epiſt. ad Rom. Quia, inquit, initium eſt conuerſionis mala derelinquere, per hoc iniquitatum re-

Ambr.

Gregor.

Origen.

miſſionem meretur accipere, cum autem cœperit bona facere, velut ſingula quæque, quæ præceſſerant mala, bonis recentibus obtegens, & abundantiorem numerum bonorum introducens, quàm prius fuerat malorum, tegere peccata dicitur. hæc Origen.

Tertio loco alij exponunt, vt dicantur tegi peccata, quia in vltimo iudicio peccata, quę hic deleta ſunt per pœnitentiam, non reuelantur, nec manifeſta fiunt, ita exponit Hieronymus in præſenti, vbi alteram ſimiliter adhibet expoſitionem, cuius ſtatim mentio fiet. ſed doctrina hæc non eſt vera, quamuis eam ſententiam tenuerit Magiſter 4. ſenten. d. . ſed ſuſtineri non poteſt, vt alias eſt tractandū, omnia enim tunc opera, quæ geſta ſunt in corpore manifeſta erunt; peccata autem deleta per pœnitentiam erunt manifeſta ad laudem, & gloriam.

Hieron.

Magiſt. ſent.

Quarto loco alij aliter exponūt, nempe tecta dici peccata, quando etiam ſi ſint remiſſa, tamen adhuc intimæ animæ partes nondum ſunt plenè purgatæ & ſic aliquo modo manent, ſed quia culpa deleta eſt, tecta dicuntur. ita explicat Greg. Nazian. orat. in ſanctum Baptiſma, vbi illud, remiſſæ iniquitates, ad plenam peccatorum purgationem refert; hoc vero, tecta peccata, ad minorem gradum, quando non eſt plena purgatio, nimirum, quia manent adhuc reliquiæ præcedentium peccatorum, vt debilitas ad bonum, praui habitus ad malum, cogitationes adhuc præcedētium, & ſimilia, quæ ſordes, & reliquiæ peccatorum dicuntur, & manent cum gratia, & culpæ remiſſione, nec expellūtur niſi exercitio, & cōtinuo ſtudio virtutū ſequenti. Huic expoſitioni contrarium videtur, quod dicit Theodoret. hic, vbi hoc exponens verbum, inquit: Erga ipſos tali liberalitate vtitur Deus, vt non modo remittat, verum etiam oblitteret peccata, vt nec veſtigia quidem horum remaneant. hæc Theodoret. vbi tecta putat, quando reliquiæ etiam ſunt omnino ablatæ, & ſic poſſumus.

Gregor. Nazian.

Theodor.

Quinto loco huius numerare expoſitionem, vt tecta dicātur, quando reliquiæ etiam ſunt ablatæ, remiſſa vero quando culpa etiam & pœna condonatæ ſunt. huic conſonare videtur Baſil. in præſenti, vbi pro maiori gratia ponit, quando teguntur: tanta, inquit, benignitate vſus eſt Deus, vt non ſolum remiſerit, ſed etiam texerit peccata.

Baſil.

Sexto loco alij exponunt, vt dicantur tegi peccata, quæ poſt baptiſmum commiſſa ſunt, & per confeſſionem, & pœnitentiam deleta ſunt, vt remiſſio ad baptiſmum, tectio ad confeſſionem, & pœnitentiam referantur. huius ſextæ ſententiæ meminit Ambroſ. in Apol. Dauid c. 9. ſic Remigius exponit: Beati, inquit, ſunt illi, qui per baptiſmum ſalui facti ſunt, etiam illi beati, qui poſt baptiſmum peccauerunt quidem, quia ceciderunt in criminalibus, ſed per confeſſionem & pęnitentiam emendarunt.

Septimo loco alij exponunt, vt peccata dicantur tegi ratione charitatis. vbi ponunt differentiam inter, tegi, & remitti, vt gratiæ ſit remitti, at charitatis tegi. ita Hieron. in præſenti, vbi dicit peccata remitti per baptiſmum, tegi per charitatem, iuxta illud, Charitas operit multitudinem peccatorum. Hoc idem Ambroſ. in Apolog. Dauid

Hieron.

Ambr.

Digitized by Google

uid c. 13. dicens: donari, ſeu remitti ratione gratiæ, tegi ratione charitatis, deleri ratione ſanguinis Chriſti. & c. 9. ibidem dicit, per baptiſmum remitti, per charitatem tegi, & quando charitas eſt multa, etiam remitti per charitatem, iuxta illud Luc. 7. Remiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Idem autem intelligunt remitti per baptiſmum, & per gratiam, vt remitti ſit donatio quædam gratioſa.

Octauo loco alij exponunt, vt tegi dicantur peccata ratione gratiæ, quæ in ipſa remiſſione à Deo infundebatur; Deus enim remittit peccata, non ſolum delendo culpas, etiam & pœnas, & de peccatore faciendo non peccatorem, ſed ſimiliter infundendo gratiam & iuſtitiam, qua fiat, qui erat peccator prius, iuſtus, & ſanctus, & Dei amicus, & hoc eſt tegi peccata; quia nuditas per peccatum inducta in remiſſione tegitur gratia. videtur hoc eſſe Auguſt. lib. 2. qq. ſuper Exod. cap. 103. vbi dicit, peccata per confeſſionem exprimi, & per gratiam, quæ data eſt Eccleſiæ aboleri, & hoc eſt tegi. & quia hæc expoſitio magis placet, paulo amplius eſt exponenda, ſi forſan hæc fuit ipſius mens. Deus non remittit peccata, quæ ſunt iniuriæ contra ipſum illatæ, ſicut ſolent homines; hi enim ſæpe remittunt iniurias, quas ab amicis receperunt, ita vt debitum ſatisfactionis, & inimicitiam deponant; tamen nolunt amplius eum, à quo iniuriam acceperunt, ad amicitiam recipere, ſed ſuas ſibi res habere iuſſum, odiſſe ſeſe negant. Dei mores longe diuerſi; ita culpam remittit, vt charitatem, qua amicus efficitur homo Dei, infundat; ita iniuriam condonat, vt bona, quæ per peccatum ſunt amiſſa, reſtituat, & donet, ita delet peccatum, vt infundat iuſtitiam; & homo fiat, non tantum non peccator, ſed etiam iuſtus, non tantum non inimicus, ſed etiam amicus: hoc eſt remittere, & tegere peccata. in quo Hæretici noſtri temporis decepti ſunt; putarunt enim legentes tegi peccata, quòd in remiſſione non tollantur peccata, ſed maneant, tecta tamen. Quod quidem Auguſt. velut præuidens, explodit in præſenti, dicens: Non ſic intelligas quod dixit, peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint, & viuant. hæc Auguſt. Non aduertunt hæretici teſtimonia plurima Scripturæ, quibus peccata tolli, deleri, proijci in profundum maris dicta ſunt, immo hoc in loco dicũtur remitti, quod diſtinctum quid eſt à tegendo. dicuntur igitur tegi ad oſtendendum, quòd plene tollantur, quòd non ſolum ea abijciuntur, ſed anima loco illorum veſte & ornatu cæleſti operitur, & tegitur, vt non nuda, & veſtita ſit coram Deo ijs veſtimentis, ob quæ grata ſit maieſtati diuinæ.

In maiorem huius rei declarationem, aduerte, peccati remiſſionem, quamuis vna ſit, multis tamen nominibus in Scriptura dici, vt diuerſa & multa ſignificentur, quæ fiunt in ipſa remiſſione. Dicitur in primis remiſſio, Luc. 7. Remittuntur tibi pecata tua. quatenus peccatum, iniuria cum ſit in Deum, inducit ipſum debitum ſatisfaciendi, quod Deus gratis donat, quando delet peccatum; remiſſio enim, aut dimiſſio ratione debiti dicitur. Dicitur rurſus deleri Pſal. 10. dele iniquitatem meam.

Marginal notes: *Auguſt.* *Auguſt.* *Luc. 7.* *Pſal. 10.*

quatenus

Digitized by Google

quatenus qñ homo peccat mortaliter, eſt lata ſententia æternæ mortis contra peccatorem: quamuis non ſit executioni mãdata: quando autem remiſſio fit, iſta ſententia reuocatur, & ſic metaphorice dicitur deleri, iuxta illud Coloſſ. 2. delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti. Ambroſ. apolog. Dauid c. 13. dicit deleri dictum eſſe, quia ſanguine Chriſti fit iſta remiſſio. Dicitur rurſus tolli, & auferri Iob 7. Cur non tollis peccatum meum, & quare nõ aufers iniquitatem meam? quia peccatum homini ineſt, ſicut accidens in ſubiecto, quamuis priuatiuum, & diuina virtute remouetur, & eijcitur, vt non afficiat hominem, ſicut expellitur cæcitas, & mors; non enim peccatum à ſeipſo deſinit eſſe, niſi à virtute diuina expellatur. hoc eſt tolli, & auferri. Dicitur rurſus ſolutio, ſeu abſolutio, Matth. 16. Quæcumque ſolueritis ſuper terram, quatenus peccatum vinculum eſt, quo tenetur homo, ne in ſuum finẽ Deum tendere poſſit, quo tenetur ne à dæmonis poteſtate per ſe aufugiat, quo ablato in remiſſione, dicitur remiſſio abſolutio, ſeu ſolutio. Dicitur rurſus mundatio, ſeu mundari. 1. Ioan. 1. Emundet nos ab omni peccato. quatenus peccata ſordes ſunt inſordidãtes, & deturpantes animam. Dicitur rurſus lotio, ſeu ablutio, Pſal. 50. Lauabis me. non ſolum quia per baptiſmũ fit remiſsio, ſed etiam quia peccata ſunt maculæ fœdiſsimæ animarum, quæ auferuntur in remiſſione: ob id ipſa dicta eſt lotio, ſeu ablutio, & remittere, lauare, ſeu abluere. Dicitur rurſus parcere, Iob. 1. Parce mihi Domine. ratione pœnæ, quæ in remiſſione tollitur, aut tota

Coloſſ. 2. *Ambr.* *Iob 7.* *Matt. 16* *1. Ioan. 1.* *Pſal. 50.*

aut pars. Dicitur rurſus donare Coloſſ. 2. Donans vobis delicta quia remiſſio fit gratioſa, non vllo pretio à peccatore proprio exhibito. Dicitur rurſus liberatio, Rom. 6. Liberati à peccatis, ſerui facti eſtis iuſtitiæ, quia per peccatum homo efficitur ſeruus ſub poteſtate dæmonis, & ipſius peccati, à qua liberatur per remiſſionem. Rurſus dicitur ſanatio, Matth. 13. Nequando conuertantur, & ſanem eos. quatenus peccatum eſt morbus & infirmitas ſpiritualis. Matth. 9. Non eſt opus valentibus medico, ſed male habentibus. Dicitur rurſus viuificatio 1. Pet. 3. Viuificatos ſpiritu. quatenus peccatum quædam eſt mors animæ. Rurſus dicitur iuſtificatio, quatenus iuſtitia acquiritur, quando peccatum remouetur. Rom. 5. Iuſtificati ex fide pacem habeamus. Dicitur rurſus reconciliatio, 2. Corinth. 5. qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum, quia in remiſſione reſtituitur amicitia Dei, quam perdidit homo in primo parente, & aliquando in ſeipſo, quando, cum ante iuſtus eſſet, peccauit. Dicitur tandem operire, tegere, quatenus in remiſſione veſtitur homo diuina veſte charitatis ſignificata Luc. 15. Illa ſtola prima, qua indutus eſt filius prodigus. quæ etiam eſt illa veſtis nuptialis, de qua Matth. 22. Quomodo, inquit, huc intraſti non habens veſtem nuptialem? Ecce vna remiſſio, quibus, & quot vocetur modis, vt varij effectus indicentur in ea, quorum vnus ſignificatur verbo præſenti, quo dicuntur tecta peccata. Et quantum errent hæretici, inde fit manifeſtum. Vltima ergo expoſitio allata mihi videtur conuenire, vt expoſitum eſt.

Coloſſ. 2 *Rom. 6.* *Matt. 13.* *Matth. 9* *1. Pet. 3.* *Rom. 5.* *Luc. 15.* *Matt. 22*

Circa

Circa has tamen allatas ſententias hoc aduertendum eſt, omnes ad diuerſa habuiſſe conſiderationem, & cur tecta, cur remiſſa dicta ſint peccata conſideraſſe. at non omnes aduertunt, diuerſa eſſe nomina, iniquitates, & peccata, ſed fere omnes pro eodem reputaſſe, nec cur iniquitates, cur peccata dicta ſint conſideraſſe, aliquos tamen eorum non pro eodem accepiſſe: nam Remigius iniquitates refert ad peccata ante baptiſmum commiſſa; peccata autem ad ea, quæ poſt baptiſmum committũtur. hæc tamen conſideratio ad verſiculum ſequentem pertinet; vbi hoc diligentius tractabitur.

Peccata cur tecta, cur remiſſa dicantur.

Quis beatior dicatur, an cuius remiſſa, an cuius tecta ſunt peccata.

Quantum ad tertium, quod ſuperius propoſuimus, an ſint iſti duo ordines diſtincti, ſunt qui ita putent eſſe duos ordines, ac ſi dicat Dauid: Beati ſunt, quorum remiſſa ſunt peccata, & beati etiam ſunt quorum tecta ſunt peccata, vt & remiſsio per ſe faciat beatum, & rurſus tectio. ita ſentit Gregorius Nazian. ſuperius citatus; beatiorem enim putat cuius remiſſæ ſunt iniquitates, vtpote magis purgatum à peccato, quàm cuius tecta peccata, vtpote minus habentem purgationis, plus maculæ. idem ſentit Ambroſius lib. 2. de pœnitentia, cap. 5. vbi dicit, vtrumque eſſe beatum, & cuius iniquitas remittitur per lauacrũ, & cuius peccatũ tegitur bonis operibus. idem cum Ambroſ. ſentit Greg. locis citatis. Fauet lectio Septuaginta, cui Latina reſpondet, vbi dicitur: Beati quorum remiſſæ iniquitates. & iterum repetit relatiuũ, & quorum tecta peccata. vbi videtur ad diuerſos referri; tamen Hebræa lectio contrariæ ſententiæ magis fauet; vbi vtrumque coniungitur ſine relatiuis, ſic beatitudo hominis, cui remiſſa peccata, & tecta, ſeu cui remiſſæ iniquitates, & tecta peccata. vbi ad idem referunt hæc, & eidem ſenſui poteſt Græca, & Latina editio adaptari; ad idem enim illa ſimul relatiua reuocantur. Et iſte ſenſus magis placet, vt vtrumque ad beatitudinem conſtituendam requiratur, remiſsio culpæ, per quod notatur ſola ablatio peccati, & tectio, per quod notatur charitatis, & iuſtitiæ infuſio, vtraque ſit pars iuſtificationis contra hæreticos noſtros, qui iuſtificationem in ſola remiſsione peccati, non in acquiſitione iuſtitiæ ponunt; hic autem ſenſus magis confirmabitur in ſequenti verſiculo. ſi igitur cum communi expoſitione iniquitates, & peccata pro eodem accipiamus dicta, licet diuerſis rationibus, vti dictum eſt, conuenientius hæc duo ad vnam integram referenda ſunt beatitudinem; quamuis qui aliter expoſuerunt verba illa, remitti, & tegi, conſequenter duos ordines beatorum diſtinguere debuerunt.

Gregor. Nazian.

Quantum ad quartum ſuperius propoſitum, dico, Paulum ad Rom. 4. hoc vſum eſſe teſtimonio, vt probaret, non ex operibus legis illius Iudaicæ homines fuiſſe iuſtificatos, nec ex operibus alijs, ſed ex gratia, & fide Chriſti; ſi enim ex operibus vllis, quaſi ex merito & virtute homo iuſtitiam conſequeretur, diceret Dauid, Beati, qui hoc vel illud faciunt, & deſcriberet ea opera, quæ faciunt iuſtum & beatum. at non id dicit, ſed ad Deum ipſum, & gratiam refert, Beati quorum remiſſæ ſunt; ſcilicet à Deo, iniquitates, & peccata tecta, Remiſsio gratiæ eſt, tectio

Quare Paulus vſus ſit hoc teſtimonio Pſal. Beati quorum, in ſua epiſt.

opus

opus Dei eſt. Non igitur iuſtitia noſtris aut humanis operibus, ſed Deo eſt adſcribenda. & ſic ex gratia, non ex merito noſtro eſt. ſermo eſt de prima iuſtitia, qua fit, iuſtus, qui peccator erat.

SERMO III.

Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum.

Quod ſit hoc peccatum, quod Deus non imputat.

EX huius verſiculi explicatione pendet præcedētis completa intelligentia. ſunt autem examinanda hæc, quod ſit hoc peccatum; quid ſit, Deum non imputare peccatū, & an ſit ordo iſte beatorum diſtinctus à præcedenti. Quantum ad primum, nominis ſignificatio conſideranda eſt: in Hebręo eſt vox *Ghaon* à verbo *Ghauah*, quod ſignificat iniuſte agere, vnde nomen ſignificat proprie iniuſtitiam, & peccatum, quod contra iuſtitiam committitur. ſic Gen.4. dixit Cain: Maior eſt iniquitas mea; legitur *Ghaoni*; fuit enim illud peccatum contra iuſtitiam debitam proximo, & fratri; occidit enim eum. vnde hoc nomen actiones exteriores iniquas, & iniuſtas ſignificat. verum eſt, quod vſurpatur etiā ad ſignificanda alia quæuis peccata, immo ipſum originale dicitur aliquando *Ghaon*, Pſal. 10. Ecce in iniquitate conceptus ſum: quantum autem ad Grecum idioma, Septuaginta verterunt per ἀμαρτίαν, ſicut etiam verterunt illud, tecta peccata. Vnde, cum Hebręum idioma habeat tria diſtincta nomina cum ſuis diſtinctis verbis coniuncta, ipſi duob' vſi ſunt, quos Latina verſio ſecuta eſt. Eſt autem hoc mirum, quod non deerat vox Græca diſtincta, qua vti poſſet, immo qua etiam alias ipſimet vſi ſunt: nam Gen.4. vbi dictū eſt, Maior eſt iniquitas mea, &, vti diximus, habetur hoc nomē *ghaoni*, ipſi verterūt αἰτία. Nomē aūt hoc apud Græcos ſignificat delictū, non quodcumque, ſed propter quod aliquis in ius vocari poteſt, & ad iudicium deferri, qualis eſt iniuſtitia exterior, & qualis fuit illa Cain. Potuiſſent igitur ita hoc in loco vertere, aut alio vti vocabulo, diſtincto à duobus prædictis. Quidquid igitur de verſione ſit, conſiderandum nunc eſt, quid ſignificet in hoc loco hæc vox, peccatum, præ oculis hoc habeto, in Hebręo diſtinctum haberi vocabulum, quale expoſuimus. aliqui ſicut nec duo præcedentia, iniquitatem & peccatum diſtinxerunt, ſed pro peccatis in genere acceperunt, ita nec hoc à præcedentibus diſtinguunt, ſed ſolam conſiderationem faciunt in tribus adiunctis verbis, remitti, tegi, non imputari. ſic Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Theodoret. cum alijs ſentiunt, vt ex præcedentibus apparet. & re vera quodlibet peccatum, ſicut tranſgreſſio, & peccatum dici poteſt diuerſis rationibus, vti diximus, ita etiam iniuſtitia, & etiam *Ghaon*: nam licet non omne peccatum ſit iniuſtitia, quæ contra proximum committitur, eſt tamen in-

iuſtitia

Margin notes: עון · עוה · *Gen. 4.* · עוני · עון · *Pſal. 10.* · *Gen. 4.* · עוני · עון

Digitized by Google

iuſtitia reſpectu Dei, contra quem committitur, quia ex iuſtitia tenemur ipſi obedire, & mandata eius ſeruare, & ſic omnis peccator iniuſtus dicitur, qui autem Dei præcepta facit, iuſtus. & omne opus bonum iuſtitia dicitur, vnde conſequenter malum iniuſtitia dicetur, ſicuti vere eſt. Poſſunt ergo hęc tria vocabula pro eodem accipi, non tamen eadem ratione, ſed diuerſis reſpectibus, prout in vno peccato diuerſæ conſiderantur deformitates. an tamen pro quolibet peccato hic ſumatur, hoc inquirendum eſt. multi, vti diximus, ita ſumunt. at vero alij non ſic, ſed & hoc, & præcedentia duo, ſicut & verba ipſa pro diuerſis rebus accipiunt: & quia in hoc pendet perfecta explicatio præcedentis & præſentis verſiculi, ſunt horum ſententiæ proponendæ, vt verus ſenſus vtriuſque colligatur. ſed hoc non poteſt commode fieri, niſi ſimul ſecundum dubiũ examinemus, nempe quid ſit, non imputare peccatum; vtrumque enim coniungetur.

Quid ſit non imputare peccatum. Quantum igitur ad ſecundum, varie Doctores exponunt. Primo loco Gregor. Nazian. orat. in ſanctum Bapt. dicit, tunc Deum non imputare peccatum, quando quod in ſe eſt factum improbum & vitioſum, tamen facienti non datur culpæ, nec Deus eum ex tali facto iudicat peccatorem, quia animus rectus eſt, & non ex malitia aliqua id facit, ſed aliqua recta intentione, & ignorantia, vt fieri aliquando poteſt: vnde tres diſtinguit gradus in his verſiculis. eius verba talia ſunt: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. hoc plenæ, & cumulatæ purgationis eſt. & quorum tecta ſunt peccata. hoc ijs congruit, quorum intimæ animi partes nondum purgatæ ſunt. Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum. Tertia hæc peccantium claſſis eſt, eorum nempe, qui tametſi aliquid improbe & vitioſe agant, animus tamen & voluntas culpa vacat. hæc Gregor. vbi vides quid ſit non imputare, ſimul etiam ad actiones exteriores in ſe vitioſas referri hoc nomen peccatum hoc tertio loco, reſtrictiusq. eſſe quàm ſuperiora duo. *Gregor.*

Secundo loco Auguſt. lib. de diligendo Deo cap. 12. tom. 9. ſic inquit: Sic Deus ex toto indulſit, & tam liberaliter omnem donauit iniuriam, vt iam non damnet vlciſcendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando: ſunt autem aliqui ſic donantes iniuriam, vt non vlciſcantur, ſæpius tamen improperant. Sunt aliqui, qui licet ſileant, manet tamen aliquid alta mente repoſtum, rancoremq. tenent in animo; quorum neutra perfecta eſt indulgentia: longe tamen ab his benigniſſima diuinitatis natura liberaliter agit. hæc Auguſt. ex quibus patet, peccatum hoc non diſtinguere ab alijs præcedentibus duobus, ſed pro eodem accipere, verborũ tamẽ ſignificationes diſtinguere. Remittere eſt non vlciſci; tegere eſt non improperare remiſſa; non imputare eſt non minus diligere ob culpam dimiſſam, ſed ex corde indulgere. Ambroſ. apolog. Dauid c. 9. Sicut remitti ad gratiam, & baptiſmum, & tegi ad charitatem refert, ita per iniquitatem malitiam interiorem, per peccatum opus exterius intelligit. idem in c. 13. ibidem. *Auguſt.* *Ambr.*

Tertio loco, Innocen. 3. in expoſit. *Innoc. 3*

Digitized by Google

poſt. 7. Pſal. pœnit. dum hũc explicat locum, multa dicit. inter alia autem diſtinguit tria verba, & nomina hæc, vt iniquitas ſignificet originale peccatum, quod dicitur remitti, quaſi minuatur, dum indulgetur. quia etiam ſi culpæ reatus tollatur, manet fomes, &, vt ipſe Auguſtinum ſequens dicit, manet actus, tollitur reatus. peccatum autem pro veniali ſumitur, quod in iuſto dicitur tectum, quia manet cum charitate & virtutibus. & ſic beati dicuntur, quorum venialia, ſine quibus nemo hic viuit, tecta ſunt, quia qui peccat, charitatem, & virtutes habet, ad differtiam eorum, qui hæc cõmittunt, ſed tecta non ſunt, quia ſine charitate inueniuntur, & in mortali peccato. Et hic eſt vnus alius modus exponendi illud, quod ſuperius dictum eſt, quorum tecta ſunt peccata: peccatum autem tertio loco poſitum exponit pro mortali, & dicit, non imputare peccatum, eſſe non inuenire peccatum mortale, quod adiudicet, & cuius reum faciat hominem, vt ſit ſenſus, beatus vir, qui cauit à mortali, nec commiſit aliquid, cuius apud Deum reus ſit. Ecce quid ſit non imputare, & quod ſit hoc peccatum non imputatum, nempe mortale. Conſentit in hoc cum ipſo Remigius, *Remig.* exponit enim, non imputare Dominum alicui peccatum, eſſe, quod caueat homo à commiſſione mortalis, quia ſi quid committit, veniale eſt, quod non dicitur imputari, quia non tollit, nec minuit gratiam. quamuis duo præcedentia aliter exponat, vt remittantur iniquitates, ideſt, peccata ante baptiſmum per ipſum ablata, quę vero poſt committuntur, & dicuntur peccata, remittuntur per confeſſionem, & pœnitentiam, ob idque tecta dicuntur. citatur etiam ab Innocentio hæc ſententia etiam quantum ad præcedentia.

Origen. Origenes ante vtrumque prædictum Doctorem ita explicat hoc verbum non imputare, præcedentia vero aliter, vti prius diximus, eius tamen integra verba hic citabimus, lib. 4. in epiſt. ad Rom. hæc ſcribit. Permouet nos ipſius ordinis differentia, quod primo dixit, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. ſecundo, quorum tecta ſunt peccata. tertio, cui non imputabit Dominus peccatum. & vide ſi poteſt iſte ordo in anima vna eadẽq. intelligi, vt quia initium eſt conuerſionis mala derelinquere, per hoc remiſſionem iniquitatum mereatur accipere; cum autem cœperit bona facere, velut ſingula quæque quæ præceſſerant mala bonis recentibus obtegens, & abundantiorem numerum bonorum introducens, quàm prius fecerat malorum, tegere peccata dicatur: vbi vero iam ad perfectum venerit, ita vt omnis de ea malitiæ radix penitus amputetur, eouſque, vt in ea nullum veſtigium poſſit inueniri nequitiæ, vbi iam ſumma perfectæ beatitudinis promittatur, tũc nullum poſſit Deus imputare peccatum. hæc Origen. vbi idem cum prædictis in hoc tertio explicando ſentire videtur, quamuis, vt ex verbis ipſius videri poteſt, ad ſtatum glorię hoc pertinere inſinuet. quod etiam Innocentius retulit, vbi omne cauetur peccatum, in hoc autem ſæculo caueri mortalia poſſunt: vnde & ad vtrumque ſtatum Innocentius refert.

Quarto loco aliqui non imputare

Digitized by Google

tare peccatum, exponunt non deputare ad æternam pœnam, quia antequam decedat homo, per pœnitentiam obtinet remiſſionem, & ſic qui damnantur, eorum peccata Deus imputare dicitur. Sic Lyra exponit, tamen mortalia peccata quæcumque hoc verbo ſignificari putat.

Ex his Doctorum varijs expoſitionibus habes, aliquos hoc peccatum tertio loco poſitum exponere pro mortali quocumque: alios pro actione exteriori in ſe deordinata: alios pro omni peccato, ſiue veniali, ſiue mortali, nempe qui de beatitudinis ſtatu hanc exponunt partem. Non imputare autem alij exponunt non adſcribere tanquam peccatum, nec dare culpæ: alij non eſſe in homine peccatum, quod ei imputetur, quia cauet ab eo. alij non ad æternam deputare pœnam. alij ex corde & animo remittere, ita vt nullum maneat veſtigium peccati, & iniuriæ apud Deum remittentem. Hæc ſunt quæ Doctores ſentiunt, intra quas ſententias probabilior videtur, quæ exponit non imputare pro cauere peccatum. vt ſenſus ſit, beatus qui obtinuit remiſſionem præcedentium: & hic eſt primus verſiculus. rurſus, Beatus, qui obtenta remiſſione, à peccatis cauit ita, vt Deus non habeat quod ei ad culpam imputari iam valeat. Sed quia hoc adhuc non explicat integre ſenſum ipſius Dauid his verbis expreſſum, latius eſt hoc aliquanto aperiendum; & quid in hoc, & in præcedenti verſiculo ſentiam, exponendum; hactenus enim ſecundum aliorum opiniones locutus ſum, ex ijs eligens probabiliora.

Ante omnia vox ipſa conſideranda eſt, verbum imputabit, apud Hebræos eſt *Iachescib*, à verbo *Iaſcab*, quod multa ſignificat, nempe, reputare, imputare, æſtimare, cogitare, computare, numerare, & alia. Habetur ſæpe in Scriptura, Num. 13. vt reputetur vobis in oblationem primitiuorum. Gen. 15. Reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Prou. 17. Stultus ſi tacuerit, ſapiens reputabitur. 1. Reg. 1. Aeſtimauit eam Heli temulentam. Multa ſunt alia loca, vbi hoc habetur verbum. Septuaginta verterunt ſemper hoc per verbum λογίζω, ſeu λογίζομαι, quod eadem fere ſignificat apud Græcos. at Latinus interpres modo imputo, modo reputo, modo aliter vertit.

[Margin: יחשב חשב — Imputare quid ſignificet. — *Num.* 13 — *1. Reg.* 1.]

Aduerte rurſus, verbum imputare, cui reſpondet Græcis λογίζω, in Scriptura duplicem habere ſignificationem, vna eſt, factum aliquod, quod ab aliquo non eſt factum, aut non apparet factum, ipſi adſcribere, ac ſi factum eſſet. ſic ad Philemon. dicit Paulus: Si nocuit tibi, aut debet, mihi imputa. ideſt, in me, vt in cauſam, hæc conijce, ſeu reijce. & apud profanos auctores tam in bonam, quàm in malam accipitur partem, quando cauſa, aut culpa alicuius in aliquem reijcitur. ſic peccata vnius alteri imputari dicuntur, quando quæ ipſe non commiſit, eum reum faciunt. quia cauſa aliqua eorum eſt. quod maxime ſuperioribus accidit, quibus inferiorum peccata ſæpe imputantur, quia quæ facere debuerant, non fecerunt. Altera ſignificatio eſt vt imputare ſit non ignoſcere, nec parcere, ſed vlciſci. ſic 2. Tim. 4. dicitur: Omnes me dereliquerunt, ne illis imputetur. non hic deprecatur Paulus, ne quod iſti *2. Tim.* 4.

non

non fecerunt, eis adſcribatur, nam vere ipſum dereliquerunt: nec deprecatur, ne Deus eis hoc tanquam peccatum adſcribat, ideſt, ne in hoc peccent: nam ſi male fecerunt, ſine dubio peccauerunt. ſed precatur, vt Deus eis ignoſcat, ne vllam contra eos ſumat vltionem. in qua ſignificatione aliter hoc verbum Latinum ſumitur in Scriptura, quamuis nec apud Hebræos, nec apud Græcos ſint verba prædicta.

Iob 42. Dicitur enim Iob 42. Orabit pro vobis, faciemq. eius ſuſcipiam, vt non imputetur vobis ſtultitia. id

Gregor. eſt, ignoſcam vobis. & Greg. lib. 35 moral. c. 7. ſic exponit 2. Paral. 30. non imputabit eis, quod minus ſanctificati fuerint. ideſt, ignoſcet eis. nam ſtatim dicitur, quem exaudiuit Deus, & placatus eſt populo. male ergo populus fecerat, & Deus

Ezech. 33 placatus ignouit. Ezech. c. 33. Omnia, inquit, peccata eius quæ peccauit, non imputabuntur ei. ideſt, ignoſcet Deus, nec ſentiet vllum nocumentum ex peccatis ille, qui egerit pœnitentiam. ſed in his tribus locis non reſpondent verba prædicta, nec in Hebræo, nec in Græco idiomate. Illa ſignificatio

Gregor. Naz. quam adhibet Gregorius Nazianzenus, nempe imputare peccatum, culpam proprij facti ipſi facienti dare, & non imputare peccatum, factum proprium non accipere in culpam, & peccatum, non habetur in Scriptura, nec proprie dicitur id non imputare peccatum, ſed non imputare ad peccatum, ſeu in peccatum aliquid, propriẹ enim non imputare peccatum, eſt quod aliquis commiſit peccatū ipſi non adſcribere, ac ſi non eſſet factum. ſicut imputare, eſt quod non eſt factum, ac ſi factum eſſet, adſcribere.

Non imputare peccatum proprie quid ſit.

minus etiam proprie, nec etiam in Scriptura dicitur, non imputare peccatum, quia cauit à peccato, & ſic Deus non habet quod ei adſcribat; vt enim dictum eſt, peccatum proprium dicitur non imputari, quando ignoſcitur, alienum autem, quando in alium à committente reijcitur.

Aduerte rurſus, non imputare non eſſe idem quod remittere, & quod tegere, ſed eſſe amplius illis; remittitur enim peccatum, quando culpa deletur: ſimiliter etiam æterna pœna debita mortali relaxatur, quod ſimul fit cum remiſſione culpæ: tegitur autem, quando non ſolum hæc remiſſio fit, ſed ſimul contrarijs virtutibus anima repletur: nam Deus infundit ſimul, remiſſa culpa & æterna relaxata pœna, charitatem, iuſtitiam, & reliquas virtutes, quibus anima tegitur, & veſtitur. Tamen adhuc Deus non plene ignouit, quia cum hoc ſæpe pœna temporalis manet, quam Deus vel in hoc, vel in altero infligit ſæculo: & ſic adhuc dici poteſt, quòd Deus meminit peccatorum, & ipſa manent. ſimiliter non ſtatim reſtituitur in tantam gratiam, in quanta erat prius, nec particulares aliqñ gratias gratis datas ante habitas reſtituit Deus, vt donum Prophetię, miraculorū virtutem, donum lachrymarum, & alia huiuſmodi, quæ propter peccatum aliquando tolluntur, & cum remiſsione culpæ non ſemper redduntur; quando igitur ſic omnia reddit Deus, quę per peccata erant ablata, vt nihil maneat ex deperditis, tunc dicitur Deus omnino ignoſcere, & non imputare peccatum, & non recordari. Ezech. 13. *Ezech. 13*
Non recordabuntur omnia, quæ commi-

Pſal. 24. commiſit.& Pſal.24.Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias ne memineris. *Pſal. 70.* Pſal.70. Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. hæc Dauid dixit,habita iam remiſsione,& tectione, ſed nondum habita non imputatione.

Ex his patet ſenſus. duo priora iuſtum faciunt, & beatum hominem, at adhuc aliquid manet ad pleniorem iuſtitiam,& completiorem beatitudinem. Beatus homo, inquit,qui non ſolum remiſſionem, & obtectionem conſecutus eſt, quamuis etiam iſte ſit beatus, ſed qui vltra hæc obtinuit, ne commiſſum peccatum imputetur. & attende quod loquitur de futuro, cui non imputabit, quia ſæpe facta remiſſione, & tectione, non ſtatim Deus pœnam infligit,ſed ſeruat infligendam,& ſic beatus,cui nec tūc imputat,quando remittit, nec etiā poſtea, ſed omnino peccati obliuiſcitur Deus,ideſt,ſe habet,ac ſi oblitus eſſet. Rurſus, Deus non imputat; ſæpe enim homines non imputant,quod eſt cōtra eos factum, ſed imputat Deus. ſæpe putant homines non imputatum, & falluntur. beatus eſt,cui Deus non imputat,ideſt,omnino ignoſcit, vt prædictum eſt. Vnde apparet,quantum hoc verbo Hæretici fallantur noſtri temporis. Dicunt enim homines etiam iuſtos in quolibet opere peccare, ſed Deum non eis in peccatum adſcribere,ſed id inſanum eſt; ſi enim peccant, non facit Deus ne culpam ex peccato contrahant, ſed dicitur non imputare peccatum, cuius pœnitentia præceſſit,& quod remiſſum eſt, quando nullum eius veſtigium manet, vt diximus.

Supereſt nunc explicare, quare his tribus ſit vſus vocabulis diſtinctis *Peſcagh*, & *Chataah*, & *Ghaon*. Aduerte,hæc in ſua propria ſignificatione ſumpta ſignificare primam tranſgreſſionem, & præuaricationem contra legem, & ſic iniuriam notari contra Deum, cuius legem homo tranſgreditur, ob id dicitur Deus remittere,quia remiſsio eſt reſpectu debiti ob illatam iniuriam. Alterum ſignificat peccatum, vt eſt deuiatio quædam à regula, & ſic opponitur virtutibus,quæ ſunt ſecundum regulam. vnde eius remiſsio dicitur tectio, quatenus, expulſo peccato, virtus infunditur.Non igitur hæc duo pro diuerſis peccatis ſumuntur, nec duo verba pro diſtinctis remiſsionibus,ſed pro eadem rationibus diuerſis,vti iam diximus; idem enim peccatum,vt tranſgreſsio eſt legis, & iniuria Dei,remittitur, vt oppoſitum eſt virtutibus,& contra ordinem eſt rationis, tegitur. At tertium ſignificat iniuſtitiam proximo illatam, & pro omni etiam hic peccato ſumitur; beatus enim eſt, cui Dominus non imputabit peccatum vllum mortale, tamen Dauid hoc genus peccati explicuit, quo ſe ipſum ſignificauerat; ipſe enim commiſerat *Ghaon* cōtra Vriā homicidio & adulterio perpetratis,quæ Dominus illi remiſerat, & texerat, tamen adhuc imputauit, quia eum puniuit temporaliter, nec adhuc integrā obtinuit indulgentiam, etiam culpa remiſſa & tecta,ob id dixit:Beatus homo,cui non imputabit Deus peccatum, & *Ghaon*, ſicut mihi imputauit,etiam priori obtenta beatitudine. huic, verbum ſequens fauet, quod ad eundem pertinet ſenſum, vt paulo poſt explicabimus. Hunc puto eſſe ſenſum

פשע
חטאה
עון

Cur Pſal. vtatur verbis remittere,tegere, & non imputare peccatū.

עון

עון

ſenſum literalem huius loci.

An ſit ordo diſtinctus beatitudinis, remiſsionis ſcilicet, tectionis, & non imputationis peccati.

Supereſt, vt quod tertio loco tractandũ propoſuimus, nunc exponamus, nempe an ſit iſte ordo diſtinctus beatitudinis, & certum eſt ſecundum omnes eſſe, tamen eſt differentia in hoc, quod, vt ex adductis ſententijs patet, aliqui tres diſtingunt gradus, vt primus ſit beatus, cui remiſſæ ſunt iniquitates, ſecundus cui tecta peccata, tertius cui non imputat Deus peccatum. ita ſenſit Gregor. Nazian. orat. in ſanctum baptiſma, vt citauimus ſuperius. ita etiam Origen. lib 4. in epiſt. ad Rom. ita Remig. in præſenti, quamuis non eodem modo omnes hi hos exponant gradus. Eoſdem tres etiam Hieronymus in præſenti diſtinguit; cuius ſententia, & explicatio eſt ab omnibus prædictis diſtincta: ob id explicanda eſt breuiter, tres modos remiſsionis peccatorum putat hic ſignificari: quãdo enim per baptiſmum peccata tolluntur, dicuntur remitti, quãdo per charitatem ſine baptiſmo, tegi: quando verò per martyrium, non imputari. his tribus enim modis ſolent aliquibus peccata remitti, quibuſdam per baptiſmum, quibuſdã per charitatem, quæ cum pęnitentia eſt, etiam ſine baptiſmo, quibuſdam per martyrium, ſinguli horum beati ſunt. quę quamuis vera ſint, ad ſenſum facere non videntur. Meo quidem iudicio duo tantum ſunt hic gradus beatorum. vnus priori verſiculo continetur, qui duplici parte conſtat, beatus eſt, cui remiſſa iniquitas, & tectum peccatum, non ſola remiſsione beatus homo eſt, niſi adſit tectio: remiſsio enim hæc tantum dicit debiti relaxationem, & condonationem; at tectio, iuſtitiæ, & charitatis dationem, ſine qua homo non eſt iuſtus, nec beatus, & vtrumque eſt in integra remiſsione, quæ iuſtificatio dicitur, ob id non dictum eſt, quorum remiſſæ iniquitates, & beati quorum tecta peccata, ſed ſub vna beatitudine vtrumque eſt comprehenſum. Alter gradus hoc poſteriori verſiculo continetur, altera duplici parte conſtans, beatus homo cui non imputabit &c. ob id non dicitur eodem contextu, & ſub eadem beatitudine, nimirum quorum tecta peccata, & cui non imputabit &c. ſed vt oſtendatur diſtinctus, repetitur, beatus homo &c. omnia hęc in Hebræo ſunt in ſingulari, vnde poteſt eſſe homo beatus, & iuſtus ſine hoc ſecundo, dummodo habeat duas partes prioris verſiculi. At quia poſterior eſt diſtincta beatitudo, & maior, ob id dicitur iterum beatus, & nõ vt prius, ſed additur, homo, beatus homo, quod in priori non eſt dictum. In Hebræo autem non habetur Dominus, ſed nomen Dei *Hauob.* ac ſi dictum eſſet, cui Deus non imputabit, quia remiſsionem peccatorum diuinitatis ipſius eſſe proprium certum eſt. הוה

Gregor Nazian. Origen. Remig. Hier.

Nec eſt in ſpiritu eius dolus.

Quid ſignificetur per ſpiritum hic.

ALiter hæc verba Septuaginta verterunt, quam in Hebræo haberi videatur: apud Hebræos enim habetur. In ſpiritu *Ducha*. Græci habent, in ore, non eſt dolus in ore eius. Et puto hoc inde eſſe natum, quia verbum Hebræum ſignificat multa, ſicut & nomen Latinum: ſignificat enim ventum, flatum, quem reſpiramus, ſignificat etiam animum, & ſubſtan- דוח

tiam incorpoream: hinc eſt quod nos legimus in ſpiritu, id eſt animo, & corde eius. at Septuaginta intellexerunt hunc ſpiritum de halitu, & reſpiratione, qua verbum formatur ore. *Iſai. 11.* iuxta illud Iſai. 11. Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium, & ſic ſenſum obſeruantes dixerunt: non eſt dolus in ore eius; non loquitur dolos. at qui ſpiritum pro animo ſumpſerunt, legunt, non eſt dolus in corde, & animo eius. & ſic varie doctores legunt, & varietati fauet, quod dolus & in animo, & in ore, & etiã in opere ſit. *Dolus in quo conſiſtat.* De primo dr pſal. 37. *Pſal. 37.* Dolos tota die meditabantur. De ſecundo pſal. 14. *Pſal. 14.* Qui non egit dolum in lingua ſua. De tertio pſal. 54. *Pſal. 54.* Non defecit de plateis eius vſura & dolus. Puto tamen melius & verius legi. Non eſt in ſpiritu eius dolus. Nam hoc includit alia duo, non autem econtrario, quia ſi dolus non eſt in animo, nec erit in ore, nec in opere. at fieri poteſt, vt non ſit dolus in ore, & tamen ſit in opere, aut ſit in opere, & non in ore, aut in neutro ſit, & tamen ſit in corde; fieri tamen non poteſt vt non ſit in corde, & tamen ſit in opere, aut ore, legendum igitur eſt. Non eſt in ſpiritu eius dolus. ſic enim omnis dolus excluditur, nunc ſenſus eſt conſiderandus.

Aliqui hanc particulam tanquã quartum gradum diſtinguunt, & exponunt, vt ſit beatus, cuius in ſpiritu dolus non eſt ita, vt cum dicitur, beati quorũ tecta peccata, *Dolũ non eſſe in ſpiritu quid denotet.* excludantur peccata cordis, & cui non imputabit peccatum, peccata operis, & non eſt dolus, peccata oris: hic enim eſt diuiſio peccatorum omniũ actualium, per remiſſas iniquitates originale intelligunt. Et ſic Innocen. exponit, qui *Innoc.* legit: Non eſt dolus in ore eius. Alij legunt hanc particulam tanquam cauſalem præcedentis, Deus non imputabit peccatum, quia non eſt in ſpiritu eius dolus. Et ſic Gregor. Nazian. in loco ſuperius citato, & Remig. exponunt, *Gregor. Nazian. Remig.* quamuis in verſus præcedentis explanatione diſſentiant, ſed hoc non videtur dici poſſe, non enim eſt ſufficiens cauſa, cur Deus non imputet alicui homini peccatum, quia non eſt dolus in animo illius: nec ſecundum expoſitionẽ Remig. nec ſecundum expoſitionem Gregor. Nam ſecundum Remig. ſenſus eſt: beatus cui non ſit peccatum quod Deus imputet, ſed cauit ab omni mortali, quia dolus non eſt in eo, non eſt ratio iſta bona: nam poteſt carere omni dolo, & habere alia peccata mortalia. Secundum Gregor. ſenſus eſt, beatus qui licet aliquid exterius vitioſum fecit, Deus non adſcribit id peccato ei, quia dolus non eſt in ipſo: nec adhuc eſt bona cauſa, quia poteſt eſſe negligentia in animo culpabilis, propter quã ei adſcribatur in culpam, licet non ſit dolus: nam ignorantia, & negligentia culpabiles, & quæ non excuſent à peccato facientem aliquid in ſe vitioſum, poſſunt eſſe ſine dolo. non igitur hi ſenſus eſſe poſſunt, niſi velint impropriè exponere vocabulum, dolus, quod non debet fieri ſine neceſſitate: verba enim à ſua propria ſignificatione non ſunt, præſertim in ſcriptura, diſtrahenda ſine neceſſitate aliqua. Puto igitur non cauſaliter, ſed copulatiue hanc eſſe particulã legẽdam. vt ſicut in verſiculo præcedenti duo erant ſimul, propter quæ beatus dicebatur homo, ſint

etiam

Digitized by Google

etiam in hoc alia duo, vt beatus homo ſit, nempe cui non imputatur peccatum, nec eſt dolus in eo, & ſic & apud Hebræos, Græcos, & Latinos particula eſt copulatiua ſimul, & negatiua. & in priori parte iniuſtitia in proximum eſt excluſa, עון quæ ſignificatur verbo *Ghaon*, nunc excludit dolum, vt ſit ſenſus, nec malum fecit proximo, aut ſi fecit, deletum eſt, nec ipſum decepit. Meminit autem horum Dauid, oculos in ſeipſum figens; nam hæc עון duo ipſe commiſit in Vriam. *Ghaon* quidem, quia adulterium cum eius vxore perpetrauit, & ipſi necem molitus eſt: dolum, quia vocauit prius ad ſe, & conuiuium fecit, & ad vxorem remiſit animo doloſo, vt adulterium occultaretur, & videns hoc euentu fruſtratū ſuo, ſcripſit, vt in bello in prima acie contra inimicos poneretur, non vt victoriam conſequeretur, ſed vt occideretur, ob id particulari hoc verſiculo ſuorum pœnitens dixit. Beatus cui non imputabit Dominus peccatum, nec eſt dolus in eo, quaſi diceret, hęc mea fuit miſeria, עון quod & commiſi *Ghaon*, & iniuſtitiam contra proximum meum, & cum ipſo nimis egi doloſe. Fateor magis huic quadrare, ſi aliter exponamus verbum, imputare, vt is dicatur, quod ei non imputatur peccatum à Domino, quæ immunis eſt à peccato, & tūc erit ſenſus. Beatus qui immunis erit ab iniuſtitia in proximum prædicta, & à dolo; ſed de hoc modo dicemus. Hæc ſunt; quę poſſunt dici probabiliter in horum verſiculorum expoſitione.

Verus ſenſus litteralis verſiculi pſ.

His tamen non obſtantibus, & in ſua probabilitate manētibus, mihi legitimus, & literalis ſenſus vtriuſque huius verſiculi alius videtur eſſe, quem paucis exponam. Aduerte igitur, quamuis hæc tria vocabula ſæpius prædicta in Scriptura vſurpentur indifferenter pro peccatis in genere, tamen non ſemper, ſed aliquando in ſua etiā propria ſumi ſignificatione, vt vnum ab alio diſtinctum quid ſignificet: cum enim peccatorum varia ſint genera, non mirum, ſi varijs vocabulis ſignificantur, & tunc maxime diſtincta ſignificare cenſenda ſunt, quando ſimul ponuntur; & multiplicantur, huius exemplum in ſcriptura habemus. Primo eſt locus notandus Exod. 34. vbi propria Dei referūtur, & dicitur. Auſers iniquitates, ſcelera, & peccata, ſunt hæc tria vocabula: primum eſt *Ghaon*, ſecundum eſt *Peſcagh*, tertium eſt *Chataah*. עון פשע חטאה Et ſeptuaginta verterunt duo vltima, non vt nunc. at *Peſcagh* ἀνομίας, & *Chataah* ἀδικίας, primū autem *Ghaon* ἁμαρτίας, פשע חטאה עון ſaltem tribus verterunt vocabulis. eadem etiam tria habentur Mich. 7. in fine. *Mich. 7.* in Hebr. eſt tamen textus mirabilis reſpondens illi Exod. Dan. 9. *Dan. 9.* vbi loquens de complemento hebdomadarum, & Chriſti aduentu dicit. Septuaginta hebdomades ſunt, vt cōſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatū, & deleatur iniquitas, & numerātur hoc ordine, qui eſt in hoc pſalmo eiſdē verbis. Iob. 13. dicitur. Quantas habeo iniquitates, & peccata, ſcelera & delicta mea oſtende mihi. Hoc loco habentur apud Hebręos hęc tria vocabula pręſentia; loco illius primi, iniquitates, habetur, quod eſt nunc in tertio: loco illius ſecūdi, peccata, habetur quod etiam eſt hic in ſecundo loco: loco tertij, ſcelera, habetur quod eſt hic in primo loco: loco illius quarti,

delicta, repetitur, quod eſt in ſecundo loco. At quis dixerit hæc omnia ſignificare eadem peccata, & non potius diuerſa? habetur etiam Iſai. 58. Annuncia populo meo ſcelera eorum, & domi Iacob peccata eorum. Habentur duo in hoc loco, primũ, & ſecundũ, ſicuti nũc habentur pſal. et 84. Remiſiſti iniquitatẽ plebis tuae, operuiſti omnia peccata eorũ. Habetur loco primi, quod nunc eſt tertium, & loco ſecundi, quod nunc etiam eſt ſecundum. nimis eſt à ſenſu diſcedere, ſi omnia confundamus pro eodem, maxime quod diſtincta verba repetuntur cum ſingulis: ſi autem peccata, & iniquitates pro eodem ſumerentur, ſat erat dicere. Beati quorum remiſſæ iniquitates, & peccata, & non adhuc cum nominibus ſimul verba diſtinguere. Exiſtimo igitur, nec dubito diſtincta ſignificari peccata. per iniquitates, vocabuli Hebræi ſignificatione conſiderata, ſignificantur præuaricationes, quibus populus ille ſæpe prçuaricabatur à Deo recedendo per apoſtaſiam, & infidelitatem, & ad idola ſe conuertendo, deisq. falſis cultũ exhibebat, quod eſt grauiſsimum omnium peccatum, & quod maxime Deus deteſtabatur, & acerbiſſima pena vindicabat. Hinc explicatur locus Iſai. 1. Conteret, inquit, ſceleratos, & peccatores ſimul, ideſt, Iudæos, qui ad idola ſe conuerterunt, & qui alijs etiam peccatis ſe dederunt, vbi habentur verba hęc *Vechataim Poſeghim*, quç ſunt duo iſta noſtra prima. Per peccata, cetera intelligit omnia, quæ committebatur ſeruata fide, & religione, tunc enim deuiationes erant, quaſi ſine retento vltimo, qui Deus eſt, opera mala ab ipſo deflectebant. Beatum igitur Dauid clamat, cui & præuaricationes à Deo dimiſſę ſunt, & ſimul cetera peccata; ita vt commiſſorum omnium veniam obtinuerint. Dicet aliquis, cur illa remiſſa, hęc tecta dicuntur? Reſpõdeo dici hoc loco illa remitti tantum, quia ſic Deus culpam hanc ſolebat dimittere, quod temporaliter populum puniebat pro tali præuaricatione, vt ex Scriptura ſæpe habemus, ita hæc tegi dicuntur, quia non ſolum culpam dimittebat, ſed etiam temporaliter ignoſcebat. hoc enim eſt tegere, quod non publicare, & manifeſtare puniendo temporali, & manifeſta pęna, quod in plurimum factum eſt in huiuſmodi peccatis, quamuis aliquando ſic etiam punita ſunt. Remiſſionẽ vocat veniam datã à Deo, quamuis cum caſtigatione temporali: tectionẽ autem veniam cum huiuſmodi relaxatione pęnæ. hic eſt ſenſus prioris verſiculi. Poſterioris autem ſenſus eſt, vt beatus ſit in altero gradu, qui immunis fuerit à peccato, ideſt, ab iniuſto aliquo facto in proximum, de quo dicitur pſal. 14. nec fecit proximo ſuo malum. & à dolo in eum; de quo dicitur etiam, nec egit dolum in lingua ſua. Vnde hic reſpondet illi pſal. 14. Qui loquitur veritatem in corde ſuo, nec malum fecit proximo ſuo, nec egit dolum in lingua ſua. Non agere dolum in lingua, & loqui veritatem in corde, hoc in loco clauduntur ſub illo, non eſt dolus in ſpiritu eius. Illud, non fecit malum proximo, dicitur non imputabit Deus *Ghaon*, non quod hoc tantum ſufficiat, vt ſit homo beatus; ſed particula hæc exprimit propter ſe, vt ſeipſum accuſet, vt ſuam pęnitentiam inſinuet. Frequens

Iſai. 58. *Pſal. 84.* פשעים וחטאים *Pſal. 14.* עון

quens enim in ſcriptura eſt, vt beatitudo vni virtuti, aut vnius remotioni vitij tribuatur, nō quod aliud non ſit neceſſarium, ſed quod particulari aliqua ratione hoc commendetur: ſic dicitur Eccleſ. 31. Beatus vir, qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecuniæ theſauris, ideſt, qui cauit ab auaritia. quamuis dici ad hunc locum poſſit, præmiſſum eſſe, beatus diues, qui inuētus eſt ſine macula; tamen alijs locis id conſtat, Luc. 10. Beati oculi qui vident, quæ vos videtis, pſal. 40. Beatus vir qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, ideſt, facit miſericordiam, ſeu eleemoſynam. Eccleſ. 28. Beatus vir, qui tectus eſt à lingua nequā. Nunc igitur ob ſui peccati recordationem, & penitentiam, Dauid, beatum vocat immunem à malo in proximum, & dolo: dicit autem, cui non imputabit Dominus, & non abſolute dixit, qui non fuerit particeps peccati, eadem de cauſa, quia ſcelus in Vriam occultum fuit hominibus, & non putabatur occiſus à Dauid. at huius facti Dominus ei culpam adſcripſit, ſicut vere erat, vtpote cui nihil eſt occultum: totus ergo hic verſus ob ſui ipſius rationem dictus eſt à Dauid, & ſic cum emphaſi dicitur: Beatus homo. & hūc credo horum eſſe verſiculorum literalem ſenſum. Et hęc de præſenti ſermone.

Eccl. 31. *Luc. 10.* *Pſal. 40.* *Eccl. 28.*

SERMO IIII.

Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die.

Continuationē & ſenſum huius verſiculi cum præcedentibus exponemus in hoc ſermone, ſi prius quæ alij dicant, proponamus. quæ autem ad verba pertinent, ante omnia noſſe debemus, illa particula, quoniam, quæ cauſalis eſt, bene eſt tranſlata: nam apud Hebręos eſt *Chi*, & apud Græcos ὅτι, quamuis apud Hebræos plura etiam ſignificat; aliquando enim ſumitur pro, cum, & quando. Verbum, inueterauerunt, bene eſt verſum, quod etiam Græcis idem ſonat, Hebræa vox, verbum *Balah*, quod ſignificat ſeneſcere, inueteraſcere, ſenio conſumi, attterere, conterere. vnde Hieronymus vertit, attrita ſunt oſſa mea. Verbum, clamarem, non reſpondet Hebræo: nam habetur verbum *Seaap*, quod ſignificat rugire, quod eſt leonum, & inde transfertur ad rugitum, & voces inarticulatas hominum dolentium. & ita habetur pſal. 37. Rugiebam à gemitu cordis mei. Et pſal. 103. Catuli leonum rugientes. Clamor autem diſtinctum quid eſt. eſt enim vox eleuata, & fortis, articulata tamen, vnde alio verbo clamare ſignificatur apud Hebræos, nempe *Scugba*. At Septuaginta verterunt in hoc loco per verbum clamandi Græcum, quod eſt κράζω. cum tamen idem verbum Hebræū pſal. 37. & 103. verterint per verbū ὠρυόμαι, quod ſignificat rugio, vlulo, la-

בלה שאג *Pſal. 37.* *Pſal. 103.* שוע

lo, latro. quidquid ſit, verbum hoc clamandi eſt intelligendum ſecundum ſignificationem Hebræam, vt ſit clamor gementium, & dolentium per rugitus, & ſuſpiria, & gemitus vehementes. hæc quantum ad verba.

Tacere quid ſignificet in hoc Pſal. Eugub. Vatabl.

Quantum ad ſenſum attinet, varie exponitur locus hic. Eſt autem prima expoſitio eorum, qui ſe ex Hebręo ſenſum elicere profitentur, inter quos ſunt Auguſt. Eugub. Vatabl. & alij, qui ſic exponunt: Quoniam tacui, ideſt, dum mecum tacitus conſidero, ſupple commiſſi à me peccati grauitatem, oſſa mea inueterata ſunt, ideſt, tabeſco, conſumor: dum clamarem tota die, ideſt, præ rugitibus, quos continuo fundo præ dolore, & deteſtatione peccati. Iſta eſt Hebræorum expoſitio, quam non probo, nec ſtare poſſe mihi videtur. Primo, quia torquet verborum ſignificationem, nempe tacui, ideſt, conſidero mecum. Secundo, vt ſuſtineat verbum, cuius ſignificatio inuerſa eſt, addit de ſuo ingenio, quod conſiderabat ſecum grauitatem, & magnitudinem peccati. hoc autem eſt, præpoſteros ſenſus facere, non ex verbis ſenſum colligere. Præterea tertio, quod eſt præcipuũ argumentũ contra hanc expoſitionem, quia nec in iſto verſiculo, nec in ſequenti Dauid propriè ſuæ pœnitentiæ meminit, vſque ad illud, Dixi confitebor aduerſum me, &c. & tu remiſiſti, &c. Si igitur hoc loco deteſtationem peccati exprimeret, iam veniæ meminiſſet, quæ ſequitur pœnitentiam, & deteſtationem peccati, ſed hanc non eſſe obtentam ſignificat, donec dicit: Confitebor aduerſum me, &c. non igitur hic de gemitu pœnitentiæ, nec de conſideratione peccati ſermo eſt, ſed potius de contrario, vt mox dicemus.

Alia eſt expoſitio Auguſt. Innocent. & Remig. qui hæc verba non ad literam exponere videntur. Dicunt hæc in perſona peccatoris dicta eſſe, & dubitant, quomodo hæc, quę contraria videntur, ſimul verificentur, dum clamarem, & quoniam tacui. reſpondentq., reſpectu diuerſorum intelligi, tacuit peccator peccata ſua, clamauit merita, & virtutes ſuas, tacuit vnde proficeret, clamauit vnde deficeret. male tacuit, male clamauit, & inde vires animæ, quæ oſſa dicta ſunt, defecerunt: ſed iſte ſenſus hoc habet difficultatis: nam hoc in loco etiã in perſona propria ſua Dauid loquitur iſta. debent ergo proferre ſenſum, qui ipſi conueniat; at non video, quòd aptari poſſit ei propria iactaſſe merita, & virtutes. Adde, quòd verbum Hebræum hanc tòllit ambiguitatem; non enim ſignificat clamare, ſed rugire, quod eſt dolentium, & gementium, non autem propria merita iactantium. *Auguſt. Innoc. Remig.*

Tertia expoſitio eſt Theodoreti, qui in hunc ſenſum exponit, Quia ſilui, ſeu tacui diſſimulando peccatum, & differendo remedia, & medicinam ſumere, ideo nunc conſumptus ſum, & ſenio confectus prę nimio clamore, quo Deum exoro pro venia, & remiſſione peccati. quaſi ſi tunc, cum peccatum commiſit, veniam poſtulaſſet, & ipſum pœnituiſſet, facilius & minore cum labore veniam obtinuiſſet, quam poſtea difficillime, & cum labore magno obtinuit, quia diſtulit, & in peccato diu manſit. Hæc expoſitio veram continet doctrinam in hoc, quod peccati, in quo homo diutius *Theod.*

tius

tius impœnitens manet; difficilius venia impetratur. Tamen ad ſenſum intentum non videtur poſſe conſiſtere: primo, quia clamorem hunc exponit de oratione, qua veniam petijt peccati, & verbum hoc non id ſignificare videtur, niſi dicatur, quod rugitus hi erāt, quia cum lachrymis & gemitibus petebat hanc veniā. quod dici quidem poteſt, ſed obſtat aliud ſecundum, quia nec his, nec ſequentibus verbis conuerſio eius ad Deum exprimitur, alias non diceret poſtea, Dixi confitebor aduerſum me peccatum meum. quaſi, quando gemebat, adhuc nondum confeſſus eſſet aduerſum ſe peccatum. vnde non videtur quadrare hæc expoſitio verbis, nec contextui.

Expoſitio igitur, quam veram puto, hæc eſt, pro cuius notitia hæc animaduerte. Poſtquam beatos vocauit eos, qui veniam peccatorum conſecuti ſunt, & beatiores eos, qui in ea non inciderunt, & in illa maxime, in quæ ipſe impegerat, incipit narrare, qua ratione ipſe hanc veniam obtinuerit, vt diſcamus peccatores remedium peccatorum commiſſorum; & vt perfecte id faciat, & aperiat, docet quid impediret veniam, & poſtea quomodo eam fuerit conſecutus. primum exponit ab hoc verbo. Quoniam tacui; alterum, dixi. Vnde hæc duo verba ſibi mutuo reſpondent; in vno oſtenditur impedimentum veniæ, in altero facilitas conſecutionis venię, & remiſſionis. In hoc ergo verſiculo ponit impedimentum veniæ, & ſimul ſtatum peccati ſui ante veniæ conſecutionem. Senſus igitur eſt, Quoniam tacui, ſeu quando tacui. id nempe quod poſtea locutus eſt, ſcilicet, confiteri aduerſum ſe peccatum Domino. Quando igitur tacui confiteri meum peccatum Domino, quando diſſimulaui ad Deum conuertere me à peccato, tunc oſſa mea inueterauerunt, ideſt, vires corporis defecerunt, & diminutæ ſunt præ continuo rugitu, quem effundebat in malis pene innumerabilibus, quæ ei tunc acciderunt. ac ſi dicat, dum peccati me non pœnituit, tot mihi acciderunt mala, & tot animi & corporis perturbationes, vt, præ gemitibus & rugitibus, ſim velut ſenio confectus. Poſſumus etiam hoc idē interpretari in ſenſu cauſali iuxta noſtram veram verſionem, quia tacui, & diſtuli confiteri meum peccatum Domino, præ rugitibus, quos effudi in his, quæ mihi mala euenerūt, vires me defecerunt. hunc ſenſum litera præfert, & verus & legitimus eſt.

Aduertendum tamen eſt, in hoc verſiculo non exprimere cauſam huius rugitus, & clamoris, ſed in ſequenti, quoniam grauata eſt ſuper, &c. ſolum nunc exponit eius magnitudinem ab effectu, quòd tantus fuit, vt oſſa inueterata ſint, ideſt, vires defecerint, ac ſit velut omnino ſenio debilitatus. hoc autem inde prouenit, quia tacuit, & peccatum confiteri Deo diſtulit, quæ autem iſta ſint mala, in verſu ſequenti exprimit, & ibi exponemus. Per oſſa autem non ſolum corporis, ſed etiam animæ vires, quæ ad ferenda aduerſa neceſſariæ ſunt, intelliguntur. hæc nunc defeciſſe, & diminuta eſſe dicit præ dolore nimio inflictarum plagarum.

Aduerte, duplicem taciturnitatem legi in Scriptura, vnam bonam, & laudabilem, alteram malam, & vituperabilem; aliquando enim

Taciturnitas quo tupliciter ſumatur.

enim tacere bonum eſt, aliquando malum. Bona taciturnitas multiplex legitur; vna eſt prudentiæ, quando homo tacet, quia nouit non eſſe aptum loquendi tempus, aut locum, de quo dicitur Amos 5. Prudens tacebit in illo tempore, quia tempus malum eſt. Et Eccl. 20. Homo ſapiens tacebit vſque ad tempus. Et rurſus in præcedentibus verbis dicitur: eſt tacens, ſciēs tempus apti ſermonis: hoc prudentiæ eſt. Eſt altera taciturnitas bona ſapientiæ, quando tacet homo aliqua cauſa non omnibus nota, & quam ſcire ſapientis eſt. de hoc dicitur pſal. 38. Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti, ideſt, in opprobrijs, & perſecutionibus, ſeu iniurijs mihi illatis ab hominibus tacui: non reſpondi, quia noui, & conſideraui, ex Deo eſſe me iuſte iudicāte, quod 2. Reg. 16. patet, vbi dum malediceretur à Semei, dixit: Sinite illum vt maledicat mihi, Dominus enim præcepit ei, vt malediceret mihi. hoc ſapientiæ eſt. & vere ſapiens eſt, qui in ijs malis, quę ab omnibus inique nobis inferuntur, ad Dei altum iudicium mentis extollit conſiderationem. Tertia taciturnitas bona eſt patientię, de qua in eodem pſal. 38. in principio dicitur. Obmutui, & humiliatus ſum, ſilui à bonis, & dolor meus renouatus eſt, cum conſiſteret peccator aduerſum me, ideſt obmutui, & non reſpondi, quando deprimebar, & humiliabar verbis iniurioſis, ſilui etiam à bonis, ideſt, etiam ſi poſſem aliquid licite reſpondere; tamen adhuc tacui, quando dolor meus renouabatur obiectis mihi ijs, quæ ante commiſi, & hoc à viro malo fiebat contra me. hoc patientiæ eſt, ſcilicet diſciplinæ. Eſt enim quarta taciturnitas in ſecundo verbo, ſilui à bonis, incluſa, quando tacet homo etiam quando poſſet bene loqui, aut reſpondere, vt diſcat per hoc tacere; vnde in hoc verſu duplex eſt taciturnitas comprehenſa: vna patientiæ, altera diſciplinæ. Et paulo inferius alia ſapientiæ, de qua iam diximus. Quinta eſt pęnitentiæ, & mortificationis, non enim parua mortificatio eſt frænum linguæ, de qua dicitur Tren. 3. Sedebit ſolitarius, & tacebit, quoniam eleuauit ſe ſuper ſe. Sexta eſt compunctionis, quando homo non habet excuſationem de commiſſo, & præ confuſione tacet, quia ſe non habere excuſationem fatetur taciturnitate. de hac dicitur Iſa. 47. Sede, tace, intra in tenebras filia Chaldæorum. Vltima eſt taciturnitas intelligentiæ, quando tacet homo, vt ea quæ dicuntur intelligat, & quæ audit, penetrat. de qua dicitur Daniel 10. Deieci vultum in terrā, & tacui. Tunc enim Angelus cum Daniele loqui intēdebat myſteria. Hæ ſunt taciturnitates bonæ, & laudabiles, quarum Scriptura meminit, & quas debet vnuſquiſque noſtrum imitari, & ſic tacere bonum eſt.

Amos 5. *Pſal. 38.* *2. Reg. 16* *Pſal. 38.* *Iſai. 47.* *Dan. 10.*

Multiplex etiam eſt taciturnitas mala, de qua Scriptura meminit. Vna eſt ignorantiæ, quando tacet homo, quia neſcit quid debeat loqui, aut reſpondere: de qua dicitur Eccl. 10. Eſt tacens non habens ſenſum loquelæ, ideſt tacet, quia neſcit loqui. ſub quibus etiam verbis comprehēditur altera taciturnitas mala imprudentiæ, quando tacet homo, non cognoſcens opportunum tempus loquendi, etiam ſi ſciat reſpondere, & loqui. hoc imprudenTaciturnitas mala quotuplex. *Eccl. 20.*

pruden-

prudentię eſt, & dicitur non habere ſenſum loquelæ, non ſolũ qui neſcit reſpõdere, & loqui, quod ignorãtiæ eſt, ſed etiã qui non nouit iudicare opportunitates loquendi, quod imprudentiæ eſt. Tertia negligentiæ, qua homo ab oratione ad Deũ, qua ſummopere indigemus, vacat, de qua Iſai. 62. dicitur: Qui reminiſcimini Dei, ne taceatis, & ne detis ſilentium ei, donec ſtabiliat, & donec ponat Hieruſalem laudem terræ. ideſt, orate ſemper, & non ceſſetis, donec mittat Chriſtum. Quarta eſt malitiæ, quando tacet homo, ne ex reſponſis eius conuincatur malitia & iniquitas. De qua habetur Luc. 14. Si licet ſabbato curare? at illi tacuerunt. Quinta eſt iniuſtitiæ, quando non loquitur ea, quæ ex officio ſuo, aut obligatione tenetur dicere & manifeſtare, vt quando prælati, & prædicatores, quibus incumbit populum docere, arguere, reprehendere, à debita abſtinent inſtructione. de qua iuſtitia dicitur Iſai. cap. 62. Super muros tuos Hieruſalem poſui cuſtodes, tota die non tacebunt. & additur: & tota nocte in perpetuum. & Hierem. 4. Non tacebo, quoniam vocem buccinæ audiui. tenebantur enim ſpeculatores, audita buccina belli, ciues admonere, alias noxij erant ſanguinis effuſi. De hac taciturnitate dicitur Iſai. 6. Væ mihi, quia tacui. exponit Hieronymus, quia Oziam regem non reprehendi, quando debui. Alia etiam eſt horum verborum expoſitio, ſed data bona eſt, & ad rem propoſitam conſentanea. & Ezech. 33. Si me, inquit, dicente ad impium, impie, morte morieris, non fueris locutus, vt ſe cuſtodiat impius à via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram, ideſt, tibi imputabo, & reddes rationem mihi, ac ſi tu occidiſſes manu tua, ad quem locum reſpiciens Paulus, Act. 20. dixit: Mundus ſum à ſanguine omnium; non enim ſubterfugi, quominus annunciarem omne conſilium Dei vobis. Sexta taciturnitas eſt impœnitẽtię, quando homo ſua peccata Deo confiteri, hoc eſt coram Deo recognoſcere negligit, quia ab eis recedere non vult, aut ijs, à quibus medelam ſpiritualem exſpectat, præ pudore, aut alia quauis paſſione abſcondit. De qua taciturnitate dicitur Eccl. 4. Non confundaris confiteri peccata tua. & ibidem, Non confundaris dicere verum pro anima tua. ideſt, ne taceas loqui ea, quæ pro ſalute tuæ animæ ſunt, quamuis alij aliter exponant. & Prou. 28 Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur, qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Omnes hæ taciturnitates, ad quas aliæ, quæ non ſunt in Scriptura expreſſæ, reduci poſſunt, malæ ſunt. Quarum vltima eſt hæc, de qua Dauid nunc dicit: Quoniam tacui, peccatum ſcilicet meum non confitendo, nec recognoſcendo, ſed diu in impœnitentia, & peccati continuatione manendo, factum eſt vt vires defecerint in gemendo & rugiendo pro malis, quæ mihi ob id à Deo ſunt illata, quod ſtatim in verſu dicitur.

Iſai. 62. *Luc. 14.* *Iſai. 62.* *Hier. 4.* *Iſai 6.* *Hieron.* *Ezec. 33.* *Act. 20.* *Eccli 4.* *Prou. 28.*

Adhuc tamen particularius examinanda ſunt verba hæc tria. Quorum primum eſt, tacui; petet enim quid, & qualiter tacuit? omiſſa illa ſententia Hebræorum verborum vim nimis curioſe ſectãtium, quod tacui, eſt idem ac tacitus conſide-

Taciturnitas Dauid an fuerit bona, vel mala.

Eee raui

raui peccata, ſecundum quam peccata ſunt, quæ tacuit, & modus tacendi conſideratio fuit, ſecundum quam expoſitionem tacere hoc bonum eſſet, ſed ſuperius eam impugnauimus. Communis expoſitio eſt, hanc taciturnitatem fuiſſe malam, qua tacuit peccata ſua commiſſa, ſed quomodo tacuerit, in hoc non omnes conueniunt. Lyra in præſenti dicit, idem eſſe tacuiſſe, ac celaſſe, & occultare voluiſſe peccatum adulterij: nam commiſſum à principio adulterium voluit occultare, ne detegeretur; inde eſt, quod Vriæ perſuadere voluit, vt cum vxore dormiret, & alia, quæ dicemus, ſecuta ſunt. Voluit etiam occultare, non offerendo ſacrificiũ pro peccato, præ pudore, ne inde detegeretur: nam vt patet Leu. 4. & ſequent. iuſſit Deus pro peccatis certa ſacrificia offerri, & aliqua peccata determinauit, vt quæ ex errore erant contra Dei mandatum, & periurium, & vanum iuramentum; alia autem non expreſſit: & ſic per ſacrificium non poterant in diſtinctam cognitionẽ peccati alij venire, ſed in confuſo, & in vniuerſali. Sed iſta expoſitio non placet, nam textus ipſe explicat quid, & quomodo tacuerit: nam oppoſitum ex oppoſito cognoſcimus. dicitur autem inferius: Dixi, confitebor aduerſum me peccatum meum Domino; hoc enim eſt, quod, & qualiter ante tacuerat. confeſſus eſt poſtea Domino non ſolum peccatum adulterij, ſed dolum, & homicidium Vriæ. Rurſus dixit, & locutus eſt recognoſcendo peccatum coram Domino, & veniam dolenter petendo: hoc igitur modo tacuit, nempe à recognitione peccati coram Deo, à veniæ humili, & contrita petitione. hoc eſt quid, & qualiter tacuit.

Aliud verbum eſt, inueterauerunt oſſa mea, ideſt, inueterata ſunt oſſa mea. Idem Lyra per oſſa exponit vires animæ ſpirituales, quæ ex gratia, & Dei auxilio, & virtutibus ſunt, & eſt metaphora; vt enim robur corporis oſſa ſunt, ſic vires animæ dicuntur oſſa. hæ defecerunt Dauid, & diminutæ ſunt ex contractione ipſius peccati. & exponit ſic, quia tacui, & celare volui primum illud adulterium, vires animæ defecerunt in noua incidendo peccata: nam inde quia celare voluit, videns non poſſe marito celari, ipſum curauit occidendum. Sed contra hoc eſt, quia hæ vires ſpirituales non tantum defecerunt ex eo, quòd celare voluit adulterium, ſed etiam, quia, etiam commiſſo homicidio, adhuc manſit impœnitẽs per multos dies, nec ſuum coram Deo confeſſus eſt peccatum, donec miſſus eſt ad eum Nathan propheta. Ex qua impœnitentia, & taciturnitate multum paſſus eſt detrimenti in ſpiritu ſuo, & vires animæ multum concuſſæ; creſcit enim multum culpa, & ſpiritus debilitatur valde ex ipſa impœnitentia, & mora conuerſionis, & ira Dei inde magis ac magis prouocatur, dum confeſſio iſta magis procraſtinatur, quod Rom. 2. dicitur: Tu autem ſecundum impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram. Inceperunt ergo oſſa hæc minui, quando peccatum primum admiſſum eſt: decreuerũt, & diminutæ magis ac magis ſunt, dum non ſtatim pęnituit, & ſic alia addidit peccata, quæ iterum tacuit per impœnitẽtiam, & ſic oſſa dicta ſunt inueterata, ideſt, conſumpta, confecta, quod magnam arguit impœni-

Digitized by Google

pœnitentiam ipſius. Iuxta hanc igitur expoſitionem Lyræ, veritas non eſt plene, & integre expoſita, vt ex dictis patet. adde etiam, quòd nec hæc inueteratio prouenit, quia celare voluit peccatum hominibus, vt exponit Lyra,. ſed quia diſtulit confiteri Deo, & veniam petere. quod autem eſt magis contra hanc expoſitionẽ eſt, quia non immediate oſſa inueterata dicuntur, quia tacuit, ſed ex rugitu & clamore continuo; vt ſit ſenſus: Quoniam tacui, inde tota die rugitus & clamor mihi tantus fuit, vt mea oſſa ſint præ rugitu inueterata. nec aliter hic contextus aptari poteſt: vnde puto, ſenſum non eſſe de ſpiritualibus viribus, ſed de naturalibus corporis & animæ, nempe corporalibus, & animalibus. ſitq. ſenſus rugitus, & clamor, ac dolor tam continuus, ac tantus mihi fuit, ex quo tacui, & quia tacui, nec ad Dominum me conuerti, vt vires meæ corporales, & animales ſint fere conſumptę, & velut ſenio confectæ. cauſam autem huius gemitus ſtatim exponit verſu ſequenti.

Clamor & rugitus quid ſint. *Lyra.* Aliud verbum eſt, dum clamarem, quod de rugitu exponendum eſſe diximus ſupra. Quis ſit hic clamor & rugitus, idem Lyra reſpondet, hunc clamorem eſſe anxietatem timoris, ne ſuper eum appareret diuinum iudicium aliqua manifeſta punitione; videbat enim ſe eſſe in peccato, & præ verecundia non faciebat ſacrificia debita pro peccato, & in lege præcepta: inde timebat, ne ſuperueniret Dei aperta vindicta contra eum. Hæc explicatio non videtur apta: nam clamor, gemitus, rugitus, non eſt timentium, ſed dolentium, dolor autem non eſt de futuro, ſed de præſenti, aut præterito. præterea, quia ſtatim ſequitur cauſa, Quoniam grauata eſt ſuper me, non autem dicitur de futuro. Dico ergo, hunc rugitum eſſe ex dolore interno, quo dolebat ob mala, quæ ob impœnitentiam patiebatur. & attende, quod rugitus importat vocem, & expreſſionem ex dolore vehementiſſimo, & fere intolerabili cũ quadã animi indignatione & ira; aliud enim eſt gemere, aliud rugire. Merito autem dicit rugitum, quia non ſolum cõquerebatur de malis magnis, ſed quandam habebat indignationem contra ſe ipſum, quod ex propria euenirent culpa. vnde videns ſe affligi ex propria culpa, & malis premi, dolebat, & contra ſeipſum quodammodo indignabatur, vt fieri ſolet; & hæc voce exprimens, rugiebat continuo ſecum ita acriter, vt vires defecerint modo prædicto. Ex hoc ſimul ſenſus verſiculi huius manifeſtus eſt, & illius Pſal. 37. Rugiebam à gemitu cordis mei. Gemebat intus dolens ex inflicta pœna, & gemitum hunc ſequebatur rugitus, qui eſt cum quadam indignatione contra ſe, quòd cauſam mali dederit numerando populum, propter quod à Deo puniebatur, aut aliud peccatum committendo, iuxta id, de quo in eo Pſalmo agitur. Per hæc puto præſentis verſiculi ſenſum eſſe expoſitum. *Pſal. 37.*

SERMO V.

Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua: conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.

DIFFICILIS eſt horum verborum cum præcedentibus connexionis intelligentia, ſed multo difficilius eſt, verborum aſſequi ſenſum, & hoc maxime propter poſteriorem huius verſiculi partem. Priori loco ſenſus exquirendus eſt, poſteriori autem connexio, quam ex ſenſu facile habebimus. eſt autem priorum verborum ſenſus abſque controuerſia, & difficultate; quando enim Deus aliquem punit acriter, aut diu, dicitur manum grauare ſuam ſuper eum, ex metaphora, quando aliquis fortiter manu percutit, manũ grauat ſuper eum. ſic 1. Reg. 5. dicitur: Aggrauata eſt manus Domini ſuper Azotios. & Iob 23. Manus plagæ meæ aggrauata eſt ſuper gemitum meum. & Pſal. 37. Manum tuam confirmaſti ſuper me. In Scriptura manus Domini potentiam ſignificat: & iuxta diuerſa opera ex diuina potentia procedentia, ſic manus Domini variè vſurpatur, modo auxilium, modo flagellum, modo prouidentiam, modo creationem, modo in vnam, aut alteram ſumitur partem, vt multis teſtimonijs Scripturæ probari poteſt, à quibus nunc abſtinendum eſt, vt citius ad ſenſum accedamus exponendum. Hoc loco potentia punitiua, qua Deus peccatores caſtigat & punit, ſignificatur, quæ propter vehementiam dicitur aggrauata, nempe quia acerbe, & acriter punit. & propter frequentiam inflictorum flagellorum dicitur, tota die, & nocte aggrauata: quia ſic Dauid ob ſuam impœnitentiam afflictus erat, Deo puniente, dicit manum Domini aggrauatam ſuper ſe die tota, & nocte. ita Hieron. exponit hanc manum; poteſtatem enim vindictæ, manum exponit, ideſt, potentiam, qua ſumit vindictam de peccatoribus. Innocen. die, ac nocte, in hoc loco dicit ſignificare in occulto, & in manifeſto, quia ſic afflictus eſt propter peccatum, occultis, & manifeſtis à Deo pœnis inflictis. literalior eſt expoſitio Remigij, vt die ac nocte dicatur: quia aſſidue & frequenter afflictus eſt. Grauatam manum Theodor. exponit, quia diutius punitus eſt. Idem ſentio, ſed ſimiliter etiam cum diuturnitate vehementia ſignificatur. illa autem particula, quoniam, quæ cauſalis eſt, cum explicatione connexionis exponetur. nunc ad poſteriorem verſiculi partem, in qua difficultas eſt, accedamus.

Manus Domini cur, & quō dicitur aggrauata.

1. Reg. 5.

Iob 23.

Pſal. 37.

Remig.

Theodor.

Ante omnia aduertendũ eſt, verſionem Septuaginta, quam noſtra Latina verſio ſequitur, multo aliter ſe habere, quam ſit lectio Hebræa, quæ nunc habetur: & ſic neceſſe eſt varios eſſe ſenſus. Varietas autem hæc eſt in nonnullis. Primo, loco illius, conuerſus ſum in

ærumna

Aerumna mea quid ſit.

ærumna mea. Hebræa lectio habet, Cōuerſus eſt humor meus, ſeu pinguedo mea. Secundo, loco illius; dum configitur ſpina. Hebræa habet. In ſiccitates æſtatis. Eſt ergo Hebræa lectio. Conuerſus eſt humor meus in ſiccitates æſtatis. *Hieron.* Hieronymus legit cum Septuaginta priorem partem, vocabulo aliquãtum mutato, nempe conuerſus ſum in miſeria mea: in poſteriori autem cum Hebræa lectione conſentit, & vertit, dum areſcit, ſeu, cũ areſcit æſtas. vnde autem hæc diuerſitas prouenerit, non eſt omnino diſſimulandum. Quantũ ad priorem partem, attende illud, quod alij vertunt humiditas, ſeu pinguedo mea, Septuaginta autem, in ærumna mea, eſſe apud Hebræam lectionem *Leſcadi*, quæ vox æquiuoca eſt, & dupliciter legi poteſt, vno modo, vt ſit vnica dictio, & tũc ſignificat, pinguedo mea, ſeu humor meus: nam *Leſead* ſignificat humorem, pinguedinem, viriditatem, & cum affixo ſignificat humorem, ſeu pinguedinem meam. Altero modo poteſt legi, vt ſint duæ dictiones, nempe illud ל ſit præpoſitio, quæ apud Latinos eſt, in, & illud *Scad* ſit dictio, quæ ſignificat idem quod vaſtatio, à verbo *Scadad*, quod eſt vaſtare, inde cum affixo *Scadi*, ideſt, vaſtatio mea, inde totum ſimul ex duabus erit idẽ quod, in vaſtatione mea. Ex hac varietate proceſſit, quod Septuaginta vno modo, alij aliter vertunt: nam illi diſtinxerunt illam dictionem in duas, & verterunt: in ærumna mea. & Hier. in miſeria mea quod idem eſt. at vero alij vnam dictionem facientes, verterunt, humorem meum, contra verſionem Septuaginta. & pro Hebræa illud multum facit, quod verbum, conuerſus, non eſt in prima perſona, ſed in tertia, & tunc neceſſe eſt vna ſit dictio illa, vt ſit, humor meus conuerſus eſt: nam aliàs non haberet locum, nec ſenſum. eſt autem Hebræum *Nehephac*, à verbo *Haphac*, quod eſt, vertere, ſeu conuertere, & in ſecunda coniugatione, conuerſus eſt. Credibile eſt, Septuaginta legiſſe in prima perſona; ſed nunc in noſtro textu deficiunt literæ tertiæ perſonæ, quamuis, ſi puncta auferamus, tum poteſt eſſe benoni ſub eiſdem litteris, quod commune eſt tribus perſonis, & ſic applicatur primæ. puncta etiam parum differunt, ſola enim eſt differentia, quod in benoni pathas conuertitur in cametz. Quantum attinet ad poſteriorem diſcrepantiam, notandum eſt eſſe duo nomina multum affinia punctis ablatis *Kaigha*, & *Kogha*, illud ſignificat æſtatem, ſeu æſtum, hoc ſignificat ſpinam, aut veprem. Si puncta demas, quæ olim non erant, manent ſimilia: Iod enim & Vau parum differũt, nam ſi protrahatur aliquantulũ Iod, fit Vau, & facile eſt in Scriptura vnum pro alio ponere. Septuaginta legerunt cum Vau, & ſic verterunt ſpinam, alij cum Iod, & verterunt æſtatem. Sed lectio quæ nunc habetur, fauet omnino huic verſioni: nam non habetur verbum, configitur, ſed *Becharbone*, ideſt, ſiccitates, à verbo *Charab*, quod eſt arere, exſiccare, inde *Charbon* ſiccitas. & habetur in plurali cum regimine. vnde autem Septuaginta verterint, trãſfigitur, incertum eſt. Puto id prouenisſe forſan, quia verbum *Charab*, quod ſignificat areſcere, exſiccare, ſignificat etiam deſtruere, vaſtare: & ſic legerunt, paucis mutatis, in ſpi-

Margin (Hebrew): לשדי · לשד · שד · שדד · שדי · נהפך · הפך · קיץ · קוץ · בחרבני · חרב · חרבן · חרב

Digitized by Google

na vaſtante, ſeu in deſtruente ſpina, quod eſt, quando figitur, ſeu infigitur. בחרבני *Becharbone*, ſi auferas Num, & Iod vltima, & demas puncta, quæ non erant tunc, remanet בחרב *Becharob*, qui eſt infinitiuus, ideſt, in deſtruente ſpina, ſeu, dum ſpina deſtruit, ſeu configitur. & ſic Septuaginta legerunt. poteſt etiam eſſe nomen חרבן *Charbon*, quod eſt in plurali cum regimine, in deſolationibus ſpinæ. Hæc ſunt quæ quantum ad diuerſitatem verſionum pertinent. nos vtriuſque verſionis expoſitionem proponemus, & tādem aptiorem ſequemur ſenſum.

Verborū ſenſus. Si ſequamur Hebraicam lectionem, quæ nunc habetur, ſenſus, & contextus non ſunt difficiles; ſic enim intelligendi ſunt: Dixerat præ nimio rugitu vires defeciſſe ſuas, nunc rugitus cauſam exponit, quoniam, inquit, manus tua die ac nocte ſuper me grauata eſt, ideſt, me continuis & grauibus afflixiſti pœnis, ex quibus factum eſt, vt humor meus ſit redactus in nimiā ſiccitatem, qualis ſolet eſſe in æſtate. hoc eſt, quod ita doleo, vt rugiam taliter, quòd mea oſſa rugitu nimio inueterata ſint. vel poteſt ſic intelligi, vt cauſalis illa dictio cadat in partem vtramque, ſic, Quoniam grauata eſt manus tua ſuper me, quoniam conuerſus eſt humor meus in ſiccitates, hæc ſunt cauſa, ob quam doleo. vel poteſt intelligi, vt vnum ſit alterius cauſa, ſic, Quoniam manus tua grauata eſt, inde cōuerſus eſt humor meus, &c, quia nimis eſt grauata, hoc tamen eſt cauſa rugitus. Idem fere eſt ſenſus, ſiue illo, ſiue hoc modo dicas. Quæ ſit iſta aggrauatio manus, & quis ſit iſte humor exſiccatus, puto intelligenda non ſolum de temporalibus pœnis, & afflictionibus, quas illo tempore peccati patiebatur, ſed etiam, immo potius de ſpiritualibus; per peccatum enim in magnam donorum ſpiritualium ruinam & ſtragem incidit, Deo caſtigante etiam ſpiritualiter. Baſil. hom. pſal. 37. ibi, lumen oculorum & ipſum non eſt mecum. ſic inquit: Lumen oculorum, hoc ſane eſt prophetiæ ſpiritus, ipſius animæ aſpectum illuſtrans. & ipſum non erat mecum; reliquerat enim eum, & ſe ab ipſo ſubduxerat: nā illo tempore impœnitentiæ, non ſolum gratiam gratum facientem amiſit, quæ in omni mortali tollitur, ſed etiam ablatus eſt ei ſpiritus prophetiæ, ſingulares gratię gratis datæ, quæ illi conceſſæ erant, anima eius elongata eſt à ſenſu malorum, quæ committebat, à timore, à deuotione, & affectu ſpiritualium, ab exercitio multorum ſpiritualium, quibus ante exercebatur; & erat velut derelictus de quibus, cum ille aduerteret, nimium dolebat, & rugiebat, & quæ conuerſus ad Deū ſibi reſtitui flagitabat pſal. 50. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui. iſta erat pinguedo animæ, & humor, qui vitam gratiæ multum conſeruat, quo deficiente, dicitur in ſiccitates æſtiuas conuerſus. hoc ſolet accidere multis, qui cum ante bene vixiſſent, in peccatum inciderunt, quos dæmon, Deo permittente in pœnam iuſtam, paulatim ad has redigit ſiccitates. Hanc ruinā, & in ſiccitates conuerſionem eleganter exponit Baſil. in cap. 1. Eſai. in illa verba: Regionem veſtram coram vobis alieni deuorant. vbi ſic dicit: Deſolatio, ſeu vaſtitas ſit, cum anima priuatur ijs, quibuſcum conuerſari conſueuit. ſit

Baſil. Pſal. 50. Baſil.

hoc

hoc perquam facile circa humanam animam; vide enim tu mihi iuuenem quempiam à puero in ſplendida byſſo intra ædes educatum, alacriter, & ſtudioſe ad orationes prodeuntem, nullum tranſmittentem beneficentiæ officium, æterni illius iudicij memorem, iugiter acquieſcentem ſermoni doctrinæ, talem mihi conſidera in fornicationem prolapſum, quonam pacto poſt abolitionem prioris continentiæ, poſt deſolationem tantorum fructuum, deinceps miſerabilem illum è proximo conſequitur omnimoda euerſio priorum laborum. Conſcientia admiſſi facinoris non iam eum comitatur, vt conferat ſe ad orationis locum, quod nequaquam perſtitit in officio, ordineq. fidelium; excidit enim: non item in tractu conſiſtit eorum, qui in arcano ſeceſſu deflēt; illud enim ſuppudet: fit hinc ad orationem cũctantior, his, qui cauſas exquirunt, commentitias nectit excuſationes, reſpondet; vrgeri ſe ab vno aliquo, quare non iam oppe rior horam communionis, & ob hoc ante fidelium orationem ſe ſubducit, vt ne deprehendatur eius ſimulatio, deinde ſenſim contracta conſuetudine, illius menti ſe inſerit meditatio, vt ab arrepto propoſito deficiat, denique ad omnimodam perditionem per varios errorum anfractus adducitur. hæc Baſilius. quæ multum valent ad exponendum, qualiter, neglecta à principio pœnitentia commiſſi, humor totus ſpiritualis virtutum, & operum bonorum, & conſuetudinum deſtruatur, & in æſtiuas ſiccitates conuertatur. hæc dicta ſufficiāt pro expoſitione huius verſiculi ſecundum lectionem Hebraicam.

At ſi lectionem noſtram, quæ ſecundum Septuaginta eſt, & quam Doctores ſacri communiter exponunt, non ita eſt facile ſenſum, & contextum aſſequi, nec Doctores in expoſitione concordāt, quorum expoſitiones in mediũ proponam. Primo loco Hieronymus ſic exponit, Conuerſus ſum, &c. ideſt, continua flagellorum caſtigatione, dum me conſcientia peccati pungit, conuerſus ſum ad Deum. ex vna parte ſentiebam flagella, ex altera conſcientia peccati me ſtimulabat, ob propriam culpam me pati, inde conuerſus ſum ad Deum, vt agerem pœnitentiam. vbi per ærumnam intelligit Hieronymus pœnas, & flagella inflicta à manu Dei grauata: per ſpinam, conſcientiæ ſtimulum: per conuerſionem, hanc mutationem, qua ex peccato ad Deum ſe conuertit. *Aerumna quid denotet iuxta transl. 70. interpr.* *Hieron.*

Secundo loco Remigius aliquas adducit expoſitiones, quarũ duas proponam. Vna eſt, quæ conſentit Hieronymo; dicit enim, Conuerſus ſum in ærumna, ideſt, attendens meam magnam miſeriam, conuerſus ſum ad Deum. Dum configitur ſpina, ideſt, dum conſcientia agitatur, & excitatur ſpinis prohibitionum Dei. vbi licet ſit idem ſenſus cum Hieronymo, tamen in hoc differt, quod, per ſpinam, non ipſam conſcientiam ſtimulantem, ſed Dei legem peccata prohibētem, & pœnas cōminantem exponit. Aliam dat expoſitionem, loco illius, configitur, legendo, confringitur, & per ſpinam, intelligit ſpinam, quæ eſt dorſum hominis, ipſum erigēs corpus, & metaphoricè ſignificat ſuperbiam: vnde, dum configitur ſpina, ideſt, dum ſuperbia humiliatur, ſed hæc expoſitio non habet locum *Remig.*

vllum,

vllum, nec verba Hebræa, nec Græca ei fauent, ſed mendax textus aliquis Latinus.

Gregor. Spina qd ſit. Tertio loco Gregor. lib. 20. moral. cap. 12. ſic inquit: Spina eſt omne peccatum, quia, dum trahit ad delectationem, quaſi pungendo lacerat mentem, vnde iuſti & pœnitentis voce dicitur, Conuerſus ſum in ærumna mea, dum confringitur ſpina, quia ſcilicet mens ad lamentum vertitur, vt peccati punctio pęnitendo frangatur. in tranſlatione vero alia non confringi ſpina perhibetur, quod ab eodem ſenſu non diſſonat, quia pęnitentis animus ad luctũ ducitur, dum perpetrata culpa in memoria fixa retinetur. hæc Gregor. vbi vides eum legere, confringi, ſicut & Remigius legebat. præterea legere dupliciter, affirmatiue, & negatiue, pro varietate librorum. præterea ſic exponere: Conuerſus ſum in ærumna, ideſt, ad flendum me conuerti, & hoc, vt confringerem, & frangerem ſpinam peccati infixam. quod ſi legas negatiue, non confringitur: ſenſus eſt, dum ſpina peccati nondum eſt fracta; ſed retinetur memoria, ad luctum conuerſus ſum pęnitentiæ: ſed hæc expoſitio ſupponit lectiones, quas non eſſe legitimas, ex Græca, & Hebræa lectione certum eſt.

Gregor. Quarto loco idem Gregor. lib. 3. ſuper lib. Reg. cap. 6. legit ſecundum lectionem communem, & aliã dat expoſitionem. Quid eſt, inquit, dolor pœnitentis, niſi plagæ moleſtia ex dæmonis percuſſione? nam quaſi in dolore plagæ adhuc acriter pungentis ſuſpirabat conuerſus ille, cum diceret: conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina; quid enim ærumna, niſi afflictionem inſinuat pœnitentiæ? ſed in eadem ærumna conuerſum ſe eſſe aſſerit, dum ſpinæ confixuram ſentit: quaſi dicat, dum recordatione flagitij mordeor, arcæ debitum reddere non deſiſto. ſpina quippe configitur, dum per omnipotentis Dei diſpenſationem ad lacrymas conuerſorum anima criminum recordatione inflammatur, & arcæ debitum ſoluitur, quando iam pro qualitate criminis menſura extenditur lamentationis. hæc & alia Gregor. Senſus igitur talis eſt, Conuerſus ſum in contritione mea, dum recordor commiſſorum criminum; hoc enim eſt ſpinam infigi, peccatum commiſſum in memoriam redire committentis. Qui ſenſus idem eſt fere cum præcedenti, quamuis ſub vera lectione, per ærumnam exponit contritionẽ. & in hoc Lyra conſentit, quamuis ſpinam configi exponat, conſcientiam peccati accuſantem; dicit enim, conuerſus ſum in contritione mea, quam habui ad vocem Nathan prophetæ. ſpina, ideſt, ſtimulo conſcientiæ me accuſante. *Lyra.*

Theod. Quinto loco Theodoret. per ſpinam intelligit peccatum, & configi ſpinam, eſt peccatum committere; & exponit in hunc ſenſum, Iuſte affligor à Deo, quia cauſa meorum malorum peccatum eſt, quod tamquam vuam dulcem produxi, pungor autem ſemper ab ipſa. Spinam peccatum nominauit, tanquam inutile germen, & ad pungendum aptum. hæc Theodoret. cui conſentire videtur Chryſoſt. hom. 10. in epiſt. ad Hebr. in hæc verba: Expectauit vt faceret vuas, fecit autem ſpinas. Vides, quòd vbique Scriptura ſpinas vocat peccata: etiam Dauid inquit, Conuerſus *Chryſoſt.*

ſum

ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina. non enim ſimpliciter penetrat, ſed infigitur, etſi parum peccati remaneat, & non totum euellamus, ipſum parum facit dolorem, ſed quid dico ipſum parum? etiam poſtquam exciditur, per multum tempus plagæ dolor relinquitur, & opus eſt curatione multa, & medicina, vt tandem à dolore liberemur; non enim tantum ſufficit euellere peccata, ſed etiam curare locum, qui percuſſus eſt. hæc Chryſoſtomus.

Bernard. Sexto loco Bernard. ſerm. 48. in Cantic. exponit, ſpinæ confixionem pœnæ ipſius inflictionem, qua compunctus conuerſus eſt, inquit, dum configitur ſpina: bene pungeris, ſi compungeris, bene configimur, quia exinde conuertimur. multi cum ſentiunt pœnam, corripiunt culpam.

In his varijs expoſitionibus vides omnes fere in hoc conuenire, hanc conuerſionē eſſe, qua ex peccato cōuerſus eſt Dauid ad Deum, quamuis varie exponant hanc ærumnam, & hanc ſpinæ confixionem, & in hoc omnes hi ſenſus valde à ſenſu, qui eſt ſecundum Hebræam lectionem, diſcordant; & ſecundum hos hic verſiculus non exponit cauſam rugitus in præcedenti verſu indicati, ſed cauſam, & principium, vnde ſit conuerſus ad Deum proponit; ſunt tamen aliæ duæ vltimæ expoſitiones, quæ aliter hanc conuerſionem exponunt, & in hoc lectioni, ſeu ſenſui ex Hebræa lectione magis accommodari poſſunt. Vna eſt Auguſt. in præſenti, quæ ſic exponit, Conuerſus ſum in ærumna mea, ideſt, factus ſum miſer, quia manus tua grauata eſt ſuper me, inde miſerijs, & affictionibus vexor, ſed alteram partem, dum configitur ſpina, exponit aliter omnino, quàm alij exponant, nam dicit, quia manus tua grauata eſt ſuper me, factus ſum miſer, & inde compuncta eſt conſcientia mea, ideſt, inde contritus ſum. Altera expoſitio eſt Innocent. qui adducit varias, & meminit lectionis, quam Gregorius ſecutus eſt, nempe, confringitur ſpina, poſita autem lectione noſtra vera, exponit prima verba ſicut Auguſtinus, conuerſus ſum in ærumna mea, ideſt, factus ærumnoſus ſum, & infelix, dum ſpina cōfigitur, ideſt, dum ſpiritus timoris, & ſynderesis, & ſtimulus conſcientiæ menti infigitur, aut dum culpa infigitur, ideſt, dum peccatum vſque ad conſenſum, & actum ipſum producitur. vbi vides aliter exponere hanc particulam, quàm Auguſt. ſenſus ergo iſte vltimus eſt, Factus ſum miſer, dum peccatum & conſenſu, & opere perpetraui, hoc eſt, ſpinam infixi. In hoc vltimo verbo conſentit cum alijs in hoc, quòd peccatum ſpinā vocat, quamuis, infixi, cur dicatur, aliter, & bene exponat.

Conuerſus ſum in ærumna mea, quid denotet.

Auguſt.

In hac varietate mihi duo videntur. Vnum eſt, ſi nos velimus hæc verba exponere iuxta lectionem Septuaginta, ac ſi ita ſe haberent in Hebræo ſermone, vt probabile eſt tunc eos ſic legiſſe, hunc eſſe ſenſum admodum conuenientem, vt prima verba ad præcedentis rugitus rationem referantur ſic, Rugiebam tota die, & hoc, quia manus tua grauata eſt die ac nocte ſuper me, variarum pœnarum ſpiritualium, & temporalium inflictione, & quia dictum fuit tota die rugiſſe, ob id dicitur: die, ac nocte grauata eſt manus; dies enim, &

Expoſitio auctoris.

nox

nox totam & integrã faciunt diem. ſtatim ſubiungit: Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina: quibus declarat, quomodo in hac manus grauatione ſe habuit, & dicit, in hac mea ærũna, & miſeria, & ruina conuerſus ſum, ideſt, ad me reuerſus. & eſt exemplum
Luc. 15. ſimile Luc. 15. vbi de filio prodigo dicitur, cupiebat implere ventrem de ſiliquis, quę dabantur porcis, & nemo illi dabat: in ſe autem reuerſus, dixit: ſurgam, & ibo ad patrem meum. Sic nunc Dauid, in afflictionibus & miſerijs poſitus, conuerſus eſt, ideſt, in ſe reuerſus, ſed non vt filius prodigus, qui ſola vexatione incitatus, abſque externo alio motiuo in ſe reuerſus eſt: ſed non ſic Dauid, ſed dum infigitur ſpina. vocat infixam ſpinam, verbum reprehẽſionis & arguitionis Dei, per Nathan prophetam factum, & miſſum à Deo, quod, vt ſagitta, & ſpina, eius transfixit animam, & tunc ad ſe reuerſus, & ad Deum conuerſus eſt, quod ſola vexatio, & afflictio facere non potuit. vnde per metaphoram inſinuauit Nathan reprehenſionẽ, ante quam nunquam ad ſe reuerſus erat, vt à peccato cõuerteretur, quamuis de multis à Deo inflictis pœnis doluerit acriter, & rugierit. Non eſt autem alienum à Scriptura aſperum verbum, & reprehenſiuum vocare
Eccl. 12. ſpinam: nam Eccleſ. 22. dicitur: Pungens oculum deducit lachrymas, & qui pungit cor, profert ſenſum. Vide qualiter verba dicantur pungere, quod ſpinarum eſt proprium. & Eccleſ. 12. Verba ſapientum ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi. Tale fuit verbum Domini per Nathan, cor pupugit Dauid vt ſpina, & protulit ſenſum, quia vt ad ſe reuerteretur, & in ſe conuerteretur effecit. fuit ſtimulus, & clauus in altum defixus inducens ſapientiam. Et attende, non dici, dum pungor ſpina, ſed dum configitur. quando quis pungitur ſpina, non manet ſpina, at quando infigitur, remanet etiam recedente pungente, ſic verbum Nathan prolatum pupugit cor Dauid, ſed infixum manſit per multos dies, in corde conſeruatum dolorem inducẽs pœnitentiæ; hoc enim notat verbum configitur, vt dicebat ille ethnicus, *Infixa manet lethalis arundo*, ſic nunc dicere poſſumus, manet infixa ſpina vitalis. hunc puto eſſe legitimum ſenſum horum verborum, iuxta hanc lectionem communem.

Alterum quod dico eſt, ſi nos velimus ſequi lectionem Hebraicam, quę nunc habetur, & velimus aptare hæc verba ad ſenſum ſaltem eũdem, tunc poterimus ſic exponere, continuando cum præcedentibus: Rugiebam tota die, quoniam grauata eſt ſuper me manus tua. & ſtatim exponit magnitudinem huius grauationis: conuerſus ſum in ærumna mea, dum cõfigitur ſpina, ideſt, in hac mea miſeria, dum ſpina doloris, & pœnarum mihi infigitur, ideſt, in profundo figitur, quia non tantum temporaliter, ſed ſpiritualiter patior, & bonis ſpiritualibus priuor, conuerſus ſum, ideſt, totus ab illo, qui eram, mutatatus: quod idem eſt, ac ſi dicas: humor meus in ſiccitates æſtatis eſt conuerſus. ideſt, in contrarium ſum mutatus. Sed ego puto priorem ſenſum eſſe veriorem, & textũ noſtrum Hebræum aliter ſe habuiſſe tunc. nec mirum, cum Hieronymus etiam legat, conuerſus ſum Hier.
in mi-

in miſeria mea, vnde legit verbum in prima perſona, non in tertia, vt nunc habetur, credibilius eſſe, poſt eſſe corruptum, quàm ante tot annos, quidquid de hoc ſit, habes ſenſum ſecundum vtramque lectionem, habes etiam concordiam ſine literæ, & textus violentia ad eundem ſenſum, licet verba ſint diuerſa, & omnia ſunt vera & conſona.

שלה Aduertendum eſt, in fine huius verſiculi appoſitam illam vocem, de qua in primo ſermone diximus, *Selah*, vt notetur myſterium in verbis præcedentibus, nempe Deum peccatorem ad ſe reuocare pœnis & flagellis, quando aliter ad ſe non reuertitur beneficijs; & quando hæc non ſufficiunt, adhuc reuocare exhortatione, & verbo Prophetarum ſuorum. Notat etiam, quòd durus fuerit ipſe in conuerſione, qui nec flagellis ſolis eſt conuerſus, & quàm miſericors Deus, qui flagellis non obedientem adhuc ſpina verbi pungere, & conuertere voluit.

Non incongruenter poſſunt etiã hæc verba exponi aliter, vt per ærumnã intelligamus peccati ſtatum, per ſpinam infixam afflictionem, vt ſit ſenſus; reddita enim cauſa, cur rugierit, nempe quia grauata eſt manus Domini, ſtatim dicit fructum, in meo peccato poſitus, & exiſtens in ruina, & miſeria peccati, conuerſus ſum ad Deum, & ad me reuerſus pœnæ inflictione, & flagello. contra quẽ ſenſum hoc vnum eſt, quod verè non ſola pœna conuerſus eſt, ſed etiam Nathan verbo, ob id conuenientior eſt, vtpote verior, ſenſus datus.

SERMO VI.

Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi.

ANTEQVAM ad ſenſum huius verſiculi exponendum accedamus, verba ipſa ſunt conſideranda, in quo aliquis mirari poſſet de Septuaginta verſione: nam apud Hebræos loco verbi, delictum, habetur verbum illud idem, de quo dixit, quorum חטאת tecta ſunt peccata. *Catathi*, ideſt, peccatum meum. loco autem huius, iniuſtitiam meam, habetur illud tertium, non imputabit peccatum, *Ghaoni*. At Septuaginta hoc עוני verbum, delictum, verterunt nomine illo primo, quorum iniquitates, ἀνομίας. & loco iniuſtitiæ, vſi ſunt voce, qua verterunt, peccata, nempe ἁμαρτίας. quod profectò indicat, ipſos Septuaginta, tamquam ſynonymis vſos eſſe his vocabulis, & omnino eandem habere ſignificationem in hoc loco arbitratos eſſe. At hoc in ſermone ſuperiori diſcuſſum eſt, & oſtendimus, non idem ſignificare, ſed diuerſas habere ſignificationes, & in eis notari myſterium. hoc idem nunc confirmatur, ſimul & explicatur horum verborum vſus. Cum tria Dauid narrauerit genera peccatorum, ipſe ſibi duo imputat, & duorum tantum ſe facit reum, nempe pec-

Digitized by Google

pe peccati, de quo dictum eſt: quorum tecta ſunt peccata. quod ſignificat peccata, quæ intra Eccleſiam & religionis profeſſionem fiunt contra Dei legem. & *Ghaon*, ideſt, iniuſtitia contra proximum, hæc ſunt adulterium, & homicidium contra Vriam. Illud peccatum vocat, quia quamuis iniuſtitia quædam ſit contra proximum, tamen contra caſtitatem præcipue eſt, & ad luxuriam pertinet. ſiue peccatum, impœnitentiam, & alia, quæ tunc commiſit; iniuſtitiam, quòd contra Vriam commiſit, appellat. hęc duo genera peccatorum Dauid commiſit.

עון

Hinc patet, non eſſe ad literam expoſitionem horum verborum, quam proferunt Innoc. & Remig. dicunt enim delictum eſſe, quando non facit homo, quod debuit facere, quod eſt peccatum omiſſionis: iniuſtitiam vero, quando facit, quæ non debuit, quod eſt commiſſionis. Allegat Innocen. illud Leuit. 6. in fine, vbi præſcribitur hoſtia pro peccato, & Leuit. 7. in principio, hoſtia alia pro delicto. Sed hoc nō poteſt congruere: nam ibi delictum non ſignificatur nomine Hebræo, ſicut nunc, ſed dicitur *Aſcam*, & quod hic dicitur delictum, ibi dicitur *Catah*, vnde ſi argumentum valet, potius eſt hoc, quod dicitur delictum nunc, peccatum commiſſionis; tale enim Leuit. 6. ſecundum Innocen. peccatum eſt commiſſionis; quod enim ibi delictum dicitur, non habetur in præſenti: præterea hoc idem eſt vocabulum, quod habetur in ſecundo loco in primo verſu, quod non tantū commiſſionem ſignificat, nec quod hic dicitur iniuſtitia, generaliter ſignificat peccatum commiſſionis, ſed, ſicut dictum eſt, iniuſtitiam contra alterum commiſſam. Quod autem ſit differentia inter illa duo vocabula Leuit. non eſt noſtrum diſcutere. traductio Latina in cauſa fuit vt iſti Doctores hæc dicerent: nam vocabula hæc duo diſtincta ſunt à præcedentibus; non autem in Hebræo, nec in Greco. Attende autem quod Auguſtinus legit, Peccatum meum cognoui. loco eius, quod legimus, Peccatum meum cognitum tibi feci. Sed Hebræa, & Græca lectio ſic legendum eſſe, ſicut nos communiter legimus, probāt. Hæc de verborum conſideratione, nunc ad ſenſum accedamus.

Innoc. *Remig.* אשם חטא *Leuit. 6.* *Auguſt.*

Si ſenſum iuxta lectionem Hebræam, qui nunc eſt verſiculi præcedentis, ſequamur, iſte eſt contextus; deſcripto enim ſtatu peccati, quando tacuit, ſuum non recognoſcendo peccatum, & deſcriptis malis inde ſubſecutis, ſubiungit nunc, ex remotione huius taciturnitatis, quid ſit ſecutum, atque vt eam remouerit, delictum, inquit, meum Deo notificaui, &c. Si vero ſequamur ſenſum datum iuxta lectionem Septuaginta, contextus iſte eſt. dixerat conuerſum ſe eſſe in hac ærumna & miſeria, quando ſpina confixa eſt, ideſt, quādo à Nathan Dei nomine eſt reprehenſus, oſtendit, quomodo ſit conuerſus. Delictum meum cognitum tibi feci, loquitur ad Deum, ac ſi dicat: quando confixiſti mihi ſpinam per Nathan, conuerſus ſum ad te, meum delictum recognoſcendo, & non abſcondendo, ſed aperiendo iniuſtitiam, ideſt, non negaui ea, quæ mihi Nathan oppoſuit, & de quibus me reprehendit, ſed recognoui, & dixi, peccaui. Duo Nathan oppoſuit, adulterium, & homi-

& homicidium, hæc Dauid recognouit intus corde, & faſſus eſt ore. de priori dicit, delictum meum; de poſteriori, iniuſtitiam meam, & vt duo hæc diſtincta peccata aduerterentur, duobus vſus eſt verbis idẽ ſignificantibus, notum feci, &, non abſcondi. & rurſus, vt per hoc manifeſtaret, quod ſponte recognouit, & ſimul peccatum ei ab alio oppoſitum eſt, illud ſignificat, cognitum tibi feci; quaſi ſponte notum feci, & hoc ſignificat non abſcondi, ideſt, cum reprehenſus eſſem, cum peccatum mihi opponeretur, non negaui. Non dicitur Dauid peccatum cognitum feciſſe Deo, quaſi Deus ignorauerit illud, antequam ipſe notificaret; hoc enim eſſe non poteſt; Deus enim etiam cordis ſecreta cognoſcit, antequam homo manifeſtet, ne dum opera exteriora. immo Nathan Dei reuelatione nouerat, antequam Dauid ea nota faceret.

Notificare, & abſcondere delictum quid ſignificet.

Sed dicitur peccatum cognitum Deo facere homo, quando ſe peccaſſe humiliter coram Deo profitetur: dicitur occultare peccatum, non quod Deus non cognoſcat, ſed quia, quãtum eſt ex ſe, homo ille occultat, vt niſi Deus alia via, ſcilicet ſua ſcientia infinita cognoſceret, vere occultum eſſet ei peccatum; ſicut contra, ſi non alia via cognoſceret, ex tali recognitione hominis vere peccatum cognoſceret. Adde, quod dicitur feciſſe cognitum Deo peccatum, quando ipſi Nathan, Dei nomine arguenti, propria confeſſione peccatũ manifeſtum fecit. Et animaduerte dici: Delictum meum, iniuſtitiam meam. quaſi dicat: Non tantum notificaui iniuſtitiam, & delictum, ſed meipſum eorum reum declaraui. facilis eſt ex dictis ſenſus & cõtextus.

Differentia inter delictum, & peccatum.

Nunc ad id, quod paulo ante prætermiſimus, ne à propoſito digrederemur, reuertamur, nempe, ad conſiderandam differentiam, quæ eſt inter delictum, & peccatum, nõ quod ad rem propoſitam multum faciat, quia nec in Hebræo, nec in Græco, vti diximus, eſt verbum, delictũ, ſed propter aliquos, qui ſic exponunt in præſenti, ac ſi tale verbum eſſet, & vt ſimul declaremus vim aliquorum verborum, quæ non ſunt aliena à propoſito inſtituto.

Leuit. 6. & 7.

Origen.

Quid inter peccatum & delictũ, interſit, Doctores conati ſunt inquirere; eorum enim manifeſta differentia Leuit. 6. & 7. deprehenditur, vbi ſacrificium pro peccato diſtincte à ſacrificio pro delicto ponitur, & ibi tamquam de diuerſis fit ſermo. Origen. hom. 5. in Leuit. dicit, nonnullis ſapientium viſum eſſe, vt delictum ſit, quando aliquis non facit quod debet, peccatum vero, cum facit quod non debet, quod eſt dicere, peccatum, commiſſionis, delictum, omiſſionis eſt. hoc autem non probat Origen. quia non ſemper in Scriptura cum delictum dicitur, omiſſio ſignificatur: dicit tamen differẽtiam eſſe hanc, quia delictum eſt minus, quàm peccatum. Sed in quo hæc minor grauitas conſiſtat, & quanta debet eſſe, vt ſit peccatum, non exponit. Ratio Origen. contra priorem expoſitionem, quidquid ſit de eius veritate, non eſt efficax. Nam quamuis in Scriptura aliquando vocabula aliqua in vniuerſum ſumantur, id non prohibet, quin in aliquo loco particularem habeant ſignificationem; aliquando enim ſecundum propriam, aliquando ſecundum vſurpatam ſignificationem vſus eſt

verborum, vnde non obſtat delictũ ſumi generaliter etiam pro commiſſione in aliquibus locis, quin poſſit in aliqua ſignificatione particulari ſumi.

Iſich. Iſichius lib. 1. in Leui. cap. 5. contrarium tenet, eſſe nempe grauius delictum, quàm ſit peccatum; dicit enim ſic, delictum aliquando ſpecialem iniquitatem, quæ contra ſolum præſumitur Deum, qualis eſt, quæ in ſanctos, aut in iuſiurandum committitur, aliquando quidem omne peccatum, quod ad ſcientiam peruenit, Legiſlator appellat, & propterea ab eo vbique cognitio peccati, ſiue anteponatur, ſiue ſubinſeratur, modis omnibus delictum dicitur, vt oſtendat, quod omne peccatum, poſtquam cognoſcitur, in ipſum delinquitur Deum, ideo delictum appellatur. hæc ille. vbi delictum dupliciter dicit ſumi, vno modo pro peccato, quod contra Deum eſt modo prædicto, altero modo pro peccato, quod ex ſciẽtia fit, aut poſt factum ſcientia ſuccedit, & non emendatur.

Auguſt. Auguſt. lib. 3. qq. in Leuit. c. 19. hanc mouet difficultatẽ de horum duorum differentia, & reſpondet multa. Primo, quamuis in multis Scripturæ locis, tam delictum, quàm peccatum indifferenter, & generaliter ſumantur, tamen in hoc loco Leuit. 6. 7. diſcrimen habent; aliàs enim non diſtinguerentur ſacrificijs, & tam apertis verbis. hoc dictum verum, & ſine controuerſia eſt. Dicit ſecundo, fortaſſe in hoc differunt, quod peccatum perpetratio mali eſt, delictum vero deſertio boni, vt ſit delictum, quaſi derelictum. In hoc conſentit Auguſtinus cum illis, quos Origenes ſuperius citatus allegabat de peccato commiſſionis, & omiſſionis. Dicit tertio, Poteſt etiam dici delictum peccatum, quod ex ignorantia, aut imprudentia fit, iuxta illud Pſal. 18. Delicta quis intelligit? *Pſal. 18.* peccatum autem, quod ſcienter fit. Dicit quarto, Quod nos delictum vocamus, Græci duobus vocãt nominibus. παράπτωμα, & πλημμέλειαν, quorum deriuationes ibi ponit Auguſtinus. Circa hoc dictum aduerte, quod ſi velit Auguſtinus dicere, *Auguſt.* quod ſolet Latine in Scriptura verti, quod Græce illis duobus nominibus dicitur. verum eſt, & indubitatum: nam Leuit. 7. habetur de- *Leuit. 7.* lictum, & tamen Græce eſt πλημμέλεια. & in Pſal. 18. dicitur, Deli- *Pſal. 18.* cta quis intelligit? & habetur παραπτώματα. at ſi velit dicere idem ſignificare quantum ad rem, obſtat Hieron. Epheſ. 2. in principio, ibi, Cum eſſetis mortui delictis & peccatis, vbi habetur nomen παράπτωμα, ibi dicit, delictum rectius vocari πλημμέλειαν, quaſi non ſit idem quod παράπτωμα. inter hoc autem & ἁμαρτίαν dicit eſſe diſcrimẽ, quod παράπτωμα ſignificat initium peccati, nempe cogitationem, quando cogitatio tacita ſubrepit nobis ex aliqua parte conniuentibus, necdum tamen impulit ad ruinam. vnde Pſal. dicitur: Delicta quis intelligit? quia difficile ſit radices, & initia intelligere peccatorum, ἁμαρτίαν vero, ſeu peccatum eſſe, cum quid opere conſummatum peruenit ad finem. hæc Hierony- *Hier.* mus. propter hoc forſan Rufinus *Rufin.* Pſalm. 31. præſenti dicit: Delictum cognitum tibi feci, eſſe peccatum cogitationis, iniuſtitiam vero operis, aut illud omiſſionis, hoc commiſſionis. Sed non poteſt hoc conſiſtere,

ſiſtere, quia in Hebræo, & Græco neutrum vocabulum habetur ex prædictis, & in Hebræo nec habetur vocabulum Leui. 7. nec Pſal. 18. quod delictum vertitur, ſed, vti diximus, eſt vnum ex tribus prædictis in primis verſiculis. in hac ambiguitate & difficultate dicam, quod mihi probabilius videtur.

Pſal. 18.

Expoſitio Auctoris. Dico primo, quod Leuit. 7. dicitur delictum, & Pſal. 18. dicitur etiam delictum, non eſſe idem genus peccati, quamuis vno nomine Latino vertatur; ſunt enim duo nomina Græca diſtinctum quid ſignificantia: nam Leuit. 7. habetur πλημμέλημα. Pſ. vero 18. παραπτώματα, quod etiam ad Galat. 6. & Epheſ. 2. habetur. hæc autem non idem ſignificare, colligitur ex diſtinctis verbis Hebræis, quæ illis reſpondent: nam Leuit. 7. *Aſcam.* at Pſal. 18. *Segioth.* hoc autem eſt à verbo *Scagah*, quod eſt, ignorare, errare, & nomen quaſi quod ignorantia, aut errore aliquo committitur, cui optime quadrat, delicta quis intelligit. vnde παράπτωμα ſignificat peccatum errore, ignorantiaue aliqua contractum, & optime verba quadrant Pauli ad Galat. 6. Si præoccupatus fuerit aliquis frater in delicto. id eſt, ſi ignorantia aliqua inciderit in peccatum. & Epheſ. 2. Vos cum eſſetis mortui in delictis, & peccatis. nempe quando Gentiles erant, tunc peccata ignorantiæ habebant, infidelitatis, & errorum, & peccata ſcientiæ contra legem naturæ cognitam. vnde à verbo ἁμαρτία in hoc differt, quod hæc eſt ex ſcientia, & vocamus ſæpe nos peccatum. illud aũt Leui. eſt à verbo *Aſcam.* hoc autem, vt ex Leuit. cap. 5. deducitur, tria genera peccatorum complectitur, vnum quod ex obliuione culpabili fit, quando erat aliquis immundus, & negligens purificari, oblitus eſt immunditię, poſtea facit aliquid quod immundis non licebat, hoc delictum ibi dicitur, quod negligentia commiſſum eſt. alterum eſt, quod fiebat per errorem in ſacris cæremonijs, dum non aduertens, vt debuit homo, aliter faciebat, quàm debebat. tertium eſt, quando per ignorantiam etiam culpabilem aliquid faciebat in rebus ad Deum pertinentibus. hæc omnia delicta ibi dicuntur, cum primum nota fuerint, & pro eis ſacrificia certa ſtatuuntur. & vocabulũ Græcum bene hæc explicat; vt enim dicit Aug. lib. 3. qq. Leuit. cap. 19. ſuperius citato, idem eſt πλημμέλημα, quaſi præter curam, & velut negligentia. peccatum vero erat, quando ex ſciẽtia committebatur. at non dicebantur iſta παραπτώματα, ſed illa, quæ ex ignorantia culpabili quidem fiunt, & adhuc non in rebus ſacris. vnde minus peccatum hoc eſt, quàm illud, & minus commune, & Latine propriè dici poteſt delictum, quod nõ ita graue quid ſonat, ſicut ſonat peccatum; quamuis Latine non ſolum quod ex ignorantia, ſed etiam quod ex ſcientia fit, ſignificet; tamen non eſt tanti momenti. hanc puto eſſe inter hæc differentiam. *Auguſt.*

אשם

שגיאות

שגגה

Gal. 6.

Epheſ. 2.

אשם

Dico ſecundo, hoc verbum, delictum, quod in præſenti ponitur, diſtinctum eſt à verbis πλημμέλημα, & παράπτωμα, & maius, ac grauius eſt vtroque, & Græce ἀνομία, & Hebraicè *Chanaab* vocatur, quod poſitum erat ibi, tecta ſunt peccata; fuit enim peccatum ex malitia, & valde graue, vti ſuperius explicuimus. & hæc ſatis de hoc verſiculo. חטאה

SER-

SERMO VII.

Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino.

PROSEQVITVR Dauid modum conuerſionis ſuæ ad Deum exponere, & pro intelligẽtia aduertendum eſt, hanc iniuſtitiam vocari primo illo vocabulo, quorum remiſſæ iniquitates; habetur enim Hebraice *Peſcaghai*, præuaricationes meas. & Septuaginta verterunt ἀνομίαν, ſicut verterant primum illud; iſta enim confuſio vocabulorũ multum impedit intelligentiam, ſicut diſtinctio illuſtrat. Cum ergo tria illa poſuiſſet in principio, quorum remiſſio, ac non imputatio beatum facit, ipſe in ſua conuerſione dicit, ſe notum feciſſe Deo & peccatum, & iniquitatem, nempe ſecundum, & tertium quod commiſit, nunc primum etiam aperit, & ſe eius accuſat. Dixi, confitebor meam præuaricationem, nõ ſolum cognitum feci, & aperui peccatum, & iniquitatem, ſed dixi etiam, confitebor præuaricationem contra me. pro intelligentia nonnulla ſoluenda ſunt dubia.

פשעי

Præuaricatio Dauid quæ fuerit.

Primum eſt, quæ ſit iſta præuaricatio diſtincta ab illis duobus; certum enim eſt, Dauid non defeciſſe per idololatriam, aut infidelitatem à Deo, ſicut multi eius filij, & ſucceſſores fecerunt. Dico ita eſſe, nec de hac præuaricatione loquitur, ſed vtitur largiori ſignificatione vocabuli, vt ille dicatur præuaricari, qui à Deo ſe auertit, eius legem tranſgrediendo, & ſic qui legem tranſgreditur, dicitur legis præuaricator, vnde illa duo, peccatum, & iniquitas præuaricationes quædam ſunt, quia contra legem Dei ſunt: vt ergo oſtendat Dauid, non ſolum contra proximum egiſſe adulterando, & occidendo, ſed etiam contra Deum, & eius legem, ſe peccatorem, & iniquum, adhuc præuaricatorem confitetur. & legitur in Hebræo pluraliter, quia multa commiſit peccata, quorum ſingula, reſpectu Dei, præuaricatio ſunt. Adde etiam, quòd fuit quædam circumſtantia præuaricationis, dũ hæc duo commiſſa per impœnitentiam tacuit, quæ impœnitentia eſt quædam receſſio, & præuaricatio, hoc totum nunc ſe confiteri dicit.

Confeſsio Dauid quæ fuerit.

Alterum dubium eſt, quæ ſit iſta confeſſio. Dico non ſolam eſſe cordis confeſſionem, & recognitionem peccati humilem, & contritam coram Deo, ſed exteriorem, quam fecit verbo, & opere: verbo, quando faſſus eſt Nathan: opere, quia poſtea ſacrificijs, & victimis pro peccato in lege, Leuit. 5. 6. 7. præceptis ſuum Deo confeſſus eſt peccatum. vnde ſoluitur dubium, quare non dixit confiteor, ſed confitebor, quia prius conuerſus eſt corde, nec potuit ſtatim ore, & opere confiteri, ſed prius corde propoſuit: ob id nec dixit abſolute, confitebor; ſed, dixi. ac ſi dicat: propo-

Gregor. propoſui in corde meo fateri & aperire peccata. Gregor. in hunc locum explicat bene illud. Dixi, inquit, quod delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi, non fuit ex neceſſitate, aut alicuius leuitatis occaſione, ſed ex pęnitentia, & confitendi præmeditatione; nam, dixi, ideſt, corde meo ſtatui. hæc Gregorius. vnde aduerte, vt ſenſum percipias, quod iſte verſiculus exprimit modum præcedentis; non enim notum fecit peccatum, & iniuſtitiam, & poſtea dixit, confitebor, ſed ſenſus eſt, cognitum tibi feci peccatum & iniuſtitiam. fuit autem hoc ſic, quia dixi, ideſt, propoſui ſtatim, ad me reuerſus, meam præuaricationem confiteri aduerſum me Domino, quam præuaricationem contraxi in illis duobus, peccato, & iniquitate, & mea taciturnitate, & tu Domine præueniſti, quia ſtatim ac propoſui, tu remiſiſti, antequam exterius confiterer.

Dauid quare dixit, confitebor, nõ autem, cõfeſſus ſum

Dubium tertium facile ſoluitur, quare non dixit, peccatum meum confeſſus ſum. ſed dixit: Dixi confitebor. Dico, vt oſtenderet celeritatem remiſſionis, quia ante verbum prolatum, ſola cordis contritione, & propoſito manifeſtandi Deus remiſit. vnde 2. Reg. 12. ſtatim ac dixit ore, peccaui Domino, dixit Nathan, tranſtulit Dominus peccatum tuum. & non dixit de præſenti, transfert, quia iam remiſerat: vt igitur Dauid commendaret hanc Dei miſericordiam magnam, qua tantam præuaricationẽ tam celeriter, & tam facile remitteret, ob id dixit ſic: Dixi confitebor, quia ſtatim addit, & tu remiſiſti.

Quartum dubium eſt, cur non dixit: Peccatum meum confeſſus ſum, & iniuſtitiam meam, & præuaricationem meam. aut abſolute, Dixi confitebor peccatum, iniuſtitiam, & præuaricationem, ſed vſus eſt hac diuiſione, & diſtinctione: Dico, peccatum & iniuſtitia prolata ſunt à Dauid, quatenus erant contra proximum, præuaricatio autem vt contra Deum, & eius legem. Confeſſio quæ Deo fit, eſt peccatorum, quatenus contra ipſum ſunt, & per ea ipſe eſt offenſus, ob id, vt erant contra proximum, dicit ſe nota feciſſe Deo: quia autẽ erant præuaricationes, dicit ſe confeſſum Deo, vt veniam ab eo peteret. & vt hæc omnia diſtingueret, ob id diuiſione hac vſus eſt. & vt hoc perfectius intelligatur. Aduerte, quando iniuria fit proximo in aliquo bono ipſius, & proximo debitor exiſtit, qui in ipſum peccauit, & rurſus in Deum, cuius legem tranſgreſſus eſt, offendendo proximum, quando Deus remittit peccatum illud, non remittit debitum, quod erga proximum contraximus, ſed obligati manemus reſtituere illi ablata. nec quando nos ad Deum conuertimus, huius debiti remiſſionẽ petimus, ob id peccata in proximum commiſſa dicimus nota facere, vt in proximum ſunt, vt autem contra Deum, ſic non tantum nota facimus, ſed confitemur, recognoſcentes, & veniam petentes. hæc enim confeſſio ad veniam eſt, & petitionem veniæ includit: ob id dictum eſt, notum feci peccatum, & iniuſtitiam tibi; at quia præuaricatio contra te ſunt, propoſui confiteri non tantum interius, ſed exterius veniam petendo. & hæc eſt vera contritio, quando dolor eſt de peccato, vt Dei offenſa eſt; hæc vera con-

Dauid quare vſus fuit diſtinctione cõfeſsionis, à peccato, iniuſtitia, & præuaricatione

Digitized by Google

ra confeſſio, quando accuſatio peccati eſt, vt eſt contra Deum; hæc enim culpa proprie, Deum offendiſſe etiam contra proximũ agendo; inde enim peccatum eſt, quia contra Deum eſt. malum enim proximo inferre, niſi lege Dei prohibitum eſſet, niſi contra Dei voluntatem eſſet, culpa coram Deo non eſſet.

Cur dicat Dauid, cõfitebor Domino, & aduerſum me.

Quintum dubium eſt, quid eſt, quod dicit, Domino, & aduerſum me. Dico, ex præcedentibus dictis facile hoc intelligitur. Dicit, confitebor Domino, ideſt, reum me eſſe, & Deum offendiſſe etiam contra proximum agendo recognoſco, immo in hoc peccator ſum, & iniquus culpabilis ſum, quia Deum offendi. hic eſt ſenſus illius verbi 2.Reg.12. quando ad reprehenſionem Nathan dixit: Peccaui Domino, ideſt, reus ſum in Deum. & illius Pſal.50. Tibi ſoli peccaui. nam etiã ſi malum feci proximo, at culpa & peccatum eſt, quia Deum offendi. ſenſus autem illius verbi, aduerſum me, eſt, ac ſi diceret, culpa mea eſt, non reijcio culpam huius præuaricationis in alium, ſed in me; vt enim dicunt Remig. & Rufin. aliqui ſui peccati culpam ſolent reijcere in alios, aut in dæmonẽ, aut in fatum, aut in Deum, dum dicunt ſe non potuiſſe aliter facere; aut in hominem, vt fecit Adam reijciendo in mulierem, hæc autem in ſerpentem. hæ non ſunt perfectæ contritiones, aut recognitiones peccatorum; debet enim eſſe humilis, & pęnitens recognitio, quando culpam humiliter ſuam agnoſcit, & agnoſcendo dolet. ob quæ dicit, Confitebor aduerſum me Domino.

2.Reg.12. Pſal.50. Remig. Rufin.

Et tu remiſiſti impietatẽ peccati mei.

QVid ex hac apertione, & locutione ſecutum ſit, oſtendit: & ſicut prius dixerat tacuiſſe peccatum, & inde multa mala ſecuta, ita nunc econtrario, ex eo, quod dixit, & non tacuit, magna bona ſecuta ſunt, nempe peccatorum remiſſio. &, vti diximus, magna miſericordia Dei eſt, antequam exterius pronunciaret, ad ſolam cordis motionem veniam dare, quod notat Auguſtinus in præſenti, dicẽs. confeſſio nondum ad os venerat, & audiuit Deus vocẽ cordis. & Remig. Magna, inquit, miſericordia, nondum vox in ore, & iam auris Dei in corde. bene ipſemet Dauid dixerat de Deo pſal.9. Deſiderium pauperũ exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua. pauperes iſti ſunt peccatores humili & contrita confeſſione accedentes ad Deum. hoc etiam nunc facit Deus, quando ſola cordis contritione, & propoſito confitendi ſacerdoti, ante ipſam confeſſionem exteriorem remittit peccata, in quo odium contra peccatum, & amorem erga homines ſuum Deus oſtendit; odium quidẽ, dum, arrepta occaſione ex parte noſtra, vel interiori, ſtatim deſtruit peccatum; amorem, dum diu non ſuſtinet medicinam, ſeu ſanitatem, quando voluntates noſtras conuerſas videt.

Auguſt. *Pſal.9.*

Quare dicitur, remiſiſti impietatem peccati mei, non aũt, peccatum ipſũ, ſiue iniquitatem.

Dubium tamen eſt, cur non ſit dictum, Remiſiſti peccatũ meum, ſed, impietatem peccati mei. antequam dubium reſoluamus, in qua reſolutione intelligẽtia ſenſus conſiſtit, duo circa verba ſunt conſideranda. Vnum eſt, non haberi in Hebræo, vt verterunt Septuaginta,

nempe

Digitized by Google

nempe loco illius, pecati mei, ipſi dixerunt, cordis mei, & hoc factum eſt, quia non verba, ſed ſenſum conſiderarunt, & non verſione ſola, ſed declaratione vti voluerunt, quantum ipſis viſum eſt: in quo autem hæc conſiſtat declaratio, paulo inferius dicemus. Alterum eſt, Septuaginta, hoc quod dicimus impietatem, vertiſſe *ἀσέβειαν*, quod vere ſonat impietatem, at in Hebræo non ſic habetur, ſed illud vocabulum tertio loco poſitum *Ghaon*, con- עון iunctum cum ſecundo vocabulo *Catathi*, ac ſi diceret, iniquitatem חטאתי peccati; iſta enim vocabulorum varietas in verſionibus, & diſcrepantia à lectione Hebræa parit obſcuritatem. repetitio eſt ergo tertij cum ſecundo vocabulo, ac ſi diceret: Remiſiſti iniquitatem peccati. modo ergo eſt dubium, cur non dixerit: Remiſiſti iniquitatem, aut peccatum, ſed, impietatem peccati mei. Ad hoc primo loco reſpondet Theodoret. per hoc ſigni- *Theod.* ficari, à Deo non condigna pęna punitum illum, ſed mediocri, & parua reſpectu magnitudinis peccati: & eſt ac ſi diceret, remiſiſti exceſſum peccati mei, & magnitudinem, non puniendo me pro exceſſu, & magnitudine peccati mei: remiſiſti illum exceſſum & magnitudinem, quantum ad pęnam, non pro ea puniendo. Secundo loco ad hoc reſpondet Rufin. per hanc impie- *Rufin.* tatem ſignificari impęnitentiam, qua in tantum tempus diſtulit cōfiteri, & recognoſcere coram Deo peccatum ſuum. ſed nec prima, nec ſecunda reſponſio omnino ſatisfacere videntur. Non quidem prima, quia non loquitur hic niſi de culpa, quæ præcipue remitti petebatur. & rurſus non dicitur, remiſiſti exceſſum, ſed ipſam iniquitatem. non ſecunda, quia nō ſolam impęnitentiam confeſſus eſt, nec ſolius impęnitentiæ obtinuit ab ipſo Deo remiſſionem, ſed omniū peccatorum. Tertio loco reſpondet Remig. ex- *Remig.* ponendo per hanc impietatem, defenſionem peccati, qua ſuum defendebat, & excuſabat peccatum, ſed nec hoc ad literam poteſt intelligi: nam Dauid numquam ſe defendit à peccato, nec ſe excuſauit, quamuis pęnitentiam diſtulerit. Adde etiam, quod etiam ſi ita eſſet, Deus & hanc, & peccata dimiſit, plus ergo dimiſſum eſſet, quā Dauid narraſſet, & ſic non plene veniam patefeciſſet, quod non debet affirmari, nulla ergo harum trium reſponſionum ſatisfacere videtur.

Dicendum ergo puto, per hanc *Auctor.* dicendi formam ſignificare voluiſſe, Deum remiſiſſe ſtatim culpam, ſed non pęnam peccati: culpam autē vocat *Ghaon*, ideſt, iniquitatem, & iniuſtitiam; in omni enim peccato eſt quædam iniuſtitia, qua Dei præceptū prętermittitur, cui ex iuſtitia obediendum erat, vti in ſecundo ſermone diximus. Remittere ergo iniquitatem, adiungendo, peccati, perinde eſt ac non totum ſimpliciter debitum peccati remittere, & ita factum eſt: nam ſtatim ac de peccato doluit, & confeſſus eſt coram Deo ad verbum Nathan, remiſſa quidem culpa eſt, tamen pęna temporalis non: nam dixit Nathan, tranſtulit Dominus peccatum tuum, nō morieris: verumtamē quia blaſphemare feciſti, &c. filius, qui natus eſt tibi morte morietur. Quia igitur non fuit tota remiſſa pęna, ſicut tota remiſſa fuit culpa, ideo dictum eſt, impietatem peccati, ideſt, culpam peccati mei

Digitized by Google

remiſiſti. alludendo ad id, quod dictum eſt ex 2. Reg. allegato. & hic & verus, & legitimus ſenſus eſt, vnde non eſt ad rem ſenſus, quem Vatabl. dat, remiſiſti iniquitatem peccati, ideſt, iniquum peccatum; ſatis enim dicere, iniquitatem, ſi id vellet intelligi. ſenſus datus eſt verus, & explicat quod vere factum eſt. Huic verſiculo additur vox illa *Sela*, vt notabilis ſententia aduertatur, qualiter Deus remittat peccata, & quam facilis ſit Deus in concedenda venia, & quod non quoties culpam remittit, remittit totam pœnam temporalem, ſed aliquando, remiſſa culpa, etiam temporaliter caſtigat, vt fecit cum Dauid; quæ digna ſunt cõſideratione. ob id notantur tali voce. Adde, myſterium hic contineri; vt enim notat Ambr. lib. 1 de Iacob, cap. 6. ſignificatur hic effectus legis, & inefficacia eius, & opus gratiæ, lex non habebat vim iuſtificandi, ſed declarabat peccatum, vt homo ſe reum cognoſceret, & ad gratiam medici confugeret. dum ergo dicit, Dixi confitebor, &c. hoc legis erat, at, tu remiſiſti, &c. gratiæ eſt, non ex vi legis, merito ergo iſta ſententia notatur. hæc de iſto verſiculo.

2 Reg. · Vatabl. · Ambr.

SERMO VIII.

Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.

VARIE Doctores exponunt hæc verba, & pro expoſitionum varietate eſt etiam diuerſa ratio continuandi, ſeu contexendi ea cum præcedentibus, vt patebit. Primo igitur loco eſt expoſitio Hebræorum, quam ſequuntur Eugubinus, & Vatablus, vt illud, pro hac, ſit idẽ ac propter quod, ſeu idcirco, vt non referatur ad iniquitatem, ſed ad rem totam; eſt enim phraſis Hebræa, vt pro neutro genere vtantur fœminino. ſic pſal. 26. Vnam petij à Domino, ideſt, vnum, ſeu vnam rem. ſic nunc, pro hac, ideſt, propter hoc, ſeu propter hanc rem, ideſt, meo exẽplo, quia vident Deum tam facilem ad veniam, omnis ſanctus orabit ad Deum, ideſt, conuertetur ad ipſum, & petet veniam omnis, qui ſanctus fieri ſtudet. petet autem tempore opportuno, ideſt, ſecundum Eugubin. quando diſpoſitus fuerit ad petendum, ſeu pœnitens fuerit, aut quando apud Deum putat gratam futuram orationem. Vatabl. quando inuenire licet, nempe quando homo pœnitens eſt. Sed contra hanc expoſitionem vnum hoc mihi difficultatem facit, quod ſit verbi extorſio; ſanctus enim dicitur, ideſt, purus, & ſincerus, Deo gratus: oportebat dicere, orabit peccator, & petet remiſſionem. Exponere aũt, ſanctus. i. qui vult ſanctus fieri, & ad Deum conuerti, eſt potius ſenſum propriũ velle verbis Scripturæ aptare, quã ex ipſis verbis ſenſum colligere. omitto aliorum verborum extorſionem, de qua etiam dicetur inferius, ob id non probo huiuſmodi expoſitionem.

Eugub. · Vatabl. · Pſal. 26.

Secundo loco Theodor. alium ſenſum

Theod.

ſenſum adhibet; exponit enim illud pro hac, relatiue ad iniquitatem præcedentem, quaſi dicat, pro hac iniquitate, quam remiſiſti mihi. & ita Septuaginta verterunt Græce relatiue ad antecedentem iniquitatem. Dicit autem Theodoret. his verbis Dauid propheraſſe tempus Euangelij, & gratiæ futurum tunc, quod vocat opportunum, & prophetaſſe, qualiter tempore Euangelij in toto orbe Chriſtiano erant hi pſalmi in Dei laudem canendi, & velut ipſius linguam Chriſtiani induturi, & cum ipſo verba eius prolaturi. vnde ſenſus eſt, pro hac mea iniquitate, tẽpore gratiæ, & Euangelij, omnis ſanctus, & Chriſtianus orabit, & effundet preces velut meam induens linguam, ſicut fit quãdo cantantur pſalmi, quos Dauid decantabat à Deo veniam petens ſuorum peccatorum. ſubtilis eſt expoſitio hæc, non tamen ex omni parte quadrat: nam non ſic pſalmi decantantur ab Eccleſia, quaſi in perſona Dauid loqueretur, ſed quæ ille de ſua perſona loquebatur aliquando, Eccleſia in Dei laudem decantat, non quod preces pro illius peccato fundat, nec intendat fundere. vnde non videtur hic ſenſus apte verificari.

Remig. Tertio loco Remig. exponit, & quidem intelligit vocem, pro hac, relatiue, ſed non ſicut Theodoret. hic enim intelligit relatiuè ſingulariter. at iſte relatiue in ſpecie, ſicut ſolemus dicere. hæc herba eſt in horto meo, non hæc in indiuiduo, ſed ex huius herbæ ſpecie eſt in meo horto: ſic pro hac iniquitate, ideſt, pro dimiſſione peccati, non illius Dauid, ſed pro ſuo vnuſquiſque orabit ſanctus, hanc remiſſionem peccatorum omnis ſanctus à te petet. conueniunt autem in hoc, quod tempus opportunum exponit etiam tempus gratiæ, & Euangelij, iuxta illud 2. Corinth. 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. quod Paulus dicit exponẽdo locum Iſai. 49. Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te. Sed ſi dicas, quomodo ſanctus eſt, ſi petit iniquitatis veniam? Dicit, ſanctus, qui ſtudet fieri ſanctus, at hoc non valet: nam hic nondum ſanctus eſt, & ſic non poteſt verificari, quod ſanctus orat, niſi dicamus cum Hieron. hic, ſanctum eſſe per baptiſmum, quia Deo dicatus eſt, etiam ſi peccator exiſtat. ſed hoc ad aliam pertinet expoſitionem. *2. Cor. 6.* *Iſai. 49.*

Quarto loco Hieron. & Innocen. aliter exponunt; vt tempus opportunum ſit, quando venia poteſt dari, nempe in hac vita; qui enim in peccato recedit, & extra Dei gratiam, non habet tempus iam opportunum iuxta illud Iſai. 55. Quęrite Deum, dum inueniri poteſt, inuocate eum, dum prope eſt. Omnis ergo ſanctus orabit pro remiſſione peccatorum, quia nemo eſt, etiam ſanctus, qui ſine peccato viuat. ita exponunt. Sed contra hanc expoſitionem hoc eſt, vel loquitur de venialibus, vel de mortalibus: ſi de his, iam non eſt ſanctus, qui mortaliter peccat: præterea quia ſine mortali viui poteſt in hac vita. ſi de venialibus, tunc verum eſt, iſtos huius vitæ non habere ſe aut poſſe viuere, quin in aliquod labantur, tamen non ob id deſinunt eſſe ſancti. tamen non eſt ad propoſitum, quia in præſenti de mortali etiam ſermo eſt, cuius remiſſionẽ habuit Dauid, & cuius etiam veniam Deus petentibus concedit. Pręterea, quia *Tempus opportunum quid denotet.* *Hieron.* *Innoc.* *Iſai. 55.*

tunc

Digitized by Google

tunc non eſt verum, opportunum tempus eſſe tantum hanc vitam; nam venialia in futuro ſæculo, ſcilicet purgatorio, etiam remittuntur. De qua remiſſione dicitur Matth. 12. Neque remittetur in hoc ſæculo, neque in futuro, ſignificare volens, in futuro aliquam fieri peccatorum remiſſionem. vnde non videtur iſta expoſitio omni ex parte quadrare. in eo, quod relatiue ſumit, pro hac, conuenit cum ſecunda, & tertia.

Mat. 12.

Aug. & Rufin.

Quinto loco, Auguſt. & Rufin. quamuis per hoc opportunũ tempus, gratiæ tempus, & Euangelium exponant, & ſimiliter illud, pro hac, relatiue intelligant, tamen alium ſenſum diuerſum à præcedentibus adhibent, &, quantum ego puto, in hunc venerunt ſenſum, vt illud, ſanctus, in ſua ſignificatione conſeruent. & proprie ſumant. Senſus igitur eſt, pro hac orabit ad te omnis ſanctus, ideſt, pro hac remiſſione, & venia, non facienda, ſed facta, & ſic clarus ſenſus eſt, quia veniam dediſti, ob id ſunt ſancti, ò Deus, qui ad te orent; niſi enim dediſſes veniam, non vtique eſſet ſanctus, qui ad te oraret. ſed hoc verum eſt, tamen ad ſenſum verborum difficile aptatur: nam ſi relatiue exponas, tunc pro venia oratur, quaſi ipſa petatur, niſi ſit ſenſus cum prima expoſitione, nempe, propter hoc ſanctus orat ad te, ideſt, quia tu remittis peccata, ob id ſanctus inuenitur, qui ad te oret. quod videtur eſſe extortum; nam tunc diceret, eſt ſanctus, qui oret, & non, orabit ſanctus. adde quod ad propoſitam quæſtionem non confert.

Lyra.

Sexto loco Lyra aliam adhibet expoſitionem, quæ talis eſt, pro hac, ideſt, hanc rem, quam poſtea dicet in illis verbis, in diluuio aquarum, &c. orabit omnis ſanctus, ideſt, omnis, cui iam remiſſa eſt iniquitas, tempore opportuno, ideſt poſt remiſſionẽ factam, & gratiam acceptam. ſenſus igitur clare hic eſt ſecundum Lyram. omnis ſanctus & ſanctificatus per remiſſionem iniquitatis tempore tali, quo dimiſſa eſt iam iniquitas, debet orare, & petere à Deo hanc rẽ, nempe, in diluuio aquarum multarum, &c. ideſt, ne tempore vehementium tentationum iterum cadat in peccatum. quæ verba poſtea ſunt exponenda. Hęc expoſitio violenta videtur: nam illa particula, verumtamen, aduerſatiua eſt, vt dicemus, & non poteſt fieri, vt ſit explicatio illius, pro hac re: tunc eſſet, ſi declaratiua eſſet, & diceret. pro hoc orabit ad te ſanctus, vt in diluuio aquarum ad eum non approximent. Tam variæ ergo, ac tot expoſitiones locum hunc obſcurum habere ſenſum ſatis indicant: quid tamen dici probabilius poſſit, inquirendum nunc eſt.

Duo igitur ſunt conſideranda, Vnum eſt, quid ſit tempus hoc opportunum; alterum, quis ſit ſanctus omnis. Quantum ad primum multas adduximus reſponſiones, Alij tempus Euangelij, & Chriſti aduentus, alij tempus, in quo qui petit magis diſpoſitus eſt, alij tempus, in quo obtenta eſt remiſſio peccati, nempe poſt pœnitentiam, alij hanc vitam, in qua remiſſio fit, & eſt tempus pœnitentiæ, dixerũt, & dubium non eſt, hæc omnia tempora eſſe opportuna ad petendum, & impetrandum à Deo, tamen non de his omnibus ſermo præſens eſt. pro quo Aduerte, in Hebræo

Tempus opportunum quid ſit.

טעו חטא non legi tempus opportunum, ſed tempus inueniendi; dicitur enim *Tegho* à verbo *Tagha*, quod eſt inuenire, ac ſi dicat, in tempore inueniendi, quando quod petitur, obtineri poteſt, quod vere opportunũ dicitur. hoc idem verbum eſt *Iſai. 55.* Iſai. 55. Quærite Deum, dum inueniri poteſt. Opportunũ ergo tempus orandi Deum eſt, dum exauditionis tempus eſt: eſt autem exauditionis tempus, dum tempus eſt bene operandi, dum tempus eſt pœnitendi. non autem tempus omne eſſe tale, docet Dominus Ioan. 12. Adhuc modicum tempus lumen in vobis eſt, ambulate dum lucẽ habetis, ne tenebræ vos comprehendant. & Ioan. 9. Venit nox, quando nemo poteſt operari. Extra vitæ huius tempus, nullius exauditur pęnitentia. pro nullo in peccato mortali decedente exauditur alicuius oratio: locum habet ergo oratio pro ijs, qui in via ſunt, ſiue ſit ab ijs, qui ſunt in via, ſiue ab his, qui ſunt in termino, ſcilicet, cælo. Voco viam etiam purgatorium, quia per ipſum tranſitur in cælum, nec locus eſt firmus, ſeu manens.

Sanctus quid ſignificet. Alterum conſiderandum eſt circa verbum, ſanctus. Hebræa vox eſt *Chaſid*, & eſt à voce *Cheſed*, quod ſignificat miſericordiam, beneficentiam. inde eſt *Chaſid*, ideſt, miſericors. & ſic vertit Hieronymus. חסיד חסד חסיד ſignificat etiam ſanctum, & Deo gratum. *Pſal. 4.* Pſal. 4. Quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum. *Pſal. 15.* Pſal. 15. Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem, Vnde vtroque modo verti poteſt, ſiue, omnis ſanctus, ſiue, omnis miſericors. Septuaginta verterunt ὅσιος, ideſt, pius, ſanctus, innocens, nullo ſcelere contaminatus.

Legitimus ſenſus. His duobus ſuppoſitis, ſenſus aptior mihi videtur iſte, vt illud pro hac, referatur ad iniquitatem, vt in Hebræo referri poteſt, & Septuaginta retulerunt, & non referat ſolam iniquitatem Dauid, ſed in genere, pro hac, ſcilicet iniquitate & culpa, omnis ſanctus, & qui in Dei gratia eſt, ac ipſi acceptus orabit, & rogabit Deum, non pro ſua, ſed pro aliorum iniquitate. In quo docet Dauid, non ſolum Deum exaudire ipſum peccatorẽ, ſed iuſtos pro peccatoribus rogantes, & orantes, in quo magnam Dei miſericordiam, & veniæ facilitatem oſtendit. ſic exẽpla habemus in Scripturis: nam Moyſes orauit Deũ pro peccatis aliorum, Hieremias, Daniel, & Prophetæ. ſed additur in tempore opportuno, dum patet aditus, & tempus eſt pęnitentiæ, & remiſſionis, iſti exaudiuntur, & orant. De hac oratione iuſtorũ pro aliorum iniquitate dicitur Iob 5. ad aliquem ſanctorum conuertere. Putabant amici Iob, ipſum eſſe peccatorem, & pro peccato pati, & monent, vt ad aliquem ſanctum virum conuertatur, qui pro eo Deum oret, & veniam conſequatur. *Iob 5.* ſic Deus Iob 42. hortatur amicos Iob, qui peccauerant contra ipſum, vt eum orent tamquam ſanctum, vt roget Deum pro ipſis, *Iob 42.* Iob, inquit, ſeruus meus orabit pro vobis, faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia. & 1. Reg. 12. dixit vniuerſus populus ad Samuelem, ora pro ſeruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur; addidimus enim vniuerſis peccatis noſtris malum, vt peteremus nobis regem. & poſt aliqua dixit Samuel: Abſit à me hoc

pecca-

peccatum in Dño, vt ceſſem orare pro vobis. Multa ſunt huiuſmodi exempla in Scriptura noua, & veteri: pro hac ergo iniquitate, & peccato ſanctus, & tibi amicus orabit tempore opportuno. *Baſil.* Baſil. in comment. non multum ab hac diſcrepat expoſitione, quia exponit de aliorum oratione pro peccatis; tamen applicat ad peccatum Dauid in particulari, ſic exponens, nõ ſolus pro hoc peccato tibi ſupplico, ſed & vniuerſi, quotquot in orbe terræ diuinitatis tuæ cognitionem ſunt adepti, eaſdem pro me tibi preces offerent. Idem fere eſt ac ſi Dauid ſimul in perſona propria, & peccatoris loquatur; pro illo enim indiuiduo peccato non omnis ſanctus orabit. huic expoſitioni noſtræ multum quadrat ſignificatio illa vocis, omnis miſericors. eſt enim præcipuum miſericordiæ opus, pro aliorum peccatis, & ſpiritualibus neceſſitatibus orare.

Legitimus ſenſus. Hic ſenſus multum probabilis videtur, tamen quia verba ſequentia non ita facile coaptari poſſunt, puto legitimum ſenſum, omnibus alijs prętermiſſis, eſſe hunc, ſanctus orabit ad te opportuno tempore, antequam cadat in peccatum, & iniquitatem; illud autem, pro hac, poteſt legi, aut relatiue ad iniquitatem, ideſt, orabit pro hac, ſcilicet iniquitate, quando tempus eſt inueniendi, ideſt, dum Deo acceptus eſt, antequam cadat. hoc eſt tempus aptiſſimum ad impetrandum, vnde Dominus Matth. 6. Iuſſit vt oraremus, ne nos inducas in tentationem, & antequam veniat tribulatio, tentatio, malum, infirmitas, peccatum, debemus petere à Deo, ne nos apprehendant. hoc eſt tempus opportunum, multo magis, quàm poſtquam incidimus. Poteſt etiam illud, pro hac, referri ad totum, vt ſit idem quod propter hoc, ſeu, ſuper hoc. & ſit ſenſus, cum iuſtus viderit, & intellexerit me in tot mala, & in peccatum incidiſſe, propterea orabit ipſe tempore opportuno, antequam incidat, vt præſeruetur: non vt ego, qui poſt malum oro; ſi enim Deus peccatorem exaudit, vt liberet à peccato, multo magis exaudiet iuſtum, ne incidat in id, petẽtem, & orantem. Hic ſenſus cohæret præcedentibus, & ſequentibus. de ſequentibus dicam poſtea, dum ea exponam, de antecedentibus explico. Duplicem beatum ſupra propoſuit, & eum, qui peccauit, ſed obtinuit à Deo remiſſionem, & obtectionem, & eum, qui non incidit, ſed cauit peccata, cui Deus non imputabit, nec numerabit peccata. de primo ſui exemplo hactenus dixit, quomodo ad hanc remiſſionem peruenerit. At de ſecundo nunc dicit, is nimirum erit, qui tempore opportuno, & dum Deo gratus eſt, orat, & petit, ne incidat, ſicut primus eſt, qui poſtquã incidit, non tacuit, ſed conuerſus, humili & cõtrito corde ſuum contra ſe peccatum Deo cõfitetur. hic eſt ſenſus, & eſt doctrina, & remedium accurate notandum, ne expectemus tempora tentationum, tribulationum, mortis, & malorum. ſed antequã premamur malo, diligenter & deuote Deum oremus. Huic ſenſui verba ſequentia, quæ ſunt altera pars huius verſiculi facile aptabimus, ſi prius quid Doctores ſentiant, exponamus; quamuis enim non omnes expoſitiones ad ſenſum faciant, ſingulæ tamen doctrinam Catholicam, & vtilem, & quæ modo aliquo verbis

aptari

Digitized by Google

aptari poſſet, continent.

Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.

Diluuium aquarum quid denotet.

SIcut variæ erant præcedentiũ verborum expoſitiones, ita etiam & horum ſequentium, quarum præcipuas in medium proponam, antequam, qui mihi legitimus ſenſus videatur, explicem.

Baſil.

Primo igitur loco Baſil. hom. 1. in pſal. 28. in illa verba: Dominus diluuium inhabitare facit. hæc verba exponit in ſenſu prophetico, inquit ſic. Baptiſmi gratiam diluuiũ nominat, quo fit vt anima peccatis abluta & purgata, excuſſo à ſe vetere homine, domicilium deinceps fiat accommodum Domino in ſpiritu. Meæ huic expoſitioni concinunt ea, quæ pſal. 31. conſcripta ſunt; poſtquam enim dixit, Delictum meum cognitum tibi feci. & item hoc, pro hac orabit ad te omnis ſanctus. ſequitur, verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt; non enim deinceps peccata appropinquant ei, qui iam accepit baptiſmum in remiſſionem peccatorum per aquam, & Spiritum ſanctum. hæc Baſil. Idem in homil. poſteriori eiuſdem pſalmi dicit, & in priori adducit illud Mich. 7. demerget peccata veſtra, & proijciet in profundum maris, & ſedebit Dominus rex in æternum. Exponitq., poſt baptiſmum erit anima thronus Dei. Secundum hanc expoſitionem licebit aptare ſenſum ſic, pro iniquitate etiam poſt remiſſionem orabit ſanctus, quia ſolet manere aliquid, nempe pęna, & ſic adhuc appropinquant ei peccata dimiſſa. at in diluuio aquarum, ideſt, in baptiſmo nullatenus appropinquabunt, quia totalis erit remiſſio omnium culparum, & pęnarum à Deo inſligendarum. Hic videtur ſenſus ſecundum Baſil. & plurimi faciendus eſt, quia aptari poteſt, & eſt ſenſus Propheticus, qui ſimul poteſt ſtare cum alijs. vnde non reijcio expoſitionem, ſed potius declaro, & probo, ſimul tamen aliam litteralem adducendo. iuxta hanc expoſitionem diluuium eſt baptiſmus, illud, eũ, refertur ad ſanctum, ſed per baptiſmũ factum, & non appropinquari intelliguntur peccata, ſcilicet dimiſſa per baptiſmum.

Pſal. 31. *Mich. 7.* *Baſil.*

Theod ex Symm.

Secundo loco Theodor. ſequitur ſententiam Symmachi, qui in hunc modũ totum exponit verſiculum, pro hac orabit ſanctus, opportunitate inuenta, ſcilicet, ne aquæ multæ inundantes circa ipſum appropinquent. apertius adhuc exponit, qui, inquit, ſtudioſam ſibi deprecationem affert, omne auxilium conſequetur, & licet in diuerſas calamitates incidat, quæ veluti aquæ ipſum inundent, ſuperior tamen hic erit, atque potentior calamitatibus euadet. hæc Theod. vbi vides hoc diluuium exponere multas tribulationes, quæ iuſtum & ſanctum non ſuperabunt, ſi orationibus ad Deum vacet. Huic fauet verſio Hieronymi, quæ talis eſt, pro hac orabit omnis miſericors ad te, tempus inueniens, ne eum inundent aquæ multæ. eſt expoſitio Lyræ, vt ſupra meminimus. vnde illud pro hac, demõſtrat, quod ſequitur. quæ expoſitio hoc habet difficultatis, quod non habet ſic cum præcedentibus continuationem. rurſus, quod illud, verumtamen, nec Græ-

ce, nec Latine, nec Hebraice habet vim vllam declaratiuam, vt æquiualeat, ne, aut, vt non, & ſic videtur extorſio quædã verbis fieri.

Hieron. Diluuium aquarum multarum quid ſignificet.

Tertio loco Hieronym. in præſenti tres adducit expoſitiones. Prima eſt, vt per diluuium aquarum intelligatur iudicium finale, in quo impij damnabuntur, & iuſti ſaluabuntur, ſitq. ſenſus, vt ipſius vtar verbis, multi fluctus diluuiorum in iudicio impios vallabunt, qui ſanctis nocituri non erunt: in qua expoſitione illud, ad eum, refertur ad iuſtum, & ſanctum, ad quem aquæ diluuij non appropinquant, quia ſic non nocebunt. Altera expoſitio eiuſdem eſt, vt per diluuiũ hoc intelligantur tribulationes, & anguſtiæ, ſine quibus ad Deum iſti non perueniunt. vnde verba ipſius ſunt, ſine anguſtijs, ait, quę aquis in undantibus comparãtur, ad Deum ſancti appropinquare non poterunt, hæc videtur expoſitio aliquantum extorta; non enim dicitur, ſine diluuio; ſed, in diluuio non approximabunt. Tertia expoſitio eſt, vt per diluuium aquarum multarum diuerſa doctrinarum dogmata hæretica intelligantur, in quibus ad Deum appropinquare nemo poteſt. In his duabus expoſitionibus vltimis illud, ad eum, refertur ad Deũ. de his mox dicemus.

Rufin.

Quarto loco Rufin. exponit per hoc diluuium extremum iudicium, ſed non applicat ſicut Hieronymus in prima expoſitione: nam illud, ad eum, refert ad Deum. ſitq. ſenſus, vtendo ipſius verbis, modo poſſunt appropinquare Deo qui volunt, ſi præterita mala puniant, ſi mores corrigant, ſi ſobrie, & iuſte viuant, erit poſtmodum tempus iudicij, tempus vindictæ, quo non appropinquabunt, qui modo appropinquare contemnunt. hoc eſt quod ſubdit, verumtamen in diluuio aquarum multarum, &c. Recte per diluuium Dei iudicium deſignatur, quia ſicut prius in diluuio, ita in extremo iudicio peccatores damnabuntur. hæc Rufin.

Quinto loco Auguſt. & Remig. exponunt ſicut tertio loco Hieronymus, nempe de dogmatibus hæreticorum, non generaliter vt Hieronymus, quia non ita ad contextum facere videbatur, ſed particulariter de his, qui culpam non confitentur ſuam. verba Remig. ex Auguſt. ſumpta ex parte ſunt hæc, in diluuio, ideſt, in multiplicitate doctrinarum non accedent ad eius miſericordiam, nempe imputando culpam ſuam, vel conſtellationi, ſecundũ quoſdã philoſophos, vel fortunæ, ſecundum alios, vel alijs huiuſmodi, qui per compendium ad eum poſſent peruenire, ideſt, confitendo peccata ſua. quaſi dicat, illi in multiplicitate excuſationum ſuarum non appropinquabunt, ego autem approximabo, quia à quo fugi per ſuperbiam, ad eum refugi per humilitatem. hæc Auguſt. & Remig. In qua expoſitione illud, ad eum, refertur ad Deum, & quia videbatur mutari perſona in modo locutionis, dicit Auguſtinus ſic, ſolet in Scriptura mutari perſona, vt in Pſal. 3. Domini eſt ſalus, & ſuper populum eius benedictio eius; aut, tua eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua. non dicitur, Dñi eſt ſalus, & ſuper populũ tuum benedictio tua, ſed mutata perſona modo in ſecundã, modo in tertiã. ſic etiam cum dictum eſſet, ſanctus orabit ad te, mutata perſona, dicitur, ad eum non approximabunt, *Aug. & Remig.* *Pſal. 3.*

tamen

tamen vere ad idem refertur.

Innoc. Sexto loco Innoc. adducit multas expoſitiones, vna eſt de extremo iudicio, ſicut exponebat Hieronymus, non vt Rufinus. verba ſunt ipſius hæc, Vir ſanctus in hoc ſeculo non caret omni culpa, vnde orat pro hac, ſcilicet remiſſione peccatorum, verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt, quia tunc eum extrema confuſio non tenebit. Altera expoſitio eſt, vt per hoc diluuium intelligantur carnales voluptates, ſitq. ſenſus, vtendo ipſius verbis, verum etiam ſi pro hac oret ſanctus tempore opportuno, illi tamen qui ſunt in diluuio aquarum, in fluxu carnalium voluptatum, non approximabunt ad eum, ſcilicet Deum. Tertia eſt, vt ſit ſenſus: Aquæ non poterunt approximare ad ſanctum, quia multæ aquę non poterunt extinguere charitatem, ſicut aquæ non approximarunt Noe. videtur per aquas tribulationes exponere. Quarta expoſitio eſt cum Hieron. pro doctrinis hæreticorum, in quibus nemo accedit ad Deum. hæc omnia ſecundum Innocen.

Legitimus ſenſus. Vides multiplicem Doctorum expoſitionem, quæ omnia veram doctrinam, & vtilia continent documenta, & aliquando verbis aptantur; ob id pro diuerſitate iudiciorum vnus ſic, alius aliter expoſuit; tamen illa particula, verumtamen, occaſionem dedit, & obſcurandi verum ſenſum ac legitimum, ac multiplicandi expoſitiones; ſi enim propriè eius vis conſideratur, aduerſatiua eſt, & ſenſum ſequentem ſeparat, & excludit à præcedenti, & Latina verſio Septuaginta verſionem ſecuta ita legit; Septuaginta enim ſic verterunt, πλὴν, quod verumtamen ſignificat; tamen apud Hebræos, vbi fons eſt textus, habetur particula *dak*, quæ ſignificat non ſolum quod Latine dicimus, verũtamen, tantummodo, ſolummodo, dummodo, ſed etiam alia: nam aliquando ſignificat, forſitan. ita Gen. 20. forſitan non eſt timor Dei in loco iſto. alij vertunt: profecto non eſt timor Dei in loco iſto. rurſus ſignificat quod Latine dicitur, quippe, namque, vt ſit cauſalis. ſic Deuter. 3. Solus quippe Og Rex Baſan reſtiterat de ſtirpe gigantum. & ipſi Septuaginta hanc eandem in illis locis particulam non ſic verterunt, vt in præſenti. Si igitur nos conſiderantes particulam primæuam exponamus per, quippe, aut, namque, cum multi non expoſuerint cum Septuaginta, inter quos eſt Hieronym. qui aliter expoſuit, tunc eſt ſenſus meo iudicio legitimus, & cohærens, vt ſit talis, iuſtus orat pro iniquitate tempore opportuno, antequam nempe tentetur, antequam tribulatio, tentatio, malum veniat: aut propter hoc, ideſt, meam miſeriam, in quam incidi, & me in ea clamare videns, propter hoc, inquam, ſanctus orabit ante tempus, id enim eſt tempus inueniendi, orabit ergo tali tempore præueniendo, quia in diluuio aquarum, ideſt, quando venerit tentatio, tribulatio, malum, etiam ſi multa mala, & tentationes, & fortia vt diluuium, non approximabunt, non eum mergent, nec nocebunt. quia prius iam ad Deum orauit, vſus eſt medicina præſeruatiua, non vt ego, qui vtor ſanatiua. Hunc puto ſenſum legitimum; & vtiliſſimum eſt,

[Margin: רק] [Margin: *Deuter.* 3]

& verum documentum. prodeſt oratio, quando malum inſtat, ſed multo magis, qui præuenit tempus malitiæ, tum quia mẽs hominis eſt quietior, quando non eſt perturbata malis, tum quia affectus eſt purior; in malo enim orare, indicat id fieri ob neceſſitatem, at quia extra neceſſitatem talem poſitus orat, puriorem indicat affectum. Adde, quod non vacat tempore tentationis conſiderare multa, quæ iuuant, vt homo non peccet, vt homo ferat patienter aduerſa, quæ malis non imminentibus conſiderari poſſunt, & conſiderata iuuant. & attende, quod non dicit, quod non inſurgent aquæ contra ipſum, ſed quod in diluuio aquarum hæ aquæ non approximabunt ei, quia tentationes, & mala habebit, ſed non ipſum vincent, ſed victor euadet cum honore, & fructu. Senſus eſt idem cum illo pſal. 90. Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. & paulo inferius, quid ſit non accedere, exponit: Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. hunc puto huius totius verſiculi eſſe literalem, & legitimum ſenſum. *Pſal 90.*

Quòd ſi adhuc velimus legere particulam aduerſatiuam, vt communiter legi ſolet, tunc alius erit ſenſus à prædicto, tamẽ non incongruens etiam contextui, vt priora verba exponamus iuxta ſenſum illum priorem ſuperius poſitum, nempe, pro iniquitate orabit ad te omnis ſanctus, quia iuſti orant pro delinquentibus, & id opportuno tempore, dum patet locus pœnitentiæ, huic adnectitur opportunitati; tamen in diluuio aquarum, ideſt, non tamen ſemper eſt opportunum tempus orandi, & rogandi, quia in extremo iudicio nemo approximabit ad Deum, vt oret pro alio, nec pro ſe. & in hoc placet ſententia Rufin. & illorum, qui hoc loco, ſupremum iudicium exponunt. nec mireris, quod mutat perſonas; non enim dicit, approximabit, vt intelligatur omnis ſanctus, ſed dicit, non approximabunt, ideſt nemo, nec iuſtus, vt pro alio roget, nec peccator pro ſe. Adde etiam illud, omnis, apud Hebræos *Cal* poteſt cum plurali coniungi, ſicut apud Latinos collectiua etiam in ſingulari. eſt enim generalis ſententia. mutat etiam perſonam, cum enim dixiſſet, ad te orabit, mutat in tertiam, ad eum. & hoc quia cum generalius locutus eſſet, & ſermonem ampliaſſet, perſonam mutare voluit. Similis mutatio eſt pſal. 144. cum enim dixiſſet, Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam narrabunt. addit, vt notam faciãt filijs hominum potentiam tuam. Hebraice dicitur eius, & gloriã magnificentiæ regni tui, habetur, eius, qua mutatione etiam regnum Chriſti prædicitur. Ruſus myſterio particulari id factum eſt, prophetare volens perſonam Chriſti Dei & hominis, qui tunc viſibiliter iudicaturus eſt, ad quem nemo accedet rogare, etiam eorum, qui Deum in ſua diuinitate orabant, quando tempus erat opportunum. Hęc expoſitio congruẽs eſt, & eſt vera doctrina; in illo enim die omnis interceſsio, & rogatio ſanctorum, & preces peccatorum ceſſabunt; tempus enim eſt iudicij, non miſericordiæ. quod Dominus in parabola Matth. 25. de decem virginibus ſignificauit, dum virginibus fatuis, nec proprius

Margin notes: כל · *Pſal. 144.* · *Mat. 25.*

Digitized by Google

prius clamor profuit, nec oleum ab alijs obtinere potuerunt. hæc de verſiculo præſenti.

SERMO IX.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me.

HEBRÆA lectio quæ nunc habetur aliter habet, quàm verſio Septuaginta, quam editio Latina ſequitur, at in Hebræo ad literam habetur, tu es protectio mea, ab hoſte cuſtodies me. ſic vertit Hieronymus. Vox autem illa *Setbed*, quæ vertitur, protectio, etiam ſignificat latibulum, locum abſconditum, & refugium, vnde non diſtat in hoc vocabulo ab Hebræa communis editio. illud autem ab hoſte, eſt in Hebræo *Mezad* quod ſi vt vna dictio legatur, ſignificat tribulationem. ſi legatur diuiſa, vt prior litera ſit præpoſitio, ſignificat à tribulatore. nam *Zad* ſignificat tribulatorem, anguſtiatorem, & hoſtem, quia tribulat: à verbo *Zadad*, quod ſignificat tribulare, anguſtiare, aduerſari. vnde idem eſt, à tribulatione, & à tribulante, quantum ad ſenſum. illud autem, quæ circumdedit me. Fateor non ita facile cōcordari poſſe, nam nos habemus, cuſtodies me. at Septuaginta, quæ circumdedit me. etſi ad Deum referri poſſet, vt diceretur, qua circumdas me, aut circumdabis me. Idem eſſet in ſenſu ac cuſtodies me. quidquid tamen ſit, parum eſt diſcriminis, ſiue ſecundum Septuaginta, ſiue ſecundum Hebræos legas. nam ſenſus ad idem tendit, ob id textum communem explicabo, qui, vt verum fatear, magis quadrat contextui.

Hieron.
סתר
Tribulatio quid importet.
מצר
צר
צרד

Eſt autem contextus talis: dixerat ſanctos orare opportuno tempore, nempe antequam à malis præueniantur, & tentationibus; ſic enim orantes mala poſtea, etiam ſi multa & magna ſint, non vincunt; ſed ab eis vincuntur, ſe nunc humiliter non vt ſanctos facere, aut feciſſe fatetur, ſed vt peccatores, qui clamant, poſtquam in mala inciderunt, qui quamuis audiantur, & exaudiantur, vt à malo liberentur, non tamen vt præſeruentur. hoc eſt quod nunc tacite inſinuans dicit: Refugium tu es à tribulatione, quæ me iam circumdedit, & ſuperauit, tamen ad Deum refugiens, liberatus ſum. quaſi diceret, Ego, ò Deus, non vt ſanctus oraui, aut oro tempore opportuno, ob id aquæ ad me approximarunt. tamen ad te poſtea reuerſus ſanatus ſum, ob id tu es refugium à tribulatione, quæ me circumdedit. & attende quod melius legimus refugium, quàm protectionem, quamuis vtrumque vocabulū hoc ſignificet, quia refugiunt ij, qui ſentiunt ſe lædi ab alio: protectio autem eſt defenſio ne lædantur. vnde merito Dauid Deum ſuum vocat, ad quem malis læſus, & vexatus refugit, & liberatus eſt. Vocat tribulationem peccatum, & miſeriam, in quam

per

Gregor. per peccatum incidit. Gregor.lib. 26.moral.cap.12. legit, à preſſura, quæ circumdedit me. quod idem eſt, & idem eſt ſenſus ab hoſte, ſeu tribulatore, qui dæmon eſt. & dicitur circumdare, quia ex omni parte curat offendere, & nocere. 1.Pet. *1. Petr. 5.* 5. Circuit quærens quem deuoret. & vt cognoſcat infirmiorem partem, & debiliorem, per quam inuadat. at ſi referatur ad tribulationem, dicitur circũdare hominem, quando magna eſt, & totum fere hominem lædit. qualis fuit Dauid, cuius omnis animæ pars damnum ex peccato percepit. Iſte eſt ſenſus, & contextus cum præcedentibus, ſi expoſitionem illius, omnis ſanctus orabit, &c. ſequimur, quam vt magis legitimã probauimus. Quod ſi legimus cũ Septuaginta verſum præcedentem, & ſequimur ſenſum vltimo loco datum, tunc horum verborum idem eſt ſenſus, quem dedimus, tamen continuatio & contextus ſic ſe habent, vt habita remiſſione peccati, quantum ad pœnam petat nunc remitti. & his verbis repetat, & commendet Deũ, quod à culpa liberauerit, tu es refugium à tribulatione, quæ circum dedit me; ſequentibus autem pœnæ remiſſionem oret. Senſus igitur vnus eſt, vt Deum vocet refugium à tribulatione, quæ circumdedit eum, quia ad Deum confugiens culpa tribulatus, & peccatis vexatus, remiſſionem conſecutus eſt. Vere Deus refugium eſt peccatorum, quia non eſt qui liberare à peccato poſſit, niſi Deus, nec qui ita promptus ſit ad liberandum & miſerendum, vt ipſe eſt, in tribulationibus, calamitatibus, ærumnis. vere Deus refugium eſt. mundi homines in alijs ad vires alij ſuas, alij ad munitiones, alij ad diuitias ſuas, alij ad amicos, alij ad ſuas excuſationes, & artes. at Dei ſeruus ad Deum refugit. vnde merito Dauid, refugium, inquit, mihi tu es, & , vt dicit Hieronymus, verbum *Hier.* eſt Eccleſiæ, quæ in perſecutionibus & laboribus ad Deum refugit. Mihi verbum hoc & peccatoribus remiſſionem peccatorum petentibus, & iuſtis præſeruationem, ſeu à malis pœnæ liberationem exorantibus conuenire videtur.

Exultatio mea erue me à circumdantibus me.

HÆc etiam verſiculi iſtius pars aliter nunc in Hebræo legitur, quod ſequens Hieronymus vertit ſic: Laus mea ſaluans circumdabis me ſemper. hæc autem vltima particula, ſemper, eſt quæ communiter apponi ſolet in fine multorum verſiculorum, & dicitur *Selah*, de qua diximus in primo סלה ſermone. vnde verſus ibi finem habet, circumdabis me, tamen Hieronymus videtur in hoc loco partem verſiculi facere, & exponit, ſemper: nam hæc dictio *Selah* ſignifi- סלה cat ſemper, & exponit circumdabis me ſemper, & continuò; illud autem, exultatio, verbum eſt *Dinah*, רנת à verbo *Danan*, quod ſignificat ex- רנן ultare, laudare, cantare. vnde nomen laudem, exultationem, canticum ſignificat. vnde bene habet verſio noſtra, & concordat cum Hebræa in hoc, quod dicitur, exultatio mea. *Danei:* verbum autem, רני ſaluans, eſt *Salet* à verbo *Salat*, פלט quod ſignificat, ſaluare, eripere, פלט eruere. vnde poteſt dici, exultatio mea eruens, aut erue: nam remotis punctis, literæ eædem ſunt. Illud

תסובבני סבב ח מ lud autem, circũdabis me. eſt *Teſobeni*, à verbo *Sabab*, quod eſt, circumdare. Si illud *Tau* primum ſit *Mem*, eſt à circumdantibus me. vnde apparet quàm facile fuit ſic, aut aliter vertere: cum autẽ quantum ad ſenſum nihil fere ſit diſcriminis, exponemus communem textum noſtrum. Sensus igitur hic eſt, Deum vocat exultationem, & lætitiam ſuam, quia cauſa eſt lætitiæ. hæc autem exultatio & lætitia fuit de reddita gratia, & accepta peccati remiſſione, quam pſal. 50. ſignificat, dicens: Redde mihi lætitiam Salutaris tui. de ſtatu autem peccati pſal. 37. dicebat, Tota die contriſtatus ingrediebar. cum autem dixiſſet Deum ſibi fuiſſe refugium à tribulatione & hoſte, à quo læſus fuit, refugium autem, quia remiſit peccatum, ad ipſum Deum, à quo accepit remiſſionem, & in quo inuenit refugium, conuerſus petit in poſterum eripi, ne iterum cadat, & ob id vocat exultationem, quaſi dicat, ò Deus, qui mihi lætitiam dediſti, reſtituendo gratiam deperditam peccato, vt me eripias à circumdantibus me, ne iterum opprimar ab eis, ſicut prius oppreſſus ſum, atque hanc lætitiam mihi à te datam, & tuo munere conceſſam conſerua, defendendo me ab ijs, qui circumdant me, vt eripiant eam mihi. Hi circumdantes meo iudicio ſunt dæmones, & interni inimici, qui intra nos ad peccatum ſolicitant. quorum præcipuus eſt caro: & dicit ſe circumdatũ ab eis, quia quantumuis peccatum remittatur, non ſtatim homo firmus & fortis eſt ſpiritu, ſed manet debilitas, & procliuitas multo tempore ad peccatũ, maxime in peccatis carnalibus, donec continuo bonorum operum ſtudio, anima ſanetur, & roboretur, ob id adhuc inimici dicuntur circumdare, & eſſe proximi, ſicut quando præda ab ore leonis rapta, ſeu erepta eſt, manet per tempus aliquod adhuc leo anhelans nimis prædam, ita qui proxime à peccato liberati ſunt, fortius ab inimico inuaduntur, quia non ſunt adhuc vires firmæ multum ad reſiſtendum, ob id merito Dauid, poſt remiſſionem acceptam, & inde lætitiam & exultationem habitam, petit à Deo, qui liberauit eum à tribulatione præcedenti, vt eruat ab imminentibus adhuc aduerſarijs. Id pſal. 37. dicitur: Inimici mei viuunt, & multiplicati ſunt, & confirmati, &c. hunc arbitror eſſe ſenſum huius verſiculi.

Exultatio quid ſignificet.

Pſal. 50.

Pſal. 37.

Pſal. 37.

Quæ Doctores dicunt in hoc, conſideranda nunc ſunt. Primo quidem, per hos circũdantes, Theodor. mala propter peccatum commiſſum illata exponit, à quibus malis ſe liberari petit. Sed ſi mala pęnæ intelligat Theod. quatenus afflictiua ſunt, non puto ab his nunc ſe liberari petere, ſed à malis illis, quæ in culpam iterum inducere eum poterant, & à malis ſpiritualibus, quæ eum à perfectione charitatis in Deum retardare poterant. Vnde Remigius, à circundantibus, inquit, ab aquis multis, vel à tribulationibus carnis, ne per eas deuorer. & Rufin. à circumſtantibus inquit, ideſt, vitijs, & inimicis. Innocen. etiam à circumdantibus inquit, diabolo, peccato, inferno. petit ergo, vti diximus, ab his liberari, quæ ipſum impellũt in peccatum. Aduerte ſecundo, Innocen. acute & docte exponere verbum, circumdantibus. ſic enim inquit: Quatuor ſunt virtutes principales,

Circumdantes qui ſint.

Theod.

Remig.

Rufin.

Innoc.

Digitized by Google

cipales,quę mentem viri ſancti circumdant, iuſtitia, prudentia, temperantia, fortitudo; habet enim ab anteriori parte iuſtitiam, à poſteriori prudentiam, temperantiam à dextris, à ſiniſtris fortitudinem. Congruunt bene loca virtutibus: nam quæ ſunt ante, ſunt certa, quæ vero retro, dubia ſunt. quæ à dextris, proſpera, quæ à ſiniſtris, aduerſa: in certis autem eſt exercenda iuſtitia, in dubijs eſt adhibenda prudentia, in proſperis opus eſt temperantia, in aduerſis eſt neceſſaria fortitudo. Cum ergo iniquitas premit iuſtitiam, oppreſſio inſtat ante, cum fatuitas premit prudentiam, oppreſſio inſtat retro, cum ſuperfluitas premit temperantiam, oppreſſio inſtat à dextris, & cum puſillanimitas premit fortitudinem, inſtat oppreſſio à ſiniſtris. Cum autem diuerſæ oppreſſiones ſimul has virtutes omnes impugnant, tunc vndique mentem circumdant. ideo ſanctus orat à circumdantibus redimi, hoc eſt, ab oppreſſoribus, qui vndique imminent, liberari. hæc Innocen. & recte, & docte, & ad propoſitum dicuntur; vndique enim & à quouis peccato liberari, ac præſeruari deſiderat, ob id ab vndique circumdantibus erui rogat, aut, ſecundum aliam verſionem, à Deo circumdari per protectionem contra quaſuis tentationes orat.

exultatio nis, lætitiæ, eruē di, & redi mendi vocabulis cur vtatur Dauid in pſal.

Aduerte tertio, dubium moueri hoc in loco à Doctoribus, quomodo duobus hic vtatur vocabulis, exultatione, quæ lætitiæ eſt, & eruendi, & redimendi, quod gemitus eſt. reſpondent Aug. & Rufin. & Remig. vocare Deum exultationem in ſpe, in re autem vti gemitu. talis eſt ſtatus iuſtorum in hoc ſæculo; ſpe enim gaudent, at re per patientiam, & malorum tolerantiam ad Deum tendunt. hoc idem Innocen. dicit. ſimul adnotans id *Innoc.* factum, vt ſe non defeciſſe in tribulationibus, ſed profeciſſe ſignificet, ſic inquit: Quidam inter preſſuras deficiunt, & triſtantur, alij proficiunt, & lætantur, ſicut Apoſtoli, de quibus dicitur Act. 5. Ibant gau- *Act. 1.* dentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati, hinc Iacobus Apoſtolus ait: Omne gaudiū exiſtimate fratres, cum in varias tentationes incideritis. & Paulus ait, ſpe gaudentes, in tribulationibus non deficientes. vt ergo vir ſanctus oſtendat, ſe non defeciſſe, ſed profeciſſe intra preſſuras, inter ponit, & dicit, exultatio mea, erue me à circumdantibus me. hæc Innocen Gregor lib. 26. moral. c. 12. *Gregor.* hoc idem notauit, ſic dicens: Carmen in nocte eſt lætitia in tribulatione, quia etſi preſſuris temporalibus affligimur, ſpe iam tamen de æternitate gaudemus. Carmen in nocte Paulus prædicabat, dicens: ſpe gaudentes, in tribulatione patientes. Carmen in nocte Dauid ſumpſerat, qui dicebat, tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me. exultatio mea, redime me à circumdantibus me. ecce, noctem, preſſuram nominat, & tamen liberatorem ſuum inter anguſtias exultationem vocat. foris quidem nox erat in circumdatione preſſuræ, ſed intus carmina reſonabat de conſolatione lætitiæ. hæc Gregor. Quæ omnia vere dicta ſunt, tamen ad ſenſum verſiculi hoc facit, quod gaudebat de vno Dauid, dolebat de altero. gaudebat non tantum ſpe, ſed re, ob pec-

cati

cati remiſſionem, & gratiam reſtitutam, dolebat de periculo iterum amittendi, ob id exultans in Deo de bono accepto, gemens petit à periculo futuro liberari. Hieron. vertit: Laus mea. & vere id dici poteſt. vocat Deum laudem ſuam, .i. obiectum, cauſam, & materiam laudis, quem laudare perpetuo ob accepta ſe obligari fatetur, ſic laudem ſuam Deum vocat. & vtraque ſignificatio ſtare poteſt.

סלה Apponitur *Selah*, huic verſiculo; dignum enim animaduerſione eſt, vt nemo, quantamcumque remiſſionem præcedentium delictorum obtinuerit à Deo, fidat ſibi, ſecuruſq. ſit non poſſe iterum facile relabi, ſed caueat, timeat, ſciat non vnum, aut alterum, ſed multos habere circum ſe aduerſarios. Rurſus, aduerſione dignum eſt, ſicuti remiſsionem nemo à commiſsis obtinere poteſt, niſi à Deo, ita nec præſeruationem à futuris. vti neceſſaria eſt gratia Dei ad remiſſionem præcedentium, neceſſaria etiam eſt ad præcauenda, quæ inſtant, & futura; & ſicuti illa petenda eſt humiliter, & inſtanter à Deo, ita hæc, quia niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. &, niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Ædificatio, per quam commiſſorum remiſſio, & cuſtodia, per quam ſignificatur à malo futuro defenſio, & præſeruatio, non ſunt, niſi à Deo. Opera noſtra neceſſaria eſt; quia dicitur, qui ædificat, qui vigilat, tamen nihil efficiet opus noſtrum, niſi Deo auxiliante, ſine quo etiam opus noſtrum eſſe non poteſt. merito ergo verſiculus ſignatur.

Remiſsionem præteritorum peccatorum pendere à Deo, ſicut etiam præſeruationem à futuris.

Hæc omnia recte & legitime dicuntur, tamen aliud maius myſterium ſignificari in hoc loco arbitror, nempe Saluatoris aduentum, & Dei incarnationem, cuius virtute omnis remiſſio, & præſeruatio fit. vocat autem per apoſtrophen, exultationem Filium Dei factum hominem. ò exultatio, ideſt, ò Chriſte fili Dei carnem ſumpture ex me. Merito dicitur, & vere exultatio, quia ipſe eſt cauſa veræ exultationis & gaudij. & ita Scriptura plena eſt inuitationibus ad exultandum in eius aduentu. Pſal. 12. Exultabit cor meum in ſalutari tuo. Pſal. 34. Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur ſuper ſalutari ſuo. Pſal. 94. Venite exultemus Domino. Multi ſunt pſalmi, in quibus hoc habetur. Iſai. 12. Exulta & lauda habitatio Syon, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael. cap. 35. Exultabit ſolitudo, & gaudebit. Zachar. 9. Exulta ſatis filia Syon. Sunt pleni Prophetæ his vocibus de aduentu Chriſti prædicentes. Angelus Luc. 1. ſtatim nato Saluatore dixit, Gaudiū magnum annuncio vobis. Ipſe Dn̄s Ioan. 8. dixit, Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt. Vidit Prophetice noſcens Dei filium hominem futurum, & ſaluaturum mundum, & in hac cognitione & ſpe exultauit tunc. ita nunc Dauid, remiſsionem acceptam noſcens ſibi à Deo dari propter filium ſuum carnem ſumpturum, videns etiam de ſuamet carne naſciturum, magno ſpiritu lætitiæ correptus exclamat, ò exultatio mea. & vtitur verbo ſalutis, erue me. verbum Hebræum ſignificat ſaluare, liberare. quaſi dicat: ſcio te ſaluaturum, liberatu-

Per exultationem myſtice ſignificari Filiū Dei incarnatum.

Pſal. 94.

Zach. 9.

Digitized by Google

rum mundum. in hac tua virtute à peccato liberatus ſum, in hac eadem peto; vt à circumdantibus me ſalues, eruas me, ne iterum incidã in peccatum. hic eſt ſenſus verus, & Propheticus, in cuius myſterij altitudinem inſinuandam apponitur vox, *Selah*, vt & doctrina mira commendetur, & Propheticum myſterium altiſsimum inſinuetur. סלה

SERMO X.

Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos.

Firmare Deum oculos ſuper fideles quid ſit, & inſtruere eos.

DVPLEX eſt huius verſiculi apud Doctores exponẽdi ratio; quidam enim verba eſſe Dei, Dauidis petitioni reſpondentis, & ab ipſo Dauid vt verba Dei relata, affirmant. quidam alij eſſe verba ipſiuſmet Dauidis, vt reliqua alia dicunt. vtrorumque ſententias referam. Prior exponendi ratio, & Græcorum, & Latinorum communis eſt, quamuis hæc ſingula verba non eodem explicent modo.

Theod. Primo igitur loco Theodoretus ſic dicit: Te, quia à via recta aberraſti, & errorem agnouiſti, reducam iterum in rectam viam, & cognitionem, & huiuſmodi ſcientiam tibi dabo. Impertiam autem tibi priſtinam beneuolẽtiam. hoc namque dixit, Firmabo ſuper te oculos meos, ex tranſlatione eorum, qui erga aliquem affecti ſunt, & ipſum intueri continuo volunt, nam ſicut qui irati ſunt, faciem auertere videntur, eodem modo propriã beneuolentiam conuertendo faciem oſtendit. propterea alibi Propheta pſal. 24. ait: Reſpice in me, & miſerere mei. & pſal. 87. Ne auertas faciem tuam à me. hæc Theodoret. ex quibus patet, intellectum dare, eſſe dare cognitionem & ſcientiam viæ rectæ, per quam gradiendum eſt: inſtruere in via, eſt ad ipſam viam rectam reducere; firmare oculos, eſt beneuolentiam priorem reſtituere, & in antiquam recipere gratiam. Hæc omnia Deus Dauid præſtitit. & hæc refert Dauid à Deo promiſſa, & data. quam expoſitionem à Baſil. accepit; hæc enim Baſil. in comment. quamuis aliquanto breuius, dicit. *Baſil.*

Pſal. 24. *Pſal. 87.*

Auguſt. Secundo loco Auguſt. hæc tria ſic exponit: Dabo tibi intellectum, vt cognoſcas te ſemper, & ſemper gaudeas in ſpe ad Deum, donec ad illam patriam peruenias, vbi non ſpes, ſed res erit. & ſtatuam te in via hac, qua gradieris, vt hæreas ibi, & ab ea non aberres. firmabo ſuper te oculos, non auferam à te oculos meos, quia tu non auferes à me oculos tuos. quibus verbis exprimit Auguſtinus continuam Dei protectionem erga ipſum, & ipſius perſeuerantiam. Vnde per intellectum Auguſtinus explicat propriam ſui cognitionem. & Dei, ad quem tenditur; & per inſtructionem in via, firmam adhęſionem

in bo-

in bono; legit enim, ſtatuam te. & per, firmabo oculos, Dei perpetuam in Dauid protectionem. Conſentit in primo, & tertio Rufin. in ſecundo autem aliter dicit: nam exponit, inſtruam te armis iuſtitiæ, ſcientia, bonis moribus, & virtutibus. Præterea Rufin. in illud, in via hac, qua gradieris, connectit cum ſequenti, firmabo ſuper te. & dicit, & in via hac virtutum, qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos. Super nos in via noſtra Dominus oculos firmat, cum profectum noſtrum per viam virtutum miſericorditer attendit, & nos in eodem itinere perſeueranter cuſtodit; neque enim ſufficeret intellectum dare, & bene viuendo informare, niſi & in ijs nos faceret permanere. hæc Rufin. in quibus Auguſtino concordat præter ſecundum, & præter connexionem dictam, in qua etiam à prima expoſitione diſcedit; illa enim cum ſecundo verbo connectit illud, in via hac, qua gradieris. promittitur enim inſtructio in via.

Rufin.

Hieron. Tertio loco Hieron. qui ſic exponit: Intellectum dat Deus Eccleſiæ ſuæ, vt intelligat, pro qua cauſa animo diſcruciatur ſanctus. & facit proſperari peccatores. inſtruam te in via hac, qua gradieris, in via ſcilicet confeſſionis iſtius docebo te ſapientiam, vt non recedas ab ea. Vox Domini loquentis inducitur, & docentis, quomodo homo ſuum mereatur auxilium, ſi Dei præcepta cuſtodiens recto feratur itinere. firmabo ſuper te oculos meos. vox Chriſti ad Eccleſiam, firmabo ſuper te oculos, ideſt, aſpectum diuinitatis, vt in dilectione luminis mei permaneas. hæc Hieron.

Remig. Quarto loco Remig. aliter exponit, cuius verba ſunt hæc: Dixi, confitebor, & tu remiſiſti, hæc dicens, intellectum tibi dabo, illum ſcilicet, quem dedi in prima creatione, quia cum in honore eſſes, id eſt, in dignitate creaturæ rationalis, & non intellexiſti, vt moribus exornares, vita excoleres, comparatus es iumentis inſipientibus, & ſimilis factus es illis, oblitus Dei tui, ſine quo ſtare in illa dignitate non potuiſti. nunc autem, quia ad me per humilitatem redis, intellectum dabo tibi ad beatitudinem neceſſarium, vt ſcias, de nullo eſſe præſumendum, niſi de ſola Dei miſericordia. & in illo intellectu inſtruam te, vt quod bene intelligis, morum honeſtate compleas. in via hac, qua gradieris, ideſt, in hac vita, in qua non eris piger, ſed ſemper gradiens de virtute in virtutem, vel in honeſto propoſito, quod eliges. firmabo ſuper te oculos meos, ideſt, numquam recedet à te miſericordia mea, quia ſemper ad me reſpiciet humilitas tua, vt pſal. 24. Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos. Hæc Remig. vbi vides, quid per intellectum explicet, nempe cognitionem eorum, quæ ſecundum Deum, & rationem agenda ſunt. quid per inſtructionem, nempe obſeruantiam eorum, quæ agenda noſcuntur, à Deo dandam. quid per viam hanc, nempe præſentem vitam, aut certum modum viuendi, quem quiſque ſibi eligit honeſtum. quid per, gradieris, nempe profectum continuum in bono. quid tandem per, firmabo oculos, continuum Dei auxilium, vt hæc fiant. *Pſal. 24.*

Innoc. Quinto loco Innocen. multa di-

cit moralia, & vtilia. ob id eius verba referam: Orabat, inquit, ſanctus à circumdantibus erui, & Dominus orationem eius exaudiens, ſtatim orationi reſpondet, intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos. Contra circūſtantes, qui obſident vias, vt viatores capiant, & diſperdant, duplex promittitur auxilium, videlicet documentum, & firmamentum, vt ex documento vitent errores itinerum, & ex firmamento propellant incurſus hoſtium. Ad documentum pertinet quod præmittitur. intellectum tibi dabo, vt cognoſcas, quòd omnia bona procedant ex gratia, & inſtruam te, ne forte aberres, tuis ea meritis adſcribendo, ſed quidquid boni cognoſcis te habere, non tuis meritis, ſed diuinæ gratiæ totum adſcribas. Certe qui ſecus ſentit, & credit, deſipit, & aberrat, & talis error impedit intellectum rectum, quo ad veram beatitudinem peruenitur. inſtruam te per vnctionē ſpiritus, qui docet de omnibus. Ad firmamentum autem pertinet, quod ſubiungitur, in via hac, qua gradieris, ideſt, in curſu vitæ præſentis firmabo ſuper te oculos meos, ideſt, firmum tibi præbebo præſidium cuſtodiæ, & tutelæ; ſolemus enim diligenter inſpicere, quod ſtudioſe volumus cuſtodire. hæc Innocen. qui etiam cum Rufino, illud, in via hac, &c. connectit cum vltimo verbo.

Innoc. Idem Innocen. ibidem ſic dicit: Intellectum commendat, qui eſt ſecundus in donis, de quo præſcribitur titulus, intellectus Dauid. Duo ſunt talenta homini neceſſaria, intellectus, & operatio. intellectui eſt neceſſaria diſciplina, operationi vero perſeuerantia. hæc quatuor in hoc verſu notantur; intellectus, cum dicitur, intellectum tibi dabo. diſciplina, cum dicitur, inſtruam te. operatio, cum ſubiungitur, in via hac, qua gradieris. perſeuerantia, cum infertur, firmabo ſuper te oculos meos. Porro circa primum talentum duo ſunt opportuna, docilitas diſcipuli, & doctrina magiſtri. de illa præmittit, intellectum tibi dabo, vt ſis docilis ad diſcendum; de iſta ſubiungitur, inſtruam te, vt docilitas proficiat ad doctrinam. Ad ſecundum quoque talentum duo ſunt neceſſaria in via boni operis gradienti, pes timoris, qui eſt ſiniſter, vt timore pœnæ declinet à malo, & pes amoris, qui eſt dexter, vt amore iuſtitiæ tendat ad bonum. Verum, quia non ſunt in homine viæ eius, ſed à Domino greſſus hominis diriguntur, vt homo vſque in finem perſeueret in bono, Dominus auxilium promittit, & ait, In via hac, qua gradieris declinando pedem timoris à malo, & tendēdo pedem amoris ad bonum, firmabo ſuper te oculos meos, videlicet oculum correctionis, vt per flagella reuocem te à malo, & oculum conſolationis, vt per beneficia prouocem te ad bonum, de quibus alibi dicitur, oculi Domini ſuper iuſtos. hæc Innocen.

Sexto loco Lyra ſic ait, Intellectum tibi dabo, ſecundum Hebræos hoc allegat Dauid pro cauſa, qua debebat eum præſeruare à culpa, & coniungitur ſic, Erue me à circumdantibus me, ideſt, à dæmonibus me tentantibus, quia dixiſti mihi, intellectum tibi dabo ad cognoſcendum agenda, & inſtruam te ad vitandum vitanda, firmabo *Lyra.*

ſuper

ſuper te oculos meos, ſicut ſuper rem, quam volo cuſtodire cum diligentia; quando enim vult diligenter cuſtodire rem aliquam, habet attentos oculos ſuper ipſam. Et ſi quæritur, vbi dixit Dominus iſta Dauid? poteſt reſponderi, quod
2. Reg. 7. iſta dixit 2. Reg. 7. vbi ſic dicitur: Ego tuli te de paſcuis, & fui tecum, vbicumque ambulaſti, &c. & 1. Pa-
1. Par. 17 ral. 17. vbi eadem repetuntur. hæc Lyra. Sed hæc expoſitio ſtare non poteſt. primo quidem in illis verbis allegatis ex lib. Reg. & Paral. non habetur promiſſio talis, qualis iſta eſt iuxta eius expoſitionem, alias Deus feciſſet contra promiſſionem, permittendo vt in peccatum incideret, ſed ibi eſt promiſſio de Chriſto venturo ex ſuo ſemine, & de regni perpetuitate in Chriſto. Præterea ſecundo, cum ſequentibus iſta non cohærent, Præterea tertio, quia non habetur, quia mihi dixiſti, ſed de ſuo apponit; verba autem illa allegata fuerunt, antequam caderet in peccatum adulterij, vnde ſicut non fuit contra illa verba Dei, quod permiſſus eſt peccare, ita nec fuiſſet contra ea, ſi iterum permiſſus eſſet, & ſic non adduceretur bona cauſa. hæc ſunt, quæ Doctores dicunt ſuper hæc verba, exponentes ea, tanquam Dei verba ad Dauid dicta, & relata ab ipſo.

Eſt autem poſterior exponendi ratio aliorum, vt hæc, ſicut cætera ſint ab ipſo Dauid in propria perſona dicta. vt ſit ſenſus: Poſtquam Propheta ſuum narrauit peccatũ, & qualiter à Deo ſit caſtigatus, & quomodo conuerſus, à Deo remiſſionem obtinuerit, ab eoq. perſeuerantiam petierit; nunc conuertit ſe ad admonendum alios, ne incidant in ea, in quæ ipſe incidit, & ſuo exemplo diſcant cauere à peccato, aut ſi inciderunt, conuerti à peccato ad Deum. & hoc eſt, quod nunc dicit in hoc verſiculo, & ſequentibus. Sic exponunt Hebræi, & qui eos ſequuntur, quales ſunt, Auguſt. Eugub. Vatabl. & Ianſen. *Eugub.*
Sic autem Ianſenius explicat hunc *Vatabl.*
verſiculũ: Ego, diuina caſtigatione *Ianſen.*
correctus, & edoctus, vobis, quicunque vobis conſultũ volueritis, ſi me audieritis, intelligẽtiam dabo, & docebo vos vitę rationem, quam obſeruetis. & quomodo docturus aliquem, aut alicui proſpecturus intentos in illum habet oculos, ita & ego mea proſpectione, & cura vobis conſulam. hæc Ianſen.

Hæc expoſitio, vt ſint hæc verba Prophetæ admonentis alios, vt caueant, ne in ſimilia incidant, aut ſi inciderint, ſuo exemplo conuertantur, mihi videtur legitima, & literalis. Primo, quia ſic planior eſt textura ſermonis. Secundo, quia non videtur conuenire pœnitenti repetere tam magnificam promiſſionem Dei. Tertio, quia ſequentibus non quadrat. Quarto, quod notandum eſt, quia ipſe multos ſcandalizauerat ſuo peccato adeo, quod propter ſcandalum ſit temporaliter punitus à Deo poſt culpam remiſſam. vt patet 2. Reg. 12. 2. Reg. 12
oportebat ergo vt admoneret quos ſcandalizauerat. quod his verbis facit, quæ ſunt commendatio, & præparatio eorum, quæ dicenda ſunt verſiculo ſequenti, vt perfectius, & attentius recipiantur. Quinto, quia ita reſpõdet pſalmus titulo poſito, intellectus Dauid. quaſi eruditio per Dauid data; eſt autem hoc idem verbum, intellectum dabo. Præterea ſexto, quia

non

non eſt hoc nouum; multis enim in locis id eſt factum, vt, mutata materia, ad conſilium ſe conuertat, quod patet pſal. 33. Benedicam Dominum in omni tempore, &c. & poſt aliqua, Venite filij, audite me. Præterea 7. quia hoc cõueniebat Regi, & perſonæ publicæ, qualis erat Dauid. Nec obſtãt duo, quę pro priori expoſitione facere videntur. Vnum eſt, quod loquitur in ſingulari, intellectum tibi dabo. vnde ad ſolam perſonam Dauid videtur pertinere. Sed hoc non obſtat, quia numero ſingulari aliquando pluralis ſignificatur, & ſermo ad multos eſt, licet ad vnum in voce dirigi videatur. ſic loquuntur concionatores, qui, quamuis populo loquantur, ſolent conuerti ad vnum, & cum vno habere ſermonem, quod fit, vt vnuſquiſque, tamquam pro ſe dictum, ac ſi ſibi ſoli loqueretur, accipiat. ſic Salomon in Prouerbijs ſæpe cum vno loquitur, audi fili. nec eſt alienum hoc à Dauid: nam pſal. 44. Audi, inquit, filia, & vide. & tamen ibi ad multos dirigitur ſermo. & pſal. 36. Noli æmulari in malignantibus. & alijs multoties id habetur. Alterum eſt, quod hæc videntur Dei propria. Dabo intellectum, &c. hoc non obſtat: nam etiam homo ſuo modo dicitur dare intellectum, & ſcientiam, ſeu facere intelligere, & ſcire: quod patet expreſſe Prou. 1. Parabolæ Salomonis, &c. ſubditur, vt detur paruulis aſtutia, adoleſcenti ſcientia, & intellectus. Cum igitur hæc expoſitio videatur probabilior, quamuis prior etiam ſit conueniens, & multa vera, & vtilia contineat, explicabo diffuſius eam ſingula verba exponendo.

Pſal. 33. *Pſal. 44.* *Pſal. 36.* *Prou. 1.*

Aduertendum eſt, per verbum, intellectum tibi dabo. in Hebræo eſſe vnicum verbum *Scaphal*, quod ſignificat, intelligere. inde in ſexta coniugatione *Hiſcenil*, facere intelligere. cuius futurum cum affixo habetur in præſenti. vnde ſenſus eſt, intelligere te faciam. Hieronymus vno verbo volens vertere, dixit: docebo te. quod idem eſt, ac faciam te intelligere. Aduertendum eſt rurſus ſecundo, verbum inſtruam te, eſſe apud Hebræos verbum *Od*, quod ſignificat illuminare. Hieronymus vertit, monſtrabo tibi viam, quia intellectus illuminatio circa agenda quædam eſt demonſtratio, & inſtructio. ob id noſtra verſio habet, inſtruam te. ideſt, dabo tibi documentum, & modum, quo viam perficias, ne erres in ea. Aduerte tertio, in Hebræo non haberi illud, hac, ſed, in via, qua gradieris. & rurſus habetur cum præpoſitione, illuminabo te in via. vnde melior eſt noſtra verſio, inſtruã te in via, quàm Hieronymi, monſtrabo tibi viam. Aduerte quartò, illud firmabo, in Hebræo eſt verbum *Iaghak*, quod ſignificat conſilium inire, conſilium dare, cogitare, decernere, ſtatuere. vnde aliqui verterunt, cõſilium tibi dabo, Hieronymus autem, cogitabo de te. at noſtra habet, firmabo, ſtatuam. illud, ſuper te, præpoſitio eſt, quæ ſignificat, ſuper, in, apud, pro, & alia. Aduerte quinto, in Hebræo haberi in ſingulari, oculum meum, ſeu oculo meo; non enim variant Hebræi caſus. vnde Hieron. legit, cogitabo de te oculo meo. hæc ſunt quantum ad literam.

שכל חישכיל *Intellectũ tibi dabo, quo intelligitur.* אור יעץ *Hier.*

Senſum nunc indagare oportet. Hæc duo verba, intelligere faciam. & inſtruam. Eugub. pro eodem putat accipi, ac vnum alterius eſſe repe-

Intelligere faciam, & inſtruã quid denotent.

repetitionem, ſed re vera non ſunt idem, ſed differunt, ſicut illa Deut. 32. Vtinam ſaperent, & intelligerent, vtinam ſcientia, & prudentia pollerent, intelligere ad ſcientiam, inſtruere ad prudentiam ſpectat. eſtq. ſenſus, per me ſcies, & prudens eris. Scies, quia intelliges, Deum punire peccatores tacentes, & conuerti nolentes. Scies, quia intelliges, Deum confitentibus parcere facile; ſcies, quia intelliges, opportune orantes non offendi à malis inſurgentibus; eris prudens, & inſtrueris, ſi ea obſeruaueris, quæ ego non obſeruaui, à peccato cauere, & non relinquere rationis vſum, vt ego reliqui, &, ſi in peccatum incidiſti, ſi feceris, quæ feci. Senſus ergo eſt, faciam te intelligere, & ſcire, ideſt, aperiam multa, quæ ſcias. & inſtruam te, ideſt, admonebo quæ facias, & à quibus caueas. in via, qua gradieris, ideſt, in quocumque vitæ genere, & ſtatu fueris; hæc enim communia ſunt omnibus hominibus, diuitibus, pauperibus, regibus, & ſubditis, ſacerdotibus, & ſæcularibus, ſingulis denique hominibus. Hæc verba hunc habent ſenſum, & ſunt coniungenda cum ſecundo verbo, vt notū eſt ex Hebræa lectione. Dices, quomodo Dauid facit intelligere, & inſtruit? Dico dupliciter, vno modo facto, & exemplo ſuo. vt ſit ſenſus, meo facto ſciens, & prudens eris. altero modo, verbis ipſis, quæ ſubiungit, quia ad ſciētiam, & prudentiam pertinent. Tertium verbum Hebræi, vt refert Eugub. ſic exponūt: oculis meis tibi deſignabo, annuam oculis, oſtendam. ſic R. Salomoh. at R. Dauid, dabo tibi conſilium, quod per me ipſum vidi, quoniam peccaui, & ambulaui in via non bona, & me pœnituit, & conuerſus ſum, pepercitq. mihi Deus, &c. hi coniungunt, in via, &c. cum tertio verbo, quia vtrique coniungi poteſt. Iſte ſenſus conueniens eſt valde; vt ſit, quæ expertus ſum, tibi loquar, & conſulam. vt autem noſtram lectionem non deſeramus, firmabo ſuper te oculum, ſeu oculos meos. ideſt, conuertam me, vt tui curam geram, non ſolum mihi, ſed & tibi proſpiciam, dum quæ ego vtilia ſenſi, tibi aperiam. Totus igitur ſenſus eſt, per me, & in me ſcies, & prudens eris, ac tibi proſpicies. ego faciam te intelligere, & prudenter agere in tuo ſtatu, & tibi proſpiciam. quod re vera factum eſt: nam multum proſpexit nobis, multum didicimus, & documenta prudentiæ accepimus, & in hoc facto, & hiſtoria, & in verbis iſtis, & admonitionibus Dauid. hæc de verſiculo hoc.

R. Salom. *R. Dauid*

SER-

SERMO XI.

Nolite fieri ſicut equus, & mulus: in quibus non eſt intellectus.

Cõſilium, & vitę inſtructio.

EXPLICAT verbis conſilium, & vitæ inſtructionem. Nolite, inquit, fieri ſicut equus, & mulus, in quibus non eſt intellectus. Senſus eſt: Nolite duci paſſionibus, & appetitibus carnis, & ſenſus, ſed ratione, & intellectu, in iis, quæ agitis, non quo vos paſſio impellit. non quod caro, & ſenſus appetit, ſed quod intellectus, & ratio dictat, faciatis. qui illud facit, ſicut equus, & mulus eſt, quia ſimiliter fertur. at cum homo intellectu ſit præditus, non vt illi duci debet. Attende verborum vim, & efficaciam. Nolite, inquit, quaſi dicat, in vobis ſitum eſt, ac liberum eſt. ſic, & aliter fieri. non eſt neceſſariũ fieri mulum, aut equum; ſed ſi fit, culpa veſtra fit, quia voluntate veſtra fit. Rurſus dicit, nolite fieri, quaſi dicat, vos non tales eſtis à Deo facti, ſed ratione, & intellectu præditi: cum ergo non ſitis tales conditione, & natura, nolite fieri ſimilitudine. Simile illud eſt pſal. 48. *Pſal. 48.* Homo, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Rurſus dicit, in quibus non eſt intellectus, vt explicet in quo non debet homo fieri ſicut equus, & mulus, in hoc nempe, quod non ducuntur intellectu, & ratione, ſed ſenſu, & appetitu: in hoc nolite fieri, ſicut ipſi. nam aliud eſt, in quo bonum eſt fieri, ſicut ipſi ſunt, nempe in hoc, quod ſeſſori obediunt, & quò fræno ducuntur, eunt, & ſinunt ſe gubernari à domino. ſic homo obedire debet diuinæ voluntati, nec reſiſtere ſpiritui, qui hominem ducit, & gubernat. & de hoc eſt illud pſal. 32. *Pſal. 32.* Vt iumentum factus ſum ante te, & ego ſemper tecum. Documentum hoc in omni ſtatu, & conditione vitæ eſt neceſſarium, & complectitur omnem viuendi modum honeſtum, & præſcindit omne peccatum, ſi homo non quod ſenſus, appetitus, aut caro appetunt, ſimpliciter faciat, niſi prius ratione & intellectu limitetur, quæ ratio ſequitur honeſtum, & quod eſt ſecundum Dei voluntatem. hic eſt legitimus verborum ſenſus.

Quare potius equi, & muli, quàm cæterorum animaliũ Dauid ad ducat exemplum. *Innoc.*

Dubium hic poteſt occurrere, cum cætera animalia ducãtur ſenſu, & appetitu, non ratione, aut intellectu, quare horum exempla poſuit; rurſus non vnius tantum, ſed duorum. Huic quæſtioni Doctores ſatisfacere conantur, aliquas huius rei cauſas reddẽdo. earum tres adducit Innocen. Vna eſt, quia per equum ſuperbia, per mulum ſtoliditas deſignatur; hæc autem duo vitia ſunt, quæ impediunt diſciplinam, ne quis diſcat documenta vitæ neceſſaria. ſuperbia, qua non vult ſuperbus diſcere; ſtoliditas, qua incapax eſt. & quia Dauid de intellectu, & inſtructione danda locutus fuerat, ob id duorum meminit, quibus impedimenta de-

ta deſignantur. Altera cauſa eſt, quia in his luxuria deſignatur, vt patet Tob. 6. vbi Angelus dixit, qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum in ſua mente excludant, & ſuæ libidini vacent, ſicut equus, & mulus, in quibus non eſt intellectus, habet dæmonium poteſtatem ſuper eos. Tertia eſt, quia per mulum, qui generatur, & non generat, ſignificatur ingratus, qui gratiam accipit, & non reddit; ingratis autem, qui non Deo, ſed ſibi ſua arrogant bona, & ſuperbis non datur intellectus à Deo. Quarta eſt, quia per equum intelligitur ille, qui habet dæmonem ſeſſorem; & per mulum, qui ſubit onus peccati, talibus non datur intellectus à Deo. Rufin. ad hoc ſic dicit: Equus ſuperbos ſignificat, & luxurioſos; mulus autem pigros, & infœcundos. tales ſunt homines huius ſæculi, in elatione ſe erigunt, carnalibus voluptatibus deſeruiunt, nullum animæ fructum faciunt, & dum ſolis terrenis inhærent, beſtialiter viuentes, ſicut equus, & mulus, intellectum de cæleſtibus non habent. Hæc omnia vera ſunt, ſed iudicio meo non ſunt ad rem propoſitam: nam Dauid non dixit abſolute: Nolite fieri ſicut equus, & mulus, ſed explicuit, in quo non debemus effici, nempe qui non intellectu ducuntur, & ratione. Quod ſi dicas, quare hos nominauit? dico cum Theodoret. quia hi ſunt, qui tunc ſicut nunc fræno, & camo ducuntur: quia igitur comparatio faciẽda erat in animalibus, quæ cum non habeant intellectum, fræno ob id, & camo ducuntur, vt patet ex ſequẽtibus verbis, ob id dicit: Nolite fieri, ſicut equus, & mulus, qui cum intellectu non ducantur ex ſe, ob id fræno, & camo conſtringuntur, quod etiam fiet ſimile ijs, qui non intellectu, & ratione, ſed ſicut illi, duci & gubernari ſe voluerint. hæc eſt literalis cauſa, cur horum fiat mentio. quamuis vera ſunt, quæ Doctores præfati dicunt, ſed non ſunt ad propoſitum, & intentum præſens, vt adhuc magis conſtabit in ſequentibus.

Tob. 6. *Rufin.*

Ex hoc etiam ſequitur, non eſſe ad præſens intentum, quæ ſuper hoc Remig. dicit. Hæc enim verba explicans hæc tradit. Nolite fieri ſicut equus, & mulus, qui ſine diſcretione tam portant ſuum ſeſſorem, quàm alium. & mulus, tam alterius indifferẽter onus ſuſtinet, quàm ſui domini. vel, nolite eſſe ſine rectore, ne laſciuientes per abrupta cadatis, ſicut equus, & mulus, cum ſine rectore ſunt, per deuia vadunt. vel, nolite de viribus veſtris præſumere, qui intellectum habetis, ſicut facit equus, & mulus, quibus non eſt intellectus. hæc Remig. Sed, vti dixi, comparat in hoc, vt nolimus fieri ſicut hi, qui non intellectu, ſed ſenſu, & appetitu ducuntur, ne nobiſcum fiat, quod cum illis fit, quod in ſequẽtibus aperitur, ob idq. horum fit exemplum, quia quæ dicenda ſunt de fræno, & camo, his conueniunt duobus. & hic eſt verus ſenſus, & ratio, cur horũ, & non aliorum facta ſit mentio, & in hoc ſenſu etiam adducuntur hæc verba Tob. 6. Qui enim matrimonium volunt, vt ſuæ concupiſcentiæ ſatisfaciant, nec Deum in mente vlla ratione habent, ſunt vt hæc animalia, quę non intellectu, ſed appetitu ducuntur. Hic autem ſenſus eſt generalior, quàm ſi exponamus ſuperbos, carnales, pigros, &c. eſt enim documentum omne vitæ ge-

Remig. *Tob. 6.*

Digitized by Google

nus, omnem hominis conditionem amplectens, omne vitium excludens, cum homo non appetitu, & ſenſu ducitur in ſuis actionibus, & operationibus, ſed intellectu, & ratione, & in hac generalitate à Dauid ſunt hæc verba prolata, & intenta.

In camo, & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

HÆc eſt altera pars verſiculi, in cuius explicatione, nec Græci, nec Latini, nec qui Hebræos ſequuntur, mihi perfecte loqui videntur. In primis Græci, & Latini ſic exponunt, quaſi Dauid cum Deo loquatur, & ad ipſum dirigat ſermonem. Vt ſit ſenſus, quia multi futuri ſunt vt equus, & mulus, ò Domine, tu eos flagellis trahe, & induc, vt tuæ obediant voluntati, ſicut equus, & mulus indomiti trahuntur camo, & fræno. ita Theodoret. Baſil. Aug. Remig. Innocen. Rufinus cum alijs dicunt. Tamen hæc expoſitio non mihi videtur ſtare: nam de ipſis mulo, & equo materialibus loquitur, quorum maxillæ camo, & fræno conſtringuntur, vnde non diceret Dauid Deo, vt conſtringeret horum maxillas. Vnde ſine dubio ſermo eſt ad ipſos homines. Vt ſit ſenſus, nolite effici vt equus & mulus, in quibus intellectus non eſt; & ob id ſolent maxillæ fræno & camo conſtringi. loquitur aũt in ſecũda perſona, conuertendo ſe ad ipſos, quibuſcum loquitur. Nolite fieri vt hi, quorum maxillas vos conſtringitis, aut in ſinguiari, tu, indefinite, quod plurali æquiualet, quamuis in Hebræo non ſit iſte modus, ſeu iſta cõuerſio, ſed, quorum maxillas conſtringere. non igitur iſta verba ad Deum diriguntur. Adde, quod in verſiculo ſequenti hæc applicantur quæ dicta non ſunt; vnde de ipſis equo, & mulo intelligi debent, non de hominibus, qui eos imitantur, quod magis in ſequenti verſiculo explicabitur. In hoc ergo Latinorum, & Græcorum expoſitio non probatur.

Cur dicitur, nolite fieri ſicut equus & mulus qui conſtringuntur camo.

Theod. Auguſt. Baſil. Remig. Innoc. Rufin.

Qui autem Hebræos ſequuntur, vt Eugub. & Vatabl. Rabinos ſequentes, dicunt quidem, hæc eſſe verba directa ad eos, quibuſcum loquitur, ne fiant ſicut equus & mulus, tamen non exponunt ad propoſitum; explicant enim ſic, mulus, & equus chamo & fræno conſtringuntur, ne approximent ad te, ne tibi noceant. Iſta explicatio non eſt ad rem intentam, nec ſimilitudo procedit, nec aptari ſequentia poſſunt: ſed ſenſus eſt, conſtringuntur maxillæ fræno, qui non axpproximant ad te, ideſt, quando tibi non obediunt, rebelles ſunt, tibi non accedũt, vt inſideas, vt onera imponas. Ad hoc enim vſus eſt cami, & fræni, & in Hebræo idem eſt ſenſus: nam particula, quam vertunt, ne, etiam ſignificat non. vnde, non approximare, non intelligitur, ne approximent, ſed potius, quia non approximant. & tunc ſenſus, & ſimilitudo procedunt; ut in ſequenti apparebit verſiculo, & ſic vertit Hieronymus, & verterunt Septuaginta, quam noſtra ſequitur editio, & in hoc Græcorum et Latinorum expoſitio probatur. Ex vtriſque igitur conſtat legitima expoſitio, Nolite fieri, vt equus, et mulus, quibus intellectus non eſt. ob idq. maxillæ eorum conſtringuntur fræno, et camo, vt approximent,

Eugub. Vatabl.

Hier. & Septuag.

ximent, et gubernari ſe ſinant ab homine. Camus, et frænum differunt, frænum equis, camus mulis communis eſt. eſt autem camus, quod Hiſpani *xaquima*, Itali *capeſtro* vocant. qui etiam equis communis eſt, frænum autem raro mulis adhibetur. Hic eſt ſenſus, qui in ſequenti applicatur, et ibi ſententia completur, et ibi nos magis explicabimus.

SERMO XII.

Multa flagella peccatoris.

EX ſuperiorum verborum expoſitione facile eſt huius verſiculi ſenſum explicare: Dixerat, ne velimus fieri vt mulus, & equus, non vtentes ratione, quibus maxillæ fræno conſtringuntur, vt accedant, & ſubdantur domino, id nunc applicans dicit, peccator, qui vt equus & mulus eſt, dum ad Deum non vult conuerti, multis flagellis afficietur à Deo, ſicut illa animalia frænis compelluntur accedere, & camis. Nolite ergo fieri vt illa, alias ſcitote, multis vos eſſe flagellis afficiendos, quod ſi ad Deum cõuertatur, & deſinat velle fieri vt equus & mulus, miſericordia Domini circumdabit eum. De hac tamen parte verſiculi poſtea dicemus, nunc prior eſt conſideranda. & attende, flagella peccatoris teneri in hoc loco paſſiue: vt ſit ſenſus, multa ſunt flagella, quibus peccator flagellatur. Rurſus, peccatorem vocat, qui viuit in peccato, qui ſic peccat, vt non velit ad Deum conuerti. Hic eſt ſenſus, & continuatio cum præcedentibus huius particulæ.

Aduertendum, de iuſtis dictum eſſe pſal. 33. Multæ tribulationes *Pſal. 33.* iuſtorum. at de peccatoribus nunc dicitur: Multa flagella peccatoris. Vna eſt conueniẽtia, ſed multiplex differẽtia. Cõueniẽtia eſt in malis, quia ſicut malis pœnæ iuſtus affligitur varijs, ita & peccator, & vtriſque, Deo volente, aut permittente inferuntur, & in hoc conuenientia eſt: tamen eſt prima differentia in cauſa, quia iuſtis hæc mala inferri permittuntur, vt eorum virtus probetur, augeatur, manifeſtetur, conſeruetur; at peccatoribus, vt puniti, & correcti propter peccatum, ab ipſo reſipiſcant. vnde hæc eadem mala pœnæ, quamuis eadem ſint, & aliquando iuſtis maiora inferantur, tamen ipſis non ſunt flagella, quia pœna & caſtigatio peccatorum non ſunt, peccatoribus autem flagella ſunt. ob id de iuſtis tantum dictum eſt, multæ tribulationes iuſtorum; at de peccatoribus, multa flagella peccatoris: & ſi aliquando iuſtus flagellum patitur, id propter aliqua peccata ſit leuia & venialia, vt purgetur. Quod igitur malum pœnæ iuſtis eſt probatio, peccatoribus eſt flagellum, vtriſque eſt tribulatio. Eſt altera differentia, quod de tribulationibus iuſtorum additur in illo pſalmo, de omnibus his liberabit

Cõuenientiæ, & differentiæ inter flagella peccatoris, & tribulationes iuſtorum.

eos Dñs, at in hoc loco non dicitur quod peccator abſolute liberabitur ab his flagellis, quia ſi nõ corrigitur, non reſipiſcit, non ſolum non liberabitur, ſed crudeliora, & acerbiora in æternum patietur. quod ſi reſipiſcat, tunc ſunt verba quæ ſequuntur: Sperantem in Domino miſericordia circumdabit. Tertia differentia eſt, quod plura ſunt genera flagellorum, quibus flagellatur etiam in hoc mundo peccator, quàm iuſtus. eſt enim flagellum acerbum peccatoribus proprium, quo traditur ſuo deſiderio, & appetitui, vt cadat de peccato in peccatum, de quo habetur ad Rom. 1. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt cõtumelijs afficiant corpora ſua, &c. & rurſus, Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea, quæ non conueniunt. Iuſtus aliquãdo propter negligentiam, aut aliquam vanam gloriam, aut aliquid tale permittitur in graue aliquod labi peccatum, vt tali ruina confuſus in maiorem poſtea erigatur perfectionem, & cautius, ac deuotius uiuat. hoc non eſt flagellum, ut primum, de quo diximus. Eſt aliud flagellum etiam acerbiſſimum, quo proprie peccator flagellatur, nempe à Deo non flagellari, non corrigi aliquo temporali malo, quod flagellũ eo grauius probatur, quo non datur, niſi poſt multa alia flagella, quibus adhuc peccator non corrigitur. De hoc flagello dicitur Oſee 4. Non uiſitabo ſuper filias ueſtras ſi fuerint fornicatæ, & ſuper ſponſas ueſtras cum adulterauerint. ubi Hieron. Grandis, inquit, offenſa eſt, poſtquam peccaueris, iram Dei nõ mereri. & paulo inferius: Quando, inquit, uideris peccatorem diuitijs affluere, iactare ſe potentia, ſanitate gaudere, delectari coniuge, corona circumdari liberorum, et impleri illud, quod ſcriptum eſt pſal. 72. In labore hominum non ſunt, et cum hominibus non flagellabũtur, ſcito, in illo comminationem Prophetæ eſſe completam. Non uiſitabo ſuper filias ueſtras, &c. hæc Hieron. de hoc eodem flagello dicitur Ezech. 16. Requieſcet indignatio mea in te. hoc flagellum eſſe acerbius, quàm quarumcumque pœnarum temporalium inflictionem, docent Origen. lib. 3. periarch. cap. 1. & Auguſt. ſerm. 37. de verb. Dom. et Greg. hom. 12. in Ezech. vnde Chryſoſt. hom. 37. in Ioan. dicit: Quando quis peccat, et omnia temporalia bene ei ſuccedunt, eſſe magnum argumentum et ſignum damnationis. et Greg. lib. 26. moral. cap. 14. hoc idem vt reprobationis ſignum ponit. Prius ergo flagellum proprium peccatoris erat, in grauia et multa ſini labi peccata, hoc autem poſterius eſt non caſtigari temporaliter, vt pœnæ flagellum ſentiens ad Deum conuertatur.

Rom. 1. — Oſea 4. — Pſal. 72. — Ezech. 16 — Origen. — Auguſt. — Gregor. — Chryſoſt.

Eſt aliud etiam flagellum adhuc peccatorum proprium, quando præcluduntur animæ ſenſus, nempe excæcatur intellectus, ne pericula imminentia, ne peccati grauitatem agnoſcat, obduratur voluntas, ne timore, dolore, affectu in Deum aliquo afficiatur; ſurdeſcunt aures, ne inſpirationes Dei, prædicantium voces audiat; vires deficiunt, guſtus ſpiritualium perditur. Denique viæ ſalutis internæ impeditæ ſunt Dei permittentis iuſto iudicio, quamuis non ita in hoc ſæculo omnia deficiant, quin

poſſit

poſſit adhuc, ſi velit, reſipiſcere, Dei gratia non in totum deſerēte peccatorem. De hoc flagello dictum eſt Iſai. 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum. hæc ſunt flagella peccatoris propria, vltra temporales pęnas, quibus cum iuſtis etiam affligitur, vti diximus. Propterea multa flagella peccatoris, plura quã iuſtorum, & acerbiora etiam, quàm tribulationes eorum etiam in hoc ſæculo.

Flagellum pœnarum temporalium quotuplex.

Aduerte rurſus, pęnarum temporalium, quæ multæ & variæ ſunt, flagellum duplex eſt, vnum correctiuum, alterum punitiuum, quo vtroque flagellatur peccator. illud eſt correctiuum, quo peccator correctus à peccato reſipiſcit: illud eſt punitiuum, quo propter peccatum flagellatur, tamen non reſipiſcit: vnde flagellum pura pęna eſt. Non eſt diſtinctio hæc ſimpliciter ex parte Dei: nam Deus ex parte ſua non infligit pęnam temporalem peccatori, niſi vt reſipiſcat, tamen quia culpa ſua flagellatus non emendatur, fit vt illud flagellum ſit tantum pęna peccati, & tantum punitiuum, Deuſq. videns, & præſciens peccatoris incorrigibilitatem, flagellat in pęnam, vt iam incipiat in hoc ſæculo pęna peccati. Iuſti propter leuia aliquando flagellantur, aut propter culpas iam remiſſas, ſed hoc flagellum eſt correctiuum, quia in eorum cedit emendationem, vnde in hoc etiam ſunt plura flagella peccatorum, & eſt hoc quartum flagellum, quo ſolus peccator flagellatur. huius flagelli habemus exemplum in Scriptura. talis fuit ille morbus horrendus Antiochi 2. Machab. 9. & ille Ioram 2. Paralip. 21. & ille Herodis, de quo meminit Euſeb. lib. 1. hiſtor. cap. 8. Caſtigari cęperunt hic, & continuata eſt pęna cum illa æterna. hanc doctrinam tradit eleganter Gregor. lib. 18. moral. cap. 13. cuius verba hæc ſunt. Omnis diuina percuſſio aut purgatio in nobis vitæ præſentis eſt, aut initium pęnæ ſequentis. propter eos, qui ex flagello proficiunt. dictum eſt, qui fingis dolorem in pręcepto, quia dũ flagellatur iniquus, & corripitur, audire proceptum noluit, audit dolorem; dolor ergo in præcepto fingitur ei, qui à malis operibus, quaſi præcepti vice dolore cohibetur. de his vero, quos damnant flagella, & non liberant, dicitur Ierem 5. Percuſſiſti eos, nec doluerunt, attriuiſti eos, & noluerunt accipere diſciplinam. his flagella ab hac vita inchoant, & in æterna percuſſione perdurant. hæc Gregorius. vbi multa addit ad hoc idem propoſitum. lib. 15. mor. cap. 29. dicit etiam ad hoc idem hæc verba. Neque enim pęna præſens, quæ iniuſti animum à prauis deſiderijs nõ immutat, ab æternis ſupplicijs liberat, vnde per Prophetã dicitur Pſal. 10. Pluit ſuper peccatores laqueos, ignis, ſulphur, ſpiritus procellarũ pars calicis eorum; dando enim laqueos ignis, ſulphur, ſpiritus procellarum, multos nimirum dolores intulit, ſed quia ab eis doloribus peccator, qui non corrigitur, ad æterna ſupplicia vocatur, eoſdem dolores non iam totum calicem, ſed partem calicis dixit, quia eorum paſſio hic quidem per dolores incipitur, ſed in vltione perpetua conſumatur. hæc Gregor.

2. Mac 9
2. Par. 21
Euſeb.
Gregor.
Fingere laborem, & dolorẽ in præcepto quid ſit.
Hier. 5.
Gregor.
Pſal 10.

Digitized by Google

Gregor. vnde apparet, multa eſſe, & varia peccatoris flagella.

Peccator, à quo flagelletur.

Quod ſi petas, à quo flagellatur? dico, prima omnium cauſa Deus eſt, qui intendens eius ſalutem flagella aut immittit, aut permittit. quod ſi noluerit emendari, propter aliorum ſalutem & exemplum, incipit punire. at media, quibus id fit, multa ſunt; aliquando enim dæmon, aliquando homo, aliquando mundus ipſe flagellat, aliquando ipſemet ſeipſum, aliquando Deus immediate; mala enim pęnæq. his cauſis, & modis homini infliguntur, vt vere ſit dictum in præſenti, multa flagella peccatoris. Hieronymus vertit, dolores. at Septuaginta verterunt μάστιγες, quod proprie verbera, flagella ſignificat, & Hebræa vox *Macab*, ſignificat cędere, percutere, & plaga, ſeu flagellũ. & eadem ſignificatio verbi *Nacab*. Ex his patet ſenſus huius particulæ verſus, qua Dauid monet, vt intellectu & ratione vtamur, ne ſicut equus & mulus, camo & fræno conſtringuntur, ita nos à Deo pęnis coarctemur, quia multa flagella peccatoris ſunt. Cyril. lib. 5. contra Iulian. hæc mala, quæ infliguntur temporalia, fræno, & camo comparat, hunc locum adducens, quę ad hoc infliguntur, vt homo ad bona conuertatur.

Hieron. מכה נכה *Cyril.*

Sperantem autem in Domino miſericordia circumdabit.

HAec eſt altera pars verſiculi, qua oſtendit quid cum peccatore ad Dominum conuertere ſe volente agatur, nempe eum miſericordia circumdabit, ideſt, cum eo vtetur non flagellis, ſed miſericordia & remiſſione. his duobus perſuadet, & monet, ne vti irrationalia animalia illa intellectum, & rationem deſeramus, quia tunc aget nobiſcum Deus, vti homo cum illis animalibus agit, fræno & camo coercens, ſic Deus inferet multa flagella, at ſi à peccato reſipiſcere, ad Deum accedere voluerimus, tunc eius miſericordia nos ſuſcipiet, & nobiſcum miſericorditer aget. Hæc ſunt duo, quæ cum Dauid acta ſunt, & hæc duo reſpondent prædictis; dum enim tacuit, manus Domini aggrauata eſt ſuper eum flagellando, & percutiendo, & ærumnis implendo. at quando confeſſus, & conuerſus eſt ad Deũ, tunc miſericordia circumdedit, remittẽdo impietatem peccati eius, & ſic verbis, et exemplo ſuo Dauid documentum hoc ſalutiferum nobis omnibus reliquit. hic eſt ſenſus et contextus.

Attende circa verba, ſperantem vocat, qui à peccato ad Deum conuertitur per pęnitentiam, confidens, et ſperans à Domino veniam ſe impetraturum. ſic ſperantes in Scriptura dicuntur à Deo ſalutem obtinere. ſic dicuntur beati, beati omnes, qui confidunt in eo, et beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius. et aliàs ſæpe. Attende rurſus, dici, miſericordia circumdabit eum, quod ſignificat complementum, et perfectionem, quod bene explicat Innocen. dicens: miſericordia circumdabit, ideſt, in omnibus aderit ad ſalutem, in omni loco, et in omni tempore, in omni cauſa, et in omni negotio, in certis, et in dubijs, in proſperis, et aduerſis, in corpore, et in corde, in prę ſenti, et in futuro. hæc Innocen. Remig. exponit, circumdabit, ideſt, muniet. et ita eſt, quia Deus ad ſe venien-

Sperãs in Deo quis dicitur.

Innoc.

Remig.

venientes munit, et defendit. Adde, quod ſicut dæmon circumdat, vt deſtruat, quia omni ex parte quærit nocere, ſic Deus omni ex parte iuuare, et prodeſſe, et hoc eſt circumdare. et reſpondet hæc vox illi, erue me à circumdantibus me. Qui ſperat in Domino, circumdatur à Deo. ſicut contra, qui non ſperat in eo, à malis circumdatur. vnde Rufinus, hoc exponens, dicit, quem primo circumdat tribulatio, poſtea circumdat miſericordia, quoniam miſericordiam dabit, qui propter noſtra peccata tribulari nos voluit. Tandem miſericordia circumdabit, quia non ſolum remittit Deus peccata venientium ad ſe, ſed eos protegit, ne ab ea, quam acceperunt gratiam, cadant, neque aliquid eis noceat, ſi ipſi velint Deo adhærere. et hic eſt totius verſiculi ſenſus, et explicatio. De hac circumdatione eſt illud pſal. 90. Scuto circumdabit te veritas eius, etc.

Ruſin. — *Pſal. 90.*

SERMO XIII.

Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde.

Iuſtos lætari, exultare, & gloriari quõ intelligitur.

HIC eſt vltimus verſiculus huius pſalmi, de cuius ſenſu, et continuatione, antequam, quid videatur, exponam, quid Doctores ſacri dicant, adducam in medium. Primo loco Baſil. breuiter hæc dicit: Nemo de ſuis exultet peccatis, ſed in Domino glorietur. quibus verbis inſinuat intentum Dauid eſſe, docere, et monere, ne quis de peccato lætetur, ſed quod lætitia ſit in Deo, et de rebus diuinis, quæ ſententia, licet vera ſit, nec verba, nec contextum explicat. verum quidem eſt, peſſimam eſſe exultationem de peccato. pſal. 49. à Propheta reprehenſam, vbi dicit: Lætantur cum malefecerint, et exultant in rebus peſſimis, tamen in præſenti hoc non videtur Dauid intendere.

Baſil. — *Pſal. 49.*

Secundo loco Theodoretus magis ad ſenſum accedens, dicit, Prophetam nos erudire his verbis ſpiritum humilitatis, ne vllus ſuis recte factis lætetur, ſed in Domino, vt qui gloriatur, in Domino glorietur; et qui ſtat, videat ne cadat. 2. Corinth. 10. Hæc expoſitio poteſt continuari cum præcedentibus, vt poſtquam de cõuerſione ad Deum, et de remiſſione dixerit, nunc recte facta hęc Deo eſſe tribuenda erudiat: adhuc tamen non videtur omni ex parte reſpõdere, et quadrare.

Theod. — *2. Cor. 10.*

Tertio loco Innocen. dicit eſſe tres ordines ſperantium in Domino, et iuſtorum, nempe incipientium, proficiẽtium, et perfectorum. de primis dictum eſt, miſericordia circumdabit; eis enim exhibetur miſericordia, ſecundis lętitia, et exultatio; tertijs gloria. Vocat perfectos, qui peruenerunt ad terminũ, et ceſſat profectus, quod eſt in beatitudine. in hoc igitur verſiculo de ſecundis, et tertijs eſt mentio,

Innoc.

tio, nempe proficientibus, & perueníentibus: & quia proficientes habent meritum, & ſperant præmium. propter hoc de ipſis dicitur, lætamini, & exultate. ſicut ad Phil. 4. dicitur: Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete. hæc Innocen. quæ doctrina vera eſt, ſed ad contextum non videtur facere eorum, quæ prædicta ſunt.

Philip. 4.

Remig. Quarto loco Remig. ſic exponit, Lætamini iuſti mente, & exultate corpore, tamen hic in ſpe, poſtea gloriamini in re. ſed hæc expoſitio adhuc non exponit texturam cum præcedentibus.

Rufin. Quinto loco Rufin. Lætamini, inquit, corde, exultate corpore, non in vobis, non in mundo, ſed in Domino, non peccatores, ſed iuſti. gloriamini, non eſt magnum gloriari in gaudijs; rectus corde gloriatur etiam in tribulatione. ſi iuſti ſumus, lætemur corde in Domino, exultemus corpore, gloriemur in tribulatione. hæc Rufin. in qua expoſitione adhuc non apparet contextus, nec verus ſenſus verborum, vt præcedentibus reſpondeat, quare puto ſic dicendum.

Auctoris ſenſus. Verſiculus hic ſicuti vltimus eſt omnium, ita epilogus eſt etiam eorum, quæ dicta ſunt, & reſpondet primis duobus verſiculis, in quibus, vti diximus, duo ordines beatorum, ſeu iuſtorum continebantur. vnus eorum, qui in peccata inciderunt, ſed diuina gratia liberati ſunt, & veniam conſecuti quorumcumque ſuorum cõmiſſorum. alter eorum, qui gratiam, quam primo acceperunt, conſeruarunt, nec ab ea ceciderunt, quibus Dominus non numerabit, nec imputabit peccatum, ſed ſimplici ſpiritu, & ſine dolo ſunt. Poſtea Dauid ſe in numero eorum cõfitetur eſſe, qui ceciderunt, tamen diuina gratia erepti ſunt, & veniam obtinuerunt. Poſtea documentum ſalutis omnibus dedit, ſiue qui in primo, ſiue qui in ſecundo ſunt ordine, ſiue qui adhuc ad neutrum peruenerunt, ſed peccatores ſunt, vt nolint fieri ſine intellectu; ſed qui in peccato ſunt, conuertantur, qui iuſti, & ſine peccato, ne gratiam deſerant. Nunc eos, qui à peccato liberati ſunt, ad gaudium excitat, & vtrumque ordinem complectitur. iuſtos vocat, ideſt, iuſtificatos, quorum remiſſæ iniquitates, & tecta peccata, & his dicit, Lætamini, & exultate: quibus vero non imputabit Dominus peccatum, dicit, gloriamini, quod maius eſt, quàm illa duo, & vocat rectos corde, ſicut ſuperius dixerat, non eſt in ſpiritu eius dolus; hi enim, recto ſunt corde, qui à gratia non ceciderunt, quàm ſemel acceperunt. vnde in has quatuor partes diuiſus eſt hic pſalmus, quas prædiximus. Quod ſi placet alius etiam modus exponendi, vt totus hic verſiculus de iuſtis, qui non ceciderunt, intelligatur, tunc contextus iſte eſt, peccatoribus dedit documentum, ne fiant vt equus, ſine intellectu, ſed conuertantur, quia ſi nolint cõuerti, multa eos manent flagella, ſi autem velint, miſericordia Dei eos circumdabit: iuſtis vero, qui non indigent hac conuerſione, dicit, vt lætentur, exultent in Domino, & glorientur. Vterque ſenſus & cõtextus eſt valde conueniens, tamen quia prior videtur magis cõſonus verbis, nam diſtinguit duos, iuſtos, & rectos corde, quaſi de duobus ordinibus loquens, & rurſus reſpondet propoſitis in principio duobus ordinibus.

ideo

ideo probabilior eſt. verba nunc ſingula explicabo, etiam in vtroque ſenſu.

Expoſitionis concluſio.

Si priorem ſequamur ſenſum, qui probabilior eſt, & conſonãtior videtur, vt ſit ſermo de duobus ordinibus iuſtorum, de his, qui peccata commiſerunt, & de his, qui à gratia ſemel accepta non exciderunt, quibus adnumerantur hi, qui etſi aliquando ceciderunt, tamen iam à multo tempore Deo ſeruiũt, & à peccato abſtinuerunt, tunc ſic explicare oportet, iuſti dicuntur, ideſt, iuſtificati de proximo, qui etiam, gratia accepta, adhuc de peccatis pœnitentiam agunt. hi lætari & exultare iubentur. exultatio maius quid eſt, quàm lætitia; lætitia enim dicit gaudium internum animæ quodcumque, at exultatio gaudium tam vehemẽs, quod interius contineri non poteſt, & ſignis exterioribus quibuſdam ſe extendit, & ſic exultare eſt quaſi extra ſe egredi, & procedere, & ſic verbo Græco exprimitur quædam corporis geſticulatio, quam vehementia interioris lætitiæ operatur. ſic iuſtificati duo acceperunt magna bona, ſed vnum altero maius, de priori lætandum, ſed de poſteriori exultandum eſt. Prius bonum eſt remiſſio peccatorum, per quã liberati à poteſtate dæmonis, à ſtatu inimicorum Dei, & debito ſatisfactum eſt iniuriæ in Deum illatæ. magnum bonum eſt, & materia, & cauſa gaudij & lætitiæ, ſed poſterius bonum maius multo eſt, vt in gratiam ſint Dei recepti, quà amici Dei, filij Dei, heredes fiant æternæ vitæ, hoc ſuperat prius. de hoc igitur exultandum eſt, ita vt prorumpat exterius gaudium, & vſque ad corpus, quia hoc bonum etiam eſt commune corpori, quia ipſum per Dei gratiam reſurget in incorruptione, & gloria. de hoc bono dictum eſt pſal. 83. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. iuſtus ergo, & de peccato ereptus lætetur, & exultet, ſed in Domino, lætari autem, & exultare in Domino, eſt cauſam horum bonorum Dominum Deum confitendo, vt non ſibi tribuat, nec ſuis viribus, aut meritis, ſed diuinæ bonitati, & virtuti. qui igitur de bonis his lætatur, & exultat, vt à Deo acceptis, talis dicitur in Domino & lætari, & exultare. Hæc duo bona eſſe nobis à Deo, & quidem per Filium ſuum Chriſtum collata docet Ioan. cap. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non peccet, ſed habeat vitam æternam. Vide remiſſionem peccati, non pereat; vide gratiæ donationem, vt habeat vitam æternam. hoc idem docuit Paulus ad Coloſ. 1. Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ. In Hebræo autem habetur nomen *Iehoah*, nomen Dei proprium. Lætamini in Deo, quia opus fuit hoc Dei ſolius; ſolus enim Deus hæc potuit facere.

Pſal. 83.

Exultatio, in quo differat à lætitia.

Ioan. 3.

Coloſ. 1.

יהוה

At de ſecũdo ordine maius quid dicitur: Gloriamini, inquit. vocat autem hos rectos corde. rectus ille dicitur, qui mentem habet ad Deum conuerſam, qui voluntatem habet in mandatis Dei; cum enim ſit homo à Deo factus, vt ad Deum perueniat vt finem vltimum, quoties ad eum conuerſus eſt mente, affectu, opere, dicitur rectus, quando autem ad creaturam conuertitur, & à diuina voluntate implenda auertitur, dicitur obliquus, &

Recti corde cur poſſint gloriari.

Rectus corde quotupliciter dicitur.

tortuoſus. qui ergo gratiam ſemel datam non perdiderunt, nec auerſi ſunt à Deo, aut ſi aliquando auerſi, iam à multo tempore cõuerſi ſunt, & extra numerum pœnitentium, poſiti, perfectionem ſequuntur, hi corde recto dicuntur, qui à peccato conuerſi proxime, potius rectificati, & directi dicuntur, ij igitur iubentur gloriari. Eſt autem aduertẽdum, Hyeronymum vertiſſe, laudate Deum. verbum autem Hebræum habetur, *Hadar*, quod glorificare ſignificat. & Septuaginta verterunt per verbum καυχάομαι, quod gloriari, & iactare ſe ſignificat, & eſt verbum Dei, & vſus eſt ſæpe Paulus 2. Cor. 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur, & ſi gloriatus fuero, &c. Hanc ergo ſequendo verſionem, quæ communiter probatur. Dico eſſe aliquid amplius gloriari, quàm lætari, & exultare: nam non omnis qui lætatur, & exultat, gloriari poteſt: nam lætitia, & exultatio eſt de bono aliquo etiam magno; at gloriari eſt ſe quaſi proprij facti laude dignum iudicare; qui autem accipit ab alio bonum, lætari poteſt, & exultare, non tamen proprie poteſt gloriari, hoc honorificum quid eſt. Nemo poteſt gloriari vere de ſuis benefactis, tamquam ipſa cauſa ſit præcipua, tamen in Deo gloriari poteſt, quod, diuina virtute adiutus cooperator extiterit ipſius, & ſic tunc in Deo gloriatur. vnde Paulus non prohibet gloriari in Domino, ſed gloriari ſimpliciter, immo gloria eſt Domini, quando homo ſe virtute Dei operatum eſſe bona cognoſcit, & ſe ipſius gratia effectum dignum laude fatetur, hoc eſt, gloriari in Domino. qui ergo viriliter pugnarunt, qui contra hoſtes, & tentationes ſæpe, & diu præualuerunt, diuina tamen gratia, & auxilio, ſed non ſine ipſorum conatu, hi, vltra lætitiam & exultationem, etiam in Domino glorientur, recognoſcentes ſe à Deo accepiſſe bonum tãtum, de quo & laude & gloria digni ſunt. Si autem cum Hieronymo legamus, Hi laudent Deum, & glorificent Deum, quia ipſos effecit tam miros & magnos, vt præualere potuerint, hoc laus eſt, & gloria Dei, qui fecit eos tales, ſenſus idem eſt: nam qui gloriatur in Domino, gloriam præcipue reijcit in Dominum, quod ſe dignum gloria, & laude fecerit.

Hieron.

חדר

2. Cor. 10

Quid amplius habeat gloriari, quã lætari.

Si autem iuxta poſteriorem ſenſum hæc tria ad eoſdem iuſtos referamus, tunc ſenſus erit, Iuſti lætentur & exultent ob ea, quæ iam dicta ſunt. rurſus, hi iuſti, quia recti corde ſunt effecti, recteq. viuunt, & in Deo perſeuerant, glorientur. vnde gloriatio in Domino, tamen ſit perſeuerantia in bono, ob quam etiam laudare, & glorificare debent continuo Deum. alij vertunt, Iubilate omnes recti corde, ſed ſufficiat quod dictum eſt. Prior ſenſus eſt conformior.

Pro maiori adhuc explicatione huius gloriationis in Domino, aduertendum eſt, gloriari non tantum eſſe ſublimia de ſe prædicare, ſed ſimul ſe eorum ſublimium cauſam aliquam facere; quod enim aliquis à principe honorifice ſit receptus, aut quod dignitatem ab eo inſignẽ obtinuerit, non gloriatur, niſi quatenus aliqua ex parte ſibi tribuit ea, nempe quod pro meritis ſuis acceperit; magna enim accipere, non eſt materia gloriationis, niſi quatenus aliqua ex parte ab ipſo ſunt, potius facere magna, gloriationis eſt ma-

Gloriari quid ſit, & quando peccatũ.

eſt materia. hoc ita eſſe patet ex
1.Cor. 4. Paulo 1.Cor.4. Quid habes, inquit, quod non accepiſti, quod ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? vnde colligunt cauſam & materiam gloriandi, quia etiam ſi magna & ſublimia habeat homo, non ſunt ab eo, ſed à Deo accepta.
1. Reg. 2. hoc idem patet 1. Reg. 2. Nolite, inquit, loqui ſublimia gloriantes. ſi idem eſſet loqui ſublimia de ſe, & gloriari, idem eſſet ac dicere, nolite gloriari gloriantes. at non ſunt idem, ſed, gloriari, addit ita loqui de ſe ſublimia, vt aliqua ex parte ſe cauſam faciat, & non ſit mera receptio. hinc eſt, quod qui ſimpliciter gloriatur de bonis ſpiritualibus, iniurius ſit Deo, quia cũ Deus ſit cauſa principalis eorum, dum gloriatur, quod Dei eſt, ſibi tribuit, tamen quando ita gloriatur, quod Deum prædicat, & recognoſcit auctorem principalem recte factorum, & quod ſuum eſt tantum, quia cooperator eſt, commẽdat, et prædicat, tunc non ſimpliciter gloriatur, ſed in Domino, immo magis glorificat Dominum, qui eum auctorem præcipuum ſuorum facit cum laude factorum, talis gloriatio non eſt mala, immo profeſſio quædam fidei eſt, laus quædã Dei, ſi tamen fiat debito fine, et circumſtantijs, de quibus diximus in con-
2.Cor.10 cione quadã ſuper illud 2. Cor. 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Vnde patet non omnem gloriationẽ malã eſſe, & prohibitam; ſed aliquam bonam, aliquam ma-
Baſil. lam, quod docte Baſil. in reg. breui. reg. 247. docuit, ſic dicens: Cum in Scriptura legatur, nolite gloriari, neque loqui ſublimia, et Apoſtolus aliàs de ſeipſo loquẽs, dicat, factus ſum inſipiens gloriando, aliàs vero hominem gloriari permittat, cum dicit, qui gloriatur, in Domino glorietur, quæ eſt gloriatio in Domino, et quæ eſt illa, quæ vetita eſt gloriatio? reſpondet, Gloriatio in Domino eſt, quando quis recte facta ſua non ſibi adſcribit, ſed Domino, et dicit: omnia poſſum in eo, qui me confortat Chriſtus. quæ vero vetita eſt, ea dupliciter intelligi poteſt, vel vt cum illo conueniat, Laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ. vel eum illo: faciunt, vt videantur ab hominibus. Porro qui tales ſunt, ij recte ſacrilegi poſſunt appellari, qui dona Dei ſibiipſis vendicent, vt ſua, et debitam Deo gloriam ad ſeipſos rapiant. hęc Baſil. vbi vides, bonam gloriationem eſſe, quando facta ſua recta quis Deo tribuit, tamen adhuc ſimul facta ſua confitetur: nam ſimul cum Deo operatur, tamen præcipuum auctorem Deũ recognoſcit. qui verò ſimpliciter gloriatur in recte ſuis factis, ſacrilegus eſt, quia ſibi quod Dei eſt, vſurpat. Malas gloriationes duas ponit, aut quando materia mala eſt, quia de malis gloriatur, aut ſi bona eſt, finis indebitus eſt, nempe vt appareat, et captet puram hominum laudem. alijs etiam modis mala eſt gloriatio, de qua ſupra diximus nos aliàs tractaſſe, nec neceſſe eſt in præſenti repetere.

His ſuppoſitis, dubium pro expoſitione eſt, cur qui recte vixit, gloriari in Domino debet, et non qui ad Deum conuertitur, et pęnitentia remiſſionem obtinet, cum in vtroque homo Deo cooperetur: Dico maius quid et ſublimius eſſe perduraſſe in gratia, et victorem extitiſſe contra tentationes, et inimicos, magiſq. hoc eſſe dignum *Cur qui recte vixit potius quàm qui remiſſionem obtinet in Domino gloriari debet?*

laude, quàm poſt caſum ſurrexiſſe, propterea huic gaudium, illi vero gloriatio tribuitur. Adde, quod plus facit Deus in conuerſione peccatoris, quàm in iuſti rectis factis, quia arbitrium peccatoris impotens eſt, vt poſſit ſe mouere, nondum gratia accepta, & ſic indiget gratia præueniente, excitante, & cooperante; at iuſtus gratia iam accepta potentior eſt ad recte operandum, & quamuis indigeat adhuc auxilio Dei, minus tamen, quàm qui in peccato eſt, vt conuertatur. Ex his omnibus patet ſenſus huius verſiculi, ſimul etiam totius huius pſalmi.

SERMO XIV.

CVM in fine cuiuſque pſalmi Eccleſia cantet verſiculum, Gloria Patri, & Filio, &c. non ab re viſum eſt, ſi ſemel eum exponamus, quod in præſenti ſermone fiet, in eius autem expoſitione aliqua occurrunt conſideranda. vnum eſt, quando, & à quo ſit inſtitutum, vt in fine cuiuſque pſalmi in horis canonicis recitandis, aut decantandis apponatur hic verſiculus. alterum eſt, quibus de cauſis id factum ſit. tertium eſt, quis ſit ſenſus ipſius.

Gloria Patri in pſal. quis inſtituit decantari.

Quantum ad primum, Damaſus Papa, qui floruit temporibus Valentiniani Imperatoris, anno Domini 370. fuit primus, qui inſtituit in Eccleſia pſalmos alternis vicibus per verſiculos decantari, & in fine cuiuſque pſalmi apponi verſiculum, Gloria Patri, &c. vt auctor eſt Platina in eius vita. vbi aduertendum eſt, non fuiſſe ipſum Damaſum primum, qui in pſalmis cantauit, Gloria Patri, &c. nec fuiſſe auctorem huius verſiculi: nam ante ipſius tempora, quamuis non multò ante Flauianus monachus Antiochenus, vt refert Nicephorus lib. 9. hiſtor. cap. 24. hunc verſiculum compoſuit, & in fine pſalmodiæ decantauit. Refert enim Nicephorus, ſolitos eſſe monachos in fine pſalmodiæ, confeſſionem de Deo facere, cumq. multæ vigerent tunc hæreſes, de Trinitate inter eos non conueniebat. vnde quidam dicebant, Gloria Patri in Filio; alij, gloria Patri per Filium; alij, gloria Patri per Filium; alij, gloria Patri, & Filio in Spiritu ſancto. Baſil. lib. de Spiritu ſancto cap. 1. dicit, ſe aliquando dixiſſe, gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. aliquando, Patri, cum Filio, & cum Spiritu ſancto. aliquando, Patri per Filium in Spiritu ſancto. & propter hoc calumniam paſſus eſt, quaſi hæc ſimul non poſſent ſtare. ibi per multa capita defendit contra hæreticos hanc particularum varietatem non arguere eſſentiæ diuerſitatem. nam æqualitatem, & conſubſtantialitatem non agnoſcebant nec Arriani, nec Macedoniani. Vnde Arriani gloria Patri in Filio, aut per Filium. Macedoniani gloria Patri, & Filio in Spiritu ſancto cantabant, quia hi Spiritum ſanctum negabant conſubſtantialem, non autem Patrem & Filiũ ſicut Arriani: iſte autem Flauianus in monachorum conuentu conſubſtantialitatem, & æqualitatem perſona-

ſonarum cum Cõcilio Niceno profitens decantauit publice, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. vnde poſtea Catholici Antiochiæ ita decantarunt. Damaſus autem poſtea id inſtituit, & præcepit vt fieret in tota Eccleſia. & rurſus non in fine pſalmodiæ, ſed in fine cuiuſque pſalmi, ſicut vſq; in hodiernum diem fit in Eccleſia Catholica, & Latina, & Græca, & vbi pſalmi decantantur. Aduertendum adhuc hic eſt, ante inſtitutionem Damaſi ſolitum eſſe decantari hunc verſiculum etiam in fine cuiuſque pſalmi; tamen in Romana Eccleſia nõ cantabatur, donec Damaſus id vniuerſaliter inſtituit. & hortatu Hieronymi id fecit. hęc deducũtur ex epiſtola quadam Hieronymi, quæ habetur inter epiſtolas Damaſi 1. tom. Concil. vbi inſinuat alibi verſiculum decantari, & hortatur vt in Romana Eccleſia cantandum inſtituat. verba Hieronymi ſunt hæc. Precatur cliens tuus, vt vox iſta pſallentium in ſede tua Romana, die, noctuq. canat, & in fine pſalmi cuiuſlibet ſiue matutinis, ſiue veſpertinis horis coniungi præcipiat apoſtolatus tui ordo, Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto, ſicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum amen. Iſtud carmen laudis omni pſalmo coniungi præcipiat, vt fides 318. Epiſcoporum Niceni Concilij in veſtro ore pari conſortio declaretur. hæc Hieron. Ex quibus apparet Damaſum non ſolum inſtituiſſe pſalmos alternatim cantari vti diximus, ſed in Eccleſia Romana inſtituit, vt pſalmi cantarẽtur, quia non ſolebat in ea eſſe pſalmodia, vt etiã apparet ex epiſtola eiuſdẽ Damaſ. ad Hieron. Ecce ergo quis & qñ inſtituit verſic. hunc Gloria &c. Conc. Tolet. 4. ſub Honorio I. anathemate decretũ c. 15. vt huic verſic. addatr honor, dñdo gloria, & honor Patri, Filio, SS. qa pſal. 28. dictũ eſt. Afferte dño gloriam, & honorẽ.

Conc. Nicen.

Quantum ad ſecundum, de cauſis, cur hic verſiculus ſit inſtitutus, dico præcipuam eam eſſe, quam in verbis proxime citatis Hieron. indicat, vt articulus Trinitatis in Concilio Nicæno definitus contra Arianos omnium ore celebraretur. erat enim tũc tẽporis hæreſis Ariana per totum diffuſa orbem, quæ perſonarum conſubſtantialitatem negabat, vt igitur fides catholica vbiq; omnibus manifeſta eſſet, & Eccleſiæ catholicæ in publicis ſuis canticis velut ſymbolo quodam dignoſcerentur, fuit hoc carmen laudis, in quo vt vera fides Trinitatis continetur, inſtitutum, & in Catholicis Eccleſijs decantatum, vt cum omnis pſalmodia ſit laus quædam Dei, adiungatur ſimul carmen exponens, qualis ſit Deus noſter, quem laudamus. Poſſumus huic cauſæ ſecundã addere, vt laus noſtra, & decantatio etiam à Iudæorum cantu diſtinguatur, ſolebant enim, vt patet ex Scriptura, Iudæi pſalmos hoſce in Dei laudem decantare; tamen tunc erat quidem fides vera Dei, tamen fides Trinitatis perſonarum non erat expreſſa in populo, ſed vnum Deum colebant, perſonas non diſtinguentes, quia adhuc populo illi non erat Trinitatis myſterium reuelatum, at Chriſtianus populus hoc accepit ſupra illum, vt fidem Trinitatis expreſſam profiteretur. in huius ergo rei myſteriũ, & manifeſtationem, & diſtinctionẽ, in noſtra pſalmodia Chriſtiana carmen appo-

Gloria Patri, quare in pſ. appoſitum.

Hieron.

apponitur Trinitatis expreſſe commendatiuum, & profeſſionem eius facimus. Doctrina prædicta certa eſt, & à Doctoribus Catholicis tradita. *Cirill.* Cyril. lib. 9. in Ioan. c. 30. dicit, fidem Euangelicam, vt à Iudæo diſtinguit, continere articulum *Baſil.* Trinitatis, idem Baſil. lib. 2. contra Eunomi. dixi autem de fide quæ communiter tunc populo prædicabatur, nam multis Prophetis, & Patriarchis myſterium Trinitatis reuelatum eſt, vt docent Cyril. 1. *Auguſt.* contra Iulian. & Aug. lib. de fide ad Petr. cap. 2. in diſtinctionem igitur à Iudaica pſalmodia additur hoc carmen noſtrum. Addere etiam poſſumus tertiam cauſam, vt cantus noſter à paganorum cantu diſtinctus noſceretur: ſolebant enim idololatræ ſuis dijs falſis hymnos, & carmina decantare, at noſter cantus Deo vero fit, vtq. palã cui decantaremus, notum eſſet, carmen hoc fidei profeſſionis noſtræ laudi & hymnodiæ adiunctum eſt: articulus autem Trinitatis nõ ſolum à Iudæo, ſed etiam à Paganorum errore Chriſtianam diſtin- *Baſil.* guit veritatem. vnde Baſil. lib. 2. contra Eunomi. dogma proprium Chriſtianorum diſtinguẽs à Iudæo & Pagano, dicit eſſe articulum Tri- *Damaſc.* nitatis. dicit enim docte Damaſ. lib. 1. de fide cap. 7. fidem noſtrã Trinitatis eſſe mediũ inter Paganorum errorem, & falſam fidem, quã nunc Iudæi habent, nam Iudæi nunc vnum Deũ in natura, & perſona colunt, & pagani plures Deos in natura, & perſonis; at Chriſtianus vnum Deum in natura, pluralitatem autem perſonarũ adorat, & ſic & à Iudæo, & Pagano dogma diſtinguit. dixi errorem ſeu falſam fidem, quam nunc Iudæi habent, nã olim ante Chriſti aduentum Iudæi vnum Deum colebant, non exprimendo an eſſet vna perſona, an non, & ſic vera fides erat vnius Dei in natura, at nunc, vt Chriſtianis ſe opponant, vnum etiam in perſona profitentur, & ſic errant. poteſt etiam dici noſtra hæc fides medium eſſe inter veram illam Iudæorum fidem, & paganorum errorem, illi enim vnum Deum, hi plures confitentur, at nos vnitatem in pluralitate, & pluralitatem in vnitate veneramur, contra Hæreticorum ergo, & Paganorum errores, & in diſtinctionem Iudæorũ. noſtra laus, qua erga Deũ vtimur, hoc carmen decantat, vt vna cum laude appareat qualem Deum laudemus, & cuius ſimus profeſſionis. his etiam adhuc quartam adiungimus rationem, vt militantis Eccleſiæ cantus conformetur cantui triũphantis, vtpote quia immediate ex hac noſtra tranſitur in illam, vt enim Cyril. lib. 10. Ioan. cap. *Cyrill.* 24. dicit, non eſt noſtra Eccleſia, vt ſynagoga, hæc enim habuit poſt ſe euangelicam, at euangelicæ nõ alia ſuccedet niſi triumphans, in qua laudatur Trinitas, vt patet Iſa. 6. Sãctus Sanctus, Sanctus. in huius cõformitatem noſtra carmen edit Trinitatis, tamen quia militans multis adhuc indiget, ob id præter carmen hoc vtitur pſalmis, quibus exprimit multa, quibus in hoc indigemus ſæculo, propter quod nõ in principio, ſed in fine pſalmorum ponitur, quia laus eſt poſt petitionem, & orationem, quæ in pſalmo continetur, & eſt propria illius patriæ, vbi finis eſt, & nulla indigentia premit. hæ ſunt cauſæ, quæ videntur aptę cur ſit hoc carmen appoſitum pſalmis, poſſunt etiam

aliæ

aliȩ afferri, ſed quæ datæ ſunt, præcipuæ videntur, accedamus ad tertium, nempe expoſitionem.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Gloria Patri in pſ. quid ſignificet.

HAec verba ſunt fidei Chriſtianæ profeſſio, & laudis confeſſio, pertinent ad fidem, & ad laudem, quæ laus eſt latriæ, & religionis, vt ſimul Deũ noſtrũ, qualis ſit, declaremus, & ipſum declaratum adoremus. quantum attinet ad profeſſionem duo fiunt in his verbis, vnum eſt deteſtatio erroris & hæreſum, alterum eſt veritatis oſtenſio. de horum priori aduerte, his verbis tria oſtendi cõtra Hæreticos, vnum eſt, trium hypoſtaſum ſeu perſonarum diſtinctio, nam in hoc quod dicimus. Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, tribus nominibus vtendo media coniunctione diſtinctiua, non enim dicimus, Gloria Patri Filio Spiritui Sancto, in hoc ſignificamus hęc tria eſſe ſuppoſita diſtincta, & hoc eſt contra Sabellium. hic dicebat, Deum eſſe Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, non tamen diſtincta ſuppoſita, ſed vnum, quod reuera diuerſorum effectuum his vocatur nominibus, vt refert Baſil. in Epiſto. quadam ad prudentiores, & doctiores Cęſareę, quę eſt, 64. & Hilarius lib. 2. Trinit. tamẽ fides noſtra ita hæc affirmat tria, vt diſtinguat ſuppoſita, vt Pater vnum per ſe ſubſiſtens, Filius alterum, Spiritus Sanctus ſit tertium etiam ſuppoſitum, ob id dicimus, & deteſtamur errorem hunc, dicentes, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, quib. in his inſinuatur diſtinctio perſonarum. alterum eſt, æqualitas earum, dum vniformiter dicimus Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, non vt illi, de quibus diximus in principio, Gloria Patri in Filio. Iſta vniformitas exprimit earum æqualitatem. tertiũ eſt, earum vnitatem in natura & eſſentia, dum dicimus, gloria Patri, & Filio & Spiritui ſancto, & non repetimus gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui ſancto; ſed vnica gloria tres glorificamus, notantes tres eſſe vniusmet ſubſtantiæ, & naturæ. hęc duo eadem ſunt in illis verbis, vnde hic ſunt ſumpta Matth. 28. baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. in quibus hic duo notant ſacri Doctores, in eo enim quod vniformitas eſt in numerandis his perſonis, & cum Patre Filius, & cum his Spiritus ſanctus eadem numeratione coniungitur, æqualem Filium Patri, & Spiritum ſanctum æqualem eſſe vtrique notat Athanaſ. orat. contra Sabellij gregales. in hoc autem quod non in nominibus, ſed in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, vnico tantum nomine poſito, dicitur, vnitatem eſſentiæ notari docet Ambroſ. lib. 1. de Spiritu ſancto. cap. 14. vnde Ambroſ. lib. 2. in Luc. c. 3. de Ieſu Baptizato, inquit, iuxta Apoſtolum 1. Cor. 10. Omnia in gloria Dei facite, in nomine domini Ieſu. In duabus epiſtolis, alibi in nomine Ieſu, alibi in gloria Dei facere præcipit, vt ſcias eandem eſſe Patris & Filij gloriam, eandemq. virtutem. Hęc Ambroſ. Hæc duo, nempe æqualitas & naturæ ſeu eſſentiæ vnitas ſunt contra Ariũ, qui ſuppoſita pluſquam oportebat, diſtinxit, nempe vt eſſent diſtinctæ eſſentiæ, & vna altera minor, at contra hanc hæreſim dici-

Margin notes: *Baſil.* *Hilar.* *Math. 28* *Ambr.* *1. Cor. 10*

dicimus gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto, diſtinguentes quidem ſuppoſita & perſonas, ſed æqualitatem earum, & eſſentiæ vnitatem confitentes, ſicut in illis verbis allegatis Matthæi.

Nec nos moueat, quod ex his verbis Arriani ſuum contendebant errorem confirmare, vt auctor eſt Ambroſ. lib. 5. de fide. c. 5. Dicebant enim cũ primus ſit nominatus Pater, ſecundo Filius, tertio Spiritus ſanctus, ſignificatur quod Pater ſit maior Filio, & Spiritu ſancto, & Filius Spiritu ſancto. ad quod reſpõdet Ambr. ibi probando hunc ordinem numerationis non eſſe argumentum vllum, ad inferendum ordinem dignitatis, ſeu inæqualitatis: nã ſi ita eſſet, ſequeretur, quod Filius eſſet maior Patre, quia Ioan. 1. primo loco ponitur, in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. & 2. Cor. 13. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti; non ergo ordo verborum vnitatem & æqualitatem alterat. ita Amb. reſpondet, & bene. adde autem, hoc ordine numerationis inſinuari ordinem proceſſionis perſonarum, quia à Patre Filius, ab vtroque Spiritus ſanctus procedit: vnde ordine numerationis ſignificatur ordo proceſsionis, ob id prima perſona Pater, ſecunda filius, tertia nominatur Spiritus ſanctus. vt autẽ hac numeratione proceſsionem tantum ſignificari, non autem naturæ inæqualitatem, aut pluralitatem, intelligeremus; ob id in Scriptura hæc numeratio variatur, vt dicit Ambr. ſunt igitur hæc verba errorum deteſtatio, quod vti diximus ad fidei profeſſionem pertinebat.

Ambr. *Ioan. 1.* *2. Cor. 13*

Sunt etiam poſteriori loco veritatis oſtenſio, quod etiam ad fidei profeſſionem pertinet. vbi nota, quod fides noſtra non ſolum tres perſonas diſtinguit æquales, & cõſubſtantiales, ſed etiam earum emanationem confitetur, vt vna à nullo ſit; ſecunda ab vna procedat non qualicunque modo, ſed per naturalem generationem; vnde prima Pater, ſecunda verus ſit Filius, habens à Patre diuinitatem, & tertia ab vtroque per ſpirationem, & dicitur Spiritus ſanctus, & hæc confitemur non qualibuſcunque nominibus, ſed iſtis Deum glorificantes Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto, vnde cum æqualitate, & vnitate naturæ & eſſentiæ eſt emanatio & proceſsio, quam Scripturæ docent. de filio namque Ioan. 3. dicitur. Ego ex Deo proceſsi, & veni in mundum. Verba ſunt ipſius Filij. de Spiritu Sancto habetur Ioan. 15. Spiritus veritatis, qui à Patre procedit. Et iterum c. 16. De meo accipiet. Hæc eſt trinitas Chriſtianorum, et hæc veritas his verbis oſtendetur, dum talibus vtimur nominibus hoc myſterium ſignificantibus. plura hoc loco de myſterio Trinitatis dicere eſſet terminos debitos tranſgredi. Sequitur ex iſtis, verba hæc eſſe fidei profeſsionẽ, et quantum ad hæreſum deteſtationem, et quantum etiam ad veritatis fidei diuinitatis oſtenſionem.

Ioan. 8. *Ioan. 15. & 16.*

Secundo loco explicandum eſt, quomodo hæc verba, vti diximus ſuperius, ſint laudis in Deum confeſsio, quod ad latriam, et adorationem attinet. hoc autem explicabitur in verborum expoſitione, nam laus in duobus inſinuatur, immo exprimitur, et in verbo gloriæ, et in verbis ipſis, quibus ſic perſo-

Gloria Patri, quomodo ſint verba laudis in Deum.

nas

Digitized by Google

nas tres nominamus.

Primo igitur loco conſiderandũ eſt de gloria, quæ Græcis dicitur δόξα. hoc autem verbum multiuocum eſſe, ac multiplicis eſſe ſignificationis docet Baſil. Iſa. 10. ſimile eſt verbum Latinum ei reſpondés, vnde fit, vt non vnica poſſit definitione exprimi. quantum autem mihi videtur analoga vox eſt, & vnũ ſignificat principaliter, alia verò per attributionem, & relationem ad illud. prima eius ſignificatio eſt celebris opinio, ſeu exiſtimatio nominis, & ita definit ibi Baſil. Aug. lib. 83. qq. q. 31. gloria, inquit, eſt frequens de aliquo fama cum laude. ſumptum eſt hoc à Cicer. Ambroſ. ad Rom. 1. Gloria, inquit, eſt clara cum laude notitia. Gerſon. 3. p. Gloria, inquit, eſt clara cum laude, vel honore notitia. vide Baſil. lib. de Sancto ſpiritu cap. 23. ibi quid ſit gloria exponit bene, quam Deo nos damus. notitia ergo & opinio, quæ eſt inter multos excellentiæ & magnitudinis, & virtutis alicuius, dicitur eius gloria. quam alij communiter definierunt ſic, vt ſit clara cum laude notitia. ſed illa particula, laude, non videtur neceſſaria. Gloria enim poteſt eſſe ſine laude, conſiſtit enim in notitia & opinione clara & magnifica, quę habetur de aliquo. Hanc eſſe primam ſignificationem, id probat, quia verbum δόξα ſignificat exiſtimationem, & opinionem; in hac ſignificatione ſæpe in Scriptura ſumitur. Prouerb. 3. Gloriam ſapientes poſſidebunt. Prouerb. 11. Mulier gratioſa inueniet gloriam. Eccli. 45. Phinees filius Eleazari fuit tertius in gloria, ideſt, in nominis celebritate, & opinione hominum clara, & inſigni. Luc. 2. Et gloriam plebis tuæ Iſrael. Sunt innumera alia loca huiuſmodi. Hæc eſt prima ſignificatio.

Baſil. *Aug.* *Ambr.* *Gerſon.* *Baſil.* Gloria quid ſit. *Prou.* 11. *Eccl.* 45. *Luc.* 2.

Secunda huius ſignificatio eſt per relationem ad primam, nempe quod eſt cauſa celebritatis huius & gloriæ in prima ſignificatione dicitur etiam gloria, vnde virtus, excellentia, bonum denique quod eſt in aliquo faciens eum dignum gloria, & glorioſum, & clarum, ac celebrem apud alios, dicitur etiam gloria. in hac ſignificatione ſunt plurima loca in Scriptura 1. Reg. 4. Tranſlata eſt gloria Domini, ideſt, archa teſtamenti, quæ cauſa erat vt nomen Domini celebre eſſet apud gentes & populos. Eccli. 23. Gloria magna ſequi Dominum, ideſt, religio, & obedientia mandatorum Dei facit hominem dignum celebritate & gloria. ibidem 25. Gloria illorum timor Dei. 1. Cor. 11. Vir gloria Dei; femina gloria viri. hinc beatitudo, & felicitas dicitur gloria, quia eſt bonum excellentiſſimum omnium, faciens hominem dignum omni gloria, claritate, & celebritate. Rom. 5. Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. 2. Corin. 4. Æternum gloriæ pondus operatur. Pſal. 145. Exultabunt ſancti in gloria. & alibi ſæpe. Quod ergo cauſa eſt gloriæ in prima ſignificatione, facitq. dignum gloria, & glorioſum, gloria dicitur.

1. Reg. 4. *Eccl. 23.* *1. Cor. 11.* *Rom. 5.* *2. Cor. 4.* *Pſal. 145.*

Tertia ſignificatio eſt etiam relatiua, nempe ſigna, & viæ, quibus gloria hæc oſtenditur, ſeu comparatur, & acquiritur, dicuntur etiam gloria. ſic etiam in Scriptura ſæpe vſurpatur. Exod. 15. in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti inimicos tuos, ideſt, in factis tuis miraculoſis, quibus tuum nomen celebratum, & glorioſum factum eſt.

Exod. 15.

1. Mac. 4 1. Machab. 4. Cum omni gloria ſua accepit Ioppem, ideſt, ornatu, & apparatu magno, quo ſuam potentiam oſtendit, aut gloriam acquiſiuit & celebritatem. *Mar. 16.* Mar. 16. Filius hominis venturus eſt in gloria, ideſt, in ſplendore, in apparatu exteriori. quod erit ſignum excellentiæ, & gloriæ ſuæ interioris, & quo glorioſus fiet omnibus. hæc ſunt ſignificata huius nominis, quod ſæpiſſime in Scriptura Veteri, & Noua habetur, & puta ad hæc tria poſſe reduci omnia.

Gloria quotupliciter ſumatur in ſacra Scriptura.

Circa primam ſignificationem aduertendum eſt, quod in Scriptura gloria ſumitur non ſolum pro exiſtimatione, et opinione, et approbatione, quæ eſt apud alios celebris, ſed etiam, quæ eſt apud eandemmet perſonam, habemus *2. Cor. 1.* teſtimonium Pauli 2. Cor. 1. hæc eſt gloria noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. cuius ſenſus eſt: Gloria eſt, quæ apud multos eſt, qualiter nos egregie nos geſſerimus erga vos, ſed ego pluris facio teſtimonium, et approbationem, et opinionem, quæ eſt intra nos, quia conſcientia noſtra nobis dictat, nos quæ debuimus erga vos feciſſe, hæc approbatio gloria noſtra eſt. Vocauit gloriam in prima ſignificatione, licet non eſſet externa celebritas, et opinio, et approbatio, et re vera ita eſt; vt enim pluris ſit vnius approbati viri probatio, & clara notitia, quam aliquis habet de ſe, quàm multorum imperitorum, ſic pluris ſit interius teſtimonium, quàm externum, quia minus fallitur. vnde poſſumus diſtinguere gloriam in prima ſua ſignificatione ſumptam in internam, & externam, quamuis communiter ſumatur pro externa exiſtimatione celebri, & apud multos extenſa. hæc de vocabuli ſignificatione.

Secundo loco adhuc eſt conſiderandum, à nomine hoc deriuari verbum, glorifico, & glorificatio, ſicut etiam apud Græcos ſunt δοξαλογία, & δοξαλογία. quæ idem ſignificant. hoc autem verbum duas habet ſignificationes, iuxta eas, quæ de nomine dictæ ſunt, vna eſt, vt glorifico idem ſit, quod celebrare, & cauſam eſſe gloriæ alicuius in prima ſignificatione, nempe nomẽ, & excellentiam, & notitiam claram alicuius apud multos expandere. Luc. 13. Confeſtim erecta eſt, *Luc. 13.* & glorificabat Deum, publicando nempe & expãdendo factum egregium, & miraculoſum Chriſti. 1. Machab. 10. addidit ad hæc glorificare Ionatham. *1. Mac. 10* Ioan. 8. Si ego *Ioan. 8.* glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. ſunt multa huiuſmodi teſtimonia. dicitur etiam in hac adhuc ſignificatione vnus alterum glorificare, quando ipſe opinionem, & exiſtimationem egregiam concipit de alio, etiã ſi non expandat apud alios, quia in ſeipſomet illum glorioſum facit. ſic eſt illud Matth. 5. Videant veſtra opera bo- *Matth. 5* na, & glorificent patrem veſtrum. Altera ſignificatio eſt, vt glorificare ſit idem, quod alterum facere glorioſum, ideſt, dare illi, vnde gloriam & celebritatem nominis conſequatur, & dignus ea ſit. Pſal. 90. *Pſal. 90.* Eripiam eum, & glorificabo eum. Pſal. 85. Glorificabo ſemen tuum *Pſal. 85.* in æternum.

Tertio loco, vt magis ad rem accedamus, aduertendum eſt, eſſe hominum, & eſſe Dei glorificationem. rurſus, glorificare, competere hominibus, & etiam Deo, homo

Deum,

Deum, & hominem, & ſeipſum glorificat, Deus autem, & ſe, & hominem glorificat, non quidem faciendo in Deo aliquid ratione cuius glorioſus ſit, ſed Dei claram notitiam, & celebrem eius cognitionem, & in ſe concipiendo, aut apud alios proferendo. hoc modo

Exod. 15. homo Deum glorificat. Exod. 15. Deus meus eſt, & glorificabo eum. Tob. 11. Glorificauerunt Deũ ipſe

Pſal. 21. & vxor eius. Pſal. 21. Vniuerſum ſemen Iacob glorificate eũ. at Deus hominem glorificat, faciendo eum dignum gloria, & ea impartiendo, vnde ſit glorioſus, & etiam operando vt celebris ſit, & notus fiat, & opinionem hominum acquirat. Glorificat ergo Deus hominem, & in ſe, & apud alios, omnes tres glorias prædictas impartiendo; homo autem ſolum Deum glorificat, dum notitiam, & exiſtimationem magni nominis Dei, & in ſe, & apud alios celebrat. homo autem hominem poteſt vtroque modo glorificare, aut ipſum celebrando, aut aliquo modo operando in eo, vnde celebris euadat, ſicut ſeipſum glorificat, quando nomen ſuum celebrat apud alios, aut ſeipſum talem facere ſtudet, vt glorioſus ſit, & celebris alijs. at Deus ſeipſum clarificare dicitur, dum ſui notitiam, & ſuam excellentiam apud alios per exteriora opera, & effectus extra ſe manifeſtat, non autem ſe talem faciendo, vt gloria ſit dignus: nam omnis eius excellentia, & magnitudo æterna, & increata eſt, ſolum ſe clarificat, dum eam, quæ erat, notam facit. ſic in Scriptura dicitur Deus ſe, & à ſe

Exod. 14. glorificari. Exod. 14. Bis dicitur, glorificabor in Pharaone, .i. meam excellentiam, & magnitudinem notam faciam, & celebrem in his, quæ operabor in Pharaone. Omnium horum exempla paſſim in Scriptura ſunt.

Quarto loco et vltimo aduertendum eſt, gloriam, et hominibus, et Deo etiam competere. hominibus cõpetit gloria in prima ſignificatione, vt notum eſt, nempe celebritas, et exiſtimatio nominis, et quæ apud alios, et quæ in ipſis eſt, vti diximus. competit etiam in ſecunda ſignificatione, nempe excellentia, et magnitudo, quæ cauſa eſt, cur celebris, et glorioſus ſit apud alios. Tertia ſignificatio gloriæ omittitur, quia eſt extra noſtrum propoſitum, quæ etiam hominibus competit, et Deo. hæc facilia ſunt, et teſtimonia Scripturarum communia. at de gloria Dei non ita facile eſt intelligere. In primis gloria cõpetit Deo in prima ſignificatione, nempe clara, et celebris notitia magnitudinis, et excellentiæ ipſius, quæ eſt duplex, et interna, et externa. Externa eſt, quæ in nobis, et angelis eſt de Deo, et hæc gloria temporalis eſt, et extrinſeca, nec facit Deum perfectiorem. Alia eſt gloria interna, qua Deus de ſeipſo, ſuaq. infinita magnitudine, et excellentia habet notitiam, quam Pater de Filio, et Filius de Patre, et Spiritus ſanctus de ipſis, et denique perſonæ inuicem de ſe habent, et hęc eſt interna gloria, hæc eſt infinita, hæc eſt æterna, hæc eſt de perfectione neceſſaria Dei, et hæc eſt gloria Dei in prima ſignificatione. Iren. lib. 4. cap. 28. *Iren.* ita exponit, et docet, ab æterno Patrem Filium, et Filium Patrem glorificare. De hac eſt intelligendus locus notandus Ioan. 17. Clarifica me Pater claritate, quam ha- *Ioan. 17.*

Gloria quomodo competat Deo.

bui apud te antequam mundus fieret. Græce eſt, glorifica me gloria. verba ſunt Chriſti. Si dicas, quæ eſt gloria, quam habuit Chriſtus antequam mundus fieret apud Patrē? profectò hæc eſt, notitia inſignis quam habuit Pater ab æterno de ipſo, qua nouit eſſe filium ſibi conſubſtantialem. petit ergo, vt pater clarificet ſeu glorificet eum apud hominem ea gloria, quam habuit apud eum ab æterno, ideſt notam faciat hominibus illam æternam ſuam gloriam, quod eſt dicere, vt notum faciat hominibus ſe eſſe filium Dei, ſicut Pater ab æterno nouit. hæc eſt gloria vna Dei. Eſt etiā gloria in ſecunda ſignificatione, nempe excellentia ipſa, & dignitas, ob quam omni celebritate dignus eſt, & hæc eſt infinita Dei eſſentia, & perfectio, magnitudo, felicitas, quæ gloria etiam æterna eſt, hæc vtraque gloria vna eſt trium perſonarum, quia vnica eſſentia, vnica perfectio, vnica cognitio, & notitia, licet nos diſtinguamus, vt modo noſtro intelligendo ea capiamus. Hæc eſt gloria, ſiue in prima, ſiue in ſecunda ſignificatione ſumpta, in Deo ipſo, & ſummum eius bonum, multo, immo infinite diſtās ab externa, quæ apud nos, quæ eſt cognitio illius internæ & immenſæ, quam nos per fidem habemus, & beati per viſionem. ecce qualis gloria ſit Dei, & qualis hominum.

Verus ſenſus ſignificationis Gloria Patri.

Ex his omnibus non eſt admodum difficile ſenſum huius vocis in hoc loco colligere, quando dicimus Gloria patri, &c. in primis nō eſt ſenſus de gloria Dei externa, quaſi velimus dicere, ſit nomen, & Trinitatis magnitudo, & excellentia ab hominibus celebrata, damuſque Deo hanc gloriam. nec verba ſequentia obſtant. dicitur enim, ſicut erat in principio, ideſt ab æterno, at hæc externa gloria ab æterno non fuit, quia nolumus dicere Gloria ſit Patri, & Filio, &c. qualis ab æterno fuit, quaſi iſta ab ęterno fuerit, ſed glorificamus & celebramus Trinitatem ea gloria, ideſt ea confitendo, quæ ab æterno ſunt, & ea ſit gloria à nobis data, qualem ab æterno habuit, non ſimilitudine ſpecifica, ſed analoga, & proportionali, vt ſicut ab æterno fuit Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, tamquam vni Deo in eſſentia, & in perſonis trino, ſic nos illum glorificamus, & celebramus vt vnum & trinum Deum. Gloria hæc ergo humana eſt, quam nos ei offerimus, & alios ad offerendum inuitamus, ſed ſimilis eſt, & vt ſit petimus ei, quam ipſe ab æterno habuit, vt magis in verbis ſequentibus explicabimus. hoc igitur verbum eſt quædam laudis confeſſio, quo Deum dignum gloria enunciamus, & celebritate. vnde in hoc verbo quædam eſt laudis confeſſio, & venerationis, & glorificationis, vti diximus.

Deū glorificando quid facimus.

Eſt etiam magna laus, & glorificatio in nominatione perſonarum, dum enim Patrem, Filium, Spiritum ſanctum nominamus ipſa nominatione Deum maxime glorioſum, & dignum omni gloria & laude confitemur, quod nunc oſtendēdum eſt. pro cuius declaratione notanda eſt egregia doctrina Cyrill. *Cyril.* lib. 1. theſaur. c. 6. quod plus Deum honoramus, & plus magnificamus, quando vocamus Patrem, quàm quando Deum, aut alio ſimili nomine nominamus. & dat rationem & cauſam, quia, dum Deum vocamus, cum creaturis comparamus, quaſi

quaſi earum factorem, aut prouiſorem,&c. at quando vocamus Patrem, cum Filio comparamus, fuit autem maius, & eſt in Deo, filium generare & habere, quam totum mundum producere, maiorq. gloria eſt Dei, quod filium habet,quã quod mundum produxerit, & gubernarit: ſine mundo enim Deus perfectus eſſet, at niſi filium produxiſſet, vtique verus Deus & perfectus non eſſet. vide alia apud ipſum Cyrill. idem poſſumus dicere de Filio, plus dicit, qui Filium dicit, quia Patrem inſinuat, quàm qui Deum vocat, quia plus eſt Deum habere Patrem, quam mundum, idem de Spiritu ſancto. Vnde fit,vt maxime glorificemus Deum, dum Patrem, Filium,Spiritum ſanctum nominamus. eſt enim mundus gloria Dei,quia per ipſum gloria dignus cognoſcitur, qui ipſum fecit, ſic 1.Cor.11. vir dicitur gloria Dei.at maior incomparabiliter Filius Dei eſt gloria Patris, & Pater gloria Filij, & Spiritus ſanctus ſimiliter,quia mũdus creatura eſt, finitum quid eſt, at Filius infinitus Deus eſt, in humanis enim,vt dicitur Prouerb. 17. gloria Filiorum Patres eorum. multo magis in Deo. Gloria ergo euangelica, quã Chriſtianus dat Deo, multo maior eſt, quam Iudaica, quia eum Patrẽ Filium,& Spiritum ſanctum vocat. vnde Arriani Filium faciẽtes creaturã, & auferentes veram rationẽ generationis, & paternitatis, & filiationis:ſimiliter Macedoniani Spiritum ſanctum facientes creaturã, gloriam Dei infinite minuebant, quod egregie Ambroſ. & ſubtiliter docuit ſermo. 6.Pſal.118. verſic.1. vbi ſic dixit, Vt inhabitet gloria in terra noſtra,quis eſt gloria niſi Dominus Ieſus? vnde Apoſtolus. 2. Cor.1. ait, Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti Pater gloriæ. merito cõplacet in eo Pater, quia Patris gloria; hunc qui à Patre ſeparat, maiorem Patri iniuriam facit, qui vult eum eſſe ſine gloria;hunc quiſquis Patri æqualem non putat, inferiorem Patrem iudicat, quia alio verbo plus Patrem laudare non poſſet, cuius ſumma laus gloriæ Chriſtus eſt. hæc Ambroſ. vbi vides, his verbis nos Deum maxime glorificare, & commendare, dum Patrem, Filium, Spiritum ſanctum nominamus, & ſic tam verbum gloria, quàm ipſarum perſonarum nomina confeſsio laudis, & glorificatio ſunt.

1.Cor.11. *Prou.17.* *Pſal.118.* *2.Cor.1.* *Ambr.*

Hic eſt vnus modus exponendi verſiculum hunc, vt gloria hæc intelligatur de humana,qua nos Deũ glorificamus,ipſum celebrantes vnum Deum in eſſentia, & in perſonis trinum, qualis eſt gloria illa interna Dei æterna. & hic ſenſus eſt verus & conformis. Poteſt etiam alio modo exponi, vt gloria hæc ſignificet illam æternam & internam Dei, vt ſit ſenſus, ſit illa gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, quæ erat in principio, & nunc, & ſemper. & ſint verba confeſsionis, quibus Deum glorioſum confitemur, ſint verba affectus, quibus exprimimus nos cõſentire, gaudere, vt talis gloria ſit Deo, taliſq. ſit Deus, qualis vere eſt. ſint verba defenſionis cuiuſdam contra negantes, & quantum ex ſe eſt tollentes hanc Deo gloriam, contra quos dicimus, ſit gloria Trinitati illa, quæ ab æterno eſt, & in æternum erit. & hic ſenſus verus eſt, nec eſt contrarius prædicto, immo ſimul ſtat cum ipſo, nempe vt glo-

riam

riam humanam velimus Deo, ſicut eſt æterna illa, ideſt vt innoteſcat omnibus Deus, ſicut ſibi innotuit ab æterno, in hoc quod Pater, Filius, Spiritus ſanctus, tres ſunt perſonæ, & vnus Deus. rurſus, vt hanc gloriam quæ ab æterno fuit Trinitatis, optemus, amplexemur, ac defendamus ineſſe. Poteſt eſſe etiã alius tertius ſenſus ſimul cũ iſtis, vt gloria hæc ſit quam vnuſquiſque in ſe habet de Deo, ſitq. ſenſus, gloria, ideſt glorificamus Patrem, Filium, Spiritũ ſanctum, ipſum vnuſquiſque noſtrum celebrat talem, qualis ab æterno in ſeipſo fuit notus, & celebris. his tribus modis non adinuicē ſeparatis, ſed ſimul in vnum coniunctis hic verſiculus intelligitur. Ex quibus ſequitur, verba eſſe fidei, charitatis, & religionis. fidei, quia quæ fidei ſunt per ipſa profitemur, nempe tres perſonas conſubſtãtiales & glorioſas. charitatis, dum affectus noſter fertur in gaudium, & complacentiam, quod talis ſit Deus, religionis, quia his verbis Deum honoramus, veneramur, & colimus, & ſic ad latriam, & cultum Dei pertinent, & vt talia ab Eccleſia in fine Pſalmorum ponuntur. Et hic eſt ſenſus integer, et perfectus huius partis prioris præſentis verſiculi.

SERMO XV.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

HAEC verba qualem gloriam Trinitati nos dem⁹, offeramus, & optemus, exponũt, & his Arrianos cõfutamus. priora enim non exprimunt perfecte conſubſtantialem & coæternam Trinitatem perſonarum, ſed quodam modo, vti diximus, dum vnam gloriam damus, dum modo eodem tres nominamus. tamen aliquo etiam modo non negarent Arriani, ſicut non negant verba, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ob id Eccleſia hæc addidit propoſita verba, quibus expreſſe coæternas, coæquales, conſubſtantialesq. confitetur perſonas. Cum igitur dictum eſſet Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, explicat qualis ſit iſta gloria, qua nos perſonas glorificamus, dicitq. talem eſſe, qualis fuit ante omnia ſæcula, & ab æterno; non quod ab æterno fuerit humana gloria, ſed quod ſimilis ſit, qđ ſicut nos tres perſonas vt vnũ Deũ glorificam⁹, ſic gloria iſta fuit ab æterno intra ipſum Deum, vti diximus. in hoc autem, quod gloriã fuiſſe Patri, & Filio, & Spiritui ſancto ab æterno dicimus, tres ꝑſonas coæternas confitemur, quod eſt cõtra Arrianos. Ex coæternitate autẽ iſta coæqualitas, & conſubſtantialitas ſequitur. Arrius enim filium Dei patri coæternum negabat, vnde filio gloria ab æterno eſſe non potuit, ſi coæternus non eſſet; ſimiliter de Spiritu ſancto: vnde per hæc verba expreſſe veritas Catholica affirmatur, & error Arrianus reprobatur, ſingula tamen verba examinanda ſunt, inde enim veritas & ſenſus magis elucidantur.

Pri-

Digitized by Google

De quo principio intelligitur, (ſicut erat in pricipio.)

Primum verbum eſt. Sicut erat in principio. Circa quod dubium occurrit, quod ſit hoc principium, & quid ſit dicere, erat in principio. Rationale diuini officij exponit principiũ hoc pro principio temporis, quando Deus creauit cælum & terram, quaſi ſit ſenſus ſicut ſoli Deo gloria debetur pro creatione, ita etiam pro bono opere, de quo mentio eſt in pſalmis. ſed non eſt ad propoſitum, nec doctrina vera; quia illud ſine nobis, hoc vero nobiſcum facit. mihi autem hoc exponẽdum eſſe videtur ſicut illud Ioan. 1. In principio erat verbum, immo arbitror ex hoc loco Ioannis tranſumptum eſſe hoc in loco, Sicut erat in principio. quale autem illud Ioannis ſit principium varie Doctores exponunt, quamuis omnes conueniant, æternitatem ibi notari, vt ſenſus ſit, ab æterno erat ſeu eſt verbum, ſi enim non eſſet æternum, iam in principio non erat, quia ante illud fuit aliquid. Quia tamen in commentario ſuper Ioann. multa ibi diximus, in præſenti quæ Baſil. dicit ſolum proponemus. ipſe in homil. quadam ſuper illud procemium Ioannis. In principio erat verbum, &c. principium exponit ante quod nihil eſt: nam nõ dicitur hoc aut illud principium, ſunt enim multa principia particularia, vt principium motus, principium viæ, principium artis, & alia, ſed hæc habent principia, at abſolute principium nõ poteſt habere ante ſe aliquid, vnde æternitatem ſignificare neceſſe eſt principium ſimpliciter, rurſus illud, erat, indefinite pronunciatum, erat, etiã æternitatem notare docet, ſi enim verbum aliquãdo non fuit, & principium habuit, iam in principio non erat, quia, erat, notat quod ante eſt, his duobus igitur verbis æternitas, ante quam nihil fuit, ſignificatur. multa & docta verba addit Baſil. ad hoc explicandum & probandum. Nos in præſenti dicimus. Sicut erat in principio, ideſt eam gloriam Deo damus, & optamus ſimilem illi, quæ erat in principio, ideſt erat tunc, ante quod nihil fuit, erat tunc, in quo non datur ante, erat in principio, de quo dictũ eſt, In principio erat verbum, & verbũ erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio. ſicut ab æterno Pater, ita Filius, & Spiritus ſanctus, ita & gloria æterna ſine vllo ante. qua gloria & Pater Filium, & Filius Patrem, & Spiritum ſanctum vterque, & Spiritus ſanctus vtrumque, & perſonæ denique infinita & æterna mutuaque cognitione ſe ab æterno noſcunt. de qua Matth. 11. dicitur: nemo nouit Filium niſi Pater, neque Patrem niſi filius. quibus verbis includitur etiam Spiritus ſanctus. quæ notio & comprehenſio infinita, fuit ab æterno beatitudo, & gloria Trinitatis. hic eſt ſenſus huius verbi, Sicut erat in principio.

Baſil.

Mat. 11.

(Nunc & ſemper) in gloria Patri, quo modo intelligatur.

Alterum verbum eſt, & nunc, & ſemper. vniformitas, & vnitas æternitatis exprimitur, quæ inceſſanter ſe habet, hoc enim ſignificat, nunc & ſemper, ideſt ſicut fuit à principio, ita nunc ſe habet, et ſemper, ideſt non ceſſauit, ſed eadem perſeuerat. ſemper enim in Scriptura aliquando ſignificat non quidem æternum, ſed non interpellatum, nec intermiſſum, ſic dicitur, oportet ſemper orare, Gaudete in Domino ſemper, etc. gloria igitur dicitur nunc et ſemper eadem, quæ à principio fuit, et eadem perſeuerat,

rat, at quia multa dicuntur ſemper eſſe, quæ in æternum non durant, ob id additum eſt tertium verbum, & in ſæcula ſæculorum, quo ſignificatur, quod ſicut ab æterno fuit, ita in æternum, & ſine fine erit, & eadem ab æterno, & in æternum perſeuerat; talis eſt gloria Dei interna. & nos Trinitatem glorificamus hac gloria, ideſt, hanc æternam gloriam omnibus manifeſtari, & ſic glorificari Deum petimus, deſideramus, & cõſentimus. ſimiliter etiam, vti dictum eſt, hanc gloriam internam probamus, & Deum glorioſum eſſe lætamur, confitemur, & manifeſtamus. vtroque enim ſenſu verum hoc eſt, vt ſit ſenſus: Sit gloria illa Patri, Filio, & Spiritui ſancto, quæ erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum.

Gloria Dei externa quid ſit

Aduerte, quòd externa Dei gloria, quæ eſt clara notitia hominum, & angelorum de ipſius infinita maieſtate & perfectione, licet æterna non fuerit, quia à principio non erat, tamẽ ex parte alterius extremi erit æterna, quia durabit in ſæcula ſæculorum inceſſanter. Beati enim in ęternum Deum laudabunt, & glorificabunt. Pſal. 18. Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Ex his huius verſiculi ſenſus manifeſtus eſt.

In ſæcula ſæculorũ quid ſibi velit.

Vt tamen perfectius hoc intelligatur, ſimul etiam alia Scripturæ loca elucidentur opus eſt, vt quid ſibi velit iſte loquendi modus, in ſæcula ſæculorum. & quæ ſint iſta ſæcula explicemus; hoc enim vocabulum frequentiſſimum eſt in Scriptura, & ſolum, & geminatum, in ſingulari, & in plurali numero. Sæculum Græcis dicitur αἰών. notat autem Aug. in Pſal. 89. in illis verbis, à ſæculo, & vſque in ſæculum tu es Deus. hoc verbum Græcum ambiguũ eſſe, nam ſignificat, quod Latine dicitur æternum, & quod etiam dicitur æuum, ſeu ſæculum, & hinc dicit prouenire, vt ſæculum in Scriptura, quod Græci dicunt αἰών aliquando pro æterno, aliquando pro ſæculo, quod æternum non eſt, accipiatur. Pſal. 112. Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc, & vſque in ſæculum. habetur in Hebręo *Gholam*, ideſt, æternum. At Hebræis, vt notat Hieronymus ad Galat. 1. non hoc euenit; dicit enim hoc verbum *Gholam* cum Vau ſignificare æternum, at ſine Vau *Gholam* ſignificare ſæculum. ex qua doctrina intelligitur illud dictum ex pſal. allegato, à ſæculo vſque ad ſæculum tu es Deus, ſignificare ab æterno in æternum, ſine principio, & ſine fine, nam in Hebræo eſt cum Vau. Illud autem Exod 15. Dominus regnabit in æternum, & vltra, accipiendum pro æuo, ſeu ſæculo, in ſæculum, & vltra: nam æternum non habet vltra. Quod autem æternum, & ſæculum Hebræi vocant, nec eiſdem ſcribunt literis Græci αἰών vocant, & Septuaginta ſic vertunt: Latini autem modo ſæculum, modo æternum, quod reuera obſcuritatis cauſa eſt. Accedamus ergo ad ſæculum, ſeu verbum αἰών explicandum. Damaſc. lib. 2. de fide cap. 1. hoc vocabulum equiuocũ, & multiplex eſſe dicit, ponitq. quatuor eius ſignificata, quæ nos numerabimus cum his, quæ dicemus. Vbi aduerte, apud profanos auctores ſæculum ſignificare ſpatium, ſeu menſuram centum annorum, quo ſignificato vſus eſt Cicero, & alij non ſacri

Auguſt. עולם *Hieron.* עולם עלם *Exod. 15.* *Damaſc.*

ſacri Scriptores, & ſic ſacrificia quædam, quæ à Romanis centenis celebrabantur annis, dicebant ſecularia ſacra, et ludi ſeculares: in Scriptura autem ſacra, quando pro certo temporis ſpatio ſumitur, ſignificat, non centum, ſed quinquaginta annorum curriculum, qui annus erat illis annus celeberrimus, & iubilæi annus dicebatur. Ita
Hieron. notat Hieron. Galat. 1. et adducit duo loca Scripturæ. Vnus eſt Exod.
Exod.21. 21. Perforabit ei auriculã, eritq. ei
לעלם ſeruus in ſeculũ. vbi legitur *Legbolam*, ſine Vau. Hieron. exponit, & explicat, erit ei ſeruus vſque ad annũ iubilæi, qui erat quinquageſimus.
Deut.23. Alter locus eſt Deut. 23. Moabitæ nõ ingrediuntur Eccleſiam Dñi vſque ad quintam & decimam generationẽ, & vſque in ſeculum, ideſt, vſque ad annum 50. iubilæi. Atque hoc eſt primum huius nominis ſignificatum. Alterum eſt, quo ſeculum pro ætate hominis, et curriculo toto vitæ eius ponitur, et hoc eſt quod ponit Damaſc. primo loco, in qua ſignificatione Damaſcen. non citat locum Scripturæ; tñ
Theod. Theod. in qq. ſuper Exod. qu. 46. ci-
Pſal. 89. tat illud pſal. 89. Seculũ noſtrum in illuminatione vultus tui. Quod
Hier. Theod. & Hier. in eo loco exponũt de vitæ hominis curriculo, quia Septuaginta habent αἰῶν, quamuis nunc aliter vertatur à quibuſdam ſequentibus lectionem Hebræam, quæ nunc habetur. In eadem ſignificatione vertit Theodoret. ibidem illud Exod. 21. Erit ſeruus in ſeculum, ideſt, per totum vitæ ſpatium.
Auguſt. ſimiliter Auguſt. in lib. locutionum in Exod. Quod Hieronym. vt paulo ante diximus, vertit, et exponit pro anno quinquageſimo. tamen hoc diſcutere, non eſt præſentis loci. ſatis eſt, hoc verbum ſumi in ea ſignificatione, vt ſpatium vitæ hominis ſignificet, quam ſignificationem probat Hieron. Ierem. 26. in fine. vbi addit ſumi pro tempore vitæ hominis, quod pſal. 87. an- *Pſal. 87.*
nis ſeptuaginta, aut in potentatibus 80. concluditur. Iuxta hanc ſignificationem apertum eſt multa eſſe, et præfuiſſe, et futura ſecula ſperari. Tertium ſignificatum eſt, quo tota duratio mundi à principio vſque in finem dicitur ſeculum, et ſic mundus hic ſeculum dicitur ratione durationis ſuæ. hoc ſignificatum ponit ibi Damaſc. et Aug. in pſal. 89. in fine. et habetur in Scri-
ptura Matth. 28. Vobiſcum ſum *Mat. 28.*
vſque ad conſummationem ſeculi.
Luc. 20. Filij huius ſeculi nubunt. *Luc. 20.*
et inde dicuntur tempora ſecularia, ideſt, diuiſa in noctes et dies,
quale eſt ſeculum iſtud. ad Tit. 1. *ad Tit. 1.*
Quam promiſit Deus ante tempora ſecularia. Quartum ſignificatũ eſt, quo partem huius durationis ſignificat longiſſimam; longiſſimum enim tempus vocat Scriptu-
ra ſeculum. Damaſc. dicit mille *Damaſc.*
annos, ſed non poteſt Scriptura probari hoc: nam quando certum tempus ſignificat, pro quinquaginta ſumitur, quando vero non ſic, tunc incertum, et indeterminatum, ſed longiſſimum, tamen cuius finis
eſt, et ita notat Origen. hom. 6. in *Origen.*
Exod. 1. Qua ſignificatione in Scriptura multa ſecula dicuntur, quia multa talia ſpatia, et curricula ſunt annorum, et fuerunt. et ſic Damaſ. dicit eſſe ſeptem ſecula mundi, quæ aliàs ætates dicuntur, tamen modo pro longiori, modo pro minus longo. vnde plura, aut pauciora ſecula numerantur. accipitur ſemper tamen pro longo

Digitized by Google

Hebr. 2. & 3. ſpatio, in qua ſignificatione dicitur Hebr. 2. Per quem fecit et ſecula. Hebr. 3. Contriti ſunt montes ſeculi, ideſt, longiſſimę durationis. *Pſal. 110* pſal. 110. Memor fuit in ſeculum teſtamenti ſui. ideſt, poſt longiſſimum tempus recordatus eſt *Luc. 1.* factæ promiſſionis. Luc. 1. Quod iurauit ad Abrahã, et ſemini eius in ſecula. hac ſignificatione, vti diximus, multa ſecula in Scriptura nominantur. Quintum ſignificatum eſt, quo ſumitur pro duratione illa, quæ eſt futura poſt tempus hoc, et ſeculi conſummationem, qualis eſt in beatis, et damnatis, quę non habet dies nec noctes, vt nũc, quę erit ęterna & ſine fine, et ſic dicitur ſeculum venturum. hanc ſignificationẽ ponit Damaſ. et habetur in Scriptura Iſai. 9. Pater futuri ſeculi. *Iſai. 9.* vita futura à duratione ſeculum dicitur, ſicut et hęc pręſens. Matth. 12. Nec in hoc ſeculo, nec in futuro. *Luc. 18.* et Luc. 18. In futuro ſeculo vitam æternam. quia autem hęc duratio eminenter continet multa ſecula, immo infinita temporis, ob id aliquando in plurali dicitur, ſecula. Hebr. 13. Chriſtus heri, et hodie, etc. et in ſecula. aliquando in Scriptura ſeculum in malam ſumitur partem, vt, filij huius ſeculi, nolite conformari huic ſeculo. et aliàs ſæpe. ſemper tamen ſignificationem retinet pro hoc mundo, ſed quia viuunt, ac ſi nihil exſpectaretur, dicuntur eſſe de hoc ſeculo, et ſic in malã ſumitur partem. hęc ſunt ſignificata huius vocabuli ſimpliciter ſumpti, ad quæ omnia, quæ in Scripturis habentur, facile reducuntur.

Seculum in Scriptura an ſumatur pro duratione ante mundi creationẽ.

Dubitare quis poſſet, an in Scriptura reperiatur ſeculum pro duratione antecedente mundi creationem, ſicut reperitur pro illa duratione, quæ erit poſt conſummationem mundi. nec eſt eadem ratio vtriuſque, quia poſt conſummationem mundi manebit creatura in æternum durans, cuius duratio licet non ſit motibus ſucceſſiuis expoſita, tamen æternitas non eſt, ob id non mirum, ſi ſæculum dicatur tunc futurum. at ante mundum nulla creatura præceſſit, ſolus Deus erat, cuius duratio æternitas eſt. vnde non videtur ſeculum tunc dici poſſe. Dico Auguſt. lib. 12. ciuit. cap. 16. *Auguſt.* Exponendo locũ Pauli ad Tit. 1. quam promiſit Deus ante tempora ſecularia, ipſum legere, æterna, quia, vti à principio diximus, nomen Græcum ambiguum eſt. dicereq. hæc verba: Ecce dicit retro, quod fuerint tempora æterna, quia tamen non fuerunt Deo coæterna, ſiquidem ille ante tempora æterna non ſolum erat, ſed etiam promiſerat vitam æternam. vbi vides, concedere ante mundi creationem tempora, & ſecula. Hieron. ad Tit. 1. *Hieron.* Explicans ſimile verbum, quod eodem modo legit, inquit, neque hoc ſilentio prætereundum puto, quomodo Deus ante æterna tempora, æternam ſpoponderit vitam, ex quo iuxta hiſtoriam Geneſeos factus eſt mundus, & per vices noctium atque dierum, pariter & annorum tempora conſtituta ſunt. In hoc curriculo & rota mundi tempora labuntur, & veniunt, & futura ſunt, aut fuerunt. Ante hæc igitur mundi tempora æternitatem quandam ſeculorum fuiſſe credendum eſt, quibus cum Filio, & Spiritu ſancto fuerit Pater, & vt dicam vnum, tempus Dei eſt omnis æternitas, immo innumerabilia tẽpora ſunt,

cum

Digitized by Google

cum infinitus ſit ipſe, qui ante tempora omne tempus excedit, ſex millia noſtri orbis necdum implētur anni, & quantas prius ęternitates, quanta tempora, quantas ſęculorum origines fuiſſe arbitrandum eſt, in quibus angeli, throni, et dominationes, cæterę q. virtutes ſeruierint Deo, et abſque temporū vicibus atque menſuris Deo iubente ſubſtiterint. hęc Hieron. vbi vides, concedere ſeculum ante mundi creationem, immo ſecula. Dico nec Auguſtinum, nec Hieronymum eſſe intelligendos, quaſi fuerit aliqua duratio realis ante mundum, quę fuerit ſeculum, aut ſecula, ſed ęternitas Dei, quę eſt infinita duratione, virtute, et eminenter comprehendit ſecula, et tempora infinita,

Damaſc.

ita Damaſce. lib. 2. fid. c. 1. quamuis fateor, mentem horum Doctorum eſſe, ponere ſecula pręter ęternitatem infinita, tamen non quod realiter ſint, ſed ſecundum conſiderationem intellectus, realiter enim nihil fuit niſi ęternitas ipſa, quę quia virtute continet omnia tempora, immo durationes et ſecula etiam ſi infinita eſſent, dicitur ſeculum, et ſecula.

Durationem non fuiſſe ante mundum, ſed æternitatem.

in hac autem ſignificatione puto ſeculum aliquando ſumi in Scriptura, vt idem ſit quòd ęternum à parte ante, ſic intelligo illud ad Epheſ. 3. quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſeculis in Deo. Coloſſ. 1. quod abſconditum eſt à ſeculis. Act. 15. notum eſt Domino à ſeculo opus ſuum, ideſt ab æterno. ſic illud Mich. 5. egreſſus eius à diebus ęternitatis. Septuag. verterunt αἰῶνες et alij, ſeculi, apud Hebræos habetur *Golam*, cum vau, quòd æternum ſignificat. illud autem ad Tit. 1. ante tempora ęterna, melius legimus ante tempora ſecularia, ideſt ante mundi creationem, cum qua tempus incepit, vti ſupra expoſuimus, ſicut illud 1. Cor. 2. quam prędeſtinauit Deus ante ſæcula. Ex quibus ſequitur in Scripturis ſex eſſe ſignificata huius vocabuli, ſeculum.

Epheſ. 3. *Coloſſ. 1.* עולם *ad Tit. 1.* *1. Cor. 2.*

Secundo loco eſt conſiderandum, in Scriptura hoc vocabulum non tantum ſimplex reperiri, ſed geminatum, & hoc tripliciter, aut ſingulare vtrumque, ſæculum ſæculi, aut plurale vtrumque, ſæcula ſæculorū, aut vnū ſingulare, alterum plurale ſæculum ſæculorum, vt habetur ad Epheſ. 3. duo enim priora frequentiſſima ſunt in Scriptura. Circa horum explicationem cauēda eſt hæreſis Valentini, hic, vt dicit Hieron. ad Galat. 1. ex quo legit in Scriptura, ſæcula, finxit triginta ſæcula, quæ putauit ſubſtantias viuentes. quam hæreſim deſcribit Irenæus lib. 1. cap. 1. & dicit, quia plura ſæcula legebant, finxiſſe triginta ſæcula, & æonas, & quia legebant, ſæcula ſęculorum, dicit in hoc eos notaſſe dictum eſſe propter ordinem horum æonum, quia alij ab alijs procedunt. Epiphan. hæreſ. 31. hāc hæreſim late perſequitur, ſed ea omiſſa, vt mero figmento, tenendū eſt, vti diximus, ſæculum eſſe durationem quandam modis prædictis, quare autem ſic coniungantur, dicit Damaſ. lib. 2. de fid. c. 1. per hāc geminationem intelligi ſæculum præſens, & futurum: cum enim, vti diximus, tam hoc, quam illud & ſæculum, & ſæcula dicatur, ob id dicimus ſæcula ſæculorum, & ſæculum ſæculorum, & ſæculum ſæculi, vt primum ſit futurum, ſecūdum præſens, quaſi ſæculum, quòd erit poſt hoc, aut ſæcula, quæ erunt poſt hæc noſtra. Hieron. ad Galat. 1. citat

Hieron. *Iren.* *Epiph.* *Damaſc.*

quoſdam aſſerētes, dictum eſſe hoc ſicut illa, canticum, ſeu cantica canticorum, ſancta ſanctorum, in quibus excellentia notatur, & ſic quæ erunt poſt hæc ſæcula, quia excellentiora ſunt, ob id dicta ſunt ſic, ſed melius eſt quòd dicit Damaſ. hinc fit, quando dicitur in ſæcula ſæculorum, ſeu ſæculum, ſæculi, ſeu ſæculum ſæculorum, notari durationem, quæ finem non habebit vllum. quod notat Aug. lib. 21. ciu. c. 23. dicens, his verbis geminatis ſcripturā ſolere ſignificare quod finē non habet durationis. idem notat Orig. ad Rom. 1. quamuis ipſe homil. 6. in Exod. contrarium ſibi dicat, affirmans, per ſecula ſeculorum durationem magnam ſignificari, quæ tamen habebit finem, licet incertus ſit, & incognitus nobis: tamen ſcripturę cōtrarium docent, pro his enim ponunt hæc, quæ in rei veritate finem non habent, & ſunt infinita loca huiuſmodi in Scripturis, ex quibus patet ſenſus verſiculi, quando dicitur quod gloria Dei erit à principio, & nunc, & ſine intermiſſione, & in ſecula ſeculorum, quæ ſine fine ſunt, & in æternum durant. *Orig.*

Seculum in Scriptura quot modis accipiatur. *Aug.*

Aduertendum autē eſt, eſſe quatuor modos in Scriptura loquendi circa hoc vocabulum, nempe à ſeculo, in ſeculum, in ſeculo, ante ſeculum, ſeu etiam in plurali numero, quorum trium vltimorum meminit Auguſt. in pſalm. 71. ibi, ſit nomen eius benedictum in ſecula. illud, à ſeculo, ſeu à ſeculis, denotat principium, vt ſi ſeculum ſumitur pro tempore mundi, aut ætate hominis, ſignificet à principio mundi, vel vitæ hominis; ſi vero ſumitur pro æterno, ſignificet, ab æterno, à parte ante. exempla ſunt Ioann. 9. à ſeculo non eſt auditum, *Ioann. 9.* ideſt ab exordio mundi vſque nunc Luc. 1. Sicut locutus eſt per os ſanctorum, quæ à ſeculo ſunt, ideſt à *Luc. 1.* principio mundi. Geneſ. 6. iſti ſunt *Geneſ. 6.* potentes à ſeculo. Ierem. à ſeculo confregiſti iugum, ideſt ab initio vitæ tuæ. de æterno. Coloſſ. 1. abſconditum eſt à ſeculis. Act. 15. notum eſt à ſeculo Domino opus ſuū, *Act. 15.* in ſeculum, ſeu, in ſecula, notat durationem verſus finem. iuxta ſignificationem vocabuli aliquando, in ſeculum, ideſt vſque ad finem mundi, aliquando in ſeculum, ſeu in ſecula, ſine fine quòd dicimus in ęternum. 1. Machab. 4. in ſeculum miſericordia eius, ideſt vſque ad mundi cōſummationem vtetur miſericordia cum hominibus. Ierem. 25. *1. Mac. 4.* habitabitis in terra, quam dedi patribus veſtris à ſeculo & vſque in *Ierem. 25* ſeculum, ideſt à principio vſque ad finem. ſeculum hoc loco pro longiſſimo ſpatio ſumitur. pſalm. 71. *Pſal. 71.* Sit nomen eius benedictum in ſæcula, ideſt, ſine fine. in ſeculo autem ſignificat quòd intra ſpatium ſeculi fit, Matth. 12. Non remittet in *Matth. 12* hoc ſeculo, nec in futuro. ex his patet, in noſtro verſiculo ſumi ex parte finis, quando dicimus in ſecula ſeculorum, ideſt in æternum, vt omnia extrema comprehendantur, dictum enim eſt, Sicut erat in principio, quod eſt à parte ante. medium eſt, nunc, & ſemper. extremum reuera futuri, in ſecula ſeculorum. vnde tota æternitas exprimitur noſtro modo, quamuis ipſa indiuiſibilis ſit. multa adhuc de ſeculis tractari poſſent, ſed hæc pro prçſentis verſiculi explicatione ſufficiunt.

Cauendum autem eſt à doctrina Origen. lib. 2. Periarch. ca. 3. vbi ante *Orig.*

te iſtum mundum alios præfuiſſe, & poſt hunc alios futuros dicit, & ſic ſecula proprie & pro duratione temporum ſumpta admittit ante hunc, & poſt hunc mundum, ob id ſecula ſeculorum affirmat habere finem, ſed hæc omnia ſunt aliena à fide, & forſan Damaſc. lib. 2. de fid. c. 1. quando Origenem confutauit, intendebat hunc errorem excludere, aliqui ſecula vera ab ęternitate diſtincta poſuerunt ſimiliter à tẽpore diuerſa, etiam ante hunc mundum, nempe illi, qui angelos extitiſſe affirmarunt multo ante creationem huius mundi, vt Hieron. & Aug. paulo ante citati. quę ſententia communiter nõ probatur, quia tenetur iam communiter, angelos vna cum mundo creatos. Arriani, & Macedoniani, qui dicebant Filium, & Spiritum ſanctum creaturas eſſe, ponebant ſecula ante mũdum, affirmantes, multo ante angelos, & mundum extitiſſe, at fides catholica tenet eſſe Deum eundem cum Patre, & ſic coęternas eſſe perſonas, quarum gloria interna erat in principio, ſicut eſt nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum.

Damaſc.

Aug.

Concluditur verſiculus particula, amen, quę vox Hebręa eſt *Amin* hanc Septuaginta vertunt per verbum fiat, vt ſit conſentientis, & optantis, quaſi nos exprimamus id optare, ex parteq. noſtra conſentire eſſe. aliquando eſt vox affirmantis & aſſeuerantis, vt patet in multis locis Euangelij, vbi loquens Chriſtus dicit, amen amen dico vobis, & etiam hoc loco conuenit, quaſi nos affirmemus, & conſtanter aſſeueremus ita eſſe, & reſpondet his verbis, vt quędam fidei ſunt profeſſio. in vtraque ergo ſignificatione, ſiue optantis, ſiue conſentientis, ſiue etiam in hac tertia ſignificatione affirmantis & aſſeuerantis ſit, ſumitur in pręſenti, & ſunt veri ſenſus, & ad rem ipſam attinentes, atque hęc ſatis de huius explicatione verſiculi, & de ſermone, et de tota huius Pſalmi expoſitione.

אמן

SERMONVM FINIS.

TRACTA-

Digitized by Google

TRACTATVS PRIMVS.

quomodo ſunt intelligenda verba illa Pauli:

Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundum Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri. Ad Rom. 1.

MVLTIPLICITAS expoſitionum, quas varij Doctores protulerunt, huius loci obſcuritatem, & difficultatem probat. Nos in præſenti ſingulas proponemus, & examinabimus, poſtea ſenſum noſtro iudicio legitimum aperiemus. nec erit inutile aliorum referre expoſitiones, quamuis non omnes eas ſimus probaturi: nam in eis aliqua digna conſideratione continentur, tum aliquæ ita obſcuræ à Doctoribus ſunt propoſitæ, vt vix intelligantur, & malè citentur; tum demum, vt liceat lectoribus, quæ magis placuerit, eligere, aut vt, quę ſit magis legitima, ex earum collatione noſcatur. in eis autem recitandis non auctorum antiquitatem, aut dignitatem, ſed partim probabilitatem, ab improbabilioribus initio facto, partim quod ordini intelligendi facit, ſequemur, ad ſingularum igitur conſiderationem accedamus.

De tribus expoſitionibus verborum ordinem immutantibus. Cap. I.

PRimo loco aliqui verborum ordinem, & conſtructionem diuidunt ſic, vt illud verbum, ſecundum Spiritum, & cætera connectantur cum ſuperiori verbo ſic, Paulus Apoſtolus congregatus Apoſtolus ſecundum Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione, ideſt poſt reſurrectionem mortuorum, &c. & tunc ſequuntur hæc, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, & prædeſtinatus eſt, ideſt, declaratus filius Dei in virtute. Iſta expoſitio eſt nimis violenta. poſt illud enim verbum, ſegregatus, multa ſunt addita verba, & ſententia variata, vt durum ſit adiungere hæc verba ſequentia illi præcedenti. præterea, quia tunc dicendum eſſet, per Spiritum, non autem, ſecundum ſpiritum.

Secundo loco aliqui adhuc verborum diuidunt ordinem, vt illud, ſecundum Spiritum ſanctificationis, connectatur cũ illo antecedenti, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid

uid ſecundum carnem, & hoc ſecundum ſpiritum ſanctificationis, quia conceptus eſt de Spiritu ſancto, & tunc ſequatur, quia prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, ideſt, naturalis. & hoc manifeſtatur ex reſurrectione mortuorum, quia mortuos ſuſcitauit, vt hoc ſit argumentum probans filium eſſe Dei. Hęc expoſitio eſt Lyrę in præſenti, & quamuis ad propinquius referat verbum, quàm præcedens expoſitio, tamen eſt magis violenta, & minus probabilis, quia maiorem verborum facit interciſionē: nam illud, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, coniungit cum præcedenti. & iterum, ex reſurrectione mortuorum, connectit cum illo, prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, qui loquendi modus eſt alienus non ſolum à Paulo, ſed etiam à quocumque ſcriptore.

Lyra.

Tertio loco adhuc ſunt, qui ordinem diuidunt ſic, vt non ſolum ſecũdum ſpiritum ſanctificationis, ſed etiam illud, in virtute, connectant cum pręcedenti verbo, ſecundum carnem. Sic, qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem in virtute, ideſt, per virtutem altiſſimi, & ſecundum ſpiritum ſanctificationis; ideſt, Spiritus ſancti opera, iuxta illud: Spiritus ſanctus ſuperueniet, & virtus Altiſſimi obumbrabit. & continuo ſequatur: Qui prædeſtinatus eſt filius Dei ex reſurrectione mortuorum, ideſt, declaratus eſt filius Dei ex ſua reſurrectione, ſed tam iſta, quàm præcedens expoſitio ſunt contra loquendi modos communes; illud enim relatiuum, qui, diuidit ſequentia ab illis, quæ ſunt ſub altero relatiuo, qui, Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis, &c. violentũ ergo eſt & inuſitatum diuidere, & tranſponere verborum ſenſum. Omnes ergo hæ diuidentes expoſitiones, vt minus probabiles principio propoſuimus, licet meo iudicio minus improbabilis, ſeu probabilior ſit prima. Alię ſunt expoſitiones verborum ordinem, vti habetur, ſeruantes, quæ conſiderandę ſunt.

De expoſitione S. Thomæ. Cap. II.

QVarto loco eſt opinio S. Th. Qui verbum, pręd eſtinatus, exponit pro pręd eſtinatione Dei ęterna, qua pręordinauit, vt iſte homo, qui dicitur ex ſemine Dauid factus, eſſet ſimul filius Dei in virtute, ideſt, non adoptionis, ſed naturalis, & eiuſdem ac ęqualis potentię, reliqua autem verba ſint vnum argumentum probatiuum huius pręd eſtinationis, ſitq. ſenſus talis, qui, nempe ex ſemine Dauid ſecundum carnem factus, eſt pręordinatus, vt ſit filius Dei naturalis, & eiuſdem potentię. hoc autem apparet, & innoteſcit, ex eo quod ſanctificauit homines poſt ſuam reſurrectionem à mortuis; quamuis enim ante ſanctificauerit, & cõmunicauerit Spiritum ſanctum, tamen poſt reſurrectionem magis id fecit, & in eo ſe declarauit eſſe pręd eſtinatum filium Dei. Addit S. Thom. poſſe etiam hoc exponi, vt ſint duo argumenta probantia ſe eſſe pręd eſtinatum filium Dei. vnũ eſt, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, quia alios ſanctificabat. alterum

Math. 27. terum eſt, ex mortuorũ reſurrectione, quia ſecũ fecit mortuos multos reſurgere iuxtà illud Math. 27. multa corpora Sanctorum quæ dormierant, ſurrexerunt &c. hæc eſt expoſitio S. Tho. quæ non videtur eſſe ad mentem Pauli. Primo quidem Paulus dicit, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritũ ſanctificationis ex reſurrectione mortuorũ. Si hoc eſt argumentũ declarans eſſe prædeſtinatum filiũ Dei, neceſſe ſupplere verbum, nempe, innotuit autem eſſe prædeſtinatum ſecundum ſpiritum ſanctificationis, vt ſupplet S. Tho. & Lyra. ſed iam non eſt verba Pauli exponere, ſed ſua, quia non dixit Paulus, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, & id apparuit ſecundum ſpiritum, &c. ſed qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis. ſi autem coniungantur hæc cum verbo, prædeſtinatus eſt filius Dei, tunc procedit ſecundo in contrarium, quia non eſt prædeſtinatus ab ęterno, vt ipſe exponit, ex eo quòd ſanctificauit poſt reſurrectionem, vnde aut verbum eſt addendum, quod non licet, ſi verba Pauli fideliter exponantur, aut verbum, prædeſtinatus, non poteſt in ea ſumi ſignificatione. accedat etiã tertio, quia non eſt phraſis loquendi congrua, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ideſt quia ſanctificabat, præterquam quod in huius explicatione dicit S. Thom. Chriſtum, vt hominem, eſſe prædeſtinatum, vt eſſet filius Dei. Ponit enim vnum dubium, prædeſtinatio ſupponit ſuppoſitum, quod ordinatur ad aliquid ſecundum Dei præordinationem; cũ ergo humanitas Chriſti non habeat proprium ſuppoſitum, non potuit ordinari vt eſſet filius Dei. Reſpondet habere ſuppoſitum diuinũ, qui erat ſimul homo, & Deus, & idem ſuppoſitum, nempe vt homo prædeſtinari potuit, vt eſſet filius Dei, & ſic ſuppoſitũ diuinum ratione humanitatis prædeſtinatũ eſt; ſed hæc doctrina, ſalua reuerentia tanti viri, iudicio meo non videtur eſſe ad mentem S. Pauli, quia ſi id quod prædeſtinatur ſupponitur eſſe diuina perſona, licet in natura humana iã ſupponitur eſſe filius Dei, & non poteſt ordinari vt ſit filius Dei, quia præintelligitur eſſe iam id, ad quod præordinari debet. melius ergo dubio S. Thom. reſpondetur ſic, ab æterno præuidit Deus humanitatẽ, quę Chriſto vniẽda erat in eo ſuppoſito, quod habitura erat ex ſe, & niſi vniretur, & hoc præuiſum prædeſtinauit, vt eſſet Dei filius, nempe impedita ſuppoſitalitate propria vniretur ſuppoſito filij Dei, eſſetq. homo ſimul Deus. iſta eſt verior doctrina, ſed ad mentem Pauli haud facere videtur.

De expoſitione Ambroſij. Cap. III.

Ambr. QVinto loco eſt expoſitio Ambro. in hunc locum, vt ſit ſenſus, prædeſtinatus eſt ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ideſt per Spiritum ſanctũ, vt tunc manifeſtaretur filius Dei in virtute, quando à mortuis reſurrexit. ac ſi clarius diceret, quando incarnatus eſt, & factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem, latebat quid eſſet. erat enim tunc Dei filius, ſed id occultum erat, ob id prædeſtinatus

eſt

eſt per Spiritum ſanctum, vt tunc
Luc. 24. manifeſtaretur fili' Dei in virtute, quando à mortuis reſurrexit, eius enim reſurrectione ambiguitas diſcipulorum ablata eſt, dubitabant enim in morte diſcipuli, dicentes Luc. 24. nos putabamus quòd ipſe erat redempturus Iſrael. ac eius reſurrectione ambiguitas omnis, & diffidentia depulſa eſt, atq. erepta. allegat illud pſal. 84. veritas de terra orta eſt, & exponit, quia veritas innotuit Chriſti, poſtquàm de terra reſurrexit, tres igitur perſonas hæc verba exprimunt, filius Dei patrem, & filium continet, ſpiritum ſanctificationis, Spiritum ſanctum explicat. hic eſt ſenſus iuxta Ambro. expoſitionem, quæ in hoc aliqua ex parte violenta videtur, quia exponit addendo verbum, qui prædeſtinatus eſt manifeſtari, potius dicendum erat, prædeſtinatum eſt, vt manifeſtetur, & præterea addit verbum quod Paulus non habet. Præterea, quia in hac expoſitione non magis refert dicere, ſecundum Spiritum ſanctum, quàm ſecundum ſpiritũ ſanctificationis: immo idẽ eſſe putat Ambro. at non ità videtur, licet enim ſit idem Spiritus ſanctus, & ſpiritus ſanctificationis, tamen non eadem per vtrumq; ſignificãtur, vt infra dicetur. Præterea quantum ad veritatem, non ex ipſa ſtatim reſurrectione manifeſtatus eſt abſolute Dei filius, ſed quibuſdam, at Paulus generaliter loquitur.

De expoſitione Auguſtini. Cap. IIII.

Aug. AVguſtinus ſexto loco. in expoſitione inchoata in epiſt. ad Rom, obſcurè quidem, tamen dupliciter hunc locũ exponit, vno modo dicit, illud (ex reſurrectione) coniungi cum illo, ſpiritum ſanctificationis, vt ſit ſenſus, prædeſtinatus eſt filius Dei, ideſt, apparet filius Dei in virtute, non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ſanctificationis, quæ eſt ex reſurrectione, ideſt per virtutem, qua ex mortuis reſurrexit in nouitate vitæ, qui eſt ſecundum ſpiritum ſanctificationis in virtute, qua ſic reſurrexit, apparet eſſe filius Dei, morientis enim virtus quanta fuit in tali reſurrectione, quæ fuit ſecundum nouitatem vitæ, & reſurrectio glorioſa, & immortalis apparet. reſurrectio ergo ſecundum ſpiritũ ſanctificationis eſt reſurrectio glorioſa, qualis fuit Chriſtus, qui ſurgens à mortuis iam non moritur. mors ei vltra non dominabitur: in virtute ergo talis reſurrectionis apparuit filius Dei. hæc eſt vna expoſitio. Altera eſt, quã dicit eſſe meliorem, & certiorem, vt illud (ex reſurrectione) coniungat cum prædeſtinatus eſt, & reliqua ſint interpoſita, ſitque ordo iſte, qui prædeſtinatus eſt ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri, exiſtens filius Dei in virtute, ſecundum ſpiritum ſanctificationis. & tunc ſenſus eſt iſte, qui tanquam filius Dei exiſtens in virtute ſecũdum ſpiritum ſanctificationis, ideſt, Dei, ac ſi diceret, cum eſſet filius Dei, non ſecundum carnem, ſed ſecundum virtutem Dei, prædeſtinatus, & deſignatus eſt, vt ſit primogenitus ex mortuis, vt ſit princeps mortuorum reſurgentium, vt præ cęteris, & ante cæteros ipſe

præcedat in gloria, iſta prærogatiua reſurrectionis competebat ei, qui erat vnigenitus Dei filius non ſecundum carnem, ſed ſecundum virtutem Dei, & quia non quęcunq; reſurrectionis primitas, ſed glorioſa, qualis eſt ſanctorum, competebat filio Dei, ob id reſtrinxit, reſurrectionem mortuorum Ieſu Chriſti. ac ſi dicat eſſe primogenitum reſurgentium ſuorum, & ſanctorum ad ſe pertinentium. eſt conueniens dignitas illius, qui eſt filius Dei in virtute ſecundum diuinitatem, quòd igitur ſit ſic deſignatus primogenitus, habet, quia filius Dei eſt in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis. hæc eſt expoſitio Auguſt. quam obſcure ipſe adhibet, ſed quamuis hæ expoſitiones veram doctrinam contineant, tamen non videntur ad ſenſum hūc Pauli pertinere. Fit enim violentia verbis, & connexioni, ſi tali ſententiæ hunc velimus applicare ſenſū, vt ipſiſmet legentibus notum eſt. nec ad intentum Pauli præſens is ſenſus pertinet, qui nihil nunc de primogenitura mortuorū tractat. iſta ſecūda expoſitio videtur Orig. qui diſtinguit inter prædeſtinatum & deſtinatum, & dicit prædeſtinari, quod non erat, deſtinari quod erat: vnde Chriſtus vt homo prædeſtinatus eſt, vt filius Dei, deſtinatus eſt, & ſic Paulus, vt patet ex *Orig.* Gręco, vocat deſtinatum. eſtque ſenſus, qui filius Dei exiſtens in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ideſt ſecundum deitatem qua ſanctificabat alios, deſtinatus eſt vt ſit primogenitus ex mortuis, iſta dicit Orig. quę videntur eadē eſſe cum his, quæ dicit hic Augu. quāuis obſcure loquatur Origen. eandem hanc differentiā inter verba hæc ſimplex, & compoſitum notat Hiero. in cap. 1. ad Ephe. adducens hunc locum, & notant dici de- *Hieron.* ſtinatum, non prædeſtinatum, tamen quamuis diceret, prædeſtinatus, etiā ſtare poſſet, quia refertur ad, qui ex ſemine Dauid, hæc, quando nondum erat, ſcilicet natura humana, prædeſtinata eſt, vt eſſet filius Dei, tamen Orig. refert ad ipſum filium Dei, qui dicitur deſtinatus. Aliam etiam expoſitionem ipſe Augu. dat in lib. expoſitionis quorundam locorum epiſt. ad Romanos, in principio, ſed imperfectam, quia ſolum duo verba explicat, nempe (ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione, &c.) ſic autē exponit, dicens, quod ait ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorū, id eſt, quia ſpiritus donum acceperunt poſt reſurrectionem, cætera non exponit; tamen horum verborum expoſitio indicat aliam expoſitionem ab illis duabus datis.

De expoſitione quorundam. Cap. V.

SEptimo loco aliqui exponunt ſic, qui prædeſtinatus eſt, ideſt declaratus eſt filius Dei in virtute, ideſt filius Dei potens ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ideſt ſecundum diuinitatem, vt correſpondeat hęc ſententia præcedenti. Factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui declaratus eſt filius Dei verus, & eiuſdem potentię ſecundum diuinitatem, & hoc declaratum eſt ex reſurrectione, qua à mortuis reſurrexit, ſeipſum reſuſcitando. Hāc expoſitionem

nem quidã tribuũt Ambro. qui in hoc loco habet hæc verba, qui erat filius Dei ſecundum ſpiritum ſanctum, ideſt ſecundum Deum, qui Deus ſpiritus eſt,& ſine dubio ſanctus. factum dicit iuxtà carnem filium Dauid. Hæc Ambro. ſed re vera non eſt talis Ambroſij mens, nam vbi habentur talia verba, non exponit locum præſentem, ſed illũ, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, vbi ipſe dicit, eum, qui erat filius Dei ſecundum Spiritum ſanctum, ideſt Deum, dicit factum ſecundum carnem filium Dauid. illud autem verbum (ſecundum Spiritum ſanctum) non eſt verbum Pauli, ſed verbum ipſius Ambroſij, quod ipſe poſuit, & explicuit, verbum enim ipſius Pauli eſt,ſecundum ſpiritum ſanctificationis, non autem dicit ſecundum Spiritum ſanctum. Præterea quia ipſe Ambroſ. ſtatim explicat hęc noſtra verba, & per ſpiritum ſanctificationis exponit tertiam perſonam Trinitatis, & exponit hunc locum, ſicuti paulo ſuperius citauimus.eandem etiam tribuunt Tertullia.in lib.aduerſus Praxeam, ſed nec eſt ipſius Tertullia. verba ſunt ipſius hęc,nec ſermo aliud quã Deus, nec caro aliud quàm homo. ſic & Apoſtolus de vtraq; ſubſtantia docet, qui factus eſt, inquit, ex ſemine Dauid, hic erit homo,& filius hominis,qui definitus eſt filius Dei ſecundũ ſpiritũ,hic erit Deus, & filius Dei, hęc Tertul. non dicit illud verbum (ſecundum ſpiritum ſanctificationis) ſignificare (ſecundum diuinitatem) ſed dicit hoc totũ, qui prędeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis, &c. dictum eſſe de Chriſto: qua ratione Dei filius eſt,

Ambr.

Tertull.

quis tamen ſenſus ſit horum verborum, non expreſſit, quod idem Athana. fecit lib. 3. de vnitate, & deitate Trinitatis, paulo poſt principium, vbi duas prædicans de Chriſto ſubſtantias, diuinã, & humanã Apoſtoli teſtimonio probat dicens, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundũ carnem,& qui prędeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum. ecce ſecundum Deum, ſenſus Athanaſij apertus eſt, priora verba Chriſto homini, ſecunda Chriſto vt Dei filio conueniunt. hoc idem eſt,quod Tertullianus dixit. Falſo ergo citantur autores pręfati in hanc expoſitionem,quæ facilis quidem videtur, tamen videtur impropria,& aliena à verbis Pauli, nunquàm .n. in tota ſcriptura habetur hæc locutio, Chriſtus ſecundum ſpiritum ſanctificationis eſt Dei filius, ideſt ſecundum diuinitatem, licet Orig. & Aug. vti diximus cap. 4. ſic expoſuerint. Quamuis enim deitas ſit ſpiritus, & ſanctus, ac ſanctificans, tamen in Scriptura hæc duo coniuncta frequentiſſime pro tertia perſona ſumuntur, maxime quando ſit mentio filij Dei,vt perſonarum diſtinctio noſcatur, vnde non pro deitate,ſed pro tertia Trinitatis perſona hoc in loco ſumitur, alias eſt perſonas confundere. nec valet hoc eſſe dictum, vt ſignificetur, quòd deitas ipſam Chriſti humanitatem in conceptione ſanctificauit, ob idque dici ſecundum ſpiritum ſanctificationis, hoc inquàm non valet, nam hęc etiam ſanctificatio tribuitur tertiæ perſonę, ob quod conceptus de Spiritu ſancto dicitur,& Luc. 1. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te,&c.

Athanaſ.

ideo quod naſcetur ex te ſanctum, &c. clarum autem eſt, hæc verba Lucæ de perſona Spiritus ſancti intelligi, non ergo expoſitio iſta eſt ad mentem Pauli.

De expoſitione Auguſtini, & Anſelmi. Cap. VI.

Auguſt. Anſel. Octauo loco Auguſtinus lib. de prædeſtin. ſanct. cap. 15. & Anſelm. in præſenti expoſitionem quandam adferunt: priora verba exponunt ſicuti S. Thom. expoſuiſſe diximus: Prędeſtinatus eſt, ideſt, vt homo eſt ab æterno præordinatus, vt ſit filius Dei; quia illa humana natura à Deo præordinata eſt, vt vniretur diuinæ perſonæ, eſſetq. ſimul homo & filius Dei in virtute. cætera verba aliter exponunt, nempe eſſe prædeſtinatum, vt homo eſſet in virtute filius Dei, & hoc opere Spiritus ſancti, ſicut dictum eſt, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. ſic enim homo factus eſt filius Dei. Reliquum non exponit ibi Auguſtinus, tamen exponit Anſelm. nempe, prædeſtinatus eſt etiam vt ſit primogenitus ex mortuis, ſicut ſupra diximus, cap. 4. ex Auguſtino, quæ expoſitio non videtur ad mentem Pauli; nec enim de æterna prædeſtinatione hoc in loco agebat, vt patebit, quando legitimam huius loci proponemus expoſitionem. Rurſus, quia huic expoſitioni nō conuenienter aptatur, quod dicit Anſelm. Quod etiā ſit prædeſtinatus, vt ſit primogenitus mortuorum; videtur enim violentus ſenſus, & Auguſtinus ipſe, qui ſic hoc verbum expoſuit, aliter interpretatus eſt verbum præcedens, vt dictum eſt in cap. 4.

De expoſitione Chryſoſtomi. Cap. VII.

Chryſoſt. Chryſoſt. ſer. 1. in epiſt. ad Rom. aliam, quę nona ordine eſt, adducit expoſitionem, vt ſint tria argumenta, quibus Chriſtus declaratus eſt filius Dei. vt ſit ſenſus: prædeſtinatus eſt, ideſt, declaratus eſt filius Dei. & hoc primo in virtute, ideſt, per miracula à ſe facta. Secundo, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ideſt, quia alios ſanctificabat. Tertio, ex reſurrectione ſua à mortuis, quia ſolus & primus ſeipſum excitauit à mortuis. Iſta expoſitio Chryſoſtomi neque iudicio meo videtur ad mentem S. Pauli. Primo, quia alios ſanctificare non fuit argumentum, quod eſſet Dei filius, quia tam ignota erat ſanctificatio, quæ erat in anima, quā ipſa ſua diuinitas, quam volebat probare. argumentum autem eſt à notis, non ab ignotis; ſanctificatio enim animarum non patebat, ſicut patebat ſanitas corporum, quam per virtutem miraculorum faciebat. Præterea ſecundo, quia ſeipſum reſuſcitaſſe non fuit argumentū eius diuinitatis, quia ignotum erat ſeipſum ſuſcitaſſe, & non noſcebatur, niſi à credentibus, quibus argumēta non fiunt, quia iam credunt Dei filium, & prius eſt hoc credere, quām illud. Præterea tertio, contra vtrumque argumētum eſt, quia ex neutro ſequitur, nec declaratur, quod ſit filius Dei, ſed quod ſit Deus. at Paulus dicit, non ſolum quod ſit prędeſtinatus, & declaratus

claratus Deus, ſed quod Dei filius, & hoc eſt argumentum generale, conuincẽs, omnes expoſitiones reprehenſione non carere, per quas ſignificatur, quòd Paulus vtatur argumento reſurrectionis, aut ſanctificationis, quaſi per id ſit declaratus filius Dei; neutrum enim probat, Dei eſſe filium, ſed tantum Deum; at Paulus de filio Dei agit; hunc enim eſſe declaratum dicit, & vltra hoc eſt. Quod argumentum non poteſt eſſe, niſi quod notum eſt ijs, quibus fit argumẽtum, at ignota ſunt ſanctificatio, & reſurrectio à propria virtute, ijs, qui argumento indigent; fideles enim noſcimus fide, & nobis non ſunt argumenta, quia per fidem credimus eſſe filium Dei, non autem quia ſanctificabat, aut quia ſe excitauit à mortuis, quaſi propter hæc credamus, ſed potius hæc eadẽ etiam credimus, & hoc multum eſt notandum: nam conducit ad legitimum ſenſum cognoſcendum, conuictis multis ex prædictis expoſitionibus, quæ non poſſunt ſenſui vero Pauli aptari.

De aliorum expoſitione. Cap. VIII.

DEcimo loco alij hæc verba aliter exponunt, vt ſit ſenſus: Prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, ideſt, declaratus, & manifeſtatus eſt Dei filius in virtute, ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione, ideſt, per hoc, quod miſit Spiritum ſanctum in diſcipulos poſt ſuam reſurrectionem. Sed hæc expoſitio eodem argumento, quod proxime fecimus, conuincitur aliena à mente Pauli, nam nec hoc eſſe potuit argumentum non credentibus, quia occultum erat, à quo mitteretur, & rurſus non inde conuincitur Dei filius, quia à Patre etiam mitti potuit, ſi incarnatus eſſet. non ergo hoc probat filium incarnatum eſſe, nec illum hominem eſſe Dei filium. Adde, quod iſte ſenſus violentus eſt, nec poteſt accommodari verbis Pauli, abſque verborum diſtractione, vnde non videtur expoſitio iſta legitima. Atque hæ ſunt omnes expoſitiones, quæ apud autores inueniuntur, quãtum legere potui, quæ ſenſum Pauli non videntur exprimere, vt magis patebit ex legitima expoſitione inferius ponenda.

De varietate prædictarum expoſitionum. Cap. IX.

SI conſideremus prædictas expoſitiones, miram in eis varietatem inueniemus, non ſolum in ſenſuum ipſorum multiplicitate, ſed etiam in verborum connexione, & explicatione. illud (prædeſtinatus.) Aliqui pro declarato, aliqui pro deſtinato, ſeu deſignato, aliqui pro præordinato ab æterno, interpretantur. Illud (in virtute) aliqui coniungunt cum, (prędeſtinatus eſt,) quaſi ſit declaratus per virtutem: aliqui coniungunt cum verbo, Filius Dei, vt ſit Filius Dei in virtute, & potentia, aliqui coniungunt cum ſequentibus in virtute ſecun-

Digitized by Google

ſecundum ſpiritum ſanctificationis, per quam virtutem miſit Spiritum ſanctum. aliqui etiam coniungunt cum clauſula præcedenti, qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem in virtute. ſecundum quam dictum eſt: Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. illud, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, aliqui coniungunt cum verbo præcedenti, & diſtanti: ſegregatus. aliqui cum verbo præcedenti, factus ex ſemine Dauid. aliqui cum verbo, in virtute. aliqui cum ſequenti, ex reſurrectione. rurſus aliqui exponunt diuinitatem, qua alios ſanctificabat. aliqui etiam pro diuinitate, qua ſuam carnem ſanctificauit. aliqui pro Spiritu ſancto miſſo poſt reſurrectionem. aliqui pro Spiritu ſancto; cuius opera facta eſt conceptio Chriſti ſecundum carnem. illud etiam, ex reſurrectione, aliqui iungunt cum verbo, prædeſtinatus eſt. aliqui cum verbo, ſecundum ſpiritum ſanctificationis. aliqui exponunt poſt reſurrectionem. aliqui ex, ſeu, per reſurrectionem, quaſi ſit declaratus per reſurrectionem. aliqui, in reſurrectione, ideſt, deſtinatus in reſurrectione, quaſi ſit primogenitus reſurgentium. Illud etiam, mortuorum, aliqui iungunt cum reſurrectione. aliqui cum ſequenti, Ieſu Chriſti. aliqui exponũt, pro reſurrectione mortuorum, quæ fuit ipſius Chriſti, qua ipſe reſurrexit. aliqui, pro reſurrectione mortuorum Chriſti, quos ipſe ſuſcitare fecit. Vide quanta ſit varietas & multiplicitas in Doctorum expoſitionibus circa iſta verba, & adhuc ſunt plures, quas omitto, quæ in ipſis expoſitionibus apparent; & quia non omnia citaui, quæ dicuntur: nam S. Thomas etiam hanc reſurrectionem mortuorum Chriſti exponit ſpiritualiter, pro ijs, qui à peccato liberantur, quaſi hoc ſit argumentum diuinitatis Chriſti. alij etiam legunt in ablatiuo caſu, Ieſu Chriſto Domino noſtro, & coniungunt, quaſi appoſitiue cum omnibus dictis: promiſit de filio ſuo, qui factus eſt, &c. & tandem, Ieſu Chriſto Domino, id eſt, qui eſt Ieſus Chriſtus Dominus noſter. ſic Valla, & Eraſmus dicunt. nec eſt mirum, cum à legitimo receditur ſenſu, in tantam Scriptores incidere multiplicitatem, & varietatem.

De expoſitione quadam. Cap. X.

VLtimo loco Eraſmus hunc locum ediſſerens, valde prolixe vagatur, & verba multa inutiliter conſumens, citat Doctores aliter, quàm ipſi habeant, & quàm ſit eorum ſenſus, & concludit ſic exponendo: Declaratus, ſeu pronunciatus eſt filius Dei per potentiam, & per Spiritum ſanctum; hæc enim declararunt filium Dei eſſe, quia erat ſecundum carnem ex Dauid, argumentum autem declarationis, ſeu quo declararunt, fuit reſurrectio, qua non tantum ſe, ſed alios ſuſcitauit. Contra quam expoſitionem procedit quod dictum eſt in cap. 8. quia reſurrectio non fuit argumentum probandi, & declarandi eſſe Dei filium. procedit etiam, quia non videntur hæc duo eſſe, virtus, & ſpiritus ſanctificationis, nec videtur, quo hæc duo dicantur declaraſſe per reſurrectionem. immo ipſe Eraſmus varius videtur, nam

nam in principio videtur idem dicere, cum Chryſoſtomo. at in vltimo exponit, vti dictum eſt; non enim verum ſenſum attingens, huc & illuc diuertit, ac verba multiplicat.

De legitimo ſenſu. Cap. XI.

Auctor. IN primis, vt ſenſum legitimum habeamus, illud ſtatuendum eſt, verbum, prædeſtinatus, eſſe apud Græcum contextum ſimplex verbum, & ſignificare definire; inde enim deriuatur nomen definitionis, declarare, promulgare, & ſic Græci Doctores explicarunt, & inter Latinos Tertul. con. Praxeam, legit, definitus eſt, quamuis etiam apud Græcos antiquos etiam verbum compoſitum legi negare non poſſumus; ſic enim Athanaſ. lib. 3. *Athan.* de aſſumptione hominis, & Epiph. hær. 54. in fine legit, idem tamen eſt ſenſus. lege tamen quæ in commentario huius epiſtolæ ſcripſimus. Quem ergo Paulus dicit factum hominem ex Dauid ſecundum carnem, hunc dicit eſſe declaratum filium Dei, non factum: quia filius Dei ſemper eſt, tamen declaratus eſt, quomodo autem ſit declaratus, exponit; ſicut enim quomodo factus ſit, expoſuit, ex ſemine Dauid ſecundum carnem, ita nunc exponit, quomodo ſit declaratus filius Dei: declaratus eſt autem in virtute, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ideſt, per virtutem & potentiam cõmunicatam à Spiritu ſancto hominibus, nẽpe Apoſtolis; ne enim intelligeremus à Spiritu ſancto immediate declaratum eſſe, dixit ſpiritum ſanctificationis, ideſt, per virtutem datam à ſpiritu ſanctificante homines, & ex ſanctificatione procedens: nam Apoſtoli, accepta virtute à Spiritu ſancto, mundo manifeſtarũt, & promulgarunt illum, qui erat ex ſemine Dauid, eſſe ſimul filiũ Dei. hunc autem eſſe ſenſum legitimum ex ſcripturis alijs conuincitur, Act. 1. *Act. 1.* Non eſt veſtrum noſce tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, ſed accipietis virtutem Spiritus ſancti, ſuperuenientis in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ. Ecce habes hoc in loco hæc tria, virtutem, & Spiritus ſancti, & teſtimonium Chriſti redditum virtute huius Spiritus ſancti ſuperuenientis, & ſanctificantis; filius ergo Dei declaratus, & teſtificatus, ſeu pronunciatus virtute, quę eſt ſecũdum ſpiritum ſanctificationis. Rurſus, Act. 4. virtute magna reddebant *Act. 4.* Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri. hæc eſt virtus, de qua loquitur Paulus: Qui manifeſtauit eſſe filium Dei, qui erat ex Dauid ſecundum carnem. Præterea Luc. 24. Ego mitto *Luc 24.* promiſſum patris mei in vos: vos autem ſedete in ciuitate, quouſque induamini virtute ex alto. & ante hæc verba præmiſerat, vos eſtis teſtes horum. Præterea eſt apertum teſtimonium in hac epiſt. cap. 15. *Rom. 15.* Non audeo, inquit, aliquid eorum loqui, quæ pro me effecit Chriſtus in obedientiam Gentium, verbo, & factis in virtute ſignorum, & prodigiorum in virtute Spiritus ſancti. hæc Paulus. Ecce ergo quomodo Chriſtus ſit annũciatus Dei filius, nempe per virtutem datam à Spiri-

Digitized by Google

à Spiritu ſancto ſanctificante Apoſtolos, nec eſt aliena phraſis à Paulo iſta virtus ſecundum ſpiritum, ideſt, virtus data à ſpiritu: nam 1. 1. Cor. 12. Corinth. 12. Alij datur ſermo ſapientiæ per ſpiritum, alij ſermo ſcientiæ ſecundũ eundem ſpiritum. Ecce vides ſermonẽ ſciẽtiæ datam à Spiritu ſancto dici ſermonem ſcientiæ ſecundum ſpiritum. Similiter Galat. 1. ad Gal. 1. Euangelium, quod euangelizatum eſt à me, non eſt ſecundum hominem, ideſt, non accepi ab homine, ſicut humana doctrina accipitur, cuius homo auctor eſt. Sic nunc in præſenti, Virtute ſecundum ſpiritũ ſanctificantem, ideſt, virtute data à Spiritu ſancto, nempe Apoſtolis, definitus eſt filius Dei. vſus autem eſt iſta phraſi, vt reſponderet ſermo ſermoni, factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem, factus, reſpondet, declaratus, ex ſemine, reſpondet, in virtute, ſecundum carnem, reſpondet, ſecundum Spiritum, caro manifeſtat hominem factum, Spiritus ſanctus manifeſtat Dei filium. & rurſus eſt mira expreſſio Trinitatis, Pater per Prophetas promiſit de filio ſuo, hic filius factus eſt homo, ſed ſpiritus ſanctificãs declarauit eſſe filium Dei tribuendo virtutem hominibus ad id muneris neceſſariam, poſtquam declarauit modum, quo declaratus eſt, deſcribit tempus, nempe à reſurrectione iam facta Chriſti, vt enim patet ex locis citatis poſt reſurrectionem data eſt virtus hæc Apoſtolis, quando venit in eos Spiritus ſanctus, tunc cęperunt virtute data à ſpiritu ſanctificationis annunciare palam Chriſtum eſſe Dei filium. Vnde hoc in loco loquitur de reſurrectione, qua Chriſtus reſurrexit à mortuis: eſt autem Hebraiſmus. Solet enim antecedẽs pro relatiuo poni, vt pro eo, quod eſt, poſt reſurrectionem mortuorum ſuam, ſeu eius, ponit antecedens ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti, &c. Illud autem verbum genitiuum, mortuorum, declarat, qualis ſit reſurrectio: nam hæc multipliciter ſolet intelligi: at in præſenti de reſurrectione, qua à mortuis reſurrexit, loqui intendebat. Hic eſt ſenſus Pauli, & maxime quadrat ipſius propoſito, qui Chriſtum annunciabat, & Euangelium, cuius dicit ſe eſſe Apoſtolum: Euangelium autem annunciatio eſt de Chriſto homine, & ſimul Dei filio. Quod factum eſt ante reſurrectionem, ſed poſt eſt patefactum & annunciatum mundo, iuxta Domini præceptum, quando præcepit Apoſtolis, & miſit in mũdum, vt annunciarent hoc. hunc ſenſum attigit Theodoretus, & hic Theod. eſt verus, & legitimus. Athanaſius Athan. aliqua ex parte eadem indicauit, ſed imperfecte expreſſit, quia non ibi hoc ex profeſſo intendebat; lib. enim 3. de vnitate, & deitate Trinitatis, prope finem, habet hæc verba: Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem: nam ſecundum diuinitatem ſic ait: Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ſicut & ipſe Phariſæos interrogat de diuinitate ſua, quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt? reſponderunt Iudæi ex Dauid, & ait illis: Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, &c. Diſce ergo, quia ſecundum carnem filius hominis eſt. Hic eſt Dauid, & ſecundum diuinitatem

Digitized by Google

uinitatem hic eſt filius Dei in virtute,& Dominus Dauid.hęc Athanaſ. vbi ſi attendis, quod dictum eſt, in ſpiritu vocat Dauid Dominum; exponit hic dici, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, vt ergo illic ſenſus eſt, Spiritus ſancti opera, & virtute Dauid vocauit Dominum, ita hic ſignificat,Spiritus ſancti virtute Filium Dei definitum,& nunciatum. illud aũt,in virtute,videtur coniungere cum filio Dei, vt ſit verus Dei filius, nihil aliud ex Athã. in hoc loco habetur.

De quorundam verborum adnotatione. Cap. XII.

QVamuis ſenſus legitimus iã ſit expoſitus, tamen aliqua verba iam in propoſita ſententia notant Doctores, & digna mihi viſa ſunt adnotatione, ob id nolui prętermittere. *Ambr.* Ambr.in pręſenti,& *Auguſt.* Auguſt.in lib. expoſit.locorũ epiſt. ad Rom. notant dictum eſſe, reſurrectionẽ mortuorum, quamuis de reſurrectione Chriſti ſit ſermo, quia in ipſo omnes & mortui ſumus, nempe peccato, & ſurreximus, quia ſua reſurrectione cauſa eſt omnium mortuorum reſurrectionis. doctrina hæc vera eſt, tamen neſcio,ad ſenſum Pauli, quantum faciat, qui, vt determinaret, de qua reſurrectione loqueretur, dixit, mortuorum reſurrectionem, ſicut cũ dicimus, Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe, tñ poteſt etiam hoc aptari, vt ſimul inſinuet mortuos omnes in ipſo, vt in cauſa prima reſurgere.

In priori autem ſententia dictũ eſt: Qui factus eſt ex ſemine Dauid. Valla nimium audax in his, quæ non ſunt ſuæ profeſſionis, legendum putat, genitus eſt, quod aliqui amplectuntur: & reuera decipiuntur:nam verbum Græcum potius ſignificat, factus eſt, & tunc *Gal. 4.* myſterium indicat, ſicut illud ad Galat.4. Factum ex muliere. quod *Auguſt.* Auguſt.in lib.qq.ex Nouo Teſtam. cap.44. adnotauit; ne enim virtute viri illa Chriſti caro concreta putaretur, cum eſſet ſola diuina virtute id factum,ob id dicitur: factus eſt ſecundum carnem, non autem dictum eſt, genitus eſt, & hoc eſt veriſſime & legitime dictũ. hinc eſt, quod Chryſoſt. ſerm. 1.in *Chryſoſt.* epiſt. ad Rom. dixit, in his verbis inſinuari mirabilem Chriſti conceptionem, qui de virgine natus eſt, & conceptus. profecto hoc non poſſet inſinuari, ſi genitus legeretur, & non factus. nam genitum eſſe ex Dauid ſecundum carnem, commune eſt ad genitum ex virtute viri, & genitum ex ſola femina. Chryſoſtomus ergo vir Gręcus verbum ita intellexit, vt noſtra habet editio, ſed iſti nouatores, ad pauca reſpiciẽtes facile decipiũtur

Illud etiam verbum, ſecundum carnem, notat, Chriſtum habere alteram ſubſtantiam,in qua non eſt factus ex Dauid,ſed natus ex Patre æterno, ob id dictũ eſt,de Filio ſuo, qui factus eſt ei ſecundum carnem ex ſemine Dauid, quod notat Au- *Auguſt.* guſtinus in expoſitione inchoata epiſt.ad Rom.cuius verba ſunt: Ne hoc ſolum & totum in Chriſto arbitraretur, quod factum erat, addidit, ſecundum carnem. Addendo ergo,ſecũdum carnem, ſeruauit diuinitati dignitatem.

Google

TRACTATVS SECVNDVS, quomodo intelligantur verba ad Roman. 7.

Nam velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio, non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago: ad quem Auctor c. 7. Annot. 10. ſe remittit.

De varietate Doctorum. Cap. I.

DIVERSI ſunt Doctores ſacri, in qua perſona hæc verba Paulus loquatur, an in perſona propria, & iuſtorum, in gratiaque exiſtentium, an in perſona peccatoris in ſtatu legis, aut naturæ ante gratiam exiſtentis. Eſt enim triplex ſententia, quidam enim exiſtimāt. hæc & alia verba præcedentia, & ſequentia huius ſeptimi capitis in perſona peccatoris dicta, & in ipſo verificari homine in lege, ſeu ante legem poſito, non autē poſt gratiam acceptam. ita affirmant Orige. in hoc loco, & Baſil. regul. breuior. reſp. 16. Chryſoſt. ſer. 13. in epiſt. ad Rom. idem Ambro. lib. 2. de Abraham. c. 6. & clarius li. 1. de Iacob. & vita beata. c. 4. & apertiſſime lib. de Iſaac, & anima c. 2. & in præſenti loco ad Rom. ſicut etiā Theodoret. hoc idem tenet Hiero. Daniel. 3. in illa verba, peccauimus, inique egimus, Certe, inquit, tres pueri nō peccauerunt, nec eius ætatis erant, quando ducti ſunt in Babylonem, vt propter ſua vitia punirentur, ergo quomodo tunc ex perſona populi loquebantur, ſic illud Apoſtoli legendum eſt, nō quod volo bonum hoc ago, ſed quod nolo malum operor. & cætera quæ in eodem loco ſcripta ſunt. hæc Hier. in quibus ſignificatur, Paulum in perſona peccatorum dixiſſe hæc, ſicut Daniel, & alij duo dixerunt illa verba, non quòd tales ipſi eſſent. Hanc eandē ſententiam fatetur Aug. olim ſe tenuiſſe lib. 1. contra duas epiſt. Pelagian. c. 10. & lib. 6. contra Iulian. c. 11. at poſtea dicit, ſe mutaſſe ſententiam, & in hoc loco lib. 6. contra Iuli. dicit, ſe ante non intellexiſſe, nunc ceſſiſſe melioribus, & intelligentioribus expoſitoribus, citans Ambro. Gregor. Hilari. vbi mirum eſt, quòd citet Ambroſium in oppoſitam ſententiam, cum quatuor locis citatis teneat priorem ſenſum, & rurſus quòd vocet intelligentiores, & meliores, qui aliter ſentiunt, cū in priori ſenſu ſint Baſil. Origen. & Chryſoſt. Hila. in pſal. 118. v. gimel.

Origen. Baſil. Theod. Auguſt. Ambr. Gregor. Hilar. Chryſ. Hieron.

cum

eum Aug. videtur ſentire iuxtà ſecundum ſenſum, dicit enim ſic: Nunc in puluere mortis manemus, & in corpore mortis ſumus, à quo ſe liberari Apoſtolus orat, dicens, miſer ego quis me liberabit de corpore mortis huius, habemus etiam nunc admiſtam nobis materiam, quę mortis legi, & peccato obnoxia eſt, & in huius caducæ carnis infirmęq; domicilio, corruptionis labem ex eius conſortio mutuamur, vt, niſi glorificato in naturam ſpiritus corpore, vitæ verę in nobis non poteſt eſſe natura. audiamus eum, qui ſe meminit in corpore mortis habitare, dicentem, quia vita vera abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, cum autem Chriſtus apparuerit vita vera, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria, hęc Hila. Eſt igitur aliorum ſententia, hæc verba Pauli cum ſequentibus, vſq; in finem capitis, & cum multis ex antecedentibus, incipiendo ab illis: Lex ſpiritualis eſt &c. eſſe dicta à Paulo in propria perſona, & iuſtorum in gratiaq; degentium, quamdiu in hoc mortali ſunt corpore. ita tenet Aug. locis duobus citatis, & lib. 3. contra Iulia. c. 26. in quibus tenet, & probat hunc ſenſum. eundē tenet Proclus apud Epiphan. hęr. 64. & Grego. lib. 29. mora. c. 15. & lib. 5. in lib. 1. reg. c. 1. prope finem. Anſel. in pręſenti, & Caſſian. collat. 23. per totam. Tertius ſenſus eſt, vt hęc vniuerſaliter de hōie intelligantur, ſiue iuſto, ſiue peccatore in hoc ſeculo degēte ſicut vniuerſaliter eſt illud, in imagine pertranſit homo. & illud, homo vanitati ſimilis factus eſt. omnis enim homo ratione corruptionis expoſitus eſt vitijs, & perturbationibus. hoc tenet Hieron. lib. 2. dialog. aduerſus Pelagia. vbi iſtis dicentibus, loqui Paulum in perſona peccatoris, reſpondet vniuerſaliter intelligi, & citat verba propoſita in præſenti dubio.

De argumentis pro primo ſenſu. Cap. II.

ORige. loco proxime citato vtitur tribus argumentis ad probandum, non in propria, ſed peccatoris perſona hæc, & alia verba Paulum locutum eſſe. Primum eſt illud, ego carnalis ſum, quod verbum iuſto non competit, nam de iuſtis, 2. Cori. 10. dicit, non ſecundum carnem militamus. Alterum eſt illud, ſub peccato venundatus, quod nec iuſto competit, de quo 1. Corin. 6. dixit, pretio empti eſtis. Tertium eſt illud, non habitat in carne mea bonum, at de iuſto dicitur ad Rom. 7. propter inhabitātem ſpiritum Dei in vobis. *Rom. 8. Baſil. Aug.* His tribus argumētis vtitur Baſil. loco citato. Aug. lib. 1. contra du. epiſt. Pelag. c. 10. dicit, his tribus prædictis argumentis potuiſſe alicui videri ſenſum priorem de mente Pauli eſſe, & lib. 6. contra Iulian. c. 11. dicit, eiſdem tribus motum ſe olim ſenſiſſe cum priori opinione, quibus argumentis poſſumus etiam addere quartum ex illo verbo, perficere non inuenio. Paulus enim in ſua perſona, & iuſti non ſolum bonum volunt; ſed in actione perficiunt, gratia enim dat velle, & operari, non igitur hæc verba iuſto conuenire videntur. Caſſian. collat. 22. in fine, vtitur alio *Caſſian.* quinto argumento ex illo verbo,

Digitized by Google

non quod volo bonum, hoc facio, quod iuſto minime conuenire videtur, vtitur etiam ſexto, ex illo verbo, ſentio legem captiuantem me in lege peccati, quod peccatori, nō iuſto conuenire videtur. his igitur argumentis prior ſenſus confirmatur.

De argumentis pro ſecundo, & tertio ſenſu. Cap. III.

Gregor. POſterior ſenſus alijs etiam verbis eiuſdem epiſtolę confirmatur. Primum argumentum eſt Grego. lib. 29. mora. c. 15. ex illo verbo, velle, ſcilicet bonum, adiace mihi, ſumptum. inquit: qui ſe velle habere aſſerit, iam per infuſionem gratię, quæ in ſe lateant ſemina, oſtendit. Secundum eſt Aug. *Aug.* lib. 1. contra duas epiſt. Pelag. c. 10. n. 11. ex illo verbo, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum, at non eſt vox peccatoris. ego non operor malum aut peccatum, ſed iuſti. Tertium eſt eiuſdem Aug. ibidem, nulla ergo damnatio ijs, qui ſunt in Chriſto, hoc iuſtorum eſt. propter hæc duo argumenta fatetur ibi, ſe à priori receſſiſſe ſenſu, ſimiliter propter hoc, quod eſt quartum, condelector legi ſecundum interiorem hominem. addit etiam aliud, quod eſt quintum, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Chriſtum, vbi loquitur de liberatione per reſurrectionem, ergo loquitur de iuſto in hoc ſtatu corruptionis. *Hieron.* quo argumento probatur ibi, non de impijs poſſe intelligi; quia hi nō liberantur ab hac miſeria per gratiā reſurrectionis, quod argumentum procedit contra tertium etiam ſenſum modo proponendum. His argumētis hinc inde ex varijs verbis ſumptis, vterq; ſenſus Doct. confirmatur, & tam vnus quàm alter de mente Pauli videtur. Tertius ſenſus probatur argumento ipſius Hiero. lib. 2. allegato, quia dicitur, miſer homo, quis me liberabit &c. homo vniuerſaliter ſumitur, & naturæ eſt: ſi de peccatore loqueretur, diceret, miſer peccator, non autem miſer homo, hoc .n. naturæ, illud volōtatis eſt. adde, quòd iuſtum non vocaſſet miſerum. vniuerſalis ergo eſt locutio hæc.

De expoſitione verborum propoſitorum iuxtà priorem ſenſum. Cap. IV.

HAc Doctor. diuerſitate, immo contrarietate exiſtente, expònendum videtur, qualiter verba propoſita interpretari liceat ſecundum ſenſus varios, & quamuis duo ſenſus exiſtant prædicti, tamen expoſitiones, & interpretationes horum verborū ſunt quatuor. Prima eſt prioris opinionis, qui enim tenēt, hæc in perſona peccatoris, & extra gratiam poſiti intelligi, ſic interpretantur. peccator conſuetudine, & habitu peccatorum, & dominio culpæ tentus, deſiderat bo

num

num facere, caſtè viuere,abſtinere à peccatis, tamen,deficientibus viribus arbitrij, non poteſt opere complere, hoc eſt velle adiacet, perficere non inuenio. ſimiliter malum deteſtatur, quia nollet peccare,tamen deficientibus viribus,ſuccumbit, & peccat, hoc eſt,quod volo bonum, ideſt,quod vellem, non facio, & quod nollem malum, ago, ratio enim dictat ſiue per naturã, ſiue per legem, non eſſe malum faciendum, bonum autem ſic. atque voluntas aliqualiter mouetur,quia nollet vnum,alterum vellet facere, tamen deficiente gratiæ virtute, quòd vellet non facit, quod nollet, agit. Senſus denique eſt illius verſiculi à profano Poeta prolati,Video meliora, proboq;, deteriora ſequor. ab hac infirmitate gratia per Chriſtum liberat, dum quod vult bonum facit,& quod non vult malum, cauet, iuuante gratia Dei per Chriſtũ collata,quę ad Euang. pertinet, & ſic apparent hic ſtatus ante legem, & in lege, ſecluſa gratia, & ſtatus gratiæ. addit autem

Orig. Orig. quòd non hic qualiſcumque peccatoris ſtatus deſcribitur, hic enim nec vult bonum, ſed iam prope conuerſionem exiſtentis, & qui ſanari vellet, ſed vere Paulus deſcribit hic iuxtà hunc ſenſum priorem, quid per legem, aut naturam habuerit homo boni, quod imperfectiſſimũ eſt,vt prędiximus.

dicit autem Baſil. hoc Deum ad *Baſil.*

vtilitatem noſtram permiſiſſe, vt per ea,quę animus inuitus patitur, in cognitionem veniat eius, in cuius poteſtate ſit, nempe peccati,& vbi ad ſeipſum redierit, noueritq; quibus in rebus pręter voluntatem ſuam ſeruiat peccato, reſipiſcat ex laqueo diaboli,paratam inueniens miſericordiam Dei, ad eos iuuandos, qui veræ pœnitentes ſunt. Illud idem verbum, perficere non inuenio, Græcę eſt κατεργάζεσθαι compoſitum ab ἐργάζομαι. hoc ſignificat operari, at compoſitum explicat Chryſo. ſer. 6. Philip. 2. vbi ſimiliter habetur id verbum,cum tremore veſtram ſalutem operemini, ibi notat Chryſo. vſum verbo compoſito, quod non ſolum ſignificat operari quomodolibet, ſed accuratè,& magno cum ſtudio operari, vnde verbi ſignificatio facit pro Auguſ. expoſitione, ſed tamen hoc eſt contra ipſum, quod hoc,perficere,non eſt in mortali carne, & tamen ad Philip. 2. habetur contrarium, veſtram ſalutem operemini, vbi habetur hoc idem verbum.

De expoſitione ſecundum ſecundum ſenſum. Cap. V.

QVi ſecundum ſequuntur ſenſum, non eodem modo propoſita interpretantur verba, ſed

Auguſt. Gregor. & al. duplex eſt interpretatio, prior eſt Aug. Grego. & communis aliorum hunc ſenſum ſequentium, vt iuſtus loquatur his verbis, dolens, quòd ſic bonum operetur, vt caro concupiſcat in contrarium, diſtinguntur enim bonum facere, & bonum perficere. bonum facere, eſt operari ſecundum legem, at perficere eſt ſic bonum operari,vt nec noſtra caro in cõtrarium concupiſcat,quod quidem non fit in hoc mortali corpore, eadem eſt diſtinctio de concupi-

Digitized by Google

cupiſcentia mali. fit, & perficitur. fit, quando motus iſte ineſt homini, ſine tamen conſenſu rationis, at perficitur, quando conſentit ratio,& tunc homo malum operatur. & peccat. ſenſus ergo: Velle adiacet mihi, quia iuſtus bonum vult perfectum. at perficere non inuenio, quia non fit totum bonum in hoc ſeculo ſine contradicente concupiſcentia. Rurſus explicat Paulus dictum verbum; non enim quod volo bonum, hoc facio, quia vellet perfecte, & ſine concupiſcentia operari bonum, ago tamē malum, quod nolo, quia concupiſco contra legem, quamuis ipſi non conſentio, & ſic ego non operor hoc malum, nec mihi adſcribitur, cum non conſentiam, ſed peccatum in me habitans per fomitem ſuum & concupiſcentiam ex peccato cauſatam, hoc malum in me operatur, à qua miſeria gratia Chriſti me tandem liberabit, cum à mortalitate iſta liber fuero. Sunt notanda verba *Auguſt.* Auguſt. lib. 3. contra Iulian. cap. 26 vbi in hunc ſenſum ſic dicit. Si non conſentiatur concupiſcentijs carnis, quamuis agantur motibus, non tamen perficiuntur operibus, proinde, cum caro concupiſcit aduerſum ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, vt non ea, quæ volumus, faciamus, nec carnis perficiuntur concupiſcentiæ quamuis fiant, nec noſtra perficiuntur bona opera, quamuis fiant; ſicut enim tunc perficitur carnis concupiſcentia, cum cōſentit ei ſpiritus ad operanda, vt non concupiſcat aduerſus illam, ſed cum illa; ſic etiam bona opera noſtra tunc perficientur, qñ ita ſpiritui caro conſenſerit, vt aduerſus eum etiam ipſa non concupiſcat. hoc enim volumus, cum perfectionem iuſtitiæ concupiſcimus, hoc intēdere concupiſcentijs carnis non perficiendis, & bonum perficere non inuenio, hoc intentione intermiſſa velle debemus, ſed id perficere in iſta corruptibili carne non poſſumus, ideo dicitur, velle adiacet mihi, perficere non inuenio. non ait facere, ſed perficere, quia facere bonum, eſt poſt concupiſcentias non ire; perficere autem bonum, eſt non concupiſcere. Hæc Auguſt. vbi illud bonum, quod dicitur, velle adiacet, exponit, bonū perfectum, nempe ſine concupiſcentia carnis, hoc in hoc ſeculo volumus, & deſideramus, ſed non perficimus, ſed ex parte facimus. & ob id ſubditur: non quod volo bonum, &c. Gregor. lib. 5. in lib. 1. reg. c. 1. prope finem, hoc etiam egregie explicat, ſic dicens: Quid eſt quod deplorat legem ineſſe membris, legi mentis repugnātem, ſi extinctis alijs alij in fugam verſi ſunt, niſi quia perfecti viri hoc ipſum quod ſimplices motus carnis contra voluntatem ſuſtinent, vehementer dolent? Vellent quippe ſic manere in carne, vt contra mentis voluntatem de carne nulla ſuſtinerēt, quod quidem quia impoſſibile eſt, præmiſit, dicens: Velle adiacet mihi, poſſe non inuenio; non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio, quaſi dicat, vellem eſſe in carne, non ea perfectione, qua perfectus in carne, perfectus eſt, ſed ſicut angeli Dei in cælo. ſed hoc poſſe non inuenio, quia quamdiu mors peccati abſorpta in futura reſurrectione nō fuerit, illud quod in me peccatum inhabitat, mouet me contra me. hæc Gregor. ex quibus expoſitio verborum iſtorum, iuxta communem

ſen-

Digitized by Google

ſenſum poſteriorum explanatur. in hoc ſenſu bonũ, quod vult, & nõ poteſt, & bonum facere, non contradicente concupiſcentia. malum, quod nollet, & facit, eſt concupiſcere carne contra legem, quod malum eſt, licet non ſit peccatum, quando conſenſus rationis non accedit.

De expoſitione alia iuxta poſteriorem ſenſum, & iuxta tertiam expoſitionem. Cap. VI.

Caſſian. CAſſianus collat. 23. cap. 15. Abbatis Theonis expoſitionem aliquanto diuerſam adducit, bonum hoc, quod vellet, contemplationem diuinam exponit, à qua neceſſe eſt deuolui, & deſiſtere corporalium rerum neceſſitate, & occupatione multiplici, propter quã non valet mens perpetuo in hoc ſeculo Deum contemplari. quam occupationem, & neceſſitatẽ malum vocat, non quidem quod peccatum ſit: ſed quod de peccato ſit. late ibi cap. 16. & ſequentibus explicat Abbas ille. Diſtincta eſt hæc expoſitio, quia Auguſtini, & aliorum ſenſus eſt, bonum, quod vellet generaliter, eſſe quodcumque bonum, & ſecundum Dei voluntatem, & legem, quod ſit nulla repugnantia concupiſcentiæ, hoc vellet, ſed non poteſt iuſtus adipiſci in hoc ſeculo, & malum eſt ipſa carnis concupiſcentia. at ſecundum hanc expoſitionem bonum hoc eſt illa Dei contemplatio, qua mens in Deum actualiter fertur, à qua neceſſe eſt deſiſtere ſæpe rerum corporearum indigentia, & occupatione etiam bona, & licita, quæ reſpectu illius minus eſt bonum, & ita homo quod nõ vult agit, & quod vult non poteſt continuo præſtare. Conuenit tamen in hoc iſta expoſitio, quod iuſtorũ ſunt hæc verba, dum in hoc mortali degunt corpore. iuxta tertium ſenſum Hieronymi expoſitio plana eſt. Omnis enim homo ſentit hanc repugnantiam ſenſus contra rationem, & multa vellet bona, quæ non valet, & cauere, quæ non poteſt etiam iuſtus, qui ſine peccato viuere in hoc ſeculo non valet.

Unde varietas ſenſuum horum proceſſerit. Cap. VII.

NOn eſt ſine conſideratione prætereundum, vnde prouenerit varietas horum ſenſuum; huius enim ſunt duæ cauſæ. Vna eſt veritas doctrinæ, altera eſt verborum adaptatio. Quantum ad priorem cauſam, aduerte, verã eſſe doctrinam, peccatorem, & extra gratiam poſitũ poſſe aliquod bonum, ſiue per naturalem cognitionem, ſiue per legem, ſiue per fidem noſſe, habereq. aliquam voluntatem imperfectam faciendi, & tamen ſine gratia id facere non poſſe, ſimiliter aliquod malũ noſſe, aliquamq. nolleitatem habere, tamen gratia deficiente id non vitare in effectu, & talis dicere poteſt vere: Velle

Digitized by Google

adiacet mihi, at facere non inuenio; non enim quod volo, ideſt, vellem bonum, hoc facio, ſed quod nollem malum, hoc ago. quot ſunt enim, qui vellent caſte viuere, nollent luxuriæ indulgere, tamen pondere peccatorum, & conſuetudinis malæ grauati, id non faciunt bonũ, ſed malum agunt. Ab hoc malo, & miſeria liberatur homo per gratiam, qua, remiſſo, & ablato peccati pondere, poteſt homo quod vult bonum operari, & quod nollet malum cauere. Vera igitur eſt doctrina hæc. eſt etiam adaptabilis verbis Pauli, vt ex dictis apparet. Vera etiam eſt doctrina, qua homo iuſtus in hoc ſeculo non valet bonum facere abſque pugna carnis, & vellet bonum ſine contradictione operari, at non valet in hoc mortali corpore, donec per gratiam reſurrectionis liberetur, & omnino radix peccati euellatur; dicit enim Proclus apud Epiphan. hæreſ. 64. Sicut quando caprificus agit radices in muro, ſeu ædificio, quantumcumque ſcindatur, manet radix, opus eſt murum deſtruere, & tunc reædificabitur ſine radice, ſic in corpore iſto mortali fit, in quo radix manet peccati, concupiſcentia nempe rebellis, donec moriatur, & iterum reædificetur per reſurrectionem. Vnde vera eſt doctrina, &, quantum ad poſteriorem cauſam, verbis adaptabilis, vt dictum eſt. idem dici poteſt de tertio ſenſu Caſſiani. & idem etiam de ſenſu Hieronymi ſuperius allegato; homo enim, tam iuſtus, quàm peccator, multa vult bona, quæ non poteſt, & nõ vult mala, quæ facit. vellet etiam iuſtus numquam peccare, & tamen id non poteſt. nollet vitium vel veniale committere, & tamen id cõmittit, quia nemo eſſe ſine peccato poteſt in hoc corpore mortali. Cum igitur vera ſit doctrina in omni expoſitione, & adaptari verbis magna ex parte poſſit, non mirum ſi pro varietate ingeniorũ, & intellectuum diuerſi Doctores in diuerſos diuerterunt ſenſus.

Procl. Epiph.

De ſolutione argumentorum in contrarium pro priori ſenſu. Cap. VIII.

VT autem appareat, non temere Doctores in diuerſos hos diuertiſſe ſenſus, quæ in contrarium adducta ſunt, ſoluemus, & primo loco argumenta, quæ facta ſunt in cap. 2. in confirmationem prioris ſenſus contra poſteriorem. Ad tria illa Orig. reſpondet Aug. lib. 1. con. 2. epiſt. Pelag. 10. ad primum, ibi dicitur carnalis, ſicut mortalis. non quod ſecundum carnẽ viuat, eius ſequendo appetitus, ſed quod in carnali adhuc ſit corruptione, nondum glorificatus. Ad ſecundum, quod dicitur venundatus ſub peccato, reſpondent, non excludi per hoc redemptionem, ſed quod corporis redẽptionem nondum ſit conſecutus, iuxta illud Rom. 8. Ingemiſcimus adoptionem filiorum ſpectantes, redemptionem corporis noſtri. Venundatum ergo dicit ſub peccato, quia à corruptione adhuc nõ eſt redemptum corpus eius. vel dicit, ſe venundatum aliquando in prima tranſ-

Auguſt.

Rom. 8.

tranſgreſſione præcepti, vt corpus haberet corruptibile aggrauans animam. Ad tertium reſpōdet, non eſſe dictum, non habitat in me, ſed in carne mea, quod ratione concupiſcentiæ contra legem dictum eſt, quod alias dixerat, ſentio legē in membris meis. Vnde aliud eſt inhabitare, aliud regnare peccatum, de quo dictū eſt: Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore. inhabitat vbi ſtimulus eſt ad peccandum; regnat vbi conſenſus eſt peccati, illud in iuſto, hoc in peccatore fit. Ad 4. reſpondet idem Auguſt. lib. 3. contra Iul. cap. 26. iuſtos facere bonum, tamen hic vocatur, perficere, ita bonū operari, vt nihil ſit contradictionis, & concupiſcentiæ contrariæ, quod nullus iuſtus habet in hoc ſeculo. Ad 5. reſpōdet Aug. lib. 1. con. epiſt. illas cap. 10. dicere, ſe facere malum, quod non vult, non conſenſu rationis, ſeu affectu cōſentiendi, & implendi, ſed ipſo motu concupiſcendi. Ad 6. reſpondet ibidem, idem eſſe cum 3. habitare peccatum, eſt ſentire legem hanc in membris, propter quod olim tenuit priorem ſententiam, motus illo verbo, captiuantem me in lege peccati, at nunc reſpondet, dici captiuantem me, non mente, ſed carne; motione, non contentione: ideo autem dici (me) quia ipſa caro non eſt aliena natura, ſed noſtra. Poſſemus dicere, hic loqui de peccato in genere, & ſic iuſtus captiuatur, quia veniale effugere non poteſt ita, vt omni careat peccato. ibidem ſoluit argumentum aliud, quare dicatur, quod operor, ignoro. reſpondet cap. 11. idem eſſe ignoro, ac non probo, quaſi diceret, quod operor, non probo.

De ſolutione argumentorum pro altero ſenſu, ſimiliter & pro tertio. Cap. IX.

ALiquo etiam modo ſolui poſſunt, quæ pro ſenſu Auguſtini faciunt. Ad primum Gregor. dico, non ita deſtitui hominis naturam per peccatum, vt nequeat bonum rationis cognoſcere, & imperfecte velle aliquando auxilio communi Dei, quod ſi neceſſarium eſt ſpeciale, ſaltem ſine gratia, & in peccato id poteſt præſtare. Ad ſecundum dico, dici peccatorem non operari illud malum, non quod non conſentiat, ſed quod non ex ſe moueatur tantum, ſed tractus concupiſcentia ſua. Ad tertium, illud eſſe dictum, poſtquam dixit, quis me liberabit, &c. gratia Dei per Chriſtum, ſequitur, nulla ergo damnatio, &c. vnde potius pro altera parte facit argumētum hoc, quod ante locutus ſit extra gratiam. Ad quartum dico, non eſſe aliud condelectari in hoc loco, quàm mente probare, & velle bonum, quod præcipit lex, licet non faciat, quod peccator facit. Ad quintū dico, loqui de gratia vtraque, iuſtificationis, & reſurrectionis, quæ primo animam, poſtea liberat corpus. Vnde nec contra Hieronymi ſenſum conuincit hoc argumentum. Hinc patet, non temere Doctores varios in ſenſus diuertiſſe in his verbis, nec argumentum Hieronymi conuincit: nam vt dicit Auguſt. lib. 3. contra Iul. *Auguſt.*

Digitized by Google

cap. 26. Vox hæc eſt iuſti, ſed conquerentis, & dolentis, naturam humanam ſauciatam priorum hominum vitio.

De vero ſenſu ſecundum probabilitatem maiorem. Cap. X.

QVantum mihi videtur, prior ſenſus eſt ad mentem Pauli, vt his verbis loquatur in perſona exiſtentis ſub lege: nam in iſto capite, intentum eius, ſi bene conſideretur, eſt, docere legem non attuliſſe homini remedium contra concupiſcentiã, & peccatũ, ſed hoc feciſſe, vt oſtenderet, quod peccatũ magis quàm antè noſcebatur. Vnde ex hoc euenit, potius augeri peccatum per accidens, quamuis lex ſancta, & bona, & ſpiritualis eſſet; quia homo erat carnalis, & peccator, & impotens ad bene operandum; cum autem lex non dederit hoc auxilium, nec tulerit peccatum, euenit vt potius creſceret peccatum, dum magis notum erat peccatum, quod perpetrabatur, in quo ſtatu homo quidem habebat noſſe peccatum, & voluntatem imperfectam boni, & cauendi peccatum, tamen deerant vires, quia captiuabatur à lege iſta peccati inhabitante in membris. ab hac miſeria gratia per Chriſtum liberat, & à corpore mortis huius, ideſt, ne pertrahamur ad peccatum, vt in ſtatu legis, & quod lex non potuit, id gratia effecit, per quam gratiam fit, vt mente ſeruiamus Deo, quamuis caro teneatur lege illa peccati. Vnde hæc iam in Chriſto renatis non adfert damnationem, quia per gratiam reſiſtitur ei, vt mentem non pertrahat, Iſtum puto ſenſum. & quod iſte ſit, præter multa, id vnum probat. quod, poſtquam dixit (quis me liberabit, &c. Gratia Dei per Chriſtum) intulit, mente ergo ſeruio legi Dei, carne legi peccati. quaſi diceret: liberatus per hanc gratiam ſeruio mente Dei legi, quod ante non potui, lege carnis captiuante me, & trahente mentem ad ſe, carne ſola legi ſeruio peccati. vnde rurſus infert, nihil ergo damnationis ijs, qui ſunt in Chriſto, qui non ſecundum carnem ambulant, ideſt, qui, quamuis carne ſeruiant legi carnis, & concupiſcant, ſola id carne faciunt, non mente. Vnde manifeſtum, non loqui de gratia reſurrectionis, ſed de gratia iuſtificationis, poſtquam homo mente legi Dei ſeruit, non carne, & ſic antecedentia de ſtatu ante gratiam Chriſti oportet intelligere. nec argumenta Auguſtini conuincunt, quæ ſuperius ſoluimus: immo, præter id, quod modo diximus contra eius expoſitionem, illud etiam eſt, quod dicitur: velle adiacet, perficere nõ inuenio, aliter tamen per gratiam vult iuſtus, & facit. quod enim notat aliud facere, aliud perficere, verum eſt in ſe, ſed in textu nihil facit ad rẽ: nam ſtatim dicitur, non quod volo bonum, hoc facio. & non dicit, perficio. Senſus ergo loquentis cum dono legis ſine gratia, per quam legem, licet homo velit vtcumque bene operari, ſiue cum auxilio ſpirituali, ſiue non, tamen non poteſt bonum debitum implere, nec peccatum

catum effectualiter cauere, ſed captiuatur à lege membrorum ante legem præcedente, poſt primum peccatum parentum, à qua liberatur ſola gratia Chriſti, ita vt maneat lex illa, ſed reſtricta in carne, mens vero libere ſeruiat legi Dei, & nihil damnationis adferat, nec pertrahat ad peccatum liberatos à gratia, vt ante faciebat. totus cõtextus etiam verborum ſequentium eſt de hac libertate per gratiam Chriſti iuſtificantem, & de comparatione huius gratiæ ad legem illam. Nihil de reſurrectione hic tractat Apoſtolus, quæ omnia facile probabuntur ab eo, qui attente conſiderat totum cõtextum. Ex quibus omnibus patet propoſitorum verborum verus ſenſus; per legem enim, ſeu In lege, noſco peccatum: velle bonum, nolle malum aliqua ex parte mihi adiacet; at non valeo facere quod volo, nec cauere peccatum, quod nollem, quia hoc fit ſola Redemptoris gratia.

FINIS.

INDEX ALPHABETICVS
RERVM PRAECIPVARVM ET LOCORVM DIFFICILIVM,

Quæ explicantur à Franciſco Toleto, è Societate IESV, S.R.E. Presbytero Cardinali, in commentarijs, & annotationibus Epiſtolæ B. Pauli ad Romanos.

ACIBO communi cur abſtinendum. 704
Abba pater quare geminatur. 399
Abba pater quare clamamus. 400
Abrahae hiſtoria. 240
Abrahae iuſtitia an fuerit ſecundum ſubſtantiam, an ſecundum qualitates fidei. 243
Abrahæ credulitas commendatur. 235
Abrahae fidei magnitudo. 338. 339
Abraham cur pater dictus eſt. 202
Abraham non iuſtificatum eſſe ex operibus, quomodo intelligatur. 204
Abraham non ex ſola fide iuſtificatum. 206
Abraham credendo, num primam, vel ſecundam gratiam conſequutus ſit. 207
Abraham quomodo intelligatur ex fide iuſtificatus. 210
Abraham non tantũ ex fide, ſed ex operibus etiã iuſtificatus. 203. 209
Abraham quomodo primam, non ſecundam gratiam conſecutus ſit. 212
Abraham ex gratia, non ex debito iuſtificatus, & ideo ex fide, non ex operibus præciſè. 215
Abraham in praeputio exiſtens dicitur accepiſſe iuſtitiam per fidem. 223
Abraham quomodo pater multarum gentium. 233
Abraham crediidiſſe contra ſpem quomodo intelligatur. 236
Abraham non hæſitauit in promiſſione. 241
Abraham cur dicatur habuiſſe corpus emortuum. 238
Abrahamo quomodo credulitas reputata eſt ad iuſtitiam. 207
Abſit quid ſignificet apud Paulum. 300
Abſtinens, & manducans contra fidem cur peccet, vel excuſetur. 708
Abſtinentiæ ſex differentiæ. 674
Abſtinere à malo non ſufficit, niſi fiat bonum. 317
Abundare in ſuo ſenſu quomodo intelligatur. 688
Acceptio perſonarum non eſt apud Deum. 114
Achæus primitiuus cur dictus. 246
Adæ, & Chriſti ſimilitudo. 285. & 292
Adam & Chriſti ſimilitudo prima. 292
Adam & Chriſti ſimilitudo ſecunda. 294
Admonitor vt ſit quiſpiam duo requiruntur. 723

Ado-

Adoptionis filiorum effectus qui, & quomodo apparebit. 417
Aduentus Chriſti cur factus eſt hora diei. 666
Aedificare ſuper fundamentum alienum quomodo intelligatur. 729
Aerumna mea quid ſit. 797
Aerumna quid denotet iuxta tranſlationem 70. interpretum. 799
Afficere corpora ſua in ſemetipſis quomodo intelligatur. 78
Afflictionis cum gloria comparatio. 406
Altum ſapere quid ſit. 561
Ambulare in carne non ſecundum carnem quomodo intelligatur. 367
Anathema quid ſignificet. 453
Anathema, quod Paulus fieri optabat pro fratribus, quod ſit. 454
Anathema eſſe a Chriſto, quomodo intelligatur. 463
Andronicus et Iunia qui fuerint. 746
Apoſtoli compoſitio ſuper quæſtionibus de delectu ciborum. 678
Apoſtoli vices Chriſti quomodo geſſerint. 26
Apoſtolus cur dictus Paulus, & Saulus. 3
Apoſt. cur dicit iuſtificauit, & non, iuſtificaturus, in futuro. 438
Argumenta, quibus Apoſtolus hortatur nos ad perferendas tribulationes huius mundi. 419
Auditus cur requiratur ad fidei credulitatem. 524

B

Baal idolum quod fuerit. 541
Baptiſma quomodo gerat ſimilitudinem ſepulturæ Chriſti. 302
Baptizari in Chriſti mortis ſimilitudinem cur dicuntur, qui in Chriſto baptizantur. 304
Babtizari in Chriſto quid ſit. 302
Beatior quis dicatur, an cuius remiſſa, an cuius tecta ſunt peccata. 778
Beatitudinis, remiſſionis ſcilicet, tectionis, & non imputationis peccati an diſtinctus ſit ordo. 785
Beatitudo quare vocetur hereditas iuſtorum. 403
Benedictionis plenitudo quid denotet. 736
Beneficia collata populo Iudæorum. 460
Beneficij collati erga inimicum fructus. 640
Beneficium præcipuum collatum populo Iudæorum fuit, Chriſtum naſciturum ex eius ſtirpe. 462
Benignitas Dei ad pœnitentiam nos adducit. 100
Bona opera cur vocentur arma lucis 669
Bonitas Dei quid ſignificet. 563
Bonum noſtrum quid appellet Apoſtolus. 700

C

Caeremonias legis veteris obſeruare an ſit error fidei. 697
Caij quot fuerint. 754
Captiuitas qua bona, & qua mala. 368
Carbones ignis congerere ſuper caput inimici, quid ſit. 641
Carnis nomine intelligitur omnis homo in peccato exiſtens. 166
Caſus Iudæorum, & iuſtitia credentium. 507
Cenchris oppidum vbi ſitum. 743
Chariſmata diuerſa dari ſecundum gratias differentes. 605
Charitas chriſtiana tam inimicos, quàm amicos amplectitur. 625
Charitatis duplex acceptio. 258
Chriſti & Adæ ſimilitudo. 285. & 292
Chriſti prædeſtinationis explicatio. 15
Chriſti mors ſola an fuerit ſufficiens, & ſatisfactoria abſque eius reſurrectio-

rectione. 246
Chriſti iuſtitia opponitur demerito Adæ. 292
Chriſti aduentus, & iuſtitiæ neceſſitas vnde. 269
Chriſti diuinitatis, & humanitatis apertum teſtimonium. 463
Chriſtiani perfecti qualitates, & conditiones. 615
Chriſtiani ad inuicem ſubuenire debent. 623
Chriſtianorum antiquorum quæſtiones de delectu ciborum. 667
Chriſtianorum vita qualis eſſe debeat. 668
Chriſto adueniente cur dicitur hora eſſe de ſomno ſurgere. 667
Chriſto quomodo aſſimilabimur in reſurrectione. 308
Chriſtum deducere, vel Chriſtum à mortuis reuocare quid ſit. 520
Chriſtus quomodo dicitur prædeſtinatus. 14
Chriſtus an melius dicitur deſtinatus, quàm prædeſtinatus. 15
Chriſtus quomodo in virtute dicitur prædeſtinatus. 18
Chriſtus quomodo demonſtratus, & promulgatus filius Dei. 19
Chriſtus in virtute quomodo demonſtratus. 20
Chriſtus quomodo dicitur filius Dei prædeſtinatus ſecundum ſpiritum ſanctificationis. 20
Chriſtus quomodo propoſitus propitiator in ſanguine. 222
Chriſtus quomodo dicitur mortuus propter noſtra delicta. 245
Chriſtus quomodo ſecundum tempus dicitur mortuus. 259
Chriſtus non ex neceſſitate, ſed ex charitate mortuus eſt pro nobis. 203
Chriſtus per mortem nos recõciliauit; per reſurrectionem nos glorificauit. 265
Chriſtus quomodo oſtendit charitatem ſuam in nobis. 262
Chriſtus aliter quam nos dicitur mortuus pro peccato. 312
Chriſtus reſurrexit per gloriam patris, quomodo intelligatur. 308
Chriſtus quomodo dicitur mortuus pro peccato. 313
Chriſtus cur miſſus in ſimilitudinem carnis. 378
Chriſtus quomodo intelligitur miſſus in ſimilitudinẽ carnis peccati. 379
Chriſtus quomodo de peccato damnauit peccatum. 380
Chriſtus ad quid damnauit peccatum. 382
Chriſtus quomodo dicitur interpellare & orare pro nobis. 443
Chriſtus cur dictus lapis offenſionis, & petra ſcandali. 507
Chriſtus cur comparatus lapidi paruulo, ſiue offendiculo. 507
Chriſtus cur finis legis, & qũo. 515
Chriſtus quomodo dominus viuorum, & mortuorum. 694
Chriſtus quomodo ſuſcepit nos in honorem Dei. 716
Chriſtus quare dicitur miniſter circumciſionis. 712
Chriſtus qua ratione gentes ſuſceperit. 718
Chriſtus cur potius dicitur radix Ieſſe, quàm Dauid. 720
Chriſtus qua ratione omnes ſuſceperit. 717
Chriſtus quomodo noſtras portauit infirmitates. 711
Chriſtus qua ratione omnes ſuſceperit. 717
Cibi communes, & immundi cur dicantur. 698
Cibi qũo intelligantur mundi. 703
Cibo cur non veſcendum cum ſcandalo proximi. 699
Ciborum diſtinctio an ſit faciẽda. 690
Circumciſio, & præputium quid ſint, & in quo differant. 135

Cir-

Circumciſio Iudæi dicitur facta præputium ſine legis obſeruantia. 136
Circumciſio vera, & Deo grata eſt cordis. 139
Circumciſio quomodo dicatur ſignaculum iuſtitiæ fidei. 222
Circumciſio ſpiritualis extenditur etiã ad gentes. 224
Circumciſionis vtilitates erga Iudæos. 142
Clamor & rugitus quid ſint. 795
Concupiſcentia, quàm lex prohibet, quæ ſit. 340
Concupiſcentia quomodo accipitur in bonam, & malam partem. 341
Concupiſcentia, quàm peccatum dicitur operatum per mandatum, quæ ſit. 346
Concupiſcentia quare dicitur lex. 368
Concupiſcentiam eſſe peccatum, quando ignorauerit Paulus. 343
Conſcientia teſtis apparebit in die iudicij. 128
Conſcientia dicitur accuſator, & defenſor. 128
Conſcientia teſtatur nos habere legis opera in corde ſcripta. 127
Conſilium & vitæ inſtructio. 832
Conſummatio abbreuiata cur dicitur inundans iuſtitia. 502
Contentio, dolus, & malignitas quomodo differant. 88
Conterere ſub pedibus quid denotet. 753
Conuerſus ſum in ærumna mea quid ſignificet. 801
Corpora quomodo dicuntur viuificari. 392
Corpus quibus modis offeratur, & ſacrificetur Deo. 586
Corpus peccati deſtruere quid ſit. 307
Corpus mortis quod ſit, de quo Paulus cupiebat liberari. 369
Creatura quomodo expectat reuelationem filiorum Dei. 408
Creatura vanitati ſubiecta quæ. 410
Creatura cur ingemiſcere dicatur, & parturire. 412
Creatura mundi quid denotet. 65
Creatura quæ liberabitur a ſeruitute corruptionis. 412
Creaturæ ingemiſcentis nomine quid intelligatur. 414
Creaturæ nomine quid ſignificetur. 408
Credulitas Abrahæ cõmendatur. 235
Credulitatis Abrahæ merces quæ fuerit. 211
Crimina & ſcelera quæ proueniunt ex reprobo ſenſu. 90

D

Damnationis cur nihil dicatur eſſe in ijs, qui ſunt in Chriſto, & non ſecundum carnem ambulant. 375. & 376
Dare locum iræ quid. 637
Dauid cur peccauerit, cum eſſet iuſtus. 766
Dauid quare dixit, confitebor, non autem, confeſſus ſum. 809
Dauid cur vſus ſit diſtinctione confeßionis a peccato, iniuſtitia, & præuaricatione. 809
Declinaſſe quinam dicantur, & facti inutiles. 158
Dei a charitate quod nulla creatura nos poßit ſeparare, vnde prouenit. 448
Dei benignitas ad pœnitentiam nos adducit. 100
Delicti & doni collatio. 282
Delictum qui differat a peccato. 805
Delictum notificare, & abſcondere quomodo intelligatur. 805
Delictum meum quid denotet. 803
Deo ſeruire qui dicantur. 629
Deum omnia in incredulitate concluſiſſe, vt omnium miſereretur. 583
Deum glorificando quid facimus. 852
Deus quomodo innoteſcere potuit philoſo-

Digitized by Google

loſophis, & ſapientibus. 57
Deus quomodo cognoſcatur, & manifeſtetur. 64
Deus dicitur diues in longanimitate, & patientia. 99
Deus reddet vnicuiq; ſecundum opera ſua. 103
Deus quomodo dicitur verax, & omnis homo mendax. 144
Deus quomodo iuſtificetur in ſermonibus. 146
Deus quare non dicatur iniquus. 148
Deus quomodo iuſtus declaratus. 190
Deus benedicens populo Iſrael non reſpexit ad generationem ſecundum carnem. 466
Deus quomodo induret. 490
Deus quomodo dicitur interpellare aduerſus Iſrael. 540
Deus quomodo omnia in incredulitate concluſit. 574
Deus non dicitur retribuere, ſed tribuere. 579
Deus illum aſſumpſit, de quo intelligatur. 684
Deus patientiæ, & ſolatij cur dicatur. 714
Deus cur ſolus ſapiens. 757
Deus quæ vult fieri a nobis quotuplicia ſint. 593
Diaconia quomodo in miniſtrando conſiſtat. 607
Diaconiæ functiones quot ſint. 609
Diaconiſſæ officia olim in Eccle. 743
Dies iræ quare dicitur dies vltimus. 101
Dilectio ſine ſimulatione quomodo debet eſſe. 615
Dilectio etſi contineat legis plenitudinem, non tamen aufert obligationem, aut poſſibilitatem illam ſeruandi. 663
Dilectio perfecta in quo conſiſtat. 616
Dilectionis mandatum quomodo contineat cetera mandata particularia erga proximum. 661
Diluuium aquarum quid denotet. 817
Diſceptatio cogitationis quid denotet. 680
Docere in doctrina quomodo intelligatur. 608
Dolum non eſſe in ſpiritu, quid denotet. 786
Dolus in quo conſiſtat. 786
Dominium Dei ſupra homines notandum. 496
Domino manducare quomodo dicitur, qui omnia manducat, ſimiliter qui non manducat. 691
Dona Dei, & vocationem ſine pœnitentia eſſe, quo intelligatur. 572
Doni & delicti collatio. 287
Donum in quo ſupergreſſum eſt peccatum. 290
Durationem ante mundum non fuiſſe, ſed æternitatem. 859

E

Electi ex Iudæis quare dilecti. 579
Electionem, & ſeparationem duorũ fratrum non eſſe factam ex prænuiſis operibus, ſed ex vocante. 477
Electionis gratuitæ rationem non tollit, ſaluari aliquos magis quàm alios. 542
Equi, & muli quare Dauid potius adducat exemplum, quàm aliorum animalium. 832
Eruditio, quam ſignificat Maſchil, quæ ſit. 760
Eſau odiſſe, & Iacob dilexiſſe quomodo dicatur Deus. 482
Eſau quare Deus reiecerit. 489
Eſau cur dicitur ſeruiſſe Iacob. 481
Eſau quare ab hereditate Abrahæ expellitur. 476
Eſſe ex contentione qui dicantur. 108
Eſſe ſub lege, & eſſe ſub gratia quid ſint. 318
Eſſe in ſpiritu, & ſpiritum habitare in ho-

in homine quomodo differant. 729
Euaneſcere in cogitationibus ſuis quid ſit. 73
Euangelij prædicatio tempore Apoſtolorum an peruenit in vniuerſum orbem. 533
Euangelium quomodo intelligatur promiſſum per prophetas in ſcripturis. 11
Euangeliũ quot modis accipiatur. 11
Euangelium quomodo dicitur eſſe infideli in ſalutem. 11
Euangelium quomodo dicitur lex factorum, & gratiæ. 196
Ex fide in fidem quomodo intelligatur. 49
Ex Deo quomodo omnia dicuntur eſſe & permanere. 579
Ex Deo eſſe omnia quomodo ſpectet ad totam Trinitatem. 580
Ex fide non eſſe quid ſit. 707
Exemplum de febricitante, & lippo. 355
Exemplum de gratuita iuſtificatione per fidem contra hæreticos. 184
Exhortari in exhortando, quid denotet. 609
Expectationis creaturæ qualitas. 407
Exultatio quid ſignificet. 823
Exultatio myſtice ſignificat filium Dei incarnatum. 825
Exultatio in quo differat a lætitia. 841
Exultationis, lætitiæ, eruendi, & redimendi vocabulis cur Dauid vtatur. 824

F

Factores legis quare dicantur iuſtificari. 119
Fide firma manente, Dei promiſſio non euacuatur. 119
Fidei Abrahæ magnitudo commenditur. 239
Fidei confeſſionis effectus. 522
Fidei Abrahæ qualitates qua iuſtificatus eſt. 242
Fidei iuſtitiæ magnitudo & excellentia. 249
Fideles quare dicantur debitores. 393
Fidem iuſtificare cur dixerit Paulus. 177
Fidem reputari ad iuſtitiam quid ſit. 242
Fidem in Deum, ſuſcitante Ieſu, eſſe totius Euangelij ſummam, 244
Fides Romanorum quomodo annunciatur in vniuerſo mundo. 31
Fides in fidem quomodo tendit, & quæ ſit. 48
Fides dicitur diſpoſitio, & inſtrumentum iuſtificandi peccatorem. 175
Fides ſicut eſt diſpoſitio intellectus, ita pœnitentia voluntatis. 176
Fides quomodo iuſtificet. 176
Fides per ſe non habet vim iuſtificandi, ſed ex obiecto Chriſti. 183
Fides quare iuſtificet. 183
Fides quomodo reputata eſt Abrahæ ad iuſtitiam. 221
Figuli metaphora notanda. 494
Figuli exemplum ad quid Paulus adducit. 495
Figura & forma in quo differant. 593
Filiatio Dei dupliciter olim conueniebat Iudæis. 459
Filij promiſſionis quomodo æſtimati in ſemine Abrahæ. 470
Filij Abrahæ & Iſraelitæ qui. 467
Filij carnis quomodo non ſint filij Dei. 470
Filio ſuo quomodo intelligatur ibi. de filio ſuo. 13
Filios Abrahæ non ſecundum carnalem generationem, ſed ſecundum diuinam eſſe recenſendos in ſemine. 474
Firmiores debent infirmos ſuſtinere, ſicut Chriſtus noſtras portauit infirmitates. 710
Flagella peccatoris, & tribulationes iuſto-

iuſtorum quomodo conueniant, & quomodo differant. 835
Flagellum pœnarum tẽporalium quotuplex. 837
Fructum qui afferunt in patientia quam mercedem recipient. 104
Functiones diuerſæ ſunt in Eccleſia ſecundum gratiam. 603
Functiones prophetiæ quot ſint. 609

G

Gemitus cur dicuntur inenarrabiles. 426
Gentes quomodo tenebantur ſeruare legem Moyſi ante Chriſti aduentũ, & quare non excuſentur. 115
Gentes ſine lege viuentes peccant contra legem inditam in corde & mente. 114
Gentes ditatæ Apoſtoli miniſterio, & cum prouocatione Iudæorũ. 557
Gentes per Euangelium ſanctificari. 725
Gentes electas eſſe a Deo, non ex operibus Eſau & Iacob, ſed pro ſua voluntate, & gratia. 477
Gentiles quomodo poſſunt eſſe factores, & præuaricatores legis, ſi eam non audierunt. 122
Gentiles habere dictamen legis in mẽte indicans bona & mala. 122
Gentiles peccantes quomodo ſibijpſis ſunt lex. 122
Gentilis non debet gloriari ſupra Iudæum. 560
Gentilis quare debet timere. 563
Gẽtilis cur magis timere debet quàm Iudæus. 564
Gladium cur portet princeps. 654
Gloria quid ſit reſpectu Dei. 581
Gloria patri in pſal. quis inſtituit decantari 844
Gloria patri, quid ſignificet. 847
Gloria patri quomodo ſint verba laudis in Deum. 848
Gloriæ cur in nobis manifeſtãda. 406
Gloria quid ſit. 849
Gloria quotupliciter ſumatur in Scriptura. 850
Gloria quomodo competat Deo. 851
Gloria patri ſignificationis verus ſenſus. 852
Gloria Dei externa quid ſibi velit. 856
Gloriam Deo dare quid ſit. 242
Gloriamur cur in Deo. 266
Gloriamur cur in tribulationibus. 255
Gloriari quid habeat amplius quàm lætari. 842
Gloriari quid ſit, & quando peccatum. 842
Gloriari quid ſit, & quotupliciter ſumatur. 251
Gloriatio Iudæi excluſa eſt propter legis Moſaicæ ceſſationem. 192
Gratia in Scriptura quot ſignificationes habeat. 23
Gratia dicitur cauſa efficiens iuſtificationis, merita vero Chriſti cauſa meritoria. 181
Gratia quomodo ſuperabundauit delictum. 289
Gratia iuſtificationis non ex operibus tantum, ſed ex fide Chriſti fundata in meritis, præcedente diſpoſitione. 545
Gratis quomodo dicitur Deus iuſtificare. 180
Gratis quomodo dicitur homo iuſtificari. 182
Gratis quomodo redempti ſumus. 181

H

Hæretici quomodo decepti per ſolam fidem. 176
Hereditas quomodo ex promiſſione, non ex lege. 230
Hereditas ex fide, non ex lege. 230. 231
Hilaritas in miſericordia requiritur. 613

Homi-

Hominem ex operibus iuſtificari, non ex ſola fide, explicatur. 120
Hominem non habere in natura cur retrahatur a peccato. 161
Hominem non iuſtificari ex operibus, ſed ex ſola fide, quomodo. 202
Homines quomodo redempti gratis, & per fidem. 202
Hominis iuſtitia non in ſola fide, ſed & in operibus conſiſtit. 102
Hominis ex parte an ſit aliquid cooperans ad propoſitum Dei. 434
Hominis ſtatus triplex, & quis. 332
Homo vetus dicitur morti fructificare, nouus vero Chriſto. 334
Homo dicitur venundatus ſub peccato, quare. 334
Homo cur peccet faciendo malum, quod odit. 352
Homo cur dicitur ingemiſcere. 417
Homo cur non debet reſpondere Deo. 492
Homo vetus & nouus quis dicatur. 306. & 592
Homo ſicut per peccatum fit ſeruus peccati, & mortis, ita per obedientiam fit ſeruus Euangelij, & iuſtitiæ. 319
Homo in natura non habet cur retrahatur a peccato. 161
Honore inuicem quomodo præuenire debemus. 618
Honorem, & pacem dari omni operanti bonum, tam ante, quàm poſt aduentum Chriſti. 111
Hoſpitalitatis commendatio. 625
Hoſtia omnis ſancta an ſit Deo placens. 588
Hoſtia rationabilis quæ ſit. 589
Humilitas Apoſtoli in commendando ſe precibus aliorum. 737
Humilitatis documenta. 629

I

IDipſum inuicem quomodo ſentire debemus. 627
Ieſu Chriſti nomine multi articuli fidei comprehenduntur. 5
Imago filij, cui conformes ſunt prædeſtinati, quæ ſit. 437
Implere iuſtum legis quid ſit. pag. 383
Impoſſibile legis quid eſſet. 378
Impudentia hominis reſpondẽtis Deo quomodo reprimatur. 497
Imputare & reputare ad iuſtitiam quomodo differant. 213
In Iſaac vocabitur tibi ſemen quomodo intelligatur. 474
In ſimplicitate tribuere quis dicatur. 611
In Chriſto baptizari quid ſit. 302
Incarnationem Chriſti cur expectauit Deus ad oſtendendam ſuam iuſtitiam. 194
Infirmus in fide quis dicatur. 678
Infirmus quare, & quomodo intelligatur veſci oleribus. 682
Inimici, & charisſimi qui dicantur ab Apoſtolo. 570
Inimico in neceſsitatibus eſt ſubueniendum. 639
Iniquitas noſtra dicitur cauſa cur Deus iuſtificetur. 147
Iniquitati ſeruiens quem fructum conſequitur. 322
Inobedientia vnius ſi omnes mortui ſunt, cur per Chriſtum non omnes iuſti conſtituti ſunt. 294
Inſtruam te, et intelligere faciam, quid denotent. 830
Intellectum tibi dabo quomodo intelligatur. 830
Inuiſibilia Dei quomodo cognoſcantur, & quomodo Deus manifeſtauit. 60
Inuiſibilia Dei quæ ſint. 61
Inuiſibilia Dei ex operibus ab initio mũdi eſſe conſpicua: & virtus eius, ac diuinitas ſempiterna. 66
Ira Dei quomodo reuelatur in omnem impietatem. 53

Digitized by Google

Ira cui dandus locus eſt, quotuplex. 636
Ira Dei in quos reuelatur, qui ſint. pag. 54
Iræ cur & quomodo dandus eſt locus. 636. 638
Iræ locum dare quid ſit. 637
Iſaac quare dictus filius promiſſionis. 471
Iudæi quomodo offenderunt in lapidem. 506
Iudæi cur potius a Iacob, quàm ab Abraham, vel Iſaac dicti ſint Iſraelitae. 458
Iudæi cur plus peccauerunt quam gentiles, non ſeruando legem. 97
Iudæi quærunt iuſtitiam legis defendere, non autem fidem recipere. 513
Iudæi an poſſint excuſari, quod non obedierint Euangelio, & an cognouerint virtutem prædicationis Euangelij. 511
Iudæi cur tam pauci redierint ex captiuitate. 502
Iudæi cur non crederent Euangelio, vnde prouenit. 547
Iudæi non ita offenderunt, vt caderēt ſine vlla ſpe reſurgendi. 553
Iudæi, & gentiles quomodo intelligantur inimici, & electi. 571
Iudæi quare non receperint Euangelium. 511
Iudæi & Græci quomodo non ſit diſtinctio. 180
Iudæis & gentibus cur ſit communis iuſtitia per fidem. 225
Iudæis præter legem naturalem dedit Deus etiam cæremonialem. 114
Iudæo quare magis quam Gentili proderat legis obſeruantia. 137
Iudæo non licet gloriari de donis, quia gratis habuit. 154
Iudæorum delictum quod fuit. 553
Iudæorum vocatio, & reliquiæ vbi, & quomodo ſaluæ fient. 501
Iudæorum arrogantia ex quo apparet. 130
Iudæorum gloria quæ fuit. 460
Iudæorum populum totum non fuiſſe repulſum, ſed reliquias ſaluandas. 538
Iudæorum incredulitate, & repulſa verbum Dei ſtabilitum. 466
Iudæorum excæcatio quam diuturna. 549
Iudæorum ex delicto peruenit ſalus gentibus, & æmulatio ipſorum. 552
Iudæos conuertendos, ſalutemq. conſecuturos. 573
Iudæus arrogans, quia quod prædicabat fieri, non faciebat. 131
Iudæus gloriabatur de lege, cuius erat præuaricator. 132
Iudæus dicitur Deum blaſphemare præuaricando legem. 134
Iudæus quare magis quam gentilis tenebatur ad legis obſeruantiam. 136
Iudæus dicitur qui corde, & ſpiritu circuncifus. 138
Iudæus quare non excedat Græcum in iuſtitia. 154
Iudæus, & Gentilis quomodo dicuntur inutiles facti. 157
Iudæus cur ad iuſtitiam non peruenerit. 506
Iudas an fuerit vocatus, & electus. 8
Iudicare diem pluſquam diem, de quo intelligendum. 686
Iudicia, & viæ Domini quomodo inueſtigabilia. 578. 579
Iurare an liceat in nouo teſtamento. 12
Iuſti hominis deſcriptio. 218
Iuſti cur per Chriſtum non omnes ſunt conſtituti, ſi per inobedientiam vnius omnes mortui ſunt? 294
Iuſtificare in Scriptura quotupliciter ſumatur. 118

Iuſti-

d by Google

Iuſtificari per fidem quos dicit Scriptura, dicit etiam per pœnitentiam. 118

Iuſtificari hominem non ex ſola fide explicatur. 120

Iuſtificari non ex operibus ſed ex fide. 202

Iuſtificatio non ſolum fidem, ſed pœnitentiam requirit. 176

Iuſtificatur quomodo homo, contra hæreticos. 219

Iuſtificatum eſſe a peccato quid ſit. 309

Iuſtitia Dei reuelata de fide in fidem quæ ſit. 47

Iuſtitia quomodo dicatur eſſe per fidem. 201

Iuſtitia quæ eſt ſine lege, quomodo manifeſtata eſt. 173

Iuſtitia duplex, prima & ſecunda. 250

Iuſtitia prima, dicit remiſſionẽ peccatorum. ibid.

Iuſtitia ſecunda, dicit pœnitentiam, diligere, ſperare. &c. 253

Iuſtitia Dei non tantum Iudæos, ſed etiam gentiles reſpicit. 255

Iuſtitia Dei quotupliciter manifeſtata eſt per propitiationem in ſanguine Chriſti. 188

Iuſtitia non fuit data per legem, ſed per fidem in Chriſtum. 195

Iuſtitia quomodo dicatur latuiſſe ante propitiationem in ſanguine Chriſti. 188

Iuſtitia ex fide quomodo. 201

Iuſtitia quotuplex ſit. 205

Iuſtitia vera & perfecta quæ ſit. 205

Iuſtitia Abrahæ an fuerit ex fidei ſubſtantia, an ex qualitatibus. 243

Iuſtitia cur correſpondeat fidei, non autem operibus. ibid.

Iuſtitia communis eſt Iudæis & gentibus. 224. & quare. 225

Iuſtitia ex promiſſione & fide dicitur eſſe per gratiam. 228

Iuſtitia Chriſti opponitur demerito Adæ. 292

Iuſtitia legis cur dicatur propria Iudæorum. 515

Iuſtitia quomodo per fidem Chriſti, non per legem. 516

Iuſtitia imputata hæreticorum. contra eam notan. 216

Iuſtitia cur communis eſt Iudæis & gentibus per fidem. 225

Iuſtitiæ oſtenſione ad quid opus fuit. 192

Iuſtitiæ imputatæ hæreticorum confutatio. 214

Iuſtitiæ fidei excellentia. 250. 253. 255

Iuſtitiæ qui ſeruit quem fructum afferet. 323

Iuſtitiæ ad ſuæ oſtenſionem quid ſuſtinuerit Deus. 192

Iuſtitiam non prouenire ex operibus legis, ſed ex fide Chriſti. 165

Iuſtitiam ſuam quomodo Deus oſtendat. 192

Iuſtitiam eſſe manifeſtatam ſine lege cur dictum ſit. 172

Iuſtum denominari, & eſſe, quomodo differant. 217

Iuſtus quomodo dicatur eſſe iuſtus a iuſtitia Chriſti. 216

Iuſtus, non denominatus, ſed eſſe iuſtus dicitur. 217

Iuſtus eſt a quo ablatum eſt peccatum, contra hæreticos. 219

Iuſtus quomodo dicatur carnalis venundatus ſub peccato. 351

Iuſtus quomodo ſeruire dicatur legi peccati, malum autem operari a peccato, non a iuſto. 371

Iuſtus non eſt quiſquam, neque requirens Deum, de quibus verificetur. 216

L.

Laborem & dolorem fingere in præcepto, quid ſit. 837

Legem

Legem dominari in homine, de qua intelligatur. 228
Legem ceſſaſſe, & legis dominium quomodo differant. 326
Legem eſſe bonam quomodo affirmet peccator, dum facit contra legem. 360
Legem quomodo conſummabit, & abbreuiabit in iuſtitia Dominus. 503
Legem per Euangelium non eſſe deſtructam, ſed confirmatam. 198
Legem ſcientibus, de qua lege dicat Apoſtolus. 328
Legi mortificati quomodo dicantur homines. 330
Legem ſcriptam totam manifeſtare peccatum, quomodo. 168
Legis factores quomodo iuſtificabuntur, & tamen iuſtitia non ex lege. 222
Legis ex operibus non iuſtificari vllam carnem, quomodo intelligatur. 196
Legis factores dicuntur iuſtificari, quia pronunciantur iuſti ex gratia præcedente. 119
Legis ad obſeruantiam quare tenebatur magis Iudæus, quàm gentilis. 136
Legis mentis, & membrorum differentia. 365
Legis iuſtificatio quare impleatur in ĳs quæ ſunt Spiritus, non autem carnis. 389
Legis veteris effectus, & legis nouæ virtus. 398
Legis plenitudo quomodo in dilectione conſiſtat. 660
Legis opus ſcriptum qui oſtendunt in frontibus ſuis, quomodo ſint ſibi lex. 126
Legis mandata qui fecerit, quomodo viuet in eis. 517
Lex omnibus dicitur loqui, ſed quomodo. 163
Lex loquitur ĳs qui in lege ſunt quomodo intelligendum. 162
Lex neminem poterat iuſtificare, ſeu a peccato liberare. 161
Lex ſcripta quomodo manifeſtet peccatum. 171
Lex vetus quomodo dicatur ceſſaſſe, adueniente noua. 172
Lex quomodo per fidem confirmata. 174
Lex iram, non autem hereditatem affert. 229
Lex quomodo dicitur ſubintraſſe. 296
Lex quare ſubintrauit, vt abundaret delictum. 295
Lex dicitur iudex peccati. 339
Lex data fuit, vt peccatum agnoſceretur. 353
Lex data eſt, vt homo quærat remedium, non ex lege, ſed ex fide Chriſti. 353
Lex non dicitur cauſa mortis, ſed peccatum lege manifeſtatum. 354
Lex concupiſcentiæ et peccati dicitur cauſa cur pecco. 363
Lex ſpiritus quæ ſit, & quomodo captiuet legem carnis. 376
Lex mentis quomodo per Chriſtum liberauerit hominem a lege carnis. 377
Lex, alia mentis, alia membrorum, alia peccati. 367
Lumine naturali homines cognouiſſe peccata, grauitatem vero per legem. 170

M

Maior ſeruiet Minori, quomodo intelligatur. 476. 482
Mala facere, vt bona eueniant, non licere 151
Male operans, quicumq. ſit, manum Dei non effugiet. 109
Malitia quid denotet. 88
Malum quomodo in carne, & bonum in

in voluntate. 362
Malum pro malo non reddere an omnibus conueniat. 632. & 660
Malum pro malo cur non reddendum. 632
Malus in bono quomodo vincendus. 642
Mandatum inſtitutum ad vitam quomodo ceſſit in mortem. 351
Manifeſtatio Dei quotuplex. 62
Manus Domini cur, & quomodo dicatur aggrauata. 796
Maria, quæ multum laborauit in Eccleſia, quæ fuerit. 746
Maſchil Hebraicè quid ſignificet. 760
Maſchil num reperiatur in omnibus pſalmis. 762
Maſchil num ſit vox ſignificatiua. ibidem.
Maſchil quid ſignificet. 763
Maſſa & delibatio eius quid denotet. 557
Materia pſalmi. 31. 766
Matrimoniorum diuerſi effectus. 333
Membra noſtra dicuntur arma iuſtitiæ ſicut & peccati. 317
Membra noſtra quomodo exibere debeamus in ſanctificationem. 321
Mens quomodo dicatur captiuari in lege peccati. 367
Mens reproba quomodo intelligatur. 85.
Menſura fidei quid denotet. 249
Meritum, & cauſa ſine qua non, quomodo differant. 434
Miniſterium Apoſtoli ex quo dicatur honorificatum. 555
Miniſterium quid ſignificet. 249
Miniſterium Pauli quod fuerit. 724
Miniſterium abſconditum ab æterno quomodo nunc patefactum. 756
Miſerebor cui miſerebor ad quid referatur. 485
Miſeriæ qualitates, & officia. 613
Mori peccato quid ſit. 301
Mori Chriſto quomodo dicamur per baptiſmum. 301
Mori pro iuſto quid ſit. 261
Mors quomodo regnauerit ab Adam vſque ad Moyſem. 278
Mors, & vita duplex. 396
Mors primi hominis quomodo dicatur tranſire in alios. 269
Mortuorum viuificatio quomodo intelligatur. 234
Moyſis teſtimonium de pœnitentia an ſpectet ad iuſtitiam fidei. 518. alias 570
Mulier dicitur legi alligata viuente viro. 329
Mutare gloriam Dei in imaginem corruptibilis hominis quid ſit. 74

N.

Naturæ humanæ euerſionis, & reparationis ſimilitudo. 281
Nemo ſibi viuit, & nemo ſibi moritur, quomodo intelligatur. 692
Nolite fieri ſicut equus & mulus, cur dicatur in pſal. 31. 834
Non glorificare ſicut Deum quid ſignificet. 71
Non auditores tantum, ſed factores legis iuſtificabuntur, quomodo intelligatur. 116
Non probauerunt habere Deum in notitia, quomodo intelligatur. ibid.
Non eſt diſtinctio Iudæi, & Græci quomodo intelligatur. 180
Non eſt iuſtus quiſquam, neq. requirens Deum, de quibus verificetur. 216
Non ex lege, ſed ex fide hereditas. 231
Non omnes qui ſunt Iſrael, ii ſunt Iſraelitæ, neq. qui ex ſemine Abrahæ, quomodo intelligatur. 466
Non reddere malum pro malo an omnibus conueniat. 632

Non

Non eſt regnum Dei eſca & potus quomodo interpretetur. 701
Non eſſe aliquid ex fide quid intelligatur. 708
Non eſt in ſpiritu eius dolus, quid denotet. 786
Nouitas quotupliciter ſumatur. 592
Nox præceſſit, & dies appropinquauit, quid ſignificet. 669
Nox quæ præceſſit, & dies qui appropinquauit, quæ ſint. 670
Nunc & ſemper in gloria patri quomodo intelligatur. 855

O

Obedientia præſtanda Antiſtiti. 645
Obedientia Chriſtianorum in Eccleſia in quo conſiſtebat. 750
Obedientia ſubditorum non tollitur per Euangelium. hoc multipliciter probatur. 665
Obedire quare debemus propter conſcientiam. 656
Obſcuratum cor quid intelligatur. 73
Oculos Deum firmare ſuper fideles, & illos inſtruere, quid ſit. 826
Offendiculum, & ſcandalum in quo differant. 697
Officij exercendi erga inimicum gradus. 640
Oleaſtri, oliuæ, radicis, & pinguedinis nominibus quæ intelligantur 159
Omne genu quomodo Chriſto flectendum. 695
Omni operanti bonum honorem, & pacem dari, tam ante Chriſti aduentum, quam poſt. 111
Omnia cooperari in bonum, de quibus dicatur. 435
Opera digna vita ac præmio quæ ſunt. 111
Opera tenebrarum quæ ſint. 671
Operans quis proprie dicatur. 211
Opus Dei quomodo deſtruatur propter eſcam. 702
Orbem totum docere Dei ſempiternā diuinitatem. 66
Ordinata cur dicantur quæ ſunt a Deo. 649
Ordo ſaluandorum per gratiam. 542
Originale peccatum quomodo contrahatur. 272
Os quomodo dicatur plenum maledictione. 159
Oſculum ſanctum in Eccleſia quid fuerit. 749

P

Pacta & eloquia Dei quomodo firma perſeuerent. 252
Pacem quomodo acquirimus per Chriſtum apud Deum. 252
Pacem & honorem dari omni operanti bonum, tam ante Chriſti aduentum, quam poſt. 111
Paſſiones peccatorum quomodo dicantur per legem operari. 339
Patientia quomodo ſit neceſſaria viuentibus ſecundum ſpiritum. 404
Patrum ſententiæ ſuper explicatione diuinitatis, & virtutis. 66
Pauli concio cur primum Iudæo, & Græco, quàm alijs debebatur. 15. alias. 45
Pauli circuitus, & peregrinatio in prædicando. 728
Pauli prædicatio non ex humano lumine, ſed per reuelationem myſterij diuini. 755
Paulus, & Saulus cur dictus Apoſtolus. 3. & 8
Paulus cur dicatur ſeruus Ieſu Chriſti. 5
Paulus cur dicatur ſapientibus, & inſipientibus debitor. 40
Paulus quando ſe vocat ſeruum Ieſu Chriſti, de qua ſeruitute intelligat. 7

Paulus

Digitized by Google

Paulus quomodo dicatur ſegregatus in Euangelium Dei. 9. & 10
Paulus quomodo ſeruiebat in ſpiritu Deo, & in Euangelio filij eius. 33
Paulus quomodo per Chriſtum acceperit gratiam, & apoſtolatum. 24
Paulus quomodo dicatur orare ſine intermiſſione. 34
Paulus vnde prohibitus venire ad Romanos. 39. alias 77
Paulus quomodo intelligatur non erubeſcere Euangelium. 43
Paulus qua de cauſa iuramento firmauit ea quæ dicebat. 451
Paulus qua ratione diminuat peccata Iudæorum. 569
Paulus quare in ſua Epiſtola ad Romanos vſus ſit teſtimonio pſal. 31. 778
Paulus vtrum venerit in Hiſpaniam. 733
Paulus cur cupiat refrigerari. 738
Paulus an habuerit vxorem. 741
Pax iuſtitiæ quæ ſit. contra hæreticos. 251
Peccare in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, quomodo intelligatur. 277
Peccantes quare puniat Deus, iuſtos beneficio afficiat. 499
Peccare in Adam, & contrahere peccatum originale quomodo differant 272
Peccata quomodo tecta dicantur. 220
Peccata oris quot ſint. 160
Peccata propter quæ Deus oſtendit iuſtitiam ſuam, quæ fuerint. 192
Peccata tantum quæ ſint, quæ pœna peccati; quæ peccatum, & pœna ſimul. 86
Peccata quare dicantur iniquitates. 773
Peccata cur tecta, & remiſſa dicantur. 778
Peccata quomodo tegi dicantur. pag. 773
Peccata cuius remiſſa ſunt, an beatior, quàm cuius tecta. 778
Peccata quare non ſtatim puniat Deus. pag. 98
Peccata cur appellentur opera tenebrarum. 669
Peccati nomine quid intelligatur, cum Chriſtus de peccato damnauit peccatum. 381
Peccati Adæ cum Chriſti iuſtitia collatio. 286
Peccator quomodo intelligatur non agnoſcere quod facit, quando peccat. 355
Peccator quare non eſt dignus excuſatione. 357
Peccator quomodo dicatur facere malum, quod odit, & abſtinere à bono, quod vellet. 358
Peccator quomodo affirmet legem eſſe bonam, dum facit contra legem. 360
Peccatum cur ſit quod non eſt ex fide. 707
Peccatum regnare in corpore quid ſit. 316
Peccatum & mors quomodo per vnum hominem intrauit in mundum. 269
Peccatum primi hominis quomodo dicatur pertranſire in poſteros. 270
Peccatum originale quomodo contrahatur. 272
Peccatum quomodo regnauerit in homine vſque ad legem ſcriptam. 273
Peccatum imputari quid ſit. 276
Peccatum non imputari ante legem quomodo intelligatur. 277
Peccatum qua ratione dicatur mortuum ſine lege. 347
Peccatum quomodo per legem cognitum. 168

Peccatum quare dicatur mortuum. 349
Peccatum operans omnem concupiſcentiam quod ſit. 344
Peccatum quomodo reuixerit. 350
Peccatum quomodo dicatur hominem ſeducere. 352
Peccatum quomodo dicatur fieri ſupra modum peccans per legem. 354
Peccatum cur damnauerit Chriſtus. 382
Peccatum quomodo procedat a carne vitiata, non a natura. 360
Peccatum de peccato damnare quid ſit. 380
Peccatum non debere cognoſci per legem. 267
Peccatum quare non eſt ex fide. 707
Peccatum actuale ante legem quare non imputabatur ad pœnam temporalem. 276
Pedes annunciantium pacem, & bona quid ſignificent. 527
Pedes quare a ſpecioſitate commendentur. ibid.
Pelagianorum errores de peccato originali. 221
Perfectionis Chriſtianæ principium quod. 584. 590
Perſeuerare in peccato, cur prohibemur, ſi gratia ſuperabundat. 311. alias. 326
Pertinaces, & contentioſos reſiſtere veritati. 107
Petra ſcandali quid ſignificet. 508
Pharaonem quare excitauit, & commouit Deus. 489
Philoſophi qui dicantur inexcuſabiles, quia Deum non agnouerunt. 66
Philoſophi an vere Deum agnouerint. 70
Philoſophi quomodo nouerunt Deum, & quomodo ignorarunt. 84
Philoſophi vere Deum nouerunt, ſed ignorarunt eius virtutem, & diuinitatem. 70
Philoſophis & ſapientibus quomodo ſe manifeſtauit Deus. 60
Phœbe mulier quæ fuerit. 741
Phœbes miniſterium quod fuerit in Eccleſia. 741
Pœna eorum, qui non curant habere notitiam Dei. 485
Pœnæ tarditatem grauitate compenſat Deus. 100
Pœnitentia vt voluntatis, ita fides eſt diſpoſitio intellectus. 176
Politia vt humana conſeruetur, quid requiratur. 644
Poſtulare ſecundum Deum quid ſit. 428
Poteſtas non eſt niſi a Deo; quomodo. 647
Poteſtas ſecularis in quo differat a ſpirituali. 648
Poteſtas ſæcularis non minuitur per Euangelium. 665
Poteſtatem habent principes condendi legem obligantem ad mortale. 651.
Præceptum generale ſeruandum tàm cum amicis, quàm cum inimicis. 627
Prædeſtinati dicuntur fieri conformes imagini, non autem filio. 438
Prædicator num ſemper mitti debeat. 525
Prædicatio Euangelij tempore Apoſtolorum, an peruenerit per totum orbem. 533
Præſcientia an pertineat ad intellectum, an ad voluntatem. 436
Præuaricatio Dauid, quæ fuerit. 808
Princeps cur gladium portet. 654
Principes ſeculares præſunt temporalibus, non autem ſpiritualibus. 646
Principes habent poteſtatem condendi legem obligantem ad mortale. 651

Prin-

Principium Chriſtianæ perfectionis quod ſit. 584. 590
Priſcilla, & Aquila qui fuerint. 745
Probandi verbum quot ſignificationes habeat in Scriptura. 594
Probatio in fide quotuplex. 256
Promiſſio Abrahæ facta extenditur etiam ad gentes. 223
Promiſſio facta Abrahæ quare per fidei iuſtitiam, non per legem. 226
Promiſſiones duæ factæ Abrahæ. 502
Promiſsionis filij quomodo æſtimati, in ſemine Abrahæ. 470
Prophetia, & diaconia ſunt duo genera chariſmatum Eccleſiaſticorum. 605
Prophetia ſecundum rationem fidei quomodo intelligatur. 606
Propoſitum vocationis Dei, quid ſit. 433
Propoſitum Dei ſecũdum electionem, quid ſit. 478
Prudens apud ſemetipſum quis dicatur. 631
Pſalmi 31. materia. 766
Pſalmi 31. diuiſio. 769

Q

Quæcumque ſcripta ſunt, quomodo ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. 713
Quæſtiones de delectu ciborum in primitiua Eccleſia. 677
Qualitates & vitia eorum, qui in Eccleſia diſſenſiones, & offendicula faciebant. 750
Qui crediderit, non confundetur, quomodo intelligatur. 509
Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, quomodo intelligatur. 862
Qui ſapit, diem Domini ſapit, quid denotet. 689
Qui non iudicat ſemetipſum in eo quod probat, quomodo interpretetur. 705

R

Radix Sancta, rami, ac terra qui ſint. 558
Rebecca quomodo ex vno concubitu duos habuerit. 475
Rebeccæ filiorum quare maior ſeruierit minori. 476
Reconciliatio peccatorum fuit ex pura Chriſti miſericordia. 264
Recti corde cur gloriari poſſunt. 841
Rectus corde quotuplex. ibid.
Regnum Dei non eſt eſca, & potus quomodo interpretetur. 701
Regnum mortis, & regnum vitæ quomodo differant. 298
Regnum Dei in quo conſiſtat. ibidem.
Remedia ſeruiendi Deo. 622
Remiſiſti impietatem peccati mei, non autem peccatum ipſum, ſiue impietatem, quare dicatur. 810
Remiſsio quomodo exponatur à Patribus. 191
Remiſsio præteritorum peccatorum pendet a Deo, ſicut & præſeruatio a futuris. 825
Remiſsio quid ſignificet. 77. alias 770
Remiſsio a quo fiat. 771
Replere Euangelium, quid denotet. 728
Reputari aliquid ad iuſtitiam, quomodo ex debito, vel ex gratia. 215
Reputari fidem ad iuſtitiam, quid ſit. 214
Reſponſio impudens contra Deum, quomodo reprimatur. 493
Romani quando, & quomodo ad Chriſtum vocati. 26
Romani cur Sancti vocati. 28

S

Sacra Scriptura, lex, & prophetiæ, quomodo facta in captionem,

nem, & ſcandalum Iudæis. 552
Sacrificium quomodo Deo placens. 588
Sacrificium an eſſet proprium Sacerdotum. 585
Sacrificium legis antiquæ quæ continebat. 584
Sancti, pro quibus ſpiritus poſtulat, qui ſint. 430
Sancti, quibus omnia cooperantur in bonum, qui ſint. 431
Sanctorum neceſsitatibus communicare, quid ſit. 624
Sanctos digne ſuſcipere, & aſsiſtere quid ſignificet. 744
Sanctum quid ſignificet, & hoſtia quomodo Sancta. 587
Sanctus, voce Hæbræa, quid ſignificet. 815
Sanguine coniuncti B. Paulo qui intelligantur. 457
Sapere quæ carnis ſunt, & quæ ſpiritus quomodo intelligatur. 383
Sapere pluſquam oportet, quid denotet. 598
Sapientia & ſcientia Dei quomodo abundauit in nobis. 576
Sapientiæ ſpiritus, cur pacem induit cum Deo. 386
Sapit quomodo quis ad ſobrietatem. 600
Satan in Scriptura, quid ſignificet. 752
Scientibus legem. de qua lege dicat Apoſtolus. 328
Seculum in Scriptura, quot modis accipiatur. 860
Seculum in Scriptura an ſumatur pro duratione ante mundi creationem. 858
Separare a charitate Dei quæ nos poterant. 445
Seruire in nouitate Spiritus, quid ſit. 337
Seruitus quot modis accipiatur in Scriptura. [illegible]7
Seruitus peccati quæ ſit. 356
Seruitus legis Dei, & ſeruitus legis peccati, quæ ſint. 319. & 370
Seruus Ieſu Chriſti. quàm ſeruitutem intelligat Apoſtolus. 7
Sicut erat in principio de quo intelligatur. 855
Signaculum iuſtitiæ fidei, quid ſit. 223.
Simplicitas quid ſit, & in quibus reſideat. 610
Sollicitudo in quo differat a diligentia, & ad quos ſpectet. 612
Soluti a lege mortis quomodo dicamur. 336
Spei ſuſtentacula quæ ſint. 713
Sperans in Deo quis dicatur. 839
Spes, dilectio, & pœnitentia ſunt diſpoſitiones ad iuſtitiam. 176
Spes quomodo, & quare non confundat. 257. 258
Spina quid ſit, ibi: dum conſigitur ſpina. 800
Spiritum compunctionis quòd Iudæis dederit Deus, vnde deſumatur. pag. 547
Spiritu feruentes qui dicantur. pag. 619
Spiritus quid ſit, cum dicitur: nec eſt in Spiritu eius dolus. 785
Spiritus inhabitans quis ſit. 391
Spiritus adiuuans noſtras infirmitates. 421
Spiritus quis dicatur pro nobis poſtulare, & gemere. 425. & quomodo. ibidem.
Spiritus quomodo dicatur viuere, & qua vita. 390
Spiritus Sanctus, quomodo teſtimonium reddat ſpiritui noſtro. 401
Spiritus feruor quid requirat. 620
Spiritus Sanctus quomodo dicatur noſtras adiuuare infirmitates. 423
Stabilitas dilectionis diuinæ erga electos. 444
Stare quomodo dicamur in gratia. 254

Status

Digitized by Google

Status naturæ, legis, & Euangelij differentia. 297. & 345
Subditi quomodo eſſe debemus ex neceſſitate. 655
Subuenire adinuicem debent Chriſtiani. 623

T

Tacere quid ſignificet, quando dicitur, quoniam tacui, &c. pag. 789
Taciturnitas mala quotuplex. 792
Taciturnitas Dauid an fuerit bona, vel mala. 793
Tempus opportunū quid denotet. 813
Tertius, ſcriptor huius epiſtolæ ad Romanos, quis fuerit. 753
Teſtamentum ſiue foedus de eripienda impietate a Iacob, vnde deſumptum in Scriptura. 568
Teſtamentum collatum populo Iudæorum, quod fuerit. 461
Tradere homines in deſiderium cordis, quid ſit. 77
Tribulatio quid importet. 821
Tribulationem & patientiam operari ſpem, contra hæreticos. 256
Tribus decem ductæ in captiuitatem, ex quibus tam pauci redierunt, quid ſignificent. 501
Tributum & vectigal, quomodo differant. 657

V

Vaſa miſericordiæ non tantum ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus præparauit Deus. 500
Vaſa in contumeliam, & honorem, quid denotent. 497
Vaſa miſericordiæ non ſolum ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus Deus præparauit. 500
Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio: non enim quod volo bonum, &c. quomodo exponuntur iſta verba. 871
Verbi Dei firmitas quomodo non excidat. 464
Verbum cur abbreuiatum, & quid ſit. 503
Verbum (ex vocante) quid denotet. 480
Verbum Dei non dicitur excidiſſe, ſi promiſſio verificata eſt tantum in Iſaac, non autem in Iſmael. pag. 472
Verbum Dei quomodo non exciderit ex promiſſione facta ſemini Iudæorum, ſi ipſi repulſi ſunt. pag. 465
Veritas Dei quomodo dicatur abundare in mendacio hominis. 149
Veritatem Dei in iuſtitia detinere, quid ſit. 33
Veritatem Dei in iniuſtitia detinere, qui, & quomodo dicuntur. pag. 56
Veritates Iuſtitiæ fidei. 511
Veritatis Euangelij amplitudo, & quare Iudæi illud non receperint. 511
Veterem hominem quomodo dicamur abijcere, vel crucifigere cum Chriſto. 307
Vetuſtates in Scriptura quid ſignificent. 591
Vindictam eſſe repellendam. 635
Vita, in quam transformabimur cum Chriſto, quæ erit. 211
Viuere quare tenemur ſecundum ſpiritum. 395. & 403
Viuere cum Chriſto, quid ſit. 310
Viuere Deo, quid ſit. 304. alias. 314
Viuificari corpora, quomodo intelligatur. 392
Vnum corpus in Chriſto quomodo ſumus, & alter alterius membra. 602
Vocare ea quæ non ſunt, tanquam ea

quæ ſunt quomodo intelligatur Deus. 235
Vocati qui dicantur ſecundum propoſitum. 435
Vocatio gentium cur, & quomodo a Deo facta ſit. 500
Vocatio ex Iudæis, & reliquiæ, vbi, & quomodo ſaluæ fient. 501
Vocatio quot modis ſumatur in Scriptura. 8
Voluntas Dei bona quæ ſit. 595
Voluntas Dei ſaluandi hominem quibus nominibus ſignificetur. 432
Voluntas Dei, quot modis inſpiciatur. 594
Voluntatis acceptio duplex. 512

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

89 3

REGESTVM,

* A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z,

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn NO Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz,

Aaa Bbb Ccc Omnes ſunt quaterniones,

Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ.

Duerniones.

ROMAE,

Apud Carolum Vulliettum.
M. CD. II.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. C. DI GIACOMO
PESCARA

GIU. 1970

by Google

Digitized by Google